9/3/3

P. DIDACI DE QUADROS
SOCIET. IESU.
SACRARVM LITTERARVM INTERPRETIS

PALÆSTRA BIBLICA,
SEU
ENCHIRIDION NEOTERICORVM.

Del Apos.to del P.e Mro de Escobera

PALÆSTRA BIBLICA,

SIVE

ENCHIRIDION

NEOTERICORUM

PRO SACRIS CODICIBUS RITE TRACTANDIS,

ET DIFFICULTATIBUS

SCRIPTURÆ SACRÆ

SCHOLASTICÈ

DISCVTIENDIS.

TOMUS TERTIUS.

Del Coll.º de la Comp.ª de Jhs

AUTHORE

PATRE DIDACO DE QUADROS, SOCIETATIS JESU
Olim Philoſophiæ, & Theologiæ Scholaſticæ Profeſſore Primario; nunc in ſuo Imperiali Collegio SS. Litterarum Interprete, & Linguæ Hebraicæ Profeſſore.



ANNO DOMINI M. DCC. XXXI.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

)(§)(CUM PRIVILEGIO.)(§)(

MATRITI. Excudebat Ioſephus à Gonzalez; via Commendæ.

PALÆSTRA BIBLICA.

SIVE

ENCHIRIDION

NEOTERICORUM

PRO-SACRIS CODICIBUS RITE TRACTANDIS

ET DIFFICULTATIBUS

SCRIPTURÆ SACRÆ

SCHOLASTICE

DISCVTIENDIS.

TOMUS TERTIUS.

AUTHORE

PATRE DIDACO DE QUADROS, SOCIETATIS JESU

Olim Philosophiæ, & Theologiæ Scholasticæ Professore Primario; nunc in suo Imperiali Collegio SS. Litterarum Interprete, & Linguæ Hebrææ Professore.

ANNO DOMINI M DCC XXXI

CUM PRIVILEGIO.

MATRITI, Excudebat Josephus Gonzalez via Commendæ.



S. FRANCISCO XAVERIO.

SOCIETATIS IESV GERMINI EXCELSO,

NAVARRÆ LVMINI, COLVMINI ECCLESIÆ,

CVLMINI SANCTITATIS.

MAGISTRO PARISIENSI,

DISCIPVLO VERÒ IGNATIANO, À QVO IN SILENTIO

ALTO ALTIORES DIDICIT DISCIPLINAS,

VIVÆ IMAGINI

IESV CRVCIFIXI, PROPTER QVAM INANIMATÆ CRVCIFIXI

IMAGINES MIRA PRÆSTITERE:

ALTERA DE MEDIJS VORTICIBVS PELAGI CANCRI DORSO SVBLATA:

ALTERA CVM XAVERIANA ITA SIMPATHICA, VT VTRAQVE

CRVORE MANARIT: HÆC AMORE; ILLA PVDORE,

INDORVM APOSTOLO

CVI POST BOBADILLAM SECVNDA SORS VERE SECVNDA FVIT,

DANS VIRVM IN ORBE PRIMVM: CVIVS SORTIS VRNA

IN HAC TESTAMENTI ARCA

VERE IVNXIT VIRGAM, MANNA, ET TABVLAS LEGIS

IN MIRACVLIS, IN SVAVITATE, IN DOCTRINA,

THAVMATVRGO MAXIMO,

CVI AVSCVLTABANT HOMINES, VENTI, SOL, ÆQVOR, IDOLA.

NVNTIO DEI, ET ECCLESIÆ,

CVIVS IMPERIO PARITVRA SEMPER ADSTABANT IVRA VITÆ

NECIS, ET ORCI,

CVM QVEIS ORBEM EMENSVS EAM DE SVIS GETIS TEXIT

ILIADEM, QVAM HÆC SOLA NVX CAPERET.

ALTER ORBIS.

H. O. P. D. Q. D. O. C. Q.

SERIES OPERIS.

TOMUS TERTIUS.

COntinet pro apparatu tres partes, quarum. I. eſt de re Chronologica cum multiplici Chronotaxi, & particulari Chronologia. II. Continet Geographicas partitiones, & Situs Terræ Sanctæ, Civitatis, & Templi cum indiculo Topographico ſufficienti. III. eſt de ponderibus, & menſuris, tàm pro liquidis, quam pro ſolidis, & diſtantijs. IV. Sequuntur quatuor Decades quæſtionum Biblicarum Scholaſtica methodo pertractatæ. V. Subiungitur Vniverſalis quædam Chronologia ab orbe condito: cui poſtmodum adnectitur Kalendarium Hebræorum. VI demum duo indices appenduntur alter Biblicus, alter rerum, & verborum.

TOMUS QVARTVS.

COntinet pro apparatu Synopſim quandam ſingularem totius Sacræ paginæ in particulari, quæ Vetus, & Novum Teſtamentum partita, duplicem partem conficit apparatus. I. Teſtamentum vetus II. Novum. Deinde III. Sequuntur quatuor Decades Biblicarum Quæſtionum, quæ pro omni Theologia tractanda ſunt valde fundamentales, & plurimum ſervituræ. IV. Adijcitur prima appendix in duas partes diviſa, quarum prima eſt de Authore quodam, ſecunda de adagijs. V. ſecunda appendix apponitur, quæ priorem partem Memoriali metrico-Biblico, poſteriorem verò nomenclatura 72. Interpretum, & diſcipulorum D. claudit. VI. Tandem duo Indices, alter Biblicus, alter verò Rerum, & Verborum.

AM-




Hic fidei Quæstor Primus, Primasque Toleti:
Necnon Hesperidum qui Moderator erat.
Didacus Astorga est: nemo excellentior Orbe:
Hunc satagunt plures sculpere: nemo potest.

AMPLISSIMO
SANCTÆ ROM. ECCLESIÆ
CARDINALI
DE ASTORGA
ET CESPEDES,
HISPANIARUM PRIMATI, ET
MODERATORI PRÆEXCELSO.



UM ad Tuas aras accedo, EMINENTISSIME PRINCEPS, ſtatim pronum eſt cogitare, quod, perinde ac Numini non ſemel, neque vna manu litandum eſt; ita quidem coram tanto Eccleſiæ Lumine ego quoque non ſolum rurſus, ſed vtraque manu oblaturus adveniam. Duos ergo Tomos eiuſdem illius operis, quod olim Tibi Domine conſecravi, nuper vno partu editos impræſentiarum plenus humilitate, & obſequio nuncupandos eſſe decrevi, ſive contemplatus, me, vnum de Fami-

Familiæ Præsbiteris, de corde Tuo exire foras non posse sine licentia, sivè ratus, non integram felicitatem huic Operi esse adsciscendam, nisi ex eisdem auspitijs, vnde ea sumpsit columen fundamenti; sibi adrogare nunc velit fastigium, & verticem dignitatis. Igitur, quamquam in Epistola dedicatoria primi mei Tomi excurrere fine marginibus ausus sum per campos celsitudinis, nobilitatis, humanitatis, ac beneficentiæ, quæ cumulata in Te reperiuntur; nihilominus ita ipsi latissimi semper sunt, & amœni; vt nisi eloquentia defuisset; ampliora longe stadia mihi percurrenda nunc supereſſent. Ea propter cedat nunc silentio admodum reverenti Nobilitas illa Tua, qua natura Te, & Tua simul facinora decorarunt. Cedant glorioſi Tituli, & munia præclara, quibus Te gradatim sors fausta adornabat, quousque in censum primorum Te Cardinum colligaret. Cedat amoris illud pondus verè ingens, quo tamdiu Nostram Societatem Eminentia Vestra fuit prosequuta. Verum ne postuler de audacia quæritans ita celsum auxilium; præterire non possum beneficam erga me, & meos voluntatem, & honorificentiam
Lib. 8. qua, & ego ipse, & Fratres mei de tam liberali manu honoramur. *Beneficiorum gratia sempiterna est.* aiebat Curtius: vnde, & in nobis sempiterna quoque sit memoria, necesse
Lib. 3. Epist. 4. est, & relegenda semper oblivio. Quocirca cum discretè, & oportunè dixisset Plinius, esse à natura comparatum, vt antiquiora beneficia subvertat quis, nisi illa posterioribus cumulet; fœnora nostra proculdubio sunt hæc obsequia, quibus tantum benefactorem prona supplicatione pellicimus
1. De Orator. vt priora in nos beneficia non dedignetur, collatis in nos posterioribus, cumulare. Teste enim Tullio nihil est tam regium, tàm liberale, tàm munificum, quam opem ferre supplicibus. Quamobrem veluti nostrum est, demissis animis pronos vsquequaque provolvi; ita vicissim Tuum est, Eminentissime Domine, qui magnos Alexandros, Cyros, & Augustos comitate facilè superas, indulgentia, & largitate nos prosequi, qua nimirum vita nostra, & actiones (præter Numen) non nisi dono Tuo sint referendæ. Nostrum ergo cum foisset ad Romanam ac promeritam Tui Purpuram, ebullienti in corde alio murice collætari; iam modo vrgebat, nostra dona Sacra adornare, sine quibus ad id solium non licebat introire. Idcirco Quæstiones Biblicas apparavimus quas nulla queat Purpura honestè respuere: quippè in quibus impenditur opera veritati. Si enim aiebat Augustinus de Vera

Reli-

Religione, in Scriptura Sacra tantum eſſent quæ facillimè intelligerentur; neque ſtudiosè quæreretur, nec ſuaviter inveniretur veritas: proindeque illico hæc verba Auguſtino ſuo adiungit Ambroſius inquiens. † Cœleſtium Scripturarum eloquia diſcutere, ac polire debemus toto animo, ac corde verſantes, vt ſuccus ille ſpiritualis cibi in omnes ſe venas animæ diffundat. † Atque, licet quod certè congruum eſt in tractatu, vitiandum forſan per ineptum eſſe tractatorem, meritò reformidem; nonnihil tamen Noſtro Principi forte non diſpliciturum me eſſe confido, qui quandoque in re litteraria imperitiæ meæ aliquid benignè excipere non dubitavit. Vt autem fiduciæ metas non ſit mihi facilè tranſilire; Valerium Maximum promo ſic recitantem: *Laudanda fiducia eſt, quæ exiſtimationem ſui certo pondere examinat, tantum ſibi arrogans, quantum à contemptu, & inſoleutia diſtare ſatis eſt.* Non enim, Princeps Eminentiſsime, vt exiſtimationi meæ conſulam, plus coram Te confidendum eſſe decrevi, quàm quantum ex vna qarte opus ſit, ne contemnar; ex alia verò, & præcipua, quantum opus ſit, ne inſolens fiam. Accipe ergo, Eminentiſsimè princeps, de vtraque manu mea duplex hocce munuſculum, quod tua benignitate, quæſo, fovere non deſinas. Quod ſi dicebat olim Veſpaſianus, non licere quemquam à vultu Imperatoris triſtem diſcedere; quanto dulcius, & firmius de te Principe Rom. Eccleſiæ tantumdem ſperare licebit? Vale Princeps Eminentiſsime.

† Lib. de Cain, & Abel.

† Lib. 3. cap7.

EMINENTIÆ VESTRÆ

Humillimus, & obſequentiſsimus ſervus

Didacus de Quadros,
Soc. Jeſu.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ Toletanæ.

ANtonius Gutierrez Societatis Jesu Vice-Provincialis in Provincia Toletana, potestate ad id mihi facta à Reverendo admodum Patre nostro P. Francisco Retz, Præposito Generali Societatis Jesu, facultatem facio, vt liber scriptus: *Palæstra Biblica*, Tomus tertius, & Quartus; à Patre Didaco de quadros Societatis nostræ Theologo, & eiusdem Societatis graviũ, Doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti in nostro Imperiali Collegio die decima octava Januarij, anno Domini millesimo, septingentesimo, & trigesimo primo.

Antonius Gutierrez.

CENSVRA R. ADMODVM P. M. F. IOACHIMI DE ANIA, Ordinis Ciſtercienſis, in ſuo Monaſterio Matritenſi olim Abbatis, & ſui Sacri Ordinis digniſsimi Ex-Generalis.

POſt ſententiam ſive cenſuram olim iam datam de ſecundo Tomo in lucem edito per R. P. M. Didacum de Quadros Societatis Ieſu in ſuo Collegio Imperiali Sacrarum litterarum Interpretem, & Linguæ Hebraicæ Profeſorem, nunc video rurſus per D. Lic. D. Michaelem de Eſcobar Vicarium Matritenſem Eminentiſsimi Præſulis Toletani mihi demandatum eſſe examen, atque cenſuram Tertij, & Quarti Tomi eiuſdem Palęſtræ Biblicæ. Et, licet propter antiquam neceſsitudinem cum Authore, non ſit facilè illud Philoſophi adimplere pronuntiatum, ſcilicet *Primum iudicare; dein amare convenit* ſiquidem ignoro, an mecum inſitus à natura ſit amor Authoris; nihil tamen propterea vereor, Cenſoris integritati eſſe defuturum: quoniam, vt aiebat Seneca, *amicus in pectore; non in atrio quæritur.* Vnde, & erit admodum facile, imi pectoris amore ſervato, in forenſi atrio cenſorem induere; quin obſit quod ipſe ſit alter ego. Vtinam, vt video in hoc pere, poſſem ego eſſe alter ipſe. Igitur, ne moras nectam, cum potius hæc opera ſibi adrogent commendationem quam criſim, mitto plura in quibus erga Authorem, & erga eius S. Religionem Societatis Ieſu, cui ſum devinctiſsimus, expatiatus fui in prima cenſura, nec ſine amore, nec ſic debito: quippè in illis neque accretio tentanda eſt, quaſi fieri poſsit; neque dum ipſa res mihi eſt lucro tantopere nunc mihi eſt fęnerandum. Duo ergo ſunt, de quibus, tametſi parciſsimus eſſe velim, ſilere non convenit. Alterum videlicet eſt argumentum hocce altum atque graviſsimum quod his Tomis tractatur: alterum verò methodus, & ingeniam quo inibi tam celſa exponuntur. De vtroque ſic luculenter diſſerit Auguſtinus exponens quomodo in Sacra Pagina facile ſit reperire legitimos Characteres cuiuslibet diſciplinæ. * Hic Philoſophia, inquit, quoniam omnes omnium naturarum cauſæ in Deo creatore ſunt. Hic Ethica quoniam bona vita, & honeſta non aliunde firmatur, quam cum ea quę diligenda ſunt, & quemadmodum diligenda ſunt, diliguntur, hoc eſt Deus, & proximus. Hic logica quoniam veritas, lumenque animæ rationalis non niſi Deus eſt. Hic etiam laudabilior reipublicæ ſalus: neque enim optimè cuſtoditur civitas niſi fundamento, & vinculo fidei firmæque concordię, cum bonum communediligitur. * Hoc ergo quod tam pręciare dixerat Auguſtinus, hodierna die Author Noſter in ſuo eleganti opere quadripartito vbertim demonſtrat. Vix enim aliquid reſciri poteſt in primis quod ad Sacram Paginam attinere videatur, quod ibi non tradatur, & illuſtretur: ſive regulas, adagia, phraſes, & idiotiſmos conſideremus, ſive methodos diſcendi, docendi, diſputandi, prælegendi, interpretandi, concionandique velimus intueri: ſiue demum Synopſes, Chronologias, & Chronotaxes, Geographias, pondera, & menſuras, appendiculaque comparemus. Deinde per vniverſos libros ſacros diſſertationes graves ita vbique reſpergit, tam abunde diſcuſas, vt in eis de cunctis diſciplinis planè fecerit ſpecioſum iuxta ac cumulatiſsimum florilegium: obambulat enim, & non peregrinatur vt hoſpes, per Choros Theologicos in poſitivis, & expoſitivis, in Scholaſticis, & polemicis in

Nicocles apud Pitachum, ſerm. 135.

De Beneficijs lib. 6. cap. 34.

Epiſt. 2. ad Voluſinem.

in mysticis, & symbolicis: inde pergit per Theologiam moralem ad iura funditus discutienda, ita vt de lege æterna, & naturali, de divina veteri, & nova copiosissimus differat, quin Canonica, & Civilia relinquat intacta. Sed neque inde exul est Medicina, Mathesis, & Philosophia cum litteris humanioribus cursim tactis, vt planum sit, pro delectu operis sui omnes disciplinarum areolas collustrasse. Circa modum verò notatu digna sunt verba Augustini aientis: *Modus ipse discendi quo Sacra Scriptura contexitur, quamvis omnibus accessibilis; paucissimis tamen est penetrabilis.* In quo genere nulli ignotum, est quam præstantissimus evaserit Athor noster, cum difficultates profundas ita diducit arte Scholastica, & conclusione palmari, vt tyronibus penetrabilis iam sit ea sacra doctrina quæ antea erat inaccessa. Testes Academiæ sint, testes Cathedrales. Si igitur *prudentiæ mos est* (aiebat Cassiodorus) *in humanos vsus terris abdita talenta revocare, commerciumque viventium non dicere mortuorum: quia, & nobis in fossa pereunt, & illis in nulla parte profutura linquuntur*; cur hæc aurea talenta in lucem non sint proditura quæ nimirum commercium faciant viventium simul ac mortuorum: siquidem libri etiam defunctæ manus solent supra pretiosas merces avidissimè queritari. Ergo cum eodem Cassiodoro sic liceat alloqui Authorem. *Fama nostra est quod loqueris: conscientia sine dubitatione quod sentis*: stylus enim ita fluit pereleganter, vt Hispanicę latinitati admodum consulat; & insuper eius sententię cunctam conscientiæ removent perplexitatem. Clausula ergo sit nostræ censurę (quæ nihil hic fidei moribusve carpit adversum) sententia illa Aristotelis. *Sententiæ à commendationibus differunt quod hę solum ex contrarijs constant; sententiæ verò, & de repugnantijs.* Ita enim ferè modo contingit, partim dum erga talem virum mea repugnantia agendi censorem tamen dicit sententiam, ne pereant fœnora; partim dum etiam si qui possent apparere contrarij, hi quoque in commendationes faustissimas effundentur. Prodeat ergo in lucem hoc opus typis mille millibus replicatum. Sic sentio salvo meliori in hoc Monasterio Matritensi D. Bernardi die 7. mensis Iulij anno 1731.

Variar. lib. 4. epist. 34.

Lib. 10. epist. 6.

Rethor. ad Alexand. cap. 15.

Fr. Ioachimus de Anta.
Ex-Generalis S. Bernardi.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Miguèl Gomez de Eſcobar, Inquiſidor Ordinario, y Vicario de eſta Villa, y ſu Partido, &c. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos Licencia para que ſe puedan imprimir, è impriman los Libros, intitulados: *Paleſtra Biblica*, en dos tomos, tercero, y quarto; compueſtos por el Padre Maeſtro Diego de Quadros de la Compañia de Jeſus, mediante eſtar de nueſtra Orden viſtos, y reconocidos, y no contener coſa que ſe oponga à nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres. Fecha en Madrid, à onze de Julio año de mil ſetecientos y treinta y vno.

Lic. Eſcobar.

Por ſu mandado.

Jaan Landeras y Velaſco.

CENSVRA R. P. M. F. PETRI DE ESPINOSA, ORDINIS Sanctiſsimæ Trinitatis in ſuo graviſsimo Conventu RR. PP. Calceatorum Matritenſi Miniſtri Digniſsimi.

M. P. S.

SVpremi iuſſu Caſtellæ Senatus, non tàm Cenſoriam erecturus Virgam, quàm vbi plurimum diſcerem, ingreſſurum Aulam, manibus excepi tertium, & quartum volumina *Palæſtræ Biblicæ*, quæ (annectens primo, & ſecundo, iam luci publicæ datis, at non minori luce Genitoris mente conceptis) prælo parat Sapientiſsimus, & Reverendiſsimus Pater Magiſter Didacus de Quadros, Societatis Ieſu, olim in Complutenſi, nunc in Imperiali eiuſdem Societ. Athenæis, Sacrarum Scripturarum Cathedrarius Interpres, & ingenioſiſsimus Explanator: quibus illud opus verè magnum Orbi completum exhibet; quo, ſicut nihil doctius, ita nil vtilius ſtudioſis apparet. Iam domus Sapientiæ quatuor ſunt erectæ Columnæ. Iam anguli quatuor Arci ſunt elati Supremæ: Arci, inquam, illi, ad quam venire vocitant Miniſtræ Sapientiæ, vt cuncti illius comedant panem; vinumque mixtum bibant, quod potius acuit, quam hebetat ſtudioſorum mentem. Iam denique Civitas plena lumine, hiſce quatuor voluminibus, quadruplici veluti cardine præfulget conſtituta; æmula profecto illius, quæ, vt omnes videant lumen, præcinitur *in Quadro* poſita. Sed quæ in opere iſto pariformitas cum Civitate? Sanè in phraſi Hieronymi non parva videbitur expendenti: expreſſe enim Civitates appellat Scripturarum libros; è quorum vno in alium, vt è Civitate in Civitatem, ait, debere confugere, qui propellitur argumentis. Ergo benè Civitas opus præſens; immo tot Civitatibus, quot Scripturæ complectitur libos, Regnum integratum conſurgens: totque Munitionibus, quot Apparatibus conſtat, & decorum, & pollens.

Prov. 9. v. 3.

Apoc. 21. v. 16.

D. Hieron. in Math. cap. 10.

Manibus igitur excepi hæc tertium, & quartum Volumina; cumque eorum devolverem inaurata folia, foliorum ſtemma arborem excitavit in mente, Civitatem in arborem nova mutante metamorphoſi. At quænam arbor? Pretioſior vtique illa, cuius rami aurum, cuius, & aurum folia. Siccinè Naſo Athlantis arborem fingebat.

Ovid. lib. 4. Metamorph. fabul. 17. v. 17. & 18.

Arboreæ frondes, auro radiante, nitentes
ex auro ramos ex auro poma tegebant.

Sic veriori ſenſu foliorum copia præſens. Quid autem hoc mirum, tali quando exorta radice? Palæſtræ Luſtrator radix eſt illorum fœcunda. Sat fœcunditatis probarunt repetita ante acta. Sed nec hoc mirabile, cum Radix tali terra plantetur, cui radix Sapientiæ in vnoquoque germine revelatur. Neſcit tantus ager, talia niſi germina gignere. Ignorat Societas mater, doctos niſi docta producere: hoc vnicum cum ſit, quod neſcire potius venit dicendum, neſcientiam videlicet, nam cunctis Scientiale Emporium. En vnum pro milliaribus Eminentiſsimi de Zar dictum. *Quid*, ait, *de Societate dicam? De*

illo

illo scientiarum, ac virtutum omnium Emporio? De illa Religionis Arce fortissima? Ad cuius muros cum oculorum aciem converto, veram mihi ideam priscorum illorum, ac SS. Patrum Simillimam videor intueri: hi enim nullum pro fide Ortodoxa laborem renuunt, nullas neces, atque clades reformidant, sed semper in campo, semper in Sole fidei versantur, vt armata Religio veritate, armatam falsitate vincat, & iugulet impietatem. Quam verum! Ad Palæstræ Authorem probaturi veniamus. Vt nullum pro fide Orthodoxa laborem renuat, vtque nullas neces, nullasvè Heterodoxorum Clades videri reformidare contingat, Orbi nunc patentem construit pugnaturus Palæstram: at non qua ille solus, gladio divini Verbi venustissimus Athleta pugnet, sed qua in illius vsum edoceat etiam veteres militantes. Extruit Apparatus, vtpote bellica subsidia. Non quæsitus, sed quærens, quæstionibus calcat arenam; totque, quot lineas strenuus numerando triumphos, sibi, & Palæstræ vendicat immarcescentes lauros.

D. Antonius de Zara Episc. Pitienſ. tom. *Anathan. ingenior.* ſeſſ. 1. cap. vnic.

Sed quorum laboris fuit insumpsisse necesse? Si *Stat est in magnis*, iuxta tritum illud, *voluisse*; opere in tam magno, & voluisse, & consequi simul, cur non præstantius augebit, & laborem, & meritum? Exenteremus piscem hunc; & inter medicinalia, laboris inveniemus fel. Tomus iste tertius tres amplectitur pro Apparatu partes: Prima Chronologiæ incumbit, & tam genere, quàm specie. Siste hic. En labor omni maior solicitudine: & vt dem pericla, hoc mare qui navigant, narrent. *Diuinæ Scripturæ pars illa* (Doctissimus Vecchiett aiebat) *quæ ad temporum rationem pertinet, obscura, difficilisque adeò est, vt quicumque ad eius supputationem inuestigandam se dedat, statim in primo ingressu deterreatur, deficiatque, & à cæptis penitus desistat.* Non ita (certè) N. Author. Sed, vt non ita, quanti fellis expertor? *Proposui in animo meo*; aiebat hominum Doctior, *quærere, & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub Sole.* Cui subiunxit statim. *Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum*: pessimam (ait Alapide) ideſt *laboriosissimam, & molestissimam, quæ hominem assiduè afflixit, torquet, cruciat, velut in equuleo, vel pistrino.* Hoc commune, en, curæ omni circa quæ sub sole contingunt. Ex quo iam pro Chronologia validius laboris argumentum. Quærere de his quæ sub Sole, animum vt in Rota cruciat; sed Chronologiæ insudare, ipsam Solis sedem constituit disquisitionis metam, *vides* (nam ait Petavius) *quam sit exquisita Solis, ac Lunæ cognitio ad temporum doctrinam, erroresque castigandos vtilis, immo necessaria*: pistrini ergo, & equulei cruciamen labor iste minorat; non namque in his, quæ sub Sole, sed in Sole ipso desudat. Rimemur ex obiecto notitiam.

Hieron. Vecchiett. *De Anno primit.* cap. 1. initio.

Eccles. 1. v. 13. v. 14. Alapid. hic

Petavius. *Doctr. temp.* part. 2. lib. 11. cap 48.

Chronologi est scopus, Chronologiæ vè obiectum (ex P. Henrico Samerio Societ. Iesu Laxeburgensi Chronologo.) *Vnumquodque gestum ad suum tempore referre, & vt series Chronologiæ benè intelligatur, cognoscere necesse est annorum diversitates.* Dissertus nunc videat, quanta in hoccine angustia. Non ijdem, atque æquales fuere antiquitus anni. Tanta eorum fuit diversitas, quanta disparum Nationum Mundi. *Annum enim alij*, ait Plinius, *æstate vnum determinabant, & alterum hyeme; alij quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuere; quidam Lunæ Senio, vt Ægyptij.* Solinus sic. *Annum apud Ægyptios quatuor mensibus terminabant, apud Ar-*

Henric. Samer. *Sacr. Chronol.* fol. 5. & infra *De annorum diversit.*

Plinius *Hist. natur.* lib. 7. c. 48. Solin. *Polyhist.* cap. 3.

Aracnanas sex, in Italia apud Lavinios 13. quorum annus 373. diebus ferebatur. Romani in initio annum decem mensibus computabant, à Martio auspicantes. Postea (ita Censorinus) *sive à Numa, ut ait Tulvius; sivè vt Iunius, à Tarquinio duodecim facti sunt menses, & dies 365. quamvis Luna duodecim suis mensibus 354. dies videbatur explere.* De quo plura videre potest, qui adeat iam istos in præcitatis locis, iam nostrum Trinitarium Nicolaum Coelium in sua Chronolog. tract. 1. *de Annorum diversitate.*

Censorin. c. 15.

Nicolaus Coelius. tom. *Chronol. temp.*

Tot tamen nebulæ clariorem reddunt lucem Authoris; tanta quandoquidem distinguit perspicuitate tempora, vt sibi concordet laudis debitæ iura. Vtque contractè ad Sacras litteras vtilitas Chronologiæ (si iam labor) appareat, in hac Henrici Samerij Sacræ Chronologiæ commendatione complectar. „ Quis ait, pro dignitate li„ bros Moysi, quid plurima librorum Regum loca, quis Paralipo„ menon, deficiente hoc adminiculo explanaret? Quis extricaret se „ à libris Iudicum, Iosue, Esdræ, vbi omnes cespitant? Quid dicam „ de libris Ieremiæ, Ezechielis, Danielis, eiusdem hebdomadibus „ *cap. 9. vers.* 23. de trecentis annis Ieptè, Iudic. 11. *vers.* 26. de „ quadringentis annis, Genes. 15. *vers.* 13. de quadringentis triginta, Galat. 3. *vers.* 17. & quadringentis quinquaginta, Actor. 13. „ *vers.* 20. de annis 70. Captivitatis; de annis 390. iniquitatis Do„ mus Israel, & 40. iniquitatum Iuda: de libris Machabæorum, qui „ inter se annorum numero pugnare videntur? Chronologia hæc „ omnia componit, ac ritè ordinat, Scripturas reddit faciles, doctos „ prudentiores, divini Verbi præcones certiores, nec solum huc ser„ vit Chronologia, quæ latissimè patet. Hucusque Samerius. At non hucusque amplissimus Palæstræ campus.

Henr. Samer. *vbi supra* in Procem.

Differit etiam Author in 2. parte Apparatus tomi tertij, *de Sacra Geographia*, descriptione videlicet, rebusque Palestinæ; labore adeò digno viro litteris incumbenti, vt nullus Geographiæ inultor inter doctos debeat computari. Propterea, ait Vvolfgangus Vvisemburgius, *non tantum ad Philosophos, verum ad omne hominum genus cognitionem hanc* (Geographiæ nempè) *vtilissimam, & summè mortalibus necessariam spectare.* Quod si verum tenet de qualicumque Mundi Geographia; de qua N. Geographus non solum ad doctum, verum ad Prophetam spectat. *Sume tibi laterem*, audivit è superis Ezechiel, *& describes in eo Civitatem Hierusalem.* Dignum vtique Sacri Vatis officium: & quod ipsum constituit, ad mentem Hieronymi Geographum; ait enim, quod nunc iubetur Propheta Hierusalem describere, quæ apud eos proprie appellatur *Sciographia* fortè ex materiæ dignitate, Geographia ista taliter elevante Professorem, vt vocari filium hominis, & nunc iudicaretur necessè; quasi dicat, vt Gregorius explanat, *quod quid sit cognoscat, etsi super se elevatus, divina secreta conspiciat.*

Vvolfg. Vvisemb. in Epist. dedic. oper. M. Nigri Veneti.

Ezech. cap. 4. v. 1.

D. Hieron. *hic.*

D. Greg. apud Glos. *hic.*

Tertia apparatus pars difficiles enodat, sed vacanti Scripturæ scitu dignissimas Theses, de *Ponderibus, mensuris, monetis, vasis, & distantijs*: è quorum omnium notitia sic locorum Sacræ paginæ plurium pendet intelligentia, vt qui Caribdim laboris in hisce consumendi vitare desidiosè cupiat, sæpè sæpius incidat in barathri confusionis Scyllam. Et quidem si de Sacris ponderibus sermo est, quis

non

non rimetur, quàm eorum notitia neceſſaria ſit? Maximè reflectenti, quod etiam ſupremo illi Spirituum Ponderatori, non dedignum fuit, eadem pondera mente prius æterna ponderare. Quis, *quid talentum*, quid *ſiclus*, *vncia*, *obolus*, *drachma*, *mna ſint*, aut ſignificent, intelligat; quin prius hoc (ſat eſt), aut alia volumina devolvat? Quomodo callebit textum: *Miſsit quoque Hiram Rex Tyri ad Regem Salomonem* 120. *Talenta auri*. Profecto ipſi ponderi, non ponderans, ponderoſus ſuccumbet; dorſumque non mentem gravitate reficiet. Sed quid de *menſuris Sacris*, paſsim ingenia dimetientibus? Iam quæ ad latitudinem, vt *cubitus*, *calamus*, *pes*, *palmus*, *ſtadium*, & aliæ; iam quæ ad profunditatem; & ex his eæ, quæ ad arida deſerviunt, vtputa, *corus*, *modius*, *ephi*, *vel epha*, *Statum*, *Gomor*, *Kabus*, & *Lethec*: eæque, quæ ad liquida, vt etiam *Corus*, *batus*, *cadus*, *Log*, *Hin*, *metreta*, & *amphora*? Idem de Scientia harum menſurarum proferam, quod de aliarum notitia Doctiſsimus Alcazar aiebat: *Quæ ſit in Sacris litteris cubiti menſura*, *quæ calami*, *examinare magnopere expedit*, *non ad exactam ſolùm intelligentiam harum vocum*; *ſed ad agnitionem etiam myſterij*, *quod Divinus Spiritus per cubiti*, & *calami ſymbolum voluit indicare*. Et paulò infrà: *Qui poterit myſterium penitus intelligere*, *qui ignoret*, *de quonam cubito*, *aut calamo loquatur in Apocalypſi Ioannes*, *cum ait* (v. gr.) menſura hominis, quæ eſt Angeli? *Præterea in* mille ſexcentis ſtadijs, *ac in* duodecim ſtadiorum millibus? *Fortaſsis ad myſterium præcipuum ieiunus*, *ac planè hoſpes accedet*, *qui neſciat proportionem humanæ ſtaturę cum Hebraico cubito*, & *cum calamo*. Ex quo patet etiam, quam vtiliter Author horum diſquiſitioni tractatum *de Diſtantijs* annectit; nè Sacrorum Lector ſit diſtantior a veritate.

3. Reg. 9. v. 15.

Alcaz. in Apoc. tom. 1. ad finem: in tract. de Sacram. pond. ac ment.

Numiſmatum etiam diſquiſitor Sacrorum, dives in Scientia ditem prodit Orbi Theſaurum: *Numiſmata* enim ſunt *quovis auro obrizo cariora* (vt verbis Ludoici Nonnij in ſimilem tractatum vtar) in illum videlicet, quem Hubertus Golthzius elaboravit (at non tam vtiliter) *de trium Imperatorum monetis*. Dignus qui Viro docto (nunc etiam piiſsimo) labor. Dignus, qui & *Vaſis Sacris*, ab hoc etiam hauſtis, reponi: quodque in *Vaſis Pſalmi* à cunctis legentibus extollatur; qualiter, & omnia cuncta, quæ in opere tanto continentur. Non iam fas eſt, ea per ſingula recenſere. Hoccine complectar de Authore, & opere dictamine: *Sentit vt Pithagoras*, *dividit vt Socrates*, *explicat vt Plato*, *implicat vt Ariſtoteles*, *vt Demoſthenes iraſcitur*, *vernat vt Hortenſius*, *incitat vt Curio*, *ſuadet vt Cato*, *perſuadet vt Tullius*. *Iam ſi ad Sacroſanctos Patres pro comparatione veniatur*, *inſtruit vt Hieronymus*, *deſtruit vt Lactantius*, *adſtruit vt Auguſtinus*, *attollitur vt Hilarius*, *vt Baſilius corripit*, *vt Gregorius conſolatur*, *vt Euſebius narrat*, *vt Eucherius ſollicitat*, *vt Paulinus provocat*, *vt Ambroſius perſeverat*. Ergo opus digniſsimum, & prælo, & pretio iudicandum. Ergo vt cuncti habeant, luci publicæ concedendum: Nullo enim inficitur, quod fidem, iuſve vllum offendat; vtilitatem potius pari cum dulcedine ſociat. Sic ſentio (Salvo meliori iudicio) in hoc Sanctiſsimæ Triados Redempt. Capt. Matritenſi Cœnobio Nonis Iulij, ann. 1731.

Nonnius in *Numinata Golthzij* in Epiſt. dedic.

Sidonius Apolinar. lib. 4. c. 3. loquens de Cladian. *Mameto*.

Mag. Fr. Petrus de Eſpinoſa;
& Barreda.

¶¶¶¶¶

EL

EL REY.

POr quanto por parte de Diego de Quadros, de la Compañia de Jesus Maestro de Escriptura, en el Colegio Imperial de la Villa de Madrid, se representò en el mi Consejo deseaba imprimir vn Libro, que avia compuesto, intitulado: *Palestra Biblica*, en dos Tomos, Tercero, y Quarto; y para poderlo executar, sin incurrir en pena alguna, se me suplicò fuesse servido concederle Licencia, y Privilegio para su impresion por tiempo de diez años, precediendo la Censura de la persona que se nombrasse, y demàs que se practicava. Y visto por los del mi Consejo, y como por su mando se hicieron las diligencias, que por la Pragmatica vltimamente promulgada sobre la impresion de los Libros se dispone, se acordò expedir esta mi Cedula: por la qual concedo licencia, y facultad al expressado Diego de Quadros, para que sin incurrir en pena alguna, por tiempo de diez ahos, primeros siguientes, que han de correr, y contarse desde el dia de la fecha de ella, el susodicho, ù la persona que su poder tuviere, y no otra alguna pueda imprimir, y vender el referido Libro, intitulado: *Palestra Biblica*, en dos Tomos Tercero, y Quarto, por el original que en el mi Consejo se vió, que và rubricado, y firmado al fin de Don Miguel Fernandez Munilla, mi Secretario, Escrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno de èl, con que antes que se venda se trayga ante ellos, juntamento con el dicho original, para que se vea si la impresion està conforme à èl; trayendo assimismo fee en publica forma, como por Corrector por mi nombrado, se vió, y corrigiò dicha impresion por el original, para que se tasse el precio à que ha de venderse. Y mando al Impressor que imprimiere el referido Libro, no imprima el principio, y primer pliego, y entregue vno solo con el original al dicho Diego de Quadros, à cuya costa se imprime, para efecto de la dicha correccion, hasta que primero estè corregido, y tassado el referido Libro por los del mi Consejo; y estandolo assi, y no de otra manera, pueda imprimir el principio, y primer pliego, en el qual seguidamente se ponga esta Licencia, y la Aprobacion, Tassa, y Erratas, pena de caer, è incurrir en las contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de estos mis Reynos, que sobre ello tratan, y disponen. Y mando que ninguna persona sin licencia del expressado Diego de Quadros, pueda imprimir, ni vender el citado Libro, pena que el que le imprimiere, aya perdido, y pierda todos, y qualesquier Libros, moldes, y aparejos que dicho Libro tuviere, y mas incurra en la cinquenta mil mrs. y sea la tercia parte de ellos para la mi Camara, otra tercia parte para el Juez que lo sentenciare; y la otra para el Denunciador: Y cumplidos los dichos diez años, el referido Diego de Quadros, ni otra porsona en su nombre quiero no vse esta mi Cedula, ni profiga en la impresion del citado Libro, sin tener para ello nueva licencia mia, so las penas en que incurren los Concejos, y personas que lo hazen, sin tenerla. Y mando à los del mi Consejo, Presidentes, y Oidores de las mis Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la mi Casa, Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Assistente, Govetnadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Juezes, Justicias, Ministros, y personas de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de estos mis Reynos, y Señorios, y à cada vno, y qualquier de ellos, en su Distrito, y Jurisdicion, guarden, cumplan, y executen esta mi Cedula, y todo lo en ella contenido; y contra su tenor, y forma no vayan, ni passen, ni consientan ir ni passar en manera alguna, pena de la mi merced, y de cada cinquenta mil maravedis para la mi Camara. Dada en Sevilla à veinte y cinco de Julio de mil setecientos y treinta y vo. YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

Don Francisco de Castejon. ERRA-

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg.30.lin.39.num. *6962.* leg.*3962.* pag.l.40. *Cyeræus*,leg.Cythræus. pag.48.lin.8. num.25.leg.23.pag.51.lin.7.*Pontificium*,leg.Pontificum. pag.84.l. 4. *Remoth*,leg. Thadmor.pag.128.l.18.*ſi*,leg.ſit.pag.135.l.21.*in piraſſet*,leg.inſpiraſſet. pag 146.l.22. *primam*,leg. ſecundam.pag.165,l.9.*Hoc*,leg.non. pag.167.l.47. *in fruſtra*, leg.in fruſta. pag.183.l.11.*Irnam*,leg.Ioram pag.189.l.27.*cub.* leg.ſub. pag.199,l. 15. *exprimit*, leg. exprimi.pag.210.l.11.*vel*,*vt*,leg.velut.pag.211.l.25.*alius*,leg. alius Propheta.pag. 213. l.3.n.21.leg.12.pag.219.l.26.*tertia*, leg.tertio. pag. 219.l.3. *Probatur*,leg. Probatur 4. pag.225.l.27.*perplexam*,leg.depexam.pag.234.l.15. *Chriſtum*,leg. Chriſtus. pag.244.l. 4.*nedum*,leg.necdum.pag.272.l.12 *iliebras*,leg.illecebras. pag.284.l.1.*omine*,leg. omne. pag.307.l.26.*Probreviorum*,leg.Proverbiorum. pag.316.l.39. *alis*, lege illis. pag.373.l. 48.*Maldonaij*,leg.Maldonati.pag.387.l.49.*quoque*,leg.quoquo.pag.397.l.25.*neàum*.leg. necdum.pag.404.l.27.*numerum*,leg.numerus. pag.412.l. 24. *allegati*, leg. alligati. pag. 418.l.15.*Barachij*,leg.*brachij*.pag 419.l.20. *Anomalis*,leg.Anomala.pag.119.l.22. *Queſcontibus*,leg.Quieſcentibus.pag.427.l.42.*viſi*, tolle. pag.432.l.32. *ſenſu*, leg.ſenſa. pag. 432.l.42.*vlcra*,leg.vltra.pag.432.l.42.*Hunc*,leg.Huc.pag.433.l.32.*inſtami*,leg.infirmi. pag.434.l.25.*colluvienem*,leg.colluviem.pag.478.l.47.*quinquento*,leg.quingentos.

Tertius tomus Palæſtræ Biblicæ nunc primum in lucem editus à R. P. Didaco à Quadros, Societatis Ieſu, Scripturæ ſuę Cathedræ moderatore, hæc ſi menda demas, originali eſt conformis. Matriti poſtridie Kalendas Auguſtas, anni D. MDCCXXXI.

Lic. D. Emmanuel Garcia & Aleſſon.
H. C. M. Generalis Corrector.

SVMA DE LA TASSA.

DON Miguel Fernandez Munilla, Secretario del Rey nueſtro ſeñor, ſu Eſcrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Conſejo: Certifico, que haviendoſe viſto por los ſeñores de èl vn Libro, intitulado: *Paleſtra Biblica*, Tercero, y Quarto Tomo, eſcrito por el P. Diego de Quadros, de la Compañia de Jeſus, que con licencia de dichos Señores ha ſido impreſſo, taſſaron à ſeis maravedis cada pliego; y dicho Libro en dos Tomos parece tiene ducientos y ſetenta y ſeis, que ha eſte reſpecto importa mil ſeiſcientos y cinquenta y ſeis maravedis, y al dicho precio, y no mas mandaron ſe venda: Y que eſta Certificacion ſe ponga al principio de la Obra, para que ſe ſepa el à que ha de vender; y para que conſte lo firme en Madrid à nueve de Agoſto de mil ſetecientos y treinta y vno.

Don Miguel Fernandez Munilla.

IN-

JHS.

INDEX TRACTATVVM, ET CAPITVM HVIVS OPERIS.

APPARATVS AD PALÆSTRAM BIBLICAM.

PARS PRIMA.

DE RE CHRONOLOGICA.

CAP. I. De definitione, ac diuisione Chronologiæ. pag. 1.

Cap. II. De explicatione partium integrantium temporum, & vasto campo Chronologiæ. pag. 7.

Cap. III. De multiplici fonte supputationum, & Chronologorum sententia. pag. 19.

Cap. IV. Expenditur Chronologia vniversalis DD. Ioannis de Leyba. pag. 31.

Cap. V. De causis discrepantiæ in Chronologia, & punctis in ea controversis. pag. 37.

Cap. VI. De varia, & multiplici Chronologia, & Chronotaxi particulari. pag. 43.

Cap. VII. De Chronologia Pontificum Hebræorum, & ea, quæ est in Novo Testamento. pag. 31.

Cap. VIII. De Chronotaxi Gestorum à Christo prædicationis tempore iuxta Ricciolium. pag. 59.

Cap. IX. Synopsis Chronologica Actorum Apostolorum. pag. 70.

Cap. X. De legitimo, & moderato vsu Chronologiæ. pag. 75.

APPARATVS AD PALÆSTRAM BIBLICAM.

PARS SECVNDA.

DE RE GEOGRAPHICA, ET diuisione Terræ Sanctæ.

CAP. I. De Syria generatim considerata. pag. 82.

Cap. II. De Syria Palæstinę. pagin. 84.

Cap. III. De alijs diuisionibus Palæstinæ. pag. 87.

Cap. IV. De Ciuitate Sancta Ierusalem. pag. 89.

Cap. V. De Templo Hierosolymitano. pag. 92.

Cap. VI. Incipit indiculus Geographicus regionum, vrbium, & locorum, quorum notitia pertinet ad Historiam Sacram. pag. 94.

Cap. VII. Prosequitur indiculus Geographicus. pag. 103.

Cap. VIII. Clauditur indiculus Geographicus. pag. 108.

APPA-

APPARATVS.

AD PALÆSTRAM BIBLICAM.

PARS TERTIA.

DE PONDERIBVS, ET MENSURIS.

CAP. I. De ponderibus Sacræ Scripturæ. pag. 114.
Cap. II. De mensuris vasorum. pagina 117.
Cap. III. De mensuris longitudinum. pag. 119.

DECADES BIBLICÆ QVODLIBETICÆ.

DECAS PRIMA.

QVæst. I. Vtrùm Abacuch Danielis sit idem cum eo, qui ponitur inter Prophetas minores? pag. 121.
Quæst. II. Vtrùm Malachias sit idem ac Esdras? pag. 128.
Quæst. III. Vtrùm decem tribus post captivitatem Assyriam factam, aliqua ex parte, finita captivitate redierint ad vnum regnum Iudæorum integrandum? pag. 132.
Quæst. IV. Vtrùm decem tribus, quæ divisæ sunt in Israel, fuerint verè Hæreticæ? pag. 142.
Quæst. V. Quænam sit germana, & vera interpretatio loci. 1. Reg. 13. vers. 1. pag. 152.
Quæst. VI. Quot annis duraverit regnum Saulis? pag. 160.
Quæst. VII. Quomodò anni Regis Asa sint legitimè computandi? pag. 172.
Quæst. VIII. Quomodò stare possit, quod Ioram Rex Iuda regnare cæpisset anno quinto Ioram Regis Israel? pag. 179.
Quæst. IX. Quoto anno vitæ suę regnare cœperit Ochozias Rex Iuda? pag. 185.
Quæst. X. Quotum annum ageret Ioachin cum regnare cœperit? pagin. 191.

DECAS SECVNDA.

QVæst. I. Quomodò stare possit, quod Iosias genuit Iechoniam? pag. 197.
Quæst. II. Vtrùm vere Reges fuerint Magi, qui Dominum adorarunt? pag. 203.
Quæst. III. De qua Regione venerint Magi Dominum adorantes? pagin. 215.
Quæst. IV. Quoto anno ætatis suæ fuerit Christus D. baptizatus? pag. 225.
Quæst. V. Quot annis vixerit Christus D.? pag. 232.
Quæst. VI. Vtrùm Christus D. pridiè sumpserit cœnam legalem, & postridiè in die Azymorum occisus sit? pag. 257.
Quæst. VII. Vtrùm Christus D. ter, an pluries à diabolo tentatus fuerit? pag. 266.
Quæst. VIII. Vtrùm Christus D. ope dœmonis, an gressibus suis portatus fuerit in Civitatem, & montem? pag. 274.
Quæst. IX. Vtrùm Christus D. cum siti, & fame suum ieiunium pertulerit? pag. 28.
Quæst. X. Quo sensu intelligi debeat, Christum D. solutum fuisse doloribus inferni? pag. 286.

DECAS TERTIA.

QVæst. I. Quis fuerit ille Deus ignotus apud Athenienses? pag. 295.
Quæst. II. Vtrùm hæc electio Iacob præ Esau intelligi debeat de æterna prædestinatione? pag. 301.
Quæst. III. De qua discretione in sensu litterali loquatur textus Pauli 1. ad Corinth. 4. pag. 323.

¶¶¶¶¶¶ Quæst.

Quæſt. IV. Vtrùm profectio Chriſti in Hieruſalem *Matth.* 19. fuerit eadem cum ea, quam alij Evangelitæ narrarunt? pag. 335.
Quæſt. V. Vtrùm Iudęi ex miraculis Chriſti cognoverint, ipſum eſſe Deum, atque Meſsiam? pag. 341.
Quæſt. VI. Quomodò ſtare poſsit aſcenſus Chriſti in templum cum verbis aſſerentibus, ſe non aſcenſurum? pag. 347.
Quæſt. VII. In quonam monte Domini transfiguratio contigerit? pag. 356.
Quæſt. VIII. Vtrùm Chriſtus D. diurno an nocturno tempore transfiguratus fuerit? pag. 364.
Quæſt. IX. Vtrùm Moyſes in vero ſuo, & proprio corpore in Domini tranſfiguratione apparuiſſet? pag. 370.
Quæſt. X. Quomodo intelligendum ſit quod ſit firmior ſermo Propheticus, quam vox Patrus audita in monte Tabor? pag. 378.

DECAS QVARTA.

QVæſt. I. Vtrùm mons Sinaì ſit idem cum monte Horeb? pagin. 385.
Quæſt. II. Vtrùum Patriarchæ ſepulti fuerint in Sichem, ān in Hebron? pag. 389.
Quæſt. III. Vtrùm id, quod in libro Iob traditur, ſit hiſtoria, an parabola? pag. 405.
Quæſt. IV. Vtrùm Sanctus Iob fuerit Rex? pag. 414.
Quæſt. V. Vtrùm Iob peccaverit in verbis, vel imprecationibus ſuis? pag. 426.
Quæſt. VI. Vtrùm amici Iob homines verè ſapientes, & ſancti fuerit? pag. 437.
Quæſt. VII. Vtrùm nuntij, qui veniebant ad Iob, Angeli, an homines fuerint? pag. 447.
Quæſt. VIII. Vtrùm Eliu fuerit idem ac Baalam? pag. 435.
Quæſt. IX. Vtrùm in curru Ezequielis vnumquodque animal reipſa quatuor facies haberet? pag. 463.
Quæſt. X. Vtrùm templum Ezequielis fuerit idem, quod templum Hieroſolymitanum? pag. 470.

CHRONOLOGIA VNIVERSALIS data.

AB orbe condito vſque ad annum MDCXII. pag. 481.
Kalendarium Hebræorum. pag. 530.

PRO-

PROLOGUS
AD LECTOREM.

MEmini amice Lector, me in duobus tomis prioribus iam editis ſpem feciſſe, vt ſi, Deo, & vita comite liceret nobis per tempus, & penſa, alium tertium tomum prioribus adderemus, in quo quæſtionum ſegetem augeremus, quo attritæ in dies ipſo certamine, & pulvere multæ quæſtiones alijs diſtinctis renovarentur; vel aliæ per vices ſuas in Palæſtram prodeuntes diſputationis faſtidium aut tollerent penitus, aut temperarent. Accedebat inſuper ad hæc alia cauſa, quæ hanc editionem velutineceſſariam magis deſideraret, neque ſolum promiſſa, ſed debita: quippè cum in prioribus tomis apparatus nonnullus de re Chronologica viſus fuiſſet ita opportunus ac neceſſarius, vt inter reliquas partes cooptatus iam ferè iſſet in prælum, niſi placuiſſet ita conſulere meliori operis partitioni, vt hæc pars apparatus alibi melius collocanda relinqueretur; factum eſt, vt vel hæc pars foret cum totius operis nota, & iniuria penitus deſerenda, atque tumulanda; vel ipſa, cum ſola in campum prodire nequiret alias ſibi, quibus anteiret Decades poſtularet. Propterea ergo in hunc tertium tomum ſtudia noſtra, manus, & impenſas admovimus, conantes prima duorum priorum veſtigia omnino perſequi.

Porro ad has partes Chronologicas iam campo patentes, libuit non nihil adijcere de ea re Geographica, quæ ad vtrumque teſtamentum concernere viſa ſit, & vnde tyrones in hoc ſtudio, pro quibus nos laboramus, in ea re aliquid ſaltem deguſtent, quo non ita imparati accedant ad illas controverſias, in quibus ſaltem oportet non eſſe huiuſcemodi penitùs imperitos. Quemadmodum, & idem ſum arbitratus de ponderibus, & menſuris, quarum, & vſus plurimus eſt in Sacra pagina, & cum ſit quoque apud Nationes diſcrepantia non modica; creare alicubi poſſent difficultatem, & confuſionem, de qua facili negotio extricare ſe quiſquam poterit, ſi ad illam admodum brevem, & ſimplicem explicationem de ponderibus, & menſuris acceſſerit. Poſt hæc ſequuntur quatuor Decades quæſtionum, vna minus quam in prioribus duobus tomis appoſitæ: tùm quia prolixiores aliquot quæſtiones tractatæ ſunt; tùm maximè quod rati fuimus nequicquam de re Chronologica tractatiunculam texi; niſi pro votis plurimorum aliqua Chronologia Vniverſalis ritè concordata, & minus operoſa ſubijceretur, vt curioſi quoquomodo dum vellent, à mundi exordio tempora concordarent, & in preſſuris etiam poſſent ad calculos venire, ſi mallent. Iecimus igitur ad calcem Chronologiam Emin. Bellarmini, quæ ſatis eſſe videtur, & quæ noſtris plerumque ſententijs ire ſolet magis accommoda; licet teſtemur hic non fuiſſe noſtræ mentis, & inſtituti, vtpotè qui argumenta Quodlibetica ſerimus, Chronologiam Vniverſalem conſtanti filo diducere; ſed

eas

eas tantum partiales, quæ noſtris diſputationibus congruunt, & ſub quibus tutiſsimè defendentur. Ita ergo Bellarminus à nobis diſcrepat in anno mortis Chriſti; quem ponit 34. nos verò 33. &c. ſed in plurimis nobiſcum cohæret, vt expendenti conſtabit. Inſuper ad omnia hæc Kalendarium adiungitur: quippè ſine eius notitia, de Lege Sacra, & anno Sacro vix benè poſſunt noſci, & tractari certamina. De his ergo, & de eorum pluribus defectibus veniam dabis, Lector amicè. Vale.

APPA-

APPARATUS
AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
PARS PRIMA
DE RE CHRONOLOGICA.
PROOEMIUM.

IGITVR NON EST IN ANIMO NOSTRO CHRONOLOGIAM VNIversalem de noſtro penu conficere, & apparare, quamquàm, & eam, quæ nobis certè probata ſit, pro noſtro opere, ipſique cohæreat, exhibere non dubitabimus. Propterea noſtri inſtitnti eſt, de Chronologia quidem loqui; ſed non ſine delectu, & menſura: *Cum delectu* quidem, quatenùs celebriores in hoc genere Authores ſeduli conſulamus: ita quidem vt quemadmodum ea, quæ ſupervacanea ad rem noſtram, & operoſa nimis futura ſunt, reſecabimus; ita etiam quæ pretioſa, & profutura ſint, non denegemus. *Cum menſura* quidem, quatenùs adhùc in ijs, in quibus, cum pulchra, & curioſa ſint, calamus excurrit placidus; ibi, vbi oportuerit, contrahamus diſſertationem.

CAPUT I.
DE DEFINITIONE, AC DIVISIONE CHRONOLOGIÆ.

HOC nomen *Chronologia* receptiſsimum iamiam inter Biblicos Expoſitores latinos, quàmquàm de Idiomate Græco ſumptum, atque cooptatum, ſignificat eum, qui de temporum ratione habetur ſermo, ita vt omnes illi, qui tempora inquirunt, atque diſcutiunt, ſive prophana, ſive Sacra, meritò Chronologi nuncupentur. Sed vt paulò explicatius cum alijs comparatum hoc nomen intelligatur, obſervandum eſt ex noſtro Ioanne Baptiſta Ricciolio præclariſsimo Ferrarienſi, & in ſua Chronologia reformata præter alia opera ſanè luculenta facile Principe, aliud eſſe munus Chronologi aliud Chronographi, ſeu Chroniſtæ; aliud hiſtorici, vel Annalium Scriptoris. *Chronologi* enim officium eſt differere de nexu, & ordine temporum, quibus Perſonæ celebriores floruère, & inſigniores res geſtæ ſunt, aut eventa notabiliora extiterunt; & inter diverſas de his opiniones ſuam ſententiam cum eius fundamentis afferre. *Chronographi* verò munus eſt, non prolixitate hiſtorica, vel Annaliſtica, ſed veritate artificioſa annorum inſigniorum ſeriem, tamquàm catenam temporum ordinatim connectere, & ijs adnotare celeberrimas quaſdam Perſonas, ac res geſtas, aut eventus indicare. *Hiſtorici* autem, vel Annaliſtæ officium eſt, ſuas hiſtorias Perſonas, & geſta calamo liberiori tractare ſine diſceptatione de tempore; ſed de Chronographis tempus deſumere, vt factis Perſonisſvè accommodetur. Ita-

que in ſumma *Chronologus* diſputat tempora, vt vnumquodque ab vnoquoque ſit iuſtè diſcriminatum, ritè incæptum, ritèque terminatum: quod quidem per ipſarum Perſonarum, geſtorum, temporum carptim traditorum combinationem ſedulam obtinetur. *Chronographi* verò eſt, totam ſeriem temporum per præcedentem combinationem liquidius expreſſam in tabulis per ordinem ſcribere, non quidem tractu nudo, ſed cum quibuſdam parallelis loculamætis, in quibus reponantur illæ actiones, atque Perſonæ, quæ mutuò cum temporibus colluſtrantur; ita vt & ipſæ ſignent tempora, & ab ipſis etiam temporibus deſignentur. *Annaliſtæ* autem eſt, Perſonas, geſta, & eventus principalius recenſere. Sed cum Tullius dicat: *quod hiſtoria teſtis eſt temporum*, volunt aliqui materiæ hiſtoricæ hunc elucidationis laborem adijcere, vt videlicet, in capite narrationum præfigantur ex ordine currentes anni, in quibus talia contigerunt. Quod prætèrquàmquòd mirificè delectat legentes, eos de narratione ſua plus reddit inſtructos. *Hiſtorici* autèm eſt, rei hiſtoricæ veritatem quoad Perſonas,& eventus plena quidem, ſed & grata, nitidaque methodo pertractare;liberè autem quoad temporis notationem ſaltem ſignatam, & expreſſam; etſi interdùm idem tempus tacitè, vel expreſsè connotari oporteat, vt perſonæ, geſtaque expediri queant. Hæc ita diſcreta ſunt, vt quiſque vnaſquaſque partes benè notas habeat: quæ tamèn in aliquibus Authoribus ſolent eſſe permixta. V. g. Torniellus in ſuis Annalibus, dum tempora diſputat, ac temporum diſtantias, atque iuſtas intercapedines controvertit, *Chronologus* eſt:dum verò tabulas adijcit, vbi ſeries temporum cum ſerie perſonarum, factorumque colligatur, Chronographus eſt: dum verò vnoquoque anno præfixo in eo ediſſerit currentes eventus, Annaliſta eſt. Ricciolius verò noſter diſtinctius rem gerit in vno volumine intrinſecùs tripartito, vbi in primo tomo Chronologus eſt: in ſecundo: Chronographus,ſeu Chroniſta: in tertio verò Annaliſta eſt, atque etiam hiſtoricus, non quidem fuſus, ſed per ſelectos Catalogos hiſtoriæ nucleum depromit.

2 Quibus explicatis, ne ſiniſtra evadat intelligentia; ſequitur exponere quomodo in hoc tractatu, ſi res in omni rigore dividenda ſit, aliter de Chronologia,aliter de Chronographia ita nobis diſſerendum eſt; nam Chronologiam, ſeu diſputationem temporum hic tractatam, tractamdamque ſolum volumus ex parte quidem, non verò vniverſim, ita vt diſputentur omnes Epochæ, ſive computationum exordia, omneſque annorum Centuriæ, Chyliadeſvè: ac denique tota res Chronologica, quæ ſolita eſt diſputari; ſed ſolum ex parte: V. g. vt aliquæ dumtaxàt celebriores in hac re controverſiæ dirimantur. V.g. de anno determinato ortus Abraham, de tempore captivitatis Ægypti: de captivitate Babylonica: & de initio ſeptuagintaHebdomadumDanielis.Quoad Chronographiam verò; ſive diſtinctam ſeriem omnium temporum, atque cum eventibus,& Perſonis rite concordem, ex probatis quidem Authoribus, illam exhibebimus in vniverſum, eo fine, videlicet,vt ſi Propugnator noſter aliquando cogendus ſit ad reſpondendum de anno, vel anteriori, vel poſteriori ad eos annos, quos ipſe in ſuperioribus quæſtionibus diſputat,habeat quidem ſtatam, fixam, probatamque iuxta optimosAuthores rationem temporum, iuxtà quam ordine ſuo fluant illi anni, quos pro vnaquaque diſputatione ſignavit: ne videlicet, ſi illæ Diſputationes Chronologicæ ſeorſim traderentur ab aliqua ſtata,fixa, atque recepta Chronographia; videretur,ad libitumPropugnatorem tempora menſurare, & neque vllis Epochis, aut periodis velle ſe eſſe conſtrictum.

Prop-

3 Propterea hic obiter, ſed tamèn diligentiſsimè Propugnatori obſervandum eſt, quomodo ſe ſe in Palæſtra optime gerat, dum quæſtiones verè Chronologicas tractat, ne fortè computationum laqueis irretitus occumbat, atque rubore ſuffuſus dehoneſtet actionem illam, in quâ alioqui poſſet cum nitore, & dexteritate ſe gerere. Igitur duplici modo poterit Argumentator aggredi concluſionem Chronologicam: vel conveniendo in anno individuo Mundi, in quo incæperit computatio: v.g. captivitatis Babylonicæ incipientis, & diſputando ſolum intra illos ſeptuaginta annos: vnde videlicet, & quouſque computandi ſint? Vel ad evertendam talem ſupputationem aſſumendo ſurſùm, vel deorsùm alium annum alligatum, vnde Argumentum fiat. Si primo modo Argumentator impugnet, claudendo, videlicet, Diſputationem ſuam intrà illos dumtaxàt annos, qui diſputantur; non erit admodum operoſa ſolutio: ſiquidem in ipſiſmet quæſtionibus ea preciſa ſupputatio ſatis erit conſtructa, & armata. Si verò Argumentator extrà præciſum numerum computatum, ac diſputatum excurrat; & aliunde deorsùm, aut ſurſùm alium in tota Chronographia ſibi numerum figat, vnde aſcendat, vel deſcendat ad diſturbandum; opus eſt præciſione, ac dexteritate, ne quis eò intrudatur, quò ire non debet, & vnde nequeat emergere. Quamobrem primò oſtendendum eſt, quam facile poſſit intrudi. Secundò quatenùs illùc ire non debeat. Quæ duo cum præſtamus, clavem profectò regiam producimus, qua multa Argumenta Chronologica declinentur.

4 Poteſt igitur Propugnator in plures quidem ſupputationum labyrinthos facile intrudi: quippè cum multiplices ſint *Epochæ*, ſive *exordia ſupputationum*, multiplicia placita componentium geſta cum tempore, multiplicia item temporum ſuplementa apponi poteſt aliquis numerus fixus, ligatuſque ad geſtum aliquod, vel Perſonam; vnde, ſi admitatur, eo quod Patribus, Chronologis, cõiecturiſque ſuffulciatur, non tamtundem, vel plus certè annorum excurrat, quantum Propugnanti opporteret: quare & inibi iam clauſus ſit, vnde emergere nequeat. Si verò ponatur alius annus fixus, qui ab Scriptore Canonico expreſſe ad factum aliquod alligatur; ſicuti reſpui non poteſt, ita viciſsim admitendus erit iuxta concordiam cum electa nobis Chronographia: quia Chronographia quælibet, ſi probata eſt, ſemper ſalvat ſcripturas, & textum. *Deinde* dico iam Propugnatorem ſe intrudere non debere in tales anguſtias; ſed dum talis annus, aut numerus, vel infrà, vel ſuprà ſupputationem ſuam aſſumitur, & obijcitur, debebit ſic reſpondere cum diſtinctione in hunc modum: v. g. *tale factum fuit tali anno iuxtà probabilem Chronographiam*, permito antec. Iuxtà *Chronographiam evertentem noſtram ſupputationem*, nego antec. Ratio eſt, quia quælibet probabilis computatio aliorum debet in ſua probabilitate relinqui permiſsive, non ſecùs ac plura permittuntur in Scholaſticis, quæ tùnc temporis diſputanda non ſuſcipiuntur, quia ſicut leges huius Propugnatoris eum non cogunt de vniverſa re litem ſuſcipere; ſic vna, vel altera partialis Chronologica diſputatio non cogit ad omnes controverſias Chronologicas dirimendas; ſed præcisè, vt ea, quæ defendenda ſuſcipitur, non niſi fundamentis probabiliter iactis præſentetur innixa. Vnde licet concedatur ex altera parte iuxta probabilem aliquam Chronographiam, nihil elicietur adverſum, quamtumvis inde evadat diſcrepans ſupputatio: quippè nihil amplius concludetur ex eo, niſi quod ad ſummum ſupputatio facta ab Arguente probabilis ſit; non tamen quod noſtra ſuſtineri non poſsit, quod probare deberet, qui noſtram conaretur everte-

re,

re. Cuius Doctrinæ ratio à priori eſt, quia Theſes Chronologicæ implicitè ſunt Theſes, poſitioneſque reflexæ: veluti ſi ſic diceretur, *probabile eſt, captivitatem Babylonicam anno vndecimo Sedeciæ incæptam fuiſſe: anno verò primo Cyri imperantis fuiſſe ſolutam, & terminatam*: quia eſt idem ac dicere, *textus, ratiocinia, atque conjecturæ, quæ habemus vt ſic definiamus captivitatem Babylonicam, ſatis fundata ſunt ad ſic pronuntiandum*: Vnde qui argumentetur intendendo ſuadere, alia fundamenta ad aliter computandum eſſe etiam probabilia, non ritè argumentabitur, niſi fundamenta noſtra labefactare conetur: vno verbo, *contra Theſes Chronologicas argui non poteſt per probabile; ſed dumtaxàt per neceſſarium*. Dum verò negatur in altero diſtinctionis extremo aliquis numerus præfixus *ſecundum Chronographiam evertentem noſtram ſupputationem*, eſt dicere, quod vel tale factum in tali anno admittitur in noſtra Chronographia poſtea danda ex noſtris Auctoribus Bellarmino, Petavio, & Raynaudo; & tunc noſtram ſupputationem non evertet: vel ſi ita ab ipſis non ponitur, à nobis quoque reſpuenda eſt. Qua quidem doctrina diligenter obſervata, armatiſsimus procedet ad pugnam Propugnator noſter, ne in re Chronologica improviſis iaculis pateat.

5 His explicatis, ad aliquam diviſionem à nobis præſtandam procedendum eſt: eo quod recta, & oportuna diviſio vix quidquam poſsit relinquere implexum. Itaque antequam dividamus ipſas Chronologias, diverſaſque ſupputandi rationes, præmittenda eſt illa diviſio, quæ cunctis Chronologis eſt ſatis vulgaris, ſcilicet, de diviſione mundi in ſeptem ætates, quarum cum poſtrema ſit à Chriſti Domini adventu vſque ad finem mundi, ſex reliquæ numerandæ ſunt ab exordio mundi vſque ad Chriſtum: in earum tamen diſtributione, atque definitione præciſa, variant Interpretes in ſupputando; vel potius deſignando terminos ſupputandi: v. g. vel ſupputando vnam ætatem vſque ad Moyſem: alteram, vſque ad Samuel, vt Sallianus, &c. De quibus varietatibus *ſummam* quandam poſt exhibebimus. Vnde ſatis erit cum Torniello diviſionem ætatum receptam tradere, ita vt *prima* ſit ab Adam, vſque ad Diluvium completum: *Secunda*, à Diluvio completo, & finito vſque ad profectionem Abrahæ in terram Canaam. *Tertia*, à profectione Abrahæ in terram Canaam vſque ad exitum Iſraëlis de Ægypto, ſive ad ipſam legem ſcriptam. *Quarta* à lege lata vſque ad ædificationem templi Salomonis. *Quinta* ad eiuſdem templi deſolationem. *Sexta* verò à deſolatione Templi vſque ad Chriſtum. Alij aliter. Sed ſciendum eſt ex Chronographia Genebrardi, obſervationeque Poſſevini in ſua Bibliotheca ſelecta *lib. 2. cap. 26.* has ſex ætates Mundi à Priſcis Authoribus ideò fuiſſe diviſas, vt tam vaſta temporum ratio ita ſecta melius animo complecti poſſet, atque tractari; ne ſi in totam annorum retrògredientium maſſam, difficultateſque inde ſcatentes animus reſpectaret, penitùs obrueretur, atque concideret: vnde, & factum eſt, quod ſeptima Mundi ætas à Chriſto vſque ad finem mundi etiam per ſæcula dividatur, ita vt vnumquodque ſæculum annorum Centuriam claudat: ſub qua quidem menſura, & poſsint difficultates expediri melius, & geſta comprehendi. Ex quo proinde ſequitur, quod tales ætates mundi arbitrariæ ſunt in ordine ad diviſionem, ita vt hi, vel illi termini ſingularum ætatum præfigi potuerint, dummodò ſint ex illis celebrioribus, qui expreſsi habentur in Sanctis Scripturis; atque inſuper ſeiungantur inter ſe competenti diſtantia. Idcircò præfixi ſunt à Chronologis hi termini celebriores, ſcilicet, Diluvium, ortus Abraham, Moyſes, egreſſus Ægypti, templi ædificatio, capti-

vi-

vitas Babylonica, seu solutio captivitatis.

6 Sed cum circà has ætates Mundi non sit inutile, aliquid de prophanis ætatibus comparare, vt superioribus lux amplior affulgeat; & id eruditionis, vbi oportunitas postulat, non prætereatur intactum; sciendum est apud prophanos Authores, quoad priscas mundi ætates plurimam caliginem prævaluisse, provt obsservavit Genebrardus huius rei in sua Chronographia diligens perscrutator. Nam cum ex ætatibus superioribus Populi Iudaici colligantur ad bis mille, & sexcentos annos vsque ad tempora Iudicum, & tres ibi ætates includantur reverà plurimum vtiles, ac necessariæ; ea tempora sic à prophanis ignorata sunt, vt tres ætates prædictas per solos mille quingentos annos leviter transigant, & ætatem primam collocent suam, ita vt cum temporibus Iudicum correspondeat. Igitur quatuor ætates dividunt: quarum *primam* vocant auream, quasi Deorum, semi Deorum, Heroumque Parentem fuisse, & alumnam. *Secundam*, argenteam: inqua varios Principatus, Dominationes, Respublicasque complectuntur ab eorum filijs, & Nepotibus constitutas: vbi, & suarum Olympiadum Epocham, sive supputandi exordium ita figunt, vt retrorsùs ipsis numerare vix liceat. Et hæc secunda ætas argentea Prophanorum coincidit cum temporibus, Regum quos Scriptura Sacra Commemorat. *Tertiam* ætatem vocant Æream: quæ videlicet, coincidit cum temporibus Babylonicæ Captivitatis, eamque diducunt vsque ad Romam conditam, & intra eam tres illas Monarchias Babylonicam, seu Chaldæam, Persicam, & Græcam constituunt. *Quartam* denique, & vltimam vocant ipsi ferream, in qua recensent Parthicum dominium, Punicum, & Romanum: in quà sua ætate ferreaChristi adventus hominem à ferreis vinculis liberavit, eamque ætatem omni aurò fulgentiorem reddidit. Hæc ætas ferrea Prophanorum comparatur cum ætatibus sacris suprà relatis, ita vt claudat vltimam partem sextæ ætatis, & priorem septimæ, quantum, nimirum, à Christo deinceps protenditur. Et hæc de ætatibus Mundi satis, ne expresio, atque divisio, quæ obvia satis esse solet, nostrum Propugnatorem prætereat.

7 Iam ergo propius accedimus ad divisionem Chronologiæ, quæ satis multiplex est propter diversissimas supputandi rationes, in quas longissimo intervallo seiuncti sunt Authores plurimi, & nobiles: quare nec fieri potest, nec expedit, vt omnium Chronologorum viæ multiplices percurrantur; sed eas tantum, quæ Capitaliores sunt, seligemus, & in quas Authores plurimi veniunt tùm de Veteribus, tùm de Recentioribus iuxta normam divisionis, quam alibi nos præstitissememinimus in quæstionibus huius Palæstræ iuxtà divisionem præiactam ab Augustino Torniello in suis Annalibus. Atque vt sub vno, eodemque labore dividatur simùl, & obiter taxetur Chronologia, singulas Chronologiæ Methodos cum eruditi Tornielli iudicio, qui recentissimus, & accuratus Chronologus est, adijciemus. Possevinus quidem loco citato nonnullos priscos Chronologos taxat, donec tandem conquiescit, etsi non omnino, in Chronographia Gilberti Genebrardi, eo quòd tùnc temporis meliora nactus non fuisset: tandemque concludit, libellum quemdam ipsius Gilberti Genebrardi multum commendans his Verbis: *Cæterùm idem Genebrardus libellum edidit valde vtilem Parisijs in octavo apud P. L. Huiller Æg. Gorbinum, & Martinum iuvenem anno* 1584. *qui hanc inscriptionem præfert.* 1. *Notæ Chronicæ, sive ad Chronologiam, & vniversam historiam methodus omnibus studiosis, vtilis, &c. Hanc igitur, qui prælegerit, priusquàm se divinæ histo-*

riæ interiori ſtudio dedat, ſciat ſe optime operam poſiturum. Quaquidem notitia nolui fraudare lectorem.

8 Quintuplex ergo dividi poteſt ſolemnior Chronologia, & ratio temporaſupputandi. Prima eſt Chronologia Hebræorum, quam ſequitur Nicolaus de Lyra Eſdræ, *lib.* 1. *cap.* 1. & in Eſthèr, & Danielem. Hæc Chronologia Hebræorum, quam ipſi in *maiorem* dividunt, & *minorem*, communiter à graviſsimis Authoribus reprobatur; eo quòd ad litteram ita geſtiat hærere, vt nihil admittat ad ſupputandum, niſi quod ſit ibi expreſſum: cum tamen Gentium hiſtorias, & tempora interiecta omnino perſequi non intenderit Spiritus Sanctus, ſed ea dumtarat, quæ rem Sacram èlucidarent, ſi cum ea connecterentur. Secunda Chronologia ideò celebris eſt, quia ex vna parte eſt vetuſtiſsima, vtpote quæ de Chaldæis Hiſtoriographis originem trahit: & ex alia parte valde recens creditur, vtpotè conficta, vt fertur, à Fr. Ioanne Annio Viterbienſi, qui priſcos homines Beroſum, Metaſtenem Manethonem, atque Philonem quadam renovatione protulit redivivos, & ex eorum geſtis, atque temporibus Chronologiam ita contexuit ſic ad ſpeciem, vt in eam ire non dubitaverint Ioannes Driedo, Sixtus Senenſis, Michael de Medina, tres viri certe magni, & inſuper Nauclerus, Ioannes Lucidus, Valerius Anſelmus, & alij. Sed his temporibus prænobiles Authores ita in hanc Chronologiam inſurgunt, & ex omni claſſe, & familia primores homines eam ſic appetunt, carpuntque, vt vix liceat eam benignè excipere, quam Melchior Canus, Suarius, Pererius, Rivera, Poſſevinus, Raphael Volaterranus fide ſpoliandam eſſe, fateri non erubeſcunt. Quibus, & nos adijcere calculum noſtrum, neceſſarium iudico, dum tutiora tradere cupimus generatim loquendo, licet hoc non tollet, vt vbi hæc Chronologia ad rem aliquam obſcuram ſatis expediendam ſuffragetur, cooptari poſſit, vt cohærens cum reliquis, quemadmodum à nobis in quæſtione Hebdomadum Danielis non ita ſeverè tractatur; tametſi in ea non nitimur, & vt modo inſinuavimus, generatim loquendo à nobis etiam reijcitur: qui tamen hæc verba eiuſdem Annij in ſua præfatione damus libenter: *Si quis* (ait) *obijcere cupit, non expectet id agere cum mortuus fuero: quia tum cũ larvis, & umbris pugnabit, quod eſt timidi ſimul, & ignorantis atque invidi officium. Me vivente obijciat, & illico reſponſiones referet.* Hucuſque Annius.

9 Tertia ſpecies Chronologiæ, quam ſectati ſunt Tertull. Clem. Alexandr. & Genebrardus, eſt illa, quæ colligitur ex annotatione annorum Regum cuiuslibet Monarchiæ. Quæ quidem errori adhùc relinquitur ſatis obnoxia propter plures diſcrepantias. 1. Quando ommituntur obſcuriores quidam Reges. 2. Quando ommituntur, qui regnarunt tyrannicè. 3. Propter non commemorata tempora interregnorum. 4. Propter confuſionem ortam ex corregnantibus Patre, & filio, vel alijs. 6. Propter varietatem numerandi annos incæptos pro completis, vel econtrà. Quarta Chronologia eſt, quæ deduci ſolet ab Vrbe condita per annos in faſtis conſularibus digeſtos. Sed cum circa hos annos digerendos diſſenſio ſit plurima, vt oſtendunt Onuphrius Panvinius *lib.* 1. in faſtos, *cap.* de anno, & die Vrbis conditæ. Et Carolus Sigonius in commentario faſtorum, *cap.* de Conſulibus, inſuperque cum varias admodùm mutationes hæc ſupputatio complectat, tuta eſſe non poteſt. Quinta denique ſpecies Chronologiæ eſt, quæ duci ſolet per Olympiades Græcorum, & reapſe hæc Chronologia magis probatur optimis Authoribus, vt Pererio, & Torniello, alijſque. Sed vt conſtat in ipſo Torniello in præfatione ad Annales, & in Poſſevino *lib.* 2. *Bibliothecæ*, *cap.* 26.

adhùc

adhùc hæc Chronologia ſufficiens eſſe non poteſt, niſi alijs retro temporibus emendicatis: *incæperunt enim Olympiades computari temporibus Regum Achaz, aut Ioàthàm*: vnde, & ipſe Torniellus, vt ſuam vndequaque compingat Chronologiam, ad tertiam item, & quartam à Nobis memoratam regreſſurum ſe profitetur. Quæ quidem diviſiones Chronologiæ ſatis ſunt, vt quivis Biblicus Propugnator, cum ea de re ſermo inciderit, non ineruditus eſſe oſtendatur, præſertim cum poſteà de ipſis Chronologis, & ſumma varietate Chronologię habendus ſit etiam ſermo, vbi ſit plus oportunus: ne modo alia, quæ ex ordine ſcitu digna ſunt, retardemus.

10 Ad calcem capitis ſubiungendum eſt diſcrimen, quod reperi in duplici Authore Chronologico circa ea, quæ ſupra tetigimus, qui ſunt P. Iacobus Tyrinus, & Fr. Fulgentius Botens: primò enim in re Chronologica ambo ſecum conveniunt; ſed ab alijs diſcrepant in numero ætatum mundi vſque ad Chriſtum; hi enim Authores quinque dumtaxat ætates dividunt vſque ad Chriſtum, eo nimirum, quòd de ſecunda, & tertia, quas Chronologi dividunt, vnam conflent: vnde, & relucet clariſsimè id, quod iam dixeramus, nimirum, hanc diviſionem ætatum eſſe arbitrariam, vt melius digeri poſsit, atque diſtribui Chronologia: diſtribuenda enim ſunt tempora iuxta partitionem rectam, vt facta intelligantur, prout monet Proverbium illud natum de temporibus Auguſtini, & refert Montefrigidus *part.* 2. verb. *Tempora*, in quo quidem ita dicitur: *Diſtribue tempora, & concordabis ſcripturas*, non ſecùs ac inter Iuriſtas aliud quidpiam ſimile invaluit dicens: *Diſtingue tempora, & concordabis iura.* In quo quidem genere, vt vides etiam ius humanum affine eſt Iuri Divino. Deinde ambo illi Authores diſcrepant in methodo tractandi Chronologiam, & Chronographiam: nam Fr. Fulgentius Botens in tertio ſuo tomo *Æconomiæ Biblicæ*, qui totus eſt de Chronologia, præmiſſo competenti apparatu ante tractationem *in* 1. *p*; in 2. agit Chronographum rigoroſum. In 3. verò rigoroſum Chronologum, vbi donat elucidationes tabularum. Iacobus verò Tyrinus in ſuo Chronico præmiſſo ante Bibliam ſuam, ſimul agit vtrumque, ſcilicet, Chronographum, & Chronologum: quippè ex vna parte continuo tractu ducit ſeriem annorum geſtis, & Perſonis correſpondentem; & ex alia quibuſdam capitibus interiectis, vt Chronologus diſputat, id, quod vt Chronographus tradit. Et hæc de hoc capite.

CAP. II.

DE EXPLICATIONE PARTIUM integrantium temporum, & vaſto campo Chronologiæ.

11 EXplicata iam definitione, ac diviſione Chronologiæ, ſeu rationis tempora ſupputandi, ex ordine venit nonnulla dicere de partibus integrantibus ipſius temporis: quemadmodum enim omne tempus in communi oportet dignoſcere, ita etiam oportebit, partes eius habere bene perſpectas; alioqui tempus ipſum neque dignoſci ſatis poterit, neque iuſta partitione diſtribui. Tempus ergo plures ſub ſe continet partes integrantes: alias quidem ſuperiores, & quaſi ſubalternantes, ſcilicet, Epochas, annorumque Periodos, de quibus poſtea: alias verò infimas, & quaſi ſubalternatas, nimirum, *annum*, *menſem*, *Hebdomadam*, *diem*, & *horam*: in qua quidem claudenda veniunt *quadrans*, *minuta*, *ſecunda*, *tertia*, & *inſtans*, de quibus methodo commodiori ſtatim ſumus pauca dicturi. Et incipiendo ab inferiori de horis primum habendus eſt ſermo. *Hora* igitur eſt ſpatium illud temporis, quod quater, & vicies replicatum conſtituit naturalem integrum,

grum diem. Quæ explicatio non ſolum modò; ſed horis vetuſtiſsimis adaptatur: nam olim horæ apud Iudæos, Romanos,& Orientales inæquales erant, ita vt eſtò nox iret longior, & brevior dies,vnicuique horæ duodecim reſponderent; ſive illæ breviores, ſive longiores evaderent, prout, nimirum, diurna lux,tenebræque nocturnæ alternantibus æquinoctijs ſe ſe ſubducerent, aut protraherent. Cum autem hæc horarum inconſtantia Aſtronomis, & Coſmographis, horologijſque conficiendis eſſet incommoda; ſucceſſerunt pro vno die naturali conficiendo, viginti quatuor horæ prorsùs æquales, ita vt quælibet hora claudat quatuor quadrantes omninò æquales,& 60. Minuta 120. ſecunda;& 180. tertia. Et iuxta Hebræos 1080.HelaKim, ita vt quodlibetHelaK æquale ſit ſcrupulisAſtronomicis,ſecundis 3. &tertijs viginti.Hæ horæ æquales ad 1440. percurrunt, dum Æquatoris fit revolutio: commodæque ſunt pro Horologijs, obſervationeque meridiani, atque,ſi non numerentur integro die per ordinem vſque ad vigeſimam quartam, vt in Italia fit, ſed per duplices Duodecadas,vt fit in Hiſpania,obtinetur etiam illa vtilitas, quæ ex inæqualibus horis reportabatur, vt ſcilicet,toto anno eadem hora eadem ſpecies actionis: v. g. prandendi exerceretur, prout notavit Ricciolius.

12 *Dies* verò, tametſi naturaliter ſumptus noctem quoque ſit complexurus, vt iuxtà noſtram ſententiam cum Abulenſi, & alijs indicant illa verba: *Et factus eſt veſpere, & mane dies vnus*; tamen tùm ex recepto more loquendi: tùm ex D.Iſidoro *lib.*5. *Originum*, *cap.* 30. *dies eſt præſentia Solis, ſive Sol ſuper terram lucens.* Qui dies iam communiter vocatur artificialis,licet à Fraſenio, & Tyrino, pòſt Cenſorinum, naturalis vocetur. *Naturalis* autem, vt communiter iam intelligitur, eſt, qui complectitur diem, & noctem, & integra Cœli circumvolutione reſultat: quem Tyrinus civilem,& Aſtronomicum vocat. Dies artificiales creſcunt,atque decreſcunt, vt patet à Solſtitio in Solſtitium iuxta maiorem,vel minorem diſtantiam ab Æquatore, ſub quo etiam dies artificiales æquales ſunt. De diebus verò civilibus, & naturalibus quatenùs viginti quatuor ambiunt integras horas, diverſa apud diverſas Nationes exordia extitère;nam Hebræi,& Athenienſes ab occaſu in occaſum Solis, Babylonij ab ortu ad ortum; Vmbri,& Arabes à meridie in meridiem;Ægyptij, Græci, & Romani à media in mediam noctem, vti apud Nos eſt, diem naturalem integrum computabant.

13 Dies igitur Artificialis, vti, & Artificialis nox,in quatuor Vigilias, & partes diſſecabatur, Deo per gallum gallinaceum id edocente, vt notavit Plin. *lib.* 10.*cap.*21. De quibus Vigilijs Noctis expreſſa fit mentio inEvangelio de ſervo præſtolante Dominum ſuum, & adhùc apud Sinas viget, vt ex Miſsionario fidedigno nupèr accepi. Quoad diviſionem diei in quatuor partes, quarum vnaquæque ternas horas haberet, favet Nobis Ianſenius *in Concord. cap.* 142. Sà *in notis ad Evangelia.* Maldonat. Matth. 27. Mazonius *in Defenſione Dantis*,*lib.*1. *cap.* 17. Barrad. *in Evang. cap.*4. *lib.* 7. *cap.* 13. & 20. Cornell. *in Acta*, *cap.* 2. Suarez *in* 3.*part. diſp.*40. *ſect.* 7. Salianus *Anno Chriſti* 34. *num.* 51. Tyrinus *in Chronic. cap.* 2. Nicolaus Abrahamus *in* 2. *Philippic.*Ciceronis *num.*56. Contra P. Petavium: cum qua diviſione conſonant Evangeliſtæ, dum Ioannes dicit *cap.* 19. Chriſtum fuiſſe Crucifixum hora quaſi ſexta. Et Marc. *cap.* 15. dixit, fuiſſe hora tertia: quoniam trihorium, ſive hora *de tertia* finiebatur, & hora *de ſexta* ſuum trihorium incipiebat.Quando autemD.Petrus *Act.*2. loquitur de hora tertia, non eſt inhac acceptione civili, ſed ſimplici dum taxat,vt ſuadet ipſe contextus. Cumque primaVigilia diei conſtans tribus horis

ab

ab ortu ſolis deberet incipere, debebit fortè dici (vt obſervo) tùnc temporis apud Iudæos adhuc horas eſſe inæquales: alioquin vnaquæque vigilia non tribus horis omninò æqualibus conſtitiſſet; niſi fortè velis dicere, in menſe Martio, in quò Chriſtus Dominus occiſus eſt, dies æquinoctiales extitiſſe. Dividi vltrà ſolet dies in *ſacros, & feſtos*, & in *communes*, qui rebus laborioſis, & Civilibus deſtinantur. De feſtis Gentilium Macrob. Cenſorinus, Varro, & Ovid. abunde tractarunt. De Hebræorum feſtis legi poterit Menochius de Repub. Hebræorum. Becanus in Analog. Torniell. in Annalib. Ricciol. in Chronolog. reformatà *lib.* 1. vbi loquitur de Kalendario Hebrayco tàm antiquo, quàm Neoterico. Et Nos ad finem.

14 *Hebdomas* græcè latinèque *ſeptimana*, eſt quædam compoſitio ſeptem dierum in gyrum recurrentium: quæ quidem ab ipſo mundi exordio incœpit, quando, nimirum; Deus per ſex integros dies mundum elaboravit, & die ſeptimo requiévit ab omni opere quod patrarat; qui ideò *Sabbatham* dictum fuit, & habitum propterea à Iudæis in ſummo honore, & cultu ſolemniſsimæ feſtivitatis. Quæ tamen feſtivitas apud Nos Chriſtianos in diem Dominicam tranſijt, quam videlicèt, Chriſtus Dominus myſterijs ſuis dignatus eſt decorare. Septem dies Hebdomadam componentes ex Ægyptiorum traditione ita ſeptem Planetis, vt prædominantibus in vnoquoque, deſtinati ſunt, vt prima dies, ſeu Dominica nuncupata ſit dies Solis: Secunda, dies Lunæ: tertia, dies Martis: quarta, dies Mercurij: quinta, dies Iovis: ſexta, dies Veneris: & ſeptima dies Saturni: penes quas nomenclaturas etiam nunc temporis nominantur. Verum obſervata re à P. Ricciolio nedum ex Copernico, & Thycone; ſed ex antiquis etiam *vanitatis plena eſt illa denominatio, & prædominatio.* Sacratior eſt autem illa nomenclatura, quam à Silveſtre Summo Pontifice dies ſeptem eiuſmodi obtinuerunt, vt ſcilicèt, prima eſſet dies Dominica, & veluti feria prima, & reliquæ per ordinem dicerentur *feriæ* vſque ad Sabbathum, vt notaretur Sacris hominibus feriandum eſſe à prophanis, vt vacarent divinis: nomen autem *Sabbathi* retentum eſt propter ſacras litteras. Pro quarum intelligentia ſubnotandum eſt in eis ab ipſo Sabbatho, & de ipſo Sabbatho reliquas Hebdomadis dies indigitari, ita vt prima dies poſt Sabbatum, quæ eſt dies Dominica appelletur *prima Sabbathi*, & dies Lunæ *ſecunda Sabbathi*, & ſic deinceps. Hæ ſunt dierum Hebdomades: reperiuntur tamen Hebdomades annorum, quarum vnaquæque ſeptem annos includat, prout in quęſtione de ſeptuaginta Hebdomadis Danielis tradere ſolent Authores. Itaque circà Hebdomadas luſtrari poterunt Authores tùm ſuper hunc locum Danielis: tùm in opere ſex dierum, & vbi agunt de Sabbatho, & anno Sabbathico, & Iubilæo, vt Ricciolius *lib.* 1. *cap.* 15. & 16. poteſtque videri ſpecialis Authors, qui integrum & Septenario librum ſcripſit, ſcilicet Fabius Paulinus.

15 *De menſibus* oportunior, & ſpecialior ſermo incidet. dum de annis agendum ſit, qui de menſibus componuntur; ſed intereà oportet generaliorem partitionem præmittere, qua menſes alij ſunt *naturales vel Aſtronomici*; alij verò *forenſes*, atque *Civilee*. Hi poſtremi nihil aliud ſunt, quam ille Hebdomadum numerus, quem vnaquæque Civitas, vel gens ex placito obſervabat: v. g. Romani à Kalendis ad Kalendas; Græci autem à Neomenijs Civilibus, ſeu fixis ad alias Neomenias: de quibus potiùs quam ad Nos, ad hiſtoricos attinebit. Menſis verò Aſtronomicus alius eſt *Lunaris* Synodicus ex Ricciolio, & habet dies 29. horas 12. minuta 44. ſecunda 3. tertia 10. & eſt ſpatium ab vno ad

alterum Novilunium. *Menſis Solaris* eſt ſpatium illud temporis, quo Sol vnum ſignum Zodiaci percurrit, continetque dies 30. horas 10. minutus 29. ſecunda 4. De quibus ſuperfluitatibus conficitur ille dies, qui alternantibus menſibus ſolet adnecti; licèt adhùc quidpiam temporis reſtet ad intercalationem per annos biſſextiles eſſormandos. Signa quidem duodecim ſuprà ſcribi ſolent in noſtris Kalendarijs vſitatis, proindeque obvia ſunt cuique ſicuti etiam nomina menſium: quæ omnia Tyrinus noſter exactè percurrit in ſeptem columellis nomina Menſium pro vnaquaque Natione diſtinguens, ſcilicèt, pro Hebræis ante, & poſt Captivitatem; pro Syris, Chaldæis, Ægyptijs, Athenienſibus, Macedonibus, & alijs Græcis, pro Turcis Arabibus, & Romanis. Nos autem eos ſubiungemus, qui pro Scripturarum intelligentia ſint ſervituri communius, quamquam pro ſpecialiori occurſu recurſus ad Tyrinum eſt conſulendus: in quo cum de hac re locupletior ſit tractatus, facilius occurret via illa, qua per eius nomina, characteres, & Parallela res poſsit expediri. Accipe nomina.

	HEBRÆI. Ante captiv.	*HEBRÆI. Poſt captiv.*	*GRÆCI PRO- libris Machab.*	*ROMANI. Menſes.*
	Primus, qui & Abib.	*Niſan.*	*Xanthicos.*	Martius.
Ver.		*Iiar.*	*Artemiſios.*	Aprilis.
	Secundus qui Zius.	*Sivan.*	*Deſios.*	Maius.
	Tertius.	*Tamuz.*	*Panemos.*	Iunius.
Æſtas.	Quartus.	*Ab*	*Loos.*	Iullius.
	Quintus.			
	Sextus.	*Elul.*	*Gorpiæos.*	Auguſtus.
	Septimus Ethanim.	*Thiſri.*	*Hyperberetæos.*	September.
Autumnus.	Octavus Bul.	*Marcheſuan.*	*Dios.*	October.
	Nonus.	*Casleu.*	*Apellæos.*	November.
Hyems.	Decimus.	*Thebeth.*	*Audinæos.*	December.
	Vndecimus.	*Sebeth.*	*Peritios.*	Ianuarius.
	Duodecimus.	*Adar.*	*Diſtros.*	Februarius.

16 Vbi primò advertendum eſt. Noſtros menſes Ianuarium, & Februarium poſtremos poſitos fuiſſe; quia vt conſtat ex ſtructurâ Kalendarij Romani, ad decem priores adiecti ſunt. Secundò advertendum eſt principalius,

lius; quod cum annus resultans mensibus Lunaribus constet 354. diebus; & Solaris annus resultans ex duodecim mensibus solaribus 365. diebus, ita vt annus solaris lunarem per vndecim dies excederet, soliti sunt antiqui aliquo modo lunares, quibus vtebantur, ad cursum Solis coæquare. Quod secundo, vel tertio anno præstabant Iudæi per embolysmum, seu intercalationem, ita vt annus ille embolysmaticus appellaretur, & tredecim mensibus resultaret, quorum mensis ille adiectitius appellabatur *secundus Adar*, vel *Adar repetitus*. Annus autem embolysmaticus ita eveniebat *ter*, *ter*, *bis ter*, *ter*, *ter bis*. In quo significatur, quod intercalatio facienda est primo triennio, & secundo triennio, deinde elapso biennio, postmodum ternis triennijs, & postea intra biennium sequens, ita vt intra Periodum decem, & novem annorum septem menses intercalentur, scilicet, in annis 3. 6. 8. 11. 14. 17. & 19. & quamquam Hebræi menses quodammodo responderent Romanis antiquis Lunaribus; v. gr. Mensis Nisan, Mensi Martio; tamen respectu nostrorum Mensium Solarium, vt modo sunt, Lunaris mensis integer duabus partibus nostrorum mensium Solarium respondere Videtur. De quò fusius P. Christophorus Clavius cum Iosepho Scaligero, & cæteris Mathematicis.

17 *Annus* generaliter loquendo, est totum illud spatium temporale, quod Planetæ maiores, seu Luminaria magna insumunt in Zodiaco percurrendo, itaque alius annus dicitur Solaris, & etiam Tropicus, & continet duodecim menses Solares, & 365. dies, & 6. horas; habetque etiam quatuor partes principaliores, scilicet, æquinoctium vernum, & æquinoctium autumnale, & solstitium æstivum, & solstitium hyemale. Alius annus dicitur Lunaris, & est spatium temporis, seu duodecim mensium Lunarium, quò Luna percurrit duodecim signa Zodiaci, & habet (vt nupèr diximus) dies 354. & horas 12. Quà divisione generaliori præmissa sciendum est, quod si ad tempora, & Nationes attenditur, vix quidquam potest esse operosius, quam præcisam anni cuiuspiam definitionem secernere, & stabilire. Itaque in primis tradunt Authores nonnulli; vt Diodorus Siculus, *lib.* 1. Plin. *lib.* 7. *cap.* 44. Apud Ægyptios (qui de suis plurimos annos vixisse perhibent) primum annos fuisse menstruos, deinde trimestres, aut quadrimestres: vnde putat Ricciolius, eam annorum numerositatem non esse fabulosam censendam, vti censuit Africanus apud Eusebium, *lib.* 1. neque item longævitatem Patriarcharum; tùm quia contra minus credulos de hoc numero annorum, propterea quæ imminuentes ad decimam partem, invehitur August. *lib.* 15. *de Civitate Dei*, *cap.* 12. tùm quia constat, eos annos fuisse duodecim mensium, quia annus Diluvij, vt constat ex sacro textu, habuit decem menses, & quinquaginta, & quatuor dies ad minimum. Cumque venerimus ad annos Ægyptiorum, dicendum est aliquid de annis magnis; sed omittendo, & remittendo ad Ricciolium in sua Astronomia reformata, & Chronologia reformata annum illum magnum Platonicum, & maximum Aristoteliqum tam incertos, vt certum subdo cum Censorino *cap.* 7. & 8. & cum Ricciolio annum illum magnum apud Ægyptios dictum *Canicularem*, & *annum Dei*, qui resultat de 1460. annis Ægyptijs, quia hæc summa resultat ex 365. quater multiplicatis. De quo latè Ricciolius *cap.* 17. *libri* 1. Chronologiæ reformatę, & nobis indicasse sufficiat, cum fortè de eo regressurus sit sermo.

18 Nunc verò insinuabimus summatim tenorem, quo nationes annum vsurparunt, vt ex Ricciolio, Petavio, Scaligero, & alijs excerpi poterunt. Æthiopes, Abyssini, & Coptitæ vsi sunt, hodieque vtuntur anno recentio-

ri Ægyptiorum conſtante duodecim menſibus tricennarijs additis in fine anni diebus quinque, vel in Biſſextili diebus ſex. Sed inierunt annum ſuum à decollatione Sancti Ioannis Baptiſtæ. Armeni ferè eodem modo vtuntur anno ſuo ab anno Chriſti 551. ſed incipiunt die 11. noſtri Auguſti. Syri, & Syrogræci olim cum Iudæis anno Lunari; ſed poſt Iullianam correctionem annum Solarem complexi ſunt, & ab Æquinoctio autumnali annum incipiebant à die 24. Septembris. Vbi notandum eſt, quòd non ſolum Apoſtoli, ſed etiam Latini Chriſtiani, antequàm Alexandrinum Cyclum acceptarent, Iudaicum Cyclum primum, deinde annum Iullianum à die 24. Septembris inibant: & inde Vetera Concilia, ac Patres tempora numerabant veriſimiliter. Galli, Celtæ, Britanni, Saxones, Cymbri, Dani, ac Germani vſi ſunt anno Lunari, ſed non merè Lunari, vt Arabes, ſed aliqua intercalatione, eo quod ex Diodoro Siculo Cyclum decem novennalem viſi ſunt agnoviſſe. Rutheni, & Moſcovitæ vſi ſunt anno Iulliano prorsùs, ſeu noſtro. Tartari Lunarem annum incipiuut à Kalendis Februarij, inter quas, & finem Ianuarij faciunt intercalationem. Indi Orientales annis Lunaribus vtebantur, & quidem merè Lunares eſſe videntur, prout ex Nicolao de Comitibus obſervavit Ricciolius. De Sinenſibus audiamus Mafæum *lib. 6. Hiſtoriæ*, vbi ait: *Annum ex Lunaribus Periodis duodecim ita conficiunt, vt tertio quoque anno ad duodecim vnam addant. Principium à Martij menſis Novilunio auſpicantur; eum diem publica hilaritate concelebrant.* Et P. Daniel Bartolus *lib. 1. Hiſtoriæ à pag.* 60. inquit: *Sinenſes diem integrum dividere in duodecim, quarum ſingulæ duabus Europæis reſpondent, & totum diem in centum partes dividere, & rursùs partem quamlibet dividunt in centum minuta.*

19 Iaponienſes vtuntur anno Lunari, quæ quandoque per intercalationem protrahunt ad 384. dies, & annum inchoant iuxta ſuos Canones à die coincidente cum ſeptima Februarij Gregoriani. Mexicani annum habebant 18. menſibus conſtantem, ſed menſes erant vicenarij, ita vt annus clauderet 360. dies, vt olim apud Perſas; reliquos verò dies quinque anni communis non numerabant, ſed mutuis compotationibus, & ſacrificijs impendebant: annumque ſuum, quaſi à vigeſima ſexta noſtri Februarij auſpicabantur. Hi certas rotas, ſive periòdos magnas annorum efformabant quadruplicantes numerum 13. annorum, ita vt reſultarent 52. anni, & in his clauderentur 18993. dies computatis biſſextilibus; & numerus 13. inveniretur vicibus 1461. quo tranſacto, redibant ad principium decimæ tertiæ numerationis: quam periodum in 52. annos efformabant, non ſecùs ac Nos annum in 52. hebdomadas dividimus. Putabant autem in aliqua ex his periodis mundum finiendum eſſe: vnde fractis vaſis ad mediam noctem triſtes mundi interitum præſtolabantur: qui cum non adveniret, rursùs luceſcente die profilibant læti, & Tubas, & Tympana concrepabant, & templum adibant gratias acturi de altero ſæculo ipſis conceſſo. Peruani vtebantur anno Lunari, vel potius menſibus Lunaribus, intrà quos, dies vndecim abſumebantur, vt annus curreret iuxta curſum Solis: qui apud ipſos à Solſtitio hyberno olim in Ianuario, poſtea verò in Decembri ſumebat initium. Arabes, Agareni, & Damaſceni iuxta Petavium antiquitùs vſi eſſe videntur menſibus tricenarijs, adeòque anno Solari æquabili. Recentiores autem Arabes vtuntur anno Lunari conſtante duodecim menſibus, quorum alij dicuntur pleni triginta dierum: alij dicuntur cavi 29. dierum, vnde fit apud ipſos alter annus ordinarius habens 354. dies; & alter, qui ipſis appellatur abundans, habens 355. dies, neque alia intercalatione vtuntur: quare ipſorum annus vagatur per omnes dies anni Iulliani, en-

neque ad eundem revertitur, niſi poſt Arabicam Periodum 30. annorum, quorum 19. ſunt *ordinarij*, vndecim verò reſidui ſunt *abundantes*. Epocha verò celebris Mahometanorum dicitur Hegyra, ideſt, perſequutio, qua exagitatus fuit falſus Propheta, & coactus fugere ex Mecha anno Chriſti iuxta omnes Chronologos an. 622. menſe Iullio: cumque ea nocte fugæ Luna eſſet Corniculata, ab ipſis hæc figura inter Sacra relata eſt, turriumque faſtigijs appenſa, & ab ea Lunæ Phaſi Neomenias auſpicantur.

20 Modo autem poſtquam ſuperiora præmiſimus, vt cunctæ temporum controverſiæ plus poſsint clarescere, ſi ſaltem generalitet menſuræ cæterarum Nationum non ignorentur, agendum eſt de anno Hebræo, Græco, Alexandrino, & Chriſtiano antiquo, de quibus pro omni controverſia Biblica longè immediatius commodum poſſumus reportare. Igitur circa annum antiquum Hebræorum, ſuppoſito, illos annos tantæ latitudinis fuiſſe, quam noſtros, circà modum computandi duplicem viam invenio gravibus Authoribus fultam. *Prima*, quæ eſt Petavij *lib.* 9. *cap.* 10. & Caietani, & Ariaſmontani, & Scaligeri, & Ioannis Lucid. iudicantium illos annos fuiſſe Solares ex menſibus tricenarijs cum appendice dierum, habet pro ſe D. Auguſtinum *iib.* 15. *de Civitate*, *cap.* 14. vbi loquens de annis Noe, & Patriarcharum, ait: *Prorsùs tantus etiam tunc dies fuit, quantus, & nùnc eſt, quem viginti, & quatuor horæ diurno curriculo, nocturnoque determinant: tantus menſis, quantus, & nunc eſt, quem Luna cæpta, & finita concludit; tantus annus, quantus, & nunc eſt, quem duodecim menſes Lunares, additis propter curſum Solarem quinque diebus, & quadrante conſummant.* Aſſuetus enim erat Sanctus Auguſtinus, vtpotè Africanus anno Ægyptio, non tamen tunc vago, ſed intercalatione congrua ob diei quadrantem correcto. In quorum opinione, plerique intercalandum cenſent menſem tricenarium ex quadrantibus diei collectum centeſimo vigeſimo quoque anno, vt talis annus cum Solari anno cœleſti prorsùs congrueret. Secunda via, ſive opinio tuetur annos Hebræorum antiquos fuiſſe Luniſolares, hoc eſt, ex Lunaribus menſibus dierum alternatim 30. & 29. conſtantes, adeòque dierum 354. ſed cum ſolari anno conciliatos, ſive per Epactas dierum 11. & aliquando 12. ſive per intercalares menſes ex Epactis duorum, triumve annorum conſurgentes. Ita Rabbini plures, Lyra, Abulenſis, Sigonius, Torniellus, Spondanus, Pererius, Mariana, Salianus, Tyrinus, & alij apud Ricciolium *lib.* 1. *Chronolog. reformat. cap.* 10. De initio huius anni in exordio mundi etiam duplex opinio probabilis extat: altera de verno tempore, altera, de Autumno, cui Nos adhæremus in hoc noſtro opere. Hebræi autem in Ægypto annum Ægyptium vſurparunt, & poſt Exodum iuſſu Dei annos Sabbathicos, Iubilæoſque computabant. Vtrum autem Neomenias Iudæi determinarint à Synodo, veraque, aut media coniunctione Lunæ cum Sole ex tabulis prægnita, & in vulgus antecedenter edita? An verò à prima poſt Synodum Phaſi controverſum eſt, & videri poteſt apud Ricciolium *vbi ſuprà cap.* 12. *& ſeqq.* vbi de Kalendario antiquo, & Neoterico latus excurrit. Annus autem Sabbathicus apud Hebræos erat ſeptimus quiſque annus ab ingreſſu, & poſeſsione pacifica terræ promiſsionis: qui numerabatur à Neomenia menſis ſeptimi in anno ſacro, & civili, de quo anno leges extant *Exod.* 20. 21. & 23. Annus autem Iubilæus erat quinquageſimus quiſque computatus à die decima menſis ſeptimi, & immediate ſuccedens Sabbathico, ſeu cuivis quadrageſimo nono completo. Vtrum verò annus Iubilæus includendus ſit in Sabbathico, ſeu quadrageſimo nono completo affirmat Hugo Cardinalis; ſed diſtin-

guendum esse, tenet agmen nostrorum Interpretum, qui lustrari poterunt in locum Levitici, *cap.* 25.

21 *Annus Persicus* olim fuit, & nunc est dierum 365. ex mensibus duodecim tricenarijs, cum appendice dierum quinque in fine duodecimi in anno Civili; vel in fine octavi mensis in anno sacro absque alia diei intercalatione, adeòque annus fuit, & est vagus, nec nisi post periodum annorũ 1460. initio sui revertens ad eumdem anni Iuliani diem, estò ob celebritatem Æquinoctij Verni ab anno Epochæ Christi 1079. vsi sunt Persæ vnius diei intercalatione, plerumque quarto quoque anno, aliquando autem quinto. De quo quidem anno Persico audiendus est Isaac Monachus in fragmento citato per Iacobum Kristmannum in Commentarijs ad Alfraganum *tit. de Kalend. Persico*, vbi ita loquitur: *Est verò apud ipsos annus tantummodo 365. dierum, sicut apud Ægyptios: quilibet verò mensis dierum triginta. Epagomenæ verò sunt quinque, proinde necesse est, vt Persarum annus quartò quovis anno Romanorum annum vno die anticipet, eo quod Romanorum annus quartus quisque habeat dies 366. Annus verò 1460. integro anno Persico anticipet, &c. Contigit verò hæc annorum 1460. restitutio à quodam principio temporis trecentis, & septem annis ante initium regni Tezdagerdi, vt tum rursus Persæ incæperint, quarto anno post illud tempus, Nos vno die anticipare.*

22 De anno Græcorum Summatim id sciendum est, scilicet, Græcos duplici anno vsos esse, Lunari, scilicet, & Solari, sed Lunari civiliter, & palam, vt pote ex civilibus mensibus compositio: siquidem civiles fuisse eorum annos, mensesque, non autem Hyerophanticos conceptis verbis expressêrunt Theo, Geminus, ac Censorinus; solari autem arcana notitia, & tamquam medio ad consequendum finem intentum, nempe, vt Neomeniæ, & plenilunia, ex quibus pendebant sacrificiorum, Ludorumque Solemnitates, circa easdem anni tempestates celebrarentur. Idcircò enim Periodos biennales, deinde quadriennales, postea octo, & sex decim, & tandem novendecim annorum excogitarunt, vt Neomenia primi mensis, quàm proximè ad eumdem anni cæleſtis diem revolveretur. Nam si solarem annum per se primò, aut æquè primò affectassent, non intercalassent integrum mensem dierum triginta efficiendo annum dierum 384. qui nullo modo Solaris est; sed ex quadrantibus diei diem vnum intercalassent quarto quoque anno; nec à nova Lunæ apparitione, sed à fixo aliquo die anni cæleſtis menses inijssent, sicut à contrario Romana Ecclesia nunc, Romanumque Imperium, & maxima Europæ pars annos computant civiliter à die prima Ianuarij, die, scilicet, decimo post Solstitium civile Hybernum; nec anno Lunari vtuntur in Chronicis, Historicis, aut civilibus computationibus annorum, esto arcana illius scientia Ecclesiastici, & computistæ, ac moderatores Kalendarij vtantur in detetminandis Luna Paschali, & Festis Mobilibus ab ea pendentibus. Græci verò contraria ratione vsi sunt civiliter, & publicè in computandis, & ineundis annis anno Lunari per se, Solari autem occulte, & per accidens, non incomputandis ineundisque annis, sed in Lunaris anni capite circà eamdem tempestatem retinendo, vt nunquam plus diebus quatuordecim distaret à Solstitio æstivo, vel ab eo cardine, cuius propinquitatem in primi mensis Neomenia, & semel elegerant. Huc vsque ad verbum Ricciolius, qui de Atticis, & *cap.* 20. de Macedonibus copiosissimus in re Græca spatiatur. De anno antiquo Romanorum summatim sciendum est apud aliquos fuisse duodecim mensium, sed ex Decreto Romuli ad decem menses fuisse redactum, reliquis duobus mensibus non admissis intrà ordinem mensium,

sed

ſed intercalarium loco habitis. Poſtea vero ex Imperatoris Numæ inſtitutione Lunaris annus factus fuit duodecim menſium, poſitis, ſcilicet, menſe Ianuario in primò loco, & Februario in ſecundo, intercalatoque alternis annis menſe altero vocato *MerKedonio* dierum modo viginti duorum, modo viginti trium ad exæquandum annum Solarem. Cum verò in annis Romanorum annus Iullianus fuerit celeberrimus vſque ad reformationem Gregorianam; is modo memorandas eſt, non diſputandus, quod tamen egregiè, & locupletiſsimè præſtat Ricciolius noſter *lib.* 1. ſuæ Chronolo. reformat, *cap.* 22. Igitur ſumma huius Capitis eſt, quod annus Solaris dierum 364. cum quadrante, ſeu qui quarto quoque anno eſt Biſſextilis, & dierum 366. inſtitutus fuit à Caio Iullio Cæſare Dictatore anno quarto ſui Conſulatus poſt annum dierum 445. & ad eam formam redactus, quę deinceps Romano in imperio vſque ad annum Chriſti 1582. vſitata fuit ab Eccleſia Romana; eſtò eius intercalationem Pontifices Succeſſores Cæſaris non ſatis aſſequuti; nō quarto, ſed tertio anno intercalarint diem vnum, donec Auguſtus hoc emmendato errore, Iulliani anni formam inſtauravit.

23 Indicato iam anno Veteri Iulliano, obſervanda ſunt ea, quę circa annum veterem Chriſtianorum, eorumque Paſcha Ricciolius ſic redegit in ſummam, dicens: quod licet Chriſtiani iam inde ab Apoſtolorum tempore in civilibus rebus illam anni formam vſurparint, quæ communis erat regioni, in qua degebant, & Solarem annum Iullianum, vbi is receptus fuerat, receperint, & diutiſsime (excepta annorum Epocha) retinuerint; in Eccleſiaſticis vero computationibus quoad feſta Mobilia Paſchatis, & Pentecoſtes, cum Iudæis Lunari anno ſunt vſi; immo aliqui in Aſia cum Iudæis quartadecima Luna celebrare permiſſi fuerunt; maxima tamen pars Catholicorum iam inde ab initio Eccleſiæ, & poſt, Paſcha nec ante vernum Æquinotium civile, nec niſi die Dominica poſt decimam quartam primi menſis Lunam celebravit, & quidem non ſemel in plenilunio in Dominicam incidente: eſtò ob Cyclorum diverſitatem non omnes Eccleſiæ in eumdem diem Paſchatis conſpirarent, & aliquando per accidens, & præter intentionem cum Iudæis Paſcha celebrarint. Itaque tenendum eſt, Apoſtolos, & eorum ſucceſſores immediatos quoad maximam partem neque cū Iudæis, neque cum *Quartadecimanis* Paſcha celebraſſe; ſed in die Dominica poſt Æquinoctium Vernum, & decimam quartam Lunam primi menſis vt conſtat ex Socrate *lib.* 1. ſuæ hiſtoriæ, *cap.* 6. & Theodoreto *lib.* 1. referentibus Epiſtolam Concilij Niceni ad fratres Ægypti, & Lybiæ. Quiquidem Ritus traditione Apoſtolica manaſſe, traditur, vt conſtat ex Cyrillo Alexandrino, & Athanaſio, *lib.* 1. *cap.* 25. à quò tamem Ritu per aliquot Pontifices permiſſum eſt aliquantisper diſcrepare, de quò Vide Nicephorum, *lib.* 4. *cap.* 36. & *lib.* 12. *cap.* 33. *Quartadicimani* autem aſſerebant, Paſcha celebrandum eſſe Luna decima quarta primi menſis in quamcumque Feriam incideret. Itemque ſi deberet Fieri in Dominica, poſſe fieri in illa; licet incideret in Lunam decimam quartam: quod tamen abhorret Eccleſia, ne coincidat cum Iudæis: & quamquam per accidens propter diverſitatem Cyclorum aliquando coinciderint Paſchata Chriſtianorum, & Iudæorum, vt conſtat apud Paulum Guldinum, *lib.* 3. *cap.* 7. in reſutatione Calviſij; quando autem dicitur *poſt Æquinoctium Civile*, ideò eſt, ne Ritus Eccleſiaſticus ad ſubtilitates Aſtronomicas nutet: vnde Concilium Nicœnum Conſtantini Magni Tempore diem certam Civili, & Eccleſiaſtico Æquinoctio deſtinavit, nempe 12. Kalendas Aprilis, ſeu diem 21. Martij, vt expreſſe docet Sanctus Ambro-

broſius ; *Epiſt.* 83. ad Epiſcopos Æmiliæ.

24 Igitur cum Alexandrini de re Aſtronomica eſſent multum famoſi, Patres Concilij Nicæni demandarunt Patriarchæ Alexandrino curam Cycli Eccleſiaſtici, & Paſchatis indicendi : in quo quidem laborarunt primus Theophilus Alexandrinus anno Chriſti 380. deinde Cyrillus Alexandrinus magis contractè anno Chriſti 437. & tandem Dionyſius Abbas cognomento exiguus. Qui Cyclus Dionyſianus à maiori parte Latinorum receptus eſt, & vſurpatus vſque à reformationem Kalendarij Gregoriani : aliqui enim Latini Occidentales, ſi Luna decima quarta incidiſſet in Sabbathum, & diem Æquinoctij, aut poſt Æquinoctium ; nolebant tamen die decima quinta Lunæ (quamvis eſſet Dominica, dies) celebrare Paſcha, quia nolebant celebrare paſsionem Domini, quæ celebranda erat die veneris antecedenti, ante Lunam decimam quartam; & ideò differebant Paſcha in alteram Dominicam. Præterea in embolyſmæis menſibus à Nicæno Cyclo, ſeu Alexandrino diſsidebant, vt videre eſt apud Petavium, *lib.* 2. *cap.* 63. Hunc Cyclum Dionyſianum inſtauravit Venerabilis Beda : proindeque hic in vſu fuit in Eccleſia Catholica vſque ad Gregorium Decimum Tertium, qui reformationem illam edidit anno 1582. quam Gregorianam appellarunt, & de quà nobis de noſtro more ſtatim habendus ſermo, vt ſub vno quidem capite plura, quæ ſe mutuò colluſtrant, expedire poſſimus.

25 Nonnulla ergo fuerunt, quæ ad hanc reformationem ineundam impellebant, quæ ad tria demum capita revocantur. Quorum primum erat, quod cum annus Iullianus haberet poſt dies 365. ſex horas, de quibus formaretur quarto quoque anno annus *Biſſextilis* (ita dictus, quia in eo dicebatur bis *ſexto Kalendas Martij*) & vt conſtat ex legitima Aſtronomia, ſex horæ non eſſent integræ in anno Solari; ſed deficerent minuta vndecim, & ſecunda duodecim, quæ iuxta quantitatem anni Alphonſiani faciebant retrogredi intrà ſpatium 1257. annorum, qui excurrerant à Concilio Nicæno ponente Æquinoctium die vegeſsima prima Martij, tale Æquinoctium retroversùs per decem dies; ægrè poterat Paſcha celebrari iuxta Decreta Patrum, & Conciliorum. Quibus accedebat, quod futuris ſæculis ita variatio poſſet excreſcere, vt natalis Chriſti in tempus Vernum incideret. Secunda Cauſa erant Novilunia, quia ſupponebatur, quod tranſactis decem, & novem Iullianis annis Solaribus, Novilunia ad idem momentum redirent; cum tamen facta ſcrupuloſa minutiarum computatione, conſtet inter idem ſpatium Novilunia anticipari hora vna, minutis viginti ſeptem, ſecundis triginta, & vnum, & tertijs quinquaginta quinque. Vnde accideret, quod intra ſpatium 1250. annorum toto quatriduo citius Novilunia advenirent, quàm Aureus numerus indicaret. Quod certè non erat modicum inconveniens. Tertia cauſa erat orta ex prima quoad litteras Dominicales, quia ſuffurando decem dies, vt revera ſuppreſsi ſunt; varianda eſſet littera Dominicalis, quæ per Cyclum Hebdomadarum erat Ferijs ſingulis diſtributa.

26 Hæc ergo cum ita eſſent, tandem vitium Kalendarij veteris ab anno 1260. detectum eſt, ita vt Ioannes de Sacro Boſco, Ioannes de Saxonia, Robertuſque Linconienſis Epiſcopus regulas quaſdam ſcripſerint pro reformando Kalendario, prout fecerunt poſtea Petrus Phylomena, Nicolaus Gregoras, & anno 1372. Iſaac Argyrus, & in Concilio Conſtantienſi Petrus de Aliaco Cardinalis anno 1414. & in Concilio Baſileæ Nicolaus Cardinalis Cuſanus anno 1436. & 1439. & poſtea anno 1460.

Dein-

Deinde Ioannes Regiomontanus à Sixto Quarto ad id negotij Romam evocatus, obijt anno 1476. Romæ, sepultusque est in Pantheone. Postea errores Kalendarij delati rursus sunt ad Leonem X. & Concilium Lateranense anno 1513. & 1518. scripsitque tunc ad Leonem X. Paulus Middelburgensis Episcopus Forosempronienſis suam *summam*, vt, & Ioannes Stoeferinus, Albertus Pyghius, & Ioannes EKius rogantes eum, & Maximilianum II. Imperatorem, vt hoc negotium susciperent, suam formam reformationis exhibentes; quam, imminente Concilio Tridentino, exhibuit ex sua intentione Petrus Pytatus, & Lucas Gauricus, alijque rogantes Pium IV. vt in hanc reformationem incumberet. Itaque ex eius nutu decreta fuit hæc reformatio in Concilio Tridentino, eaque occasione Campanus, Iosephus Moletius, Iosephus Zarlinus sua de hoc scripta evulgarunt.

27 Quæ omnium vota cum ita clamarent, & res ipsa tanti esset momenti, convocatis tandem Romam harum rerum peritioribus, & per decennium discussis diversis formulis, visa est præferenda illa, quam duo fratres Aloysius Lylius, Antonius Lylius Veronenses excogitarunt. Proinde Gregorius XIII. anno 1577. compendium Lylianæ formæ transmisit ad Principes Christianos, Respublicasque, & Academias Catholicas, vbi occurrebatur retrocessioni Æquinoctij, ita vt, & tunc, & deinceps incideret in diem vigesimam primam Martij eximendo de mense Octobri, vbi minus erat incommodi, decem dies, ita vt quæ erat quinta, numeraretur decima quinta: insuperque occurrebatur anticipationi Novilunij disponendo loco Aurei numeri per dies Epactas, qui post mensem Decembrem ab vltima Lunatione supereſſe solent vsque ad finem anni. Vt v.g. si fingamus Kalendis Ianuarij fieri Novilunium; Lunationes 12. ideſt annus Lunaris dierum 354. absolvetur 20. Decembris, & ad finem anni restabunt dies vndecim spectantes ad decimam tertiam Lunationem: sequenti autem anno Lunationes 12. computata illa, quæ inijt à die 20. Decembris, absolventur die nono Decembris, & supererunt ad finem anni Epactæ dierum 22. Demum anno tertio absolventur duodecim Lunationes die 28. Novembris, & Lunatio decima tertia dierum triginta absolvetur die 28. Decembris. Quare restabunt Epactæ tres, & ita deinceps. Tandem de littera Dominicali iuxtà dies exemptos providebatur ad Cyclum hebdomadarium efformandum.

28 Postquàm verò Christiani Principes Respublicæ, & Academiæ Catholicæ prædictam reformationem observavere, in eamque miro consensu, & vno placito convenerunt, oportunum duxit Gregor. XIII. P.M. eam illicò indicere, & evulgare. Quam cum minùs ritè intellectam, & traditam Francisco Bietæ exhibuisset; demandatum est per Clementem VIII. P. M. nostro Patri Christophoro Clavio superviventi, vt ritam veramque reformationis normam traderet, & explicaret. Quod, & fecit egregio suo volumine, cuius ad calcem Franciscum Bietę supràdictum exarmat. Neque defuerunt, qui hanc Gregorianam reformationem audacter impeterent: cuiusmodi fuerunt Mæstlinus, & Sethus Calvisius; contrà quos tamen pro eo, quem semper gestat amore societas nostra erga Sanctam Sedem, statim tres celeberrimi ex ea, & pugnacissimi Pugiles surrexère, qui adversarios statim confodorent, scilicet, suprà memoratus Clavius, Dionysius Petavius *lib.* 5. 6. & 7. de Doctrina temporum, & Paulus Guldinus in refutatione Calvisij. Cuiquidem Kalendario Gregoriano sic reformato, & ipse quoque Deus per miracula visus est suffragari: quippè quotannis eadem die accidit Neapoli illa miraculosa ebullitio sanguinis sancti Ianuarij, & quotannis in Suecia eadem

dem Vigilia natalis Domini virga, quam Sancta Gettrudes in ſuo Monaſterio plantaverat, refloreſcit: cuius ramum teſtatur Ricciolius, ſe ad annum 1629. vidiſſe, cum à Patre Nigronio Parmam miſſus eſſet. Et hæc de Kalendario Gregoriano, & cuiuſvis anni ſimplicis eruditione ſummaria; nunc verò ad annorum Epochas, Æraſvè, itemque ad Cyclos, & Periodos convertamur.

29 Igitur generatim præmittendum eſt, Periodos, & Epochas eſſe in duplici differentia: alias quidem fictas, & alias veras. *Fictæ* quidem ſunt illæ, quæ in vera numeratione non extant, finguntur tamen ob commoditatem inveſtigandi quovis anno propoſito, Solis, Lunæque Cyclos ad Novilunia, Feriaſque, & alios Characteres inveniendos. *Veræ* ſunt illæ, quæ revera dantur in numeratione ipſa temporum. De primis potius pertinet ad Aſtronomos, & de his agit Ricciolius in Chronologia reformata *lib.* 1. *cap.* 29. De veris autem libamus pauca, ne voces iſtiuſmodi penitùs ignorentur. Igitur *Epocha* nihil aliud eſt, quam temporale quoddam punctum, vnde ſuam ſupputationem ordiebantur Computiſtæ, propter aliquam celebriorem commemorationem, vel ne multitudine annorum obruerentur in ſupputando: quas quidem Epochas cum plures numero ſint, eas dabimus cap. ſequenti ſigillatim propoſitas, vt clarius appareat, quanta, & quotuplex poſsit varietas ſupputationum enaſci. Æra, & Epocha idem ſunt, niſi quòd hæc Græcè, illa verò Latinè nomen accipit; de cuius tamen origine nominis video diſsidium inter Eruditos; nam Ioannes de Sepulveda Eruditus Vir noſter ait: Hoc nomen ita coaluiſſe, quia Hiſpani ab Auguſto Cæſare felix imperium auſpicati, ſoliti ſunt exinde annos ſic numerare. *Annus Erat Auguſti*, &c. & compendij cauſa ſic ſcribebant A.ER.A. Quare tempore procedente factum eſt, vt hæ omnes litteræ dimiſſis punctis interiacentibus in vocem vnam coirent, ſcilicet ÆRA. Hæc Sepulveda Cordubenſis in libello de emmendatione anni. Sed Poſſevinus in Bibliotheca ſelecta *lib.* 16. *cap.* 15. hanc originem huius Vocis impugnat, ſed non nimis valide, tum quia AEra cum Diphtongo ſæpiſsimè reperitur, & licet inveniatur ſine illo, potuit quidem ſcribi attendendo ad pronunciationem ſolum, & non ad characteres; quia ſive cum Diphtongo, ſive ſine illa pronunciatio eſt eadem. Tum quia quod ÆRA interpretetur *numerus* ab Iſidoro, & alijs poſt Chriſtum, quid ad rem, cum omnes in ea fateamur numerum ſignificari: licet quomodo illa Vox, quæ ante Chriſtum Dominum fuit, coagmentata fuerit, inveſtigemus? Tùm, quia vbi ponit ÆRA quaſi *ſummum quandam*, video eſſe in plurali, & nemo ignorat Æs Æris ſuo numero plurali gaudere, qui debet dicere *ÆRA*. Ex quo quidem plurali Henallage, quam ibi meditatus eſt Poſſevinus pro ſingulari ÆRA formanda paulo mihi artificiſior viſa eſt quam meditatio Sepulvedæ, quæ in alijs quoque vocibus eſt valde apta contingere. Sed vtrique viro erudito eruditionem ſuam diſpertio lubens, & laudes impertior gratus, dum ſic cum Iſidoro rimantur origines.

30 *Cyclus* verò, ſive *periodus* ſunt prorſus idem, & claudunt certam annorum menſuram, quà elapſa, ad initium pòſtmodum recurratur; quæ ideò inventa ſunt, vt menſurandis, memorandiſque temporibus, quaſi quidam anſuli appenderentur. In hoc genere habuerunt Hebræi duas celebres periodos, quarum prima erat annus Sabbathicus de Septennio in Septennium adveniens: altera erat annus Iubilæi, qui annorum quinquagena præterita, recurrebat. Inter Græcos priſci habuerunt primùm triennalem periodum Ludis Bachanalibus deſtinatam, poſtea periodum quadrien-

na-

nalem, quas olympiadas vocarunt, & quarum Nos originem, & eruditionem damus in quæſtione de Septuaginta Hebdomadibus. Poſtea ſucceſſit periodus *octonnalis* proLudis Apollinis Delphici, ſed ſuprà omnes ſemper invaluit periodus, ſive Cyclus *Decemnovenalis* dictus *Methonicus* à Methone Authore ſuo Athenienſi: qui ita placuit, vt iam *magnus annus*, iam *aureus numerus*, iam *Cyclus Lunæ* compellaretur; nec ab eius vſu in Græcia, & Italia deſtitum ſit, licet Calyppus, Democritus, Hypparchus alios Cyclos maiores induxerint, qui apud Aſtronomos quidem, pluſquam apud Kalendarium Civile prævaluere. De periodis Latinis poſſumus numerare iam *Indictionem*, quæ per ſpatium quindecim annorum revolvitur, de qua vide pòſt, *cap.* 3. *anno* 312. & 325. pòſt Chriſtum: iam *luſtra*, quæ ſpatium quinque annorum ſaltem incœptorum claudunt, vtpote ad quinquaginta menſes deducta iuxta Calepinum, & etiam iuxtà Nos in quæſtione de ſeptuaginta hebdomadibus, & *ſæculum*, quod claudit centum annos. Vide in ſuper BeierlinK in Theatro vitæ humanæ verbo *annus*. Cenſorinum de die natali, *cap.* 6. & 7. Plutarchum *de Placitis Philoſophorum*, *lib.* 2. *cap.* 23. Elianum *de Hiſtoria*, *lib.* 10. Macrobium *lib.* 1. *Saturnalium*, *cap.* 13. Petavium, *Scaligerum*, &c. Et hæc de omnium gentium annis: quos ſi quis velit omnes videre ad Epocham Chriſti reductos, atque connexos; conſulat Ricciolium, cui multum in hoc tractatu Chronologico debitores Nos profitemur agit enim à *lib.* 2. per plures libros de hac reductione, atque connexione, quæ illis magis proderit, qui Chronologiam integram ex profeſſo diſcutiunt, quam nobis eam obiter pro Palæſtra noſtra attingentibus.

)(☙)( )(✻)( )(☞)(

CAP. III.

DE MULTIPLICI FONTE SUPPUtationum, & Chronologorum ſententia.

31 DUO ſunt, quæ intendimus in ſuperioribus prælibare. Alterum eſt, propugnatorem noſtrum Biblicum ſatis inſtruere, ne de rebus, & partibus Chronologiæ ita maneat ieiunus, vt neque hiſcere audeat: vnde opportet res doctrina liter, & curſim attingere. Alterum eſt, vaſtum, ac denſum oſtendere campum Chronologiæ vnde eundum non eſt greſſu contracto. Cumque in ſuperioribus dederimus plura concisè; nunc binos catalogos exhibebimus late: quorum in altero trademus tum omnium opinionum circa ætates mundi, tum omnium Epocharum Synopſim, ſeu fontium ſupputationum ad verbum, prout traditur à Ricciolio in ſua Chronologia reformata, *lib.* 2. *cap.* 1. non quidem eo fine, vt Nos rem Chronologicam diſceptemus, ſed vt clarius appareat, quo Iure Nobis poſtea dicendum eſt, Chronologiam adamuſsim examinatam integrum hominem requirere: proindeque eum, qui futurus eſt Sacrorum Bibliorum tractandorum candidatus, non eſſe in Chronologia ita immergendum, vt vaſtitate ſimul ac denſitate totius rei pene obruatur. Quæ quidem præmonitio non eſt otioſa, cum ſit frequentiſsimum in iuventute præ nobili, quæ alto pollet ingenio, huiuſcemodi arduitates amare, & inexplebili aviditate ſic pertentare, vt arietari non deſinant, donec occumbant; & abſterreantur Iuvenes illi, qui fructus vberrimos, ſi temperatè rem inirent, pollicebantur. Ecce in primis Epocharum Synopſim in quà advertendum eſt, Epocham primam eſſe illam fictitiam, quam vſurpat Ricciolius ob fines à nobis ſuprà iam recenſitos.

N. 32. *SYN-*

SYNOPSIS EPOCHARUM INSIGNIORUM, & certiorum.

ANNI ANTE Christi Epocham.	*ANNI PARS qua ineunt.*	*INVENITUR APUD RICCIOLIUM in suâ Chronologia Reformata.*
7374.	*Kal. Ian.*	Periodi Solis aureæ continentis annos 10108. initium, vel Epocha ficta Antemundana de qua vidè; *lib.* 1. *capit.* 29. *numer.* 3. *&* *capit.* 30. *canon.* 2. *ac* 3.
5634.	*Maij* 2.	Mundi Epocha probabilior nobis. Vide, *lib.* 7. *cap.* 5.
5509.	*Kal. Sept.*	Constantinopolitanæ periodi annorum 7980. Epocha mundana ficta, & vsitata ab Ecclesia Constantinopolitana, Imperatoribus Orientis in Edictis, Chronico Alexandrino, & plerisque Græcis Scriptoribus; quorum tamen aliqui à Martio computant.
5493.	*Kal. Sept. vel Æquinoct. verno.*	Alexandrina Mundi Epocha à Panodoro Ægypti Monacho instituta, & adhibita à S. Maximo, & Georgio Monachis, Iullio Africano, Theophane, ac Nicephoro: estò in verò anno nati CHRISTI dissentiant.
5200.	*Ab Autumno.*	Eusebiana Mundi Epocha; licet certiores putet annos Abrahami, quam Mundi.
4714.	*Kal. Ian.*	Iullianæ Periodi Epocha Mundi facta ratione Cycli, à Iudæis recentioribus, de qua *libr.* 1. *capit.* 14. *in Appendice, num.* 3.
3378.		Diluvium Noeticum iuxtà 70. Interpretes absolutum. At iuxtà Hebraicam, & nunc Vulgatam.
2528.		
1796.		Diluvium Ogygium, de quo *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 4.
1514.		Diluvium Deucalioneum, de quo *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 6.
1481.		Troia condita à Dardano, de quà *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 6.
1194.		Troiani Belli initium annis 10. ante excidiũ.
1184.	*Æstate.*	Troiæ incendium, & excidium, de quo *lib.* 4. *cap.* 1.
1071.	*I. Hecatombeonis.*	Archontes perpetui Athenis loco Regum, *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 12.

Olym-

776.	*Iulij* 8.	Olympias prima ab Iphito inſtaurata, de quo *lib.* 5. *cap.* 2.
775.	*I. Hecatomb.*	Archontes decennales Athenis incipiunt, *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 12.
753.	21. *April.*	Roma condita iuxta Varronem, & plur. Romanor. ſententiam, *lib.* 4. *cap.* 2.
752.	21. *April.*	Roma condita iuxta Dionyſium Alicarnaſſ. & eius Sectatores, *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 11.
751.	21. *April.*	Roma condita iuxta Faſtos Capitolinos, vt probabitur, *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 16.
747.	16. *Febr.*	Nabonaſſari initium regnandi Babylone, de quo *lib.* 3. *cap.* 5.
686.	*I. Hecatomb.*	Archontes annui Athenis, *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 12.
605.		Capitivitas Iudæorum Babylonica, de qua *lib.* 6. *cap.* 11.
559.		Cyri initium regni, de quo *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 3.
536.		Cyri initium imperij, de quo *lib.* 5. *cap.* 6.
530.		Cambyſsis initium regni, de quo *lib.* 5. *cap.* 7.
522.		Darij Hyſtaſpidis initium regni, de quo *lib.* 5. *cap.* 7.
508.		Reges Romæ expulſi, & primi Conſules introducti *lib.* 4. *cap.* 3.
497.	*Æſtate.*	Marathonia Græcorum de Perſis Victoria Duce Militiade, de qua *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 7.
480.	*Verè.*	Xerxis tranſitus in Græciam, *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 8.
481.	23. *Septemb.*	Salaminia victoria Navalis Græcorum de Perſis, duce Themiſtocle, & deinde fuga Xerxis in Aſiam, *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 8.
453.		Danielis Hebdomadum initium, de quo *lib.* 6. *cap.* 12.
431.	*Veris initio.*	Peloponneſiaci belli initium, *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 12.
371.	5. *Hecatomb.*	Leuctrica victoria Epaminondæ Thebani de Cleombroto Lacedemoniæ, *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 15.
330.	*I. Hecatomb.*	Roma à Gallis capta. *Callippicæ periodi*, annus 1. de quo *libr.* 3. *capit.* 10. & Monarchiæ Macedonum in Aſia Dario extincto, & Babylone capta ab Alexandro M. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 6.
324.	12. *Novembr.*	Philippi Ariadæi Epocha ab Alexandri obitu licet obierit ſub initium æſtatis, *lib.* 3. *cap.* 4.
312.	*1. Niſan.*	Græcorum Æra Iudaica qua vtitur liber pri-

		primus Machabæorum : de qua *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 2. & 4.
312.	*I. Tisri, vel Idib. Octobr.*	Seleucidarum Æra in Syria, seu Alexandri DhilKarnain, qua vtitur liber secundus Machabæorum. Vide, *lib.* 3. *cap.* 7. *à numero* 4.
311.	*Idib. Octob.*	Chaldæorum Æra Babylone, *lib.* 3. *capit.* 7. *num.* 3.
285.	*Initio Apr.*	Dionysij Astrologi æra, & Ptolomæi Philadelphi initium, & translatio LXX. Interpretum hoc, aut sequenti anno. Vide, *libr.* 3. *capi.* 5. *numer.* 5. & *cap.* 6.
264.	*Verè.*	Punicum Bellum primum, *libr.* 4. *capit.* 6.
254.	*I. Hecatmob.*	II. Periodi Calippi annus primus, *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 4.
218.	*Verè.*	Punicum Bellum II. *lib.* 4. *cap.* 6.
178.	*I. Hecat.*	III. Periodi Calippi annus primus, *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 5.
149.		Punicum Bellum III. *lib.* 4. *cap.* 6.
49.	*Octobr.*	Antiochena Æra, qua vtitur Evagrius, & alij. Vide, *lib.* 3. *cap.* 11.
47.	14. *Oct.*	Initium anni confusionis, de quo *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 2.
45.	*Kal. Ian.*	Iullianus annus primus, *lib.* 1. *cap.* 22. & *lib.* 4. *cap.* 3. sub finem.
43.	29. *Aug.*	Augusti anni à primo Consulatu, *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 3.
& 4.	27. *Nov.*	Ijdem à Triumviratu, *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 3.
38.	*Kal. Ian.*	Augusti Æra Hispanica, de qua *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 4.
31.	2. *Sept.*	Actiaca victoria Augusti, de qua *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 5.
30.	29. *Aug.*	Augustani Ægyptiorum anni à morte Cleopatræ, *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 6.
27.	*Kal. Ian.*	Augustani anni Romæ quando Octavianus dictus est Augustus, *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 7.
		EPOCHA CHRITI.
1.	*Kal. Ian.*	Epocha Christi vulgo vsitata, seu Æra Dionysiana Cyclo Solis X. Lunæ II. Indict. IV. littera B. & I. dies Ianuar. Feria 7.
28.		Evangelij promulgatio, & prædicatio Sancti Ioann. Baptistæ.
284.	17. *Sept.*	Diocletiani Æra, & Coptitarum à SS. Martyribus, de qua *lib.* 4. *cap.* 10. *à num.* 17.

312.	*Kal. Sept.*	Indictionum Conſtantinianarum initium, *lib.* 4. *cap.* 16.
325.	25. *Dec.*	Indictionum Pontificiarum initium, *lib.* 4. *cap.* 16.
333.	11. *Maij.*	Concilium Nicænum eòdem anno cœptum, & abſolutum.
		Conſtantinopolis Encœnia ſeu dedicatio Vrbis Deiparæ Virgini per Conſtantinū M. vnde æra *Conſtantinopolitana*, *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 2.
395.	*Ian.* 17.	Imperij Romani diviſio in occidentale, quod Honorio, & orientale, quod Arcadio delatum eſt à Theodoſio M. tunc mortuo, *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 14.
476.	24. *Aug.*	Imperij Romani in Occidente finis relegato Auguſtulo, & regnare incipiente in Italia Odoacre, *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 4.
622.	16. *Iulij.*	Hegira Arabum, à Mahometis fuga. Fer. 6. Veſpere, de qua *lib.* 1. *cap.* 24. *à num.* 2.
632.	16. *Iunij.*	Iezdagirdæ nex Fer. 3. & inde Perſarum Epocha, de qua *lib.* 1. *cap.* 18.
800.	25. *Dec.*	Imperij Romani inſtauratio in Occidente, & Caroli Magni coronatio, *lib.* 4. *c.* 15.
1079.	14. *Martij.*	Gelaiæa Perſarum Epocha, & anni fixi ad Æquinoctium vernum electio *lib.* 1. *c.* 18.
1453.	29. *Maij.*	Conſtantinopolis capta à Turcis, & Imperij Occidentalis Chriſtianorum finis, *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 2.
1582.	*Octob.* 5 — 15.	Kelandarij reformatio Gregoriana, de qua *lib.* 1. *cap.* 28.

In quibus epochis ante Chriſtum notandum eſt quod Ricciolius eo quòd primum annum mundi non ita fixum cenſeat, non computat annos ab exordio mundi ſed relatè & antecedenter ad Epocham Chriſti, quam firmiorem reputat. Nunc ſequitur ex eodem Sypnopſis altera opinionum, & Authorum variantium circa ætates mundi.

SYNOPSIS DE OPINIONIBUS CIRCA MUNDI ANNOS AB IPSIUS creatione vſque ad ortum Chriſti.

EX Authoribus, qui æternum Mundum fuiſſe negant, nemo ab ipſius conditione ad ortum Chriſti numerat annos plures, quam ſeptem mille: nemo pauciores, quam termille ſeptingentos. Conſtat hoc ex Authoribus quotquot conſulere licuit, quorum aliqui ſummam horum annorum tradunt, aliqui verò eos diſtinguunt per ætates, & certa intervalla, de quibus ætatibus eruditiſsime Iacobus Mazzonus *in Dantis defenſione*, *lib.* 3. *cap.* 12. Benedictus Arias Montanus *volumine de ſæculis* Scaliger. *lib.* 5. *de Emend. tempor. à pag.* 368. & 781. Petavius *de Doctr. tempor. lib.* 9. *cap.* 6. & 7. Poſſevinus *in Bibliotheca ſelecta*, *lib.* 2. *cap.* 26. Pererius *lib.* 11. *in Danielem*, *quæſt.* 5. Henricus Philippi *in Synopſi Chronologica*, *cap.* 7. Salianus *in Annalibus*, *anno mundi* 2463. *num.* 16. & *anno* 2940. *num.* 1. Cornelius à Lapide *in Pantateuchum*, *pag.* 7, Tirinus *in Chronico Sacro*, *cap.* 7.

&c

& Isaac Vossius *in Chronologia Sacra, à cap.* 1. *ad* 20. vbi Iosephi *Hebr. examinat. Chronologiam.*

PRIMA TABULA ÆTATUM MUNDI.

Ex Iosepho Hebræo.	*Anni.*
A creatione mundi ad Diluvium.	2256.
A Diluvio ad ortum Abrahæ.	1192.
A ortu Abrahæ ad Exodum.	ℍ505.
Ab Exodo ad fundamenta Templi.	ℍ592.
A templi fundamentis ad eius incendium per Nabuchodonosorem.	ℍ470.
Ab incendio Templi ad ortum Christi.	ℍ540.
Summa.	5555.

Suidas.	
Ab Adamo ad Diluvium.	2242.
A Diluvio ad terræ divisionem.	ℍ758.
A divisione terræ ad Christum.	3000.
Summa.	6000.

Rabbini Recentiores.	
Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad ortum Abrahæ.	ℍ292.
Ab ortu Abrahę ad Exodum.	ℍ500.
Ab Exodo ad Templi fundamenta.	ℍ480.
A Templi fundam. ad eius excidium.	ℍ410.
Ab Excidio Templi ad Christum.	ℍ422.
Summa.	3760.

Clemens Alexandrinus.	
Ab Adamo ad Diluvium.	2148.
A Diluvio ad ortum Abrahæ.	1250.
Ab ortu Abrahæ ad divisionem terræ.	ℍ616.
A divisione terræ ad Samuelem.	ℍ463.
A Samuele ad captivitatem.	ℍ572.
A captivitate ad Christum.	ℍ575.
Summa.	5624.

Nicephorus Constantinopolitanus.	
Ab Adamo ad Diluvium.	2242.
A Diluvio ad Abrahamum.	1157.
Ab Abrahamo ad Exodum.	ℍ430.
Ab Exodo ad fundamenta Templi.	ℍ933.
A fundamentis Templi ad captivitatem.	ℍ442.
A Captivitat. Babyl. ad Christum.	ℍ596.
Summ.	5500.

Euse-

Eusebius Cæsariensis.	*Anni.*
Ab Adamo ad Diluvium.	2242.
A Diluvio ad Abrahamum.	1017.
Ab Abrahamo ad Exodum.	ℍ430.
Ab Exodo ad fundam. Templi.	ℍ480.
A fundam. Templi ad eius excidium.	ℍ442.
Ab excidio Templi ad Christum.	ℍ589.
Summ.	5200.

S. Hieronymus, & Beda.	
Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad ortum Abrahæ.	ℍ292.
Ab ortu Abrahæ ad Davidem.	ℍ942.
A Davide ad captivit. Babylon.	ℍ473.
A captivit. Babylon. ad Christum.	ℍ589.
Summa.	3952.

Q. Iulius Hilarion.	
Ab Abamo ad Diluvium.	2237.
A Diluvio ad exitum Abrahæ ex Haran.	1012.
Ab exitu Abrahæ ad Exodum.	ℍ430.
Ab Exodo ad captivit. Babylonicam.	1113.
A captivitate Babylonica ad Christum.	ℍ683.
Summa.	5497.

Sanctus Iulianus Archiepiscop. Toletan.	
Ab Adamo ad Diluvium.	2242.
A Diluvio ad Abrahamum.	1072.
Ab Abrahamo ad Christum.	1886.
Summa iuxta 70. Interpr.	5200.

Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad Abrahamum.	ℍ292.
Ab Abrahamo ad Christum.	1886.
Summa ex Hebraica editione.	3834.

S. Isidorus, & Lucas Tudensis.	
Ab Adamo ad Diluvium.	2242.
A Diluvio ad ortum Abrahę.	1072.
Ab ortu Abrahæ ad Davidem.	ℍ941.
A Davide ad captivitatem Babylonicam.	ℍ484.
A captivitate Babylonica ad Christum.	ℍ597.
Summa.	5336.

Benedictus Arias Montanus.	*Anni.*
Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad ortum Abrahæ.	ℍ292.
Ab ortu Abrahæ ad Exodum.	ℍ500.
Ab Exodo ad fundamenta Templi.	ℍ480.
A fundam. Templi ad captivitatem.	ℍ410.
A captivitate Babylonica ad Christum.	ℍ511.
Summa.	3849.

Iosephus Scaliger.	
Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad ortum Abrahæ.	ℍ292.
Ab ortu Abrahæ ad Exodum.	ℍ505.
Ab Exodo ad fundam. Templi.	ℍ479.
A fundam. Templi ad eius excidium.	ℍ428.
Ab Excidio Templi ad Christum.	ℍ590.
Summa.	3950.

David Origanus.	
Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad Abrahami exitum ex Haran.	ℍ367.
Ab Abrahamo ad Exodum.	ℍ430.
Ab Exodo ad fundam. Templi.	ℍ480.
A fundam. Templi ad captivitatem.	ℍ427.
A captivitate Babylonica ad Epocham Christi.	ℍ589.
Summa.	3949.

Ubbo Emmius.	
Ab Adamo ad Diluvium.	1657.
A Diluvio ad Abrahæ exitum ex Haran.	ℍ367.
Ab exitu Abrahæ ad Exodum.	ℍ430.
Ab Exodo ad fundam. Templi.	ℍ480.
A fundam. Templi ad Excidium.	ℍ426.
Ab Excidio Templi ad Christum.	ℍ590.
Summa.	3950.

Dionysius Petavius Societ. Iesu.	*Anni.*
Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad ortum Abrahæ.	ℍ292.
Ab ortu Abrahæ ad Exodum.	ℍ505.
Ab Exodo ad Templi fundamenta.	ℍ520.
A fundam. Templi ad finem captivit.	ℍ474.
A captivitatis fine ad Christum.	ℍ536.
Summa.	3983.

Iaco-

Iacobus Gordonus Societ. Ieſu.	*Anni.*
Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad Abrahamum.	Ꮒ322.
Ab Abrahamo ad Exodum.	Ꮒ505.
Ab Exodo ad fundam. Templi.	Ꮒ480.
A fundam. Templi ad captivitatem.	Ꮒ420.
A captivitate Babylonica ad Chriſtum.	Ꮒ497.
Summa.	3880.

Iacobus Salianus Societ. Ieſu.	
Ab Adamo ad Diluvium finitum.	1656.
A Diluvij fine ad ortum Abrahæ.	Ꮒ382.
Ab ortu Abrahæ ad ortum Moyſis.	Ꮒ425.
Ab ortu Moyſis ad Samuelis Regimen.	Ꮒ476.
A Samuele ad Cyrum, & captivit. ſolut.	Ꮒ576.
A captivitate ſoluta ad Chriſtum.	Ꮒ537.
Summa.	4052.

Auguſtinus Torniellus.	
Ab Adamo ad Diluvij finem.	1656.
A Diluvij fine ad Abrahæ exitum ex Haran.	Ꮒ456.
Ab exitu Abrahæ ad Exodum.	Ꮒ431.
Ab Exodo ad fundamenta Templi.	Ꮒ479.
A fundam. Templi ad excidium eius.	Ꮒ422.
Ab excidio Templi ad Chriſtum.	Ꮒ608.
Summa.	4052.

Cornelius à Lapide Societ. Ieſu.	
Ab Adamo ad finem Diluvij.	1657.
A Diluvio ad ortum Abrahæ.	Ꮒ292.
Ab ortu Abrahæ ad Exodum.	Ꮒ505.
Ab Exodo ad Templi fundamenta.	Ꮒ480.
A fundam. Templi ad captivit. Babylon.	Ꮒ426.
A captivitate Babylonica ad Chaiſtum.	Ꮒ591.
Summa.	4052.

Ioannes Georgius Heruartus.	
Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad Abrahæ ortum.	Ꮒ292.
Ab Abrahamo ad Davidem.	Ꮒ942.
A Davide ad captivitatem Babylonicam.	Ꮒ473.
A captivitate ad Chriſtum.	Ꮒ589.
Summa.	3952.

Hen-

Henricus Philippi Societ. Iesu.	*Anni.*
Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad ortum Abrahæ.	ℍ382.
Ab ortu Abrahæ ad Regnum David.	ℍ941.
A Davide ad captivitatem Babylonicam.	ℍ473.
A captivitate Babylonica ad Christum.	ℍ588.
Summa.	4040.

Iacobus Tirinus Societ. Iesu.	
Ab Adamo ad Diluvium.	1656.
A Diluvio ad Exodum.	ℍ887.
Ab Exodo ad fundam. Templi.	ℍ480.
A fundam. Templi ad finem captivitatis.	ℍ452.
A fine captivitatis ad Christum.	ℍ425.
Summa.	4000.

Isaac Vossius.	
Ab Adamo ad finem Diluvij.	2256.
A Diluvio ad ortum Abrahæ.	1132.
Ab ortu Abrahæ ad Moysis obitum.	ℍ186.
A Moysis obitu ad fundam. Templi.	ℍ552.
A fundam. Templi ad eius excidium.	ℍ470.
Ab excidio Templi ad Christum.	fl594.
Summa.	5590.

Ricciolius ex Hebraica, & Vulgata.	
A Mundi exordio ad finem Diluvij.	1656.
A Diluvij fine ad sacrificium Abrahæ, & Dei repromissionem iuratam de benedicendis gentibus omnibus in semine Abrahæ, qui est Christus.	ℍ506.
A repromissione dicta ad Exodum.	ℍ430.
Ab Exodo ad fundamenta Templi.	ℍ580.
A fundam. Templi ad captivitatem solutam.	ℍ476.
A captivitate soluta ad Christum.	ℍ536.
Summa.	4184.

Ricciolius ex LXX. Interpretum numeris, quos Ecclesia, & Patres multi secuti sunt.	
A Mundi exordio ad finem Diluvij.	2256.
A Diluvij fine ad sacrificium Abrahæ, & repromissionem Dei iuratã.	1356.
A repromissione dicta ad Exodum.	ℍ430.
Ab Exodo ad fundamenta Templi.	ℍ580.
A fundam. Templi ad captivit. solutam.	ℍ476.
A captivitate soluta ad Christum.	ℍ536.
Summa.	5634.

Ex

34 Ex hac igitur multiplici ætatum, & Epocharum diversitate statim agnoscitur, quam indiscernibiles exinde procedent formulæ supputandi, quantæque aliorum cum alijs miscebantur tenebricosissimæ confusiones tàm in Chronologia profana, quàm in Chronologia sacra: etsi enim hæc firmiores sit nacta bases; nihilominùs cum in Scripturis Sanctis non sit prorsùs expressa, dataque perfecta Chronologia; Chronologi multum laborant, & multa de multis assumentes supputationes in immensum congerunt, & subducunt obijectant, reijectantque cum numero quidem, sed sine fine, & cum Concordia, quam vocant, sed sine pace; ita vt Possevinus *lib. 2. Bibliothecæ Selectæ cap. 26.* postquam Chronologiæ antiquæ multum diffidat; ita prosequitur, *ex Recentioribus autem Chronologis vix vnquam è sexcentis, qui hac re scripserit, alter consentiat cum altero*; & ita etiam vt Petavius in doctrina temporum tàm apprimè versatus *lib. suo 2.* protulisse non dubitarit numerum annorum ab orbe condito citrà divinam significationem comperiri non posse. Accedit præterea, quod in ipsis sacris Biblijs tanta quoad numeros discrepantia sit observata adhùc intra Vulgatam ipsam, vt nobilissimi Theologi, atque Doctores censeant eam quoad hos numeros Typographorum, librariorumve errore facilimo vitiatam esse. De quo videndus est Canus de locis *lib. 11. cap. 5.* & noster Ricciolius in sua Chronologia reformata *lib. 6.* vbi agit de numero annorum vsque ad templi fabricam supputando, vbi graviter dicit, explanatque, quomodo eum Librariorum errorem admittere, non sit Vulgatam evertere, sed stabilire. Qui profectò cum sit vir in prophanis, sacrisque disciplinis eruditissimus, & quasi rei Chronologicæ facilè princeps, plurimi faciendus est. Atque vt vno obtutu Propugnatores Biblici simul eruditi evadant de toto agmine nobili Chronologorum, & de ipsorum discordantia verè stupendà, subiungo ex hoc Authore Catalogum Chronologorum, adiecto semper ad marginem eo annorum numero, quem singuli ab orbe condito vsque ad Epocham Christi conantur stabilire.

35 Sequitur iam prædictus Catalogus; sive Tabula sub hoc ordine.

TABULA ANNORUM MUNDI, VSQUE AD EPOCHAM CHRISTI.

ANNI.	*Authores.*
6984.	Alphonsinę Tabulæ àpud Mulerum.
6310.	Onuphrius Panuinus.
6000.	Suidas, Verbo *Phalec.*
5984.	Alphonsinæ in meo Codice.
5801.	Lactantius, & Philastrius.
5700.	Nicephorus Constantinopolitanus.
5634.	Ricciolius ex LXX. Interpretibus, &c.
5624.	Clemens Alexandrinus.
5590.	Isaac Vossius.
5555.	Iosephus Hebræus probè expensus.
5515.	Theophilus Antiochenus.
5508.	Constantinopolitana Ecclesia, Rutheni, Moscobitæ, Bulgari, Abissini.
5506.	Nicetas, Persæ, ac Cedrinus.

Anni.	*Authores.*
5500.	Theophanes, & Georgius Monachus.
5497.	Q. Iulius Hilarion.
5492.	Alexandrina Eccleſia, & Panodorus.
5351.	Sanctus Aguſtinus àpud Genebrardum, & Chaldæi.
5344.	Petrus Alliacenſis, & quidam Thalmudiſtæ.
5336.	S. Iſidorus, & Lucas Tudenſis.
5328.	Albumaſar Arabs.
5296.	Rabbanus Maurus.
5200.	Martyrologium Romanum, Euſebius, Vicentius, Lirinenſis, Gaurius, Sanctus Iullianus, & Sanſovinus.
5198.	Philippus Bergomenſis,& Alphonſus Pandulphus.
5196.	Philo Iudæus, & Sigebertus.
5185.	Arabes aliqui àpud Genebrardum.
5409.	Sanctus Epiphanius.
5000.	Metrodorus.
4832.	Ado Vienenſis Archiepiſcopus.
4697.	Aurelius Caſsiodorus.
4320.	Odiaton Aſtrologus.
4193.	Marianus Scotus.
4184.	Ricciolus ex Vulgatà, & Hibraica editione.
4140.	Laurentius Codomanus.
4058.	Rabbi Moſſes, & Ioſeph Blancanus.
4053.	Nicolaus Mulerus.
4052.	Torniellus, Salianus, Spondanus.
4040.	Henricus Philippi, & Vilhelm. Langius.
4022.	Benedictus Pererius.
4000.	Iac. Tirinus, & M. Ant. Capellus.
3933.	Ioannes Keplerus in Rodulphinis.
3989.	Carolus Bonuillus.
3984.	Dionyſius Petavius.
3970.	Pantaleon, & Bucholzerus.
3977.	Theodorus Bibliander.
3969.	Gualterus, Bullungerus EKſtormius.
3967.	Hieronym. Bardius, & Henricus Butingus.
3966.	Gerardus Mercator, & Petrus Opmeer.
3964.	Chriſtianus, Severinus, Longomontanus.
3963.	Alphonſus Toſtatus, Functius, Melanchthon.
6962.	Eraſmus Reinoldus, Vvolfgangus Latius, Ioan. Funccius,& vrſpergenſis David Chyeræus.
3960.	Avicena, Ioan. Lucidus, Dolienus, Alexander Sculterus, M. Guazzus.
3959.	Ioannes Piccus Mirandulanus, & Alphonſus Salmeron.
3957.	Philo Hebræus.
3952.	Beda, Hermannus, Contractus, Ioan. Scaffana Burgenſis,& Ioannes Georgius Eruartus.
3951.	Cornelius à Lapide.
3950.	Ioſeph Scaliger. Vbbo Emmius, Fabric. Becchiettus.
3949.	David Origanus, Argolus, Bullaldus.

Anni.	*Authores.*
3947.	Sethus Calviſius, Heluicus, Alſtedius, Micrælius.
3944.	Ioannes Cayron.
3941.	Sanctus Hieronymus in qq. Hebr.
3928.	Martinus Bertaldus.
3880.	Iacobus Gordonus.
3849.	Benedictus Arias Montanus.
3834	Sanctus Iullianus ex Hebraica editione.
3784.	Thalmudiſtæ aliqui apud Genebrardum.
3780.	Rabbi Levi.
3761.	Rabbini aliqui in Kalendario.
3758.	Iudæi in Seder Olam.
3754.	Rabbi Gerſon, & R.Ben-Levi.
3740.	Rabbi Napſſon apud Genebrardum.

36 Præter quos omnes, invenio etiam alios quatuor Chronologos, ſcilicet, Theophilum Raynaudum ad Calcem ſuæ Criticæ Sacræ, & Cardinalem Robertum Bellarminum ad Calcem libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui tamen ambo cum Petavio ſuprà relatò conſentiunt. P. Dominicum Muſantium in ſuis Tabulis Chronologicis, vbi tamen coincidere videtur cum Salliano, & Torniello ſuprà recenſitis, & poſtremo Fr. Fulgentium Bottens Minoritam, qui ab orbe condito vſque ad Chriſtum numerat 4005. annos, in quibus per quinquenium dumtaxat diſcrepat à noſtro Tirino.

CAPUT QUARTUM.

EXPENDITUR CHRONOLOGIA vniverſalis DD. Ioannis de Leyba.

37 A Liquibus ab hinc annis cum offendiſſem ſingulare volumen de Chronologia vniverſali, non ita pridem elaboratum à præclariſsimo Doctore D. Ioanne de Leyba electo Epiſcopo Almerienſi; animadverti hunc virum non vulgari quidem eruditione, neque parca manu reſpersà, ſtupendum argumentum ſuſcepiſſe tractandum; æquorque difficillimum, enavigandum, ſcilicet, *concordiam vulgatæ noſtræ cum ſeptuaginta Interpretibus in ordine ad Chronologiam primæ, & ſecundæ ætatis mundi* cum reſolutione celeberrimarum quæſtionum, quę & recentiores Expoſsitores, & veteres fatigarunt, & etiam nunc temporis fatigant. Quem librum de re verè pretioſa cùm vidiſſem non niſi profundè, & non nimis obviè loquentem avidè arripui, & ſeceſſu noſtro Ieſumontano (indiget enim eius lectio quiete, & conatu) ipſum devorare decrevi, & (ſi mihi fas eſſet) ad penitiora deſcendere. Legi quidem cum delectatione, etſi cum labore Idæam operis, in qua quidem fateor, vel ratione laterculorum euntium, atque redeuntium, combinationumque nimis multarum, vel forſitan ratione ſtyli, & methodi, aut quod verius eſt, mentis acie meà non ſuperante, non omninò iter confeci; quamquam rationem concordiæ, & viam ſatis ſum aſſequutus: eam tamen ſeponendam duxi, quouſque per otium rem expedirem, in qua ex vnà parte invitabat fructus, ex alteraque difficultates non modicæ morabantur.

38 Sed verò iterum me traxit ad Codicem nuperrimus Author noſter P. Vincentius de Maſcarell profeſſor Salmanticenſis Bibliorum ègregius, & nunc Præfectus ſtudiorum Vallifoletanus, qui cum in ſuis eruditis diſſertationibus ſacris, quæ in parvo volumine grandes ſunt, graviores attingat con-

controverſias Chronologiæ, per vnde viginti ſectiones integras obſervat Leybam, eius cogitationem diſcutit, eamque omni ex parte, & latere ex omni valentiſsimè aggreditur, & per eruditè confutat alicubi, & non ſine iure, eam tenebricoſam appellans. Porrò ſumma concordiæ, quam meditatus eſt Leyba, ducit originem ex veterrimo ritu, & more ſupputandi Ægyptiorum tradito ab Authoribus pervetuſtis, vt Cenſorino, Gemino, & alijs, nec non de Recentioribus, vt Ricciolio in ſua Chronologia reformata, & principaliſsimè Athanaſio KirKerio *in ſuo Oedypo Ægypciaco, tom. 2. part. 2. claſsi 7. cap. 1. & 2.* Cum quibus duplicem apud Ægypcios dicit in vſu fuiſſe annum magnum, alterum conſtantem ex 365. annis vulgaribus, qui appellabatur *annus Sothicus*, ſeu *annus Solis*: alterum verò ex 1460. annis vulgaribus reſultatem, vtpotè qui de quatuor annis Sothicis, vel potius de anno Sothico multiplicato per quatuor, conficiebatur hic numerus 1460. quiquidem annus vocabatur *Cynicus*, & *Ægyptiacus*. Qui duo anni magni in re idem ſunt, cum nihil aliud ſit *Cynicus*, quàm *Sothicus* quadriplicatus, paritate ſumpta à *menſura arvali* viginti quinque annorum, qua Ægyptij ſæcula metiebantur. Ex his tamen annis ille Sothicus, erat myſticus, & ænigmaticus: quippe poni ſolebat ita arcanè, vt quandoque non niſi per menſuram arvalem, ſivè multiplicationem in quatuor veniret intelligendus, ita vt perinde eſſet, poni annum 365. ac ſi diceretur 1460. Et annus *Cynicus* eſt quaſi annus expanſus, ita vt ambo rite inter ſe comparentur iuxta illas Scholaſticas diffinitiones *penes includens, & incluſum, & penes implicitum, & explicitum.* Anno autem Cynico ſuam, vbi opportet, intercalationem adiungit, ita vt ſit 1461.

39 His poſitis, & poſito quoque exceſſu annorum in prima, & ſecunda ætate mundi, qui invenitur in LXX. Interpretibus ſuprà Vulgatam: qui eſt ad 1236. annos; pergit Author, vt ſuam Concordiam eliciat, & ſic eam inſtruit, quatenùs in duabus illis ætatibus mundi, & Patrum, quæ 5. & 11. *Gen.* recenſentur, binos annos magnos *Sothicos*, & *Cynicos* ita dari componit, vt ille, qui in Vulgata annus Sothicus eſt, & implicitus; Cynicus, & expanſus ſit in LXX. Interpretibus: quo fit, vt ille exceſſus ad ſuprà duodecim Centurias annorum, qui in Interpretibus invenitur, in Vulgata implicitè, & ænigmaticè compenſetur, & contineatur; cum LXX. Interpretes in ſua ſancta verſione, & paraphraſi totidem annorum Centurias, & Decadas addidiſſent, vt opus erat, vt Myſterium referarent. Præter hæc ſibi reſtant duo, quæ ſtatim exhibet tota quanta poteſt Arithmetica, & parallelis ornata: quorum *primum* eſt, per talem expanſionem annorum totidem, & non plures annos exprimi, quam quos oportet, ad exæquandum exceſſum ſuprà relatum. *Secundum* eſt in vtraque ætate mundi ita vtrumque annum Sothicum numeri 365. indigitare, & retroaſcendentibus annis ita Summam colligere, vt anno illo, qui per hunc numerum 365. explicatur, anni quidem 1460. omninò excurriſſe inveniantur; quo præſtito, in quo tota eius machina ingenioſa ſubſtruitur, ad diluendas pergit difficultates objectas: de quarum iaculis quidem ipſe ſibi facit propugnacula prominere; conatus oſtendere in ſuo ſiſthemate eſſe ſolutione præfaciles difficultates illas, quæ in toto Patrum, ac Theologorum cætu iam pridem ſunt ingentiſsimæ.

40 Hęc ſumma quidem eſt huius clari Doctoris, ſuique totius eruditiſsimi, ac ſubtiliſsimi cogitatus. Contrà quem doctiſsimè quidem, ſed & modeſtiſsimè, de Societate noſtra noſter, ſed nimis, meus Maſcarellus inſurgit. Porrò ergo multa video, quæ me cogant, vt calculum in tanta lite re-

recuſem. *Primum* eſt ipſa loci opportunitas, & mei iura tractatus, qui cum eò tendat, vt in rebus Chronologicis Iuvenes initientur quidem; ſed immergantur neutiquam; extrà rem agerem, ſi controverſiam hic difficillimam ſuſcitarem, in qua non niſi operoſiſsimè collaborandum eſſet. *Secundum* eſt vtriuſque concertatoris mihi bonis de Titulis devincta conditio: mihi enim doctiſsimus Maſcarellus iure optimo habendus eſt plus Magiſter, quam frater. Ex altera verò parte cum Illuſtriſsimus Leyba, & Reverendiſsimus Aſcargota de Ordine Seraphico eius Præcurſor eximius, non ſolum de ſuo pectore ea fundant erga Societatem noſtram ſigna benevolentiæ, iuxta quę eos incivile eſſet Nos plurimũ non demereri; ſed inſuper, quaſi gaudeant de triumpho, ſtatim ac ſeſe cum celebri quoque Patre noſtro Societatis viro Athanaſio KirKerio colligavere; quid Nobis præſtandum erit in controverſia, quæ noſtri non eſt inſtituti, niſi vtrique viro Iuriſperito Iura ſua tribuere vrbanitatis, & venerationis? *Tertium* eſt ipſa arduitas cauſæ, & nobilitas litteratiſsima concertantium. Porrò non eſt certamen eiuſmodi, vt obiter, & ære modico poſsit iniri, & multò minùs à viro modico, cuiuſmodi Ego ſum, vt inter tantos rei litterariæ Proceres modo ſim caducæus. Itaque cum diſputatio hæc per ſæcula Eccleſiæ ſit longè graviſsima, & quæ non niſi volumen plenum, pleniorem-que voluminis Authorem deſideret; de vtroque paucula ſummatim dico, vt de vtroque me ſimul didiciſſe profitear.

41 Igitur pro Doctore Leyba video nonnulla quæ ex congruentia ſaltem videntur ipſi ſuffragij pluſculum corrogare. I. Dimicat egregiè pro argumento planè glorioſo, & concordia, quæ à Priſcis vſque temporibus ſummopere deſiderata eſt, & in ea ſudatum nimis, ne vnquam deſerta, ſeu deſerenda eſſe videatur verſio illa ſeptuaginta Interpretum qua Chriſtus Dominus vſus eſt cum Apoſtolis, & Evangeliſtis, & priſcis Eccleſiæ Patribus, & de cuius corruptione, etſi agitur, non actum eſt: ac demum cuius computationem complexa eſt per tot Sæcula Sancta Mater Eccleſia in Epocha Chriſti, eiuſque natali ab Orbe Condito deſignando. Vnde quoties per eius propugnationem *Vulgata* non evertatur, ſed concordia paretur vtrique; certè diſpenſandum videtur, quantumcumque poſsit, vt quævis Concordia ſuſtineatur, potius quam de eo, quod adhùc recipit, & ſolemniter inſonat Mater Eccleſia, à Theologis deſperetur. II. Video opus non perfunctoria manu compoſitum, ab vno docto Epiſcopo elaboratum, ab alio Placentino Seraphici Ordinis Illuſtriſsimo Samaniego viro pietate, & litteris præclaro ab Authore precibus poſtulatum, ad pedes Summi Præſulis religioſo corde ſuppoſitum, doctiſſimorum Virorum etiam de Sociatate noſtrà nedum calculo, ſed commendatione præfultum, ſine vlla iactura, ſed potius gloria verſionum in cauſa pia militans, ac tandem à ſummo Eccleſiæ capite non modo non depreſſum, ſed neque interpunctum: vnde ſaltem quiſquam ſibi iure perſuadeat, non errare ſolemniter. III. Video eruditionem colligere ad argumentum arcanam quidem, ſed certam, & peroportunam: *certam* quidem, quia de probatis Authoribus hauſtam, vt conſtat ex Authoribus, quos ipſe depromit, & ex Ricciolio, prout Nos ſuprà præmiſsimus: *peroportunam*, quia non niſi oportunè inducere videtur Author hiſtorice loquentem more Ægyptiorum virum illum Moiſem in omni *ſapientia Ægyptiorum eruditum*, vt ait D. Stephanus *Act.* 7. de quo Clem. Alex. etiam in vſu Hierogliphici anni in libris Moyſis.

42 IV. Video hanc methodum, & viam concordiæ, tametſi multum diſcuſam, & illuſtratam à doctiſsimo Leyba, non quidem in-

cognitam fuiſſe alijs Authoribus ita omninò, vt aliquis talium verſionum diſcordiam, vnde manarit, Concordiamque vnde ducendam non fuerit ſuſpicatus. Is fuit Illuſtriſsimus Caurienſis Epiſcopus Petrus Garzias de Galarza in ſuis Evangelicis inſtitutionibus *lib. 7. cap. 3. & ſeqq.* Qui inſuper ſcripſit de conſenſione editionum. De quo ita Poſſevinus *lib. 2. cap. 26. Quoniam verò ſeptuaginta Interpretes rationem Ægyptiorum ſupputandi annos inierunt, non autem Hebræorum, factum eſt, inquit Galarza, vt ortum ſit diſcrimen inter Græcos qui editionem ſeptuaginta ſequuti ſunt, & Latinos, qui Vulgatam ex Hebræis fuerant amplexi.* Quæ ſatis indicant, quomodo à computatione Ægyptiaca auſpicanda eſt Concordia. V. Solet eſſe ſignum non contemnendum alicuius veræ Concordiæ, & germanæ reſolutionis, quando difficultates plures hinc inde ramificatæ, alioqui indociles, & inſurgentes, aliquo aditu patefacto, omnes vnà flectuntur, & facilè colligantur : quare cum in ſiſthemate D. Leybæ difficultates alioqui capitaliſsimæ de ſuperviventia Matuſalem, de ſecundo Cainano, de ortu Abraham, videantur minus implacabiliter vnò tractu expediri, datur profectò quaſi ſpecimen veritatis, creaturque quædam affectio pia huius conciliationis. VI. Denique, & vltimo animadverto in hoc Authore, non quidem procedere fugitivè, vt eludat certamen, neque declamatoriè, vt potius aucupetur phaleras, & ornatum, ſed ſtrictiſsimo enſe dimicat, & de Mathematicis, atque evidentibus demonſtrationibus pollicetur, neque generatim dumtaxat, ſed ſigillatim deſcendit ad ſingulas, vbi nullis parcit Calculis, & parallelis : in quibus tam difficile eſt, non ſemetipſum carpere ſi erraret ſolemniter ; quàm propudioſum ſimul, & inverecundum in re tam gravi errores notorios, & capitaliſsimos venditare ; atque nedum in ipſa rei ſpecie, & radice peccare ſolemniter, verum id palam orbi obtrudere, & ad orbis, & vrbis caput ſanctiſsimum præſentare. Is enim Auctor ita in opere ſuo venit ad apices Arithmeticos vt ſi erraverit, errare certè non poſsit, niſi ſolemniſsimè, longè ſecus ac in meditationibus Scholaſticis, vbi errores nequeunt eſſe palmares. Propter hæc non facilè moveor vt in hoc viro Illuſtriſsimo, piiſſimo, & multum docto ſtatim pronunciem, erratum fuiſſe ita palmariter, & ſolemniter prout reàpſe argumenta plurima, & valida doctiſsimi Maſcarelli videntur evincere.

43 Porrò Maſcarellus noſter Doctiſsimus, in primo illo tomo quod edidit anno proximè elapſo de Sacris Chronologicis diſſertationibus, vt Pugil nobilis ſtatim fertur in graviores luctas, & arduiora certamina : quippe in eo diſcutit graves, & ſubtiliſsimas controverſias, inter quas Chronologiam Leybæ vrbanus excipit, laborioſus ſuſcipit, operoſus diſcutit, & glorioſus impugnat pharetrà ſic locuplete vt creberrimas, denſiſsimaſque ſagittas inſtar nubis eiaculetur, à quibus ſi ipſe Leyba fœliciter ſe expediret; triumpharet in orbe, vtpote cui, Maſcarello audito, in hac re ipſi timendum ſupereſſet à nemine. Equidem fateor ingenuus me cum argumenta laſtraſſem, & aliquando ad Leybam redijſſem, vt objectionis vim conteſtarer; me vtraſque dediſſe manus, & Maſcarello palmam, donec quidpiam aliud affulgeat: nam certè videtur Maſcarellus noſter prædictam Chronologiam vniverſalem, non modo doctè, & ſolidè confutare, ſed & comminuere prorſus, atque conterere, quaſique omnia ipſi reſpirandi ſpiracula fuiſſe concluſa, & ſtrangulata. Mitto quidem generaliora argumenta, quibus arguit ipſe, tùm de generatione ſecundi Cainani, tùm de ortu Abraham, quibus vt conſtat eruditis, iam reſponderi poſſet à Leyba. Sed argumentatur fortiſsimè quidem I. In prima ætate contra

tra baſſem fundamentalem Leybæ ponentem primum annum Sothicum numeri 365. in raptu Enoch ſub infantiam Lamech ad ſexennium; colligens peracutè defectum anni Sothici, niſi plus vixiſſet Lamechus; torquens ipſum præterea, quòd inconſtanter ſexennium Lamechi iam includat, iam excludat pro anno Sothico compingendo. II. Evertit concordiam, quatenùs ſi vera eſt vtraque lectio, conficitur in Patribus annorum ſumma productior, quam patiatur vtraque verſio, eumque (ne effugium paret) ad ſtrictas leges contradictionis conatur adducere. III. Multipliciter argumentatur, Moyſem neque Compendio Ænigmatico vſum fuiſſe, neque vti potuiſſe ſine mendacio in annis ante generationem, de quibus præſertim iuxta optimos Authores eſt colligenda Chronologia. IV. Erudite exuit Authorem Sancto Auguſtino, quo ſe multum armabat, eiuſque ſententiam non integram depromebat. V. Structuram anni ſecundè validè labefactat, dum ab Hebèr vſque ad Abraham videt poni traductam, & quidem argumento multiplici: tùm, quia nec inter Lamech, & Hebèr legitimè interponuntur anni: tùm, quia ab Hebèr ad Abraham natum annus integer Sothicus non excurrit; tùm, quia initium talis anni iam videtur ſumi ab Hebèr, iam ab Arphaxad, itidemque pro termino iam nativitas Abrahæ, iam promiſsio ipſi facta, in quibus, & in alijs Leyba minus ſibi conſtans eſſe videtur. VI. Argumentatur validiſsimè ex computo ſeptuaginta; quia inter Hebèr, & Abraham non elicit illos 1461. annos quos elicere oporteret in anno *Cynico*, vt Vulgatæ *Sothico* reſponderet. VII. Evertit ſiſthema ipſius oſtendens vtramque verſionem quoad integrum tempus vitæ Patrum non eſſe concordem. VIII. Complanat ex præclaris Authoribus Dynaſtias Ægyptiorum, in quarum latibula Leyba ſe recipit. IX. Denique Euſebij authoritatem ei addimit; atque Martyrologij Romani vſum pro Leyba non convincere, eruditè teſtatur. Hæc quidem ſunt in Maſcarello multa, & magna: ſed ſi in eo legeris, erunt profectò plura, & maiora.

44 Quod quidem graviſsimum certamen bona venia penitùs dirimendum relinquo ſcriptori venturo, qui potiores ad id partes, locique oportunitatem ſit aſſequutus: ego enim pro ea ſorte, quam tulit tempus, vt de re Chronologica miſcerem Sermonem, quando hoc Certamen prodijt in lucem; id ſolum dico, nimirum, perdoctum Maſcarellum noſtrum (ingenuè loquor) arguere potentiſsimè, atque digniſsima plenitudine, & maieſtate Doctoris; meque in docto Leyba nonnullas cernere notulas ad ſuſpicandum. 1. Quod aſſumens ſibi Auguſtinum, non videtur ipſum plenè, ſinceriterque omninò dediſſe. 2. Ea, quæ videtur eſſe inconſtantia, in ipſis annis, Sothicis, vel Cynicis adfigendis: quippe arcana dum reſſerantur, non nutant, vel ſi nutant, non reſerantur. 3. Ille quaſi neglectus de cætera Chronologia ſeptuaginta Interpretum circa mortes Patrum præter duos illos annos magnos; nam hoc indicat ſalvare privatam idæam, potius quam textuales colligaturas. 4. Denique, ipſe conatus tametſi piſsimus vindicandæ Chronologiæ, vt privatim revelatæ: nam in viris eruditiſsimis, dum aliqua re præoccupantur, vndelibet ſatis norunt, eam elicere, atque fulcire. Sed profectò cum nec de integro Leyba ſim ad fundum inſtructus; videamque in eo præter materiæ ipſius lubricitatem, alteram quidem totius operis quamdam caliginem, neque typorum munus exactum dum vbi dicunt pag. 251. *Acumen ingenij fulgentiſsimi Auguſtini defecit propheticam*, debuiſſe dicere, *olfecit propheticam*, potius libet relicta Maſcarello laude ſua, & maximà, ad minus comprehenſum per me intereà Leybam recurrere, & docto alicui enucleatori vindicationem relinquere.

Quoad

Quoad desperandam tamen omninò concordiã inter vtramque versionem, non facilè vnquam nostrum calculum adiungimus, quamdiù viderimus vtramque græmio Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ complexam: siquidem de vulgata iam scimus à Sacrosancto Concilio Tridentino cunctis, vt Authenticam intimari; de *septuaginta* verò etiam scimus quoad calculum, ab orbe condito ab Ecclesia vsurpari, & insuper eam propterea apud Sinas: eò potius indultam esse, quia cum Sinensi Chronologia melius concordat, prout mihi retulit nostræ Societatis pietate, litteris, laboribusque insignis Missionarius P. Iosephus Raymundus Arxò per annos septem decim versatus inter Sinas, ac demum in Valentiæ Regno non sine indicijs, famaque sanctitatis defunctus. Quamobrem dum video versionem septuaginta ab Ecclesia cooptari; etsi à plurimis Authoribus vitiata esse dicatur, quoad numeros; & similiter vulgatam ab Ecclesia esse Selectam, etsi quoad numeros alicubi etiam optimi Doctores Catholici librariorum incuriã fateantur esse vitiatam; potius in id inclino, vt stando semper Vulgatæ, tamen Septuaginta non respuam.

45 Circà quæ satis opportuna veniunt verba illa Cardinalis Baronij super Martyrologium Romanum die 24. „ Decembris, vbi ait: Quod si qui „ ex textu Hebraico colligitur numerus, certior esset; Hieronymus eius „ Sectator, atque defensor ad quid in „ *lib.* 1. *Commentar. in Epist.* ad Titum, „ *cap.* 3. hæc ait? Eiusmodi annorum „ certum numerum; vt difficilè est invenire propter librorum varietatem, „ & (dum paulatim de inemmendatis „ inemmendata scribuntur) errores „ inolitos: aut etsi invenimus magno „ studio, & labore, nihil profutura „ cognoscas. Faciunt certam quidem „ fidem eius rei multiplices supputatores ad invicem discrepantes: qui „ licet ab Hebraico fonte numerum „ deducant annorum mundi, vix vnus, „ vel alter reperitur, qui alteri in omnibus consentiat. Cuius rei creditur desperatione victos antiquorum „ complures, (qui ante tempora Constantini scripsere de temporibus commentarios) non nisi à Moysis tempore annos numerare cæpisse, vt tradit Lactantius *lib.* 4. *cap.* 5. Quam „ obrem nulli faceret negocium, si „ de annis ab origine mundi ex Hebraica veritate alij aliter, tùm Antiquiores, tùm Recentiores supputaverint annos. Nam si id assequi „ maioribus minus licuit, certè quomodo id Recentiores sibi tutò vendicent, non intelligo: etenim si „ codicum restituenda lectio est, non „ nisi ex antiquioribus exemplaribus „ rectè fieri posse continget. Hucusque Baronius ex D. Hieronymo. Itaque ego cum Ricciolio *lib.* 6. Chronolog. potius quam damnare erroris versionem alterutram; malo, & adopto quamlibet (etsi duriusculam) de vtràque Concordiam: v. g. vti Ricciolius dixit, vel quia Adamus genuerit duplicem filium Seth; alterum 130. alterum cum esset 230. annorum. Vel quia cum dixit in Vulgata 130. posuit initium generandi, & quando in septuaginta posuit 230. genuit filium celeberrimæ suæ posteritatis. Vel tertiò, quia genuerit ipsum anno 130. tamen anno 230. quasi rursùs genuit, eum complens benedictione & hæreditate, & Principem stirpis suæ constituens. Video hęc esse debilia simul, & duriuscula, vt fatetur etiam Ricciolius, at sunt saltem de servitura, vt neutra versio damnetur, dum melior non adfuerit Conciliatio. Quare si vnquam pro Leyba satis Mascarello nostro responderetur, pro ea quidem starem Concordia, vt nimirum, de vtroque Socio S. Ignatij igneścente palæstra, fortè lux aliqua accenderetur, quæ in tanta rei densitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ foret famulatura.

CA-

CAPUT QUINTUM.

DE CAUSIS DISCREPANTIÆ IN Chronologia, & punctis in ea controverſis.

46 VIdimus in capite præcedenti quanta ſit inconſtantia, & multiplicitas ætatum Epocharum, & computationum ad inſtituendam ritam, & ratam Chronologiam, & inſuper quanta proindè ſit varietas Chronologorum, ita vt ferè dici poſsit: *Tot capita, quot ſententiæ;* vnde cum ſupputatio, quæ per numeros, graduſque conficitur, aſcendendo, deſcendendovè peragatur; inde eſt, quod cum nullus gradus, numeruſvè fixus ſit, nulla poteſt computatio firma reſultare. Nunc autem in hoc capite erit noſtri laboris, ad communem eruditionem cauſas huiuſmodi diſcrepantiæ contexere, & puncta illa, quæ circà annorum ſupputationem variant, & controvertuntur, curſim indicare, vt cum Biblicus propugnator obiter in aliqua inciderit, in his non ſe oſtendat ineruditum. Igitur prima, ſolemnioſque cauſa diſcrepantium Chronologorum eſt ipſa diſcrepantia verſionum, quam modo ſignificavimus, intereſſe inter verſionem Vulgatam, & ſeptuaginta: cum enim ex alterutrà ſumi ſoleat, & debeat canon ad ſupputandum; nequit ipſa diſcrepantia, quæ illis ineſt, in ipſa quoque ſupputatione non reſultare, & quidem non modico exceſſu cùm ad duodecim centurias annorum prædictæ ſe verſiones excedant.

47 Sed præter hanc cauſam verè capitaliſsimam diſcrepantiæ verſionum Vulgatæ, & ſeptuaginta (de hac ſcribit P. Amandus ZiericKceenſis apud Bottens cum hiſtorijs Gentilium non cohærere) ſunt etiam intra eandem verſionem Vulgatam aliæ cauſæ, quę faciunt Chronologos in ſua ſupputatione diſconvenire. Prima eſt de interſerenda, vel non inter Arphaxad, & Sale generatione ſecundi Cainam: de qua quidem controverſia Nos in primo tomo noſtræ Palæſtræ copioſè admodum diſſeruimus. Secunda cauſa diſcrepantiæ eſt etiam illa celebris controverſia de ortu Abraham, num videlicet, acciderit anno 70. vel 130. Patris ſui Tharè, quorum vtrumque eſt probabile, & de quo Nos hic agimus *Decad.* 1. *quæſt.* 2. Tertia cauſa diſcrepantiæ eſt circa computationem quartæ ætatis mundi ab egreſſu Iſrael de Ægypto vſque ad fundationem templi. Cum enim medient anni Iudicum, & inter Iudices anni ſervitutum, qui numerantur 111. difficillimam de his annis controverſiam reddit multiplicitas opinionum orta ex *lib. Iudic. & ex lib.* 3. *Reg. cap.* 6. *& ex Act. Apoſt. cap.* 13. alijs quidem numerantibus ex preciſo textu Reg. 480. annos; alijs vero ex alijs textibus vlterius procedentibus, inter quos Petavius, Caietanus, Carolus Sigonius, Cano, Sà, Serarius, Salianus, Torniellus, Tirinus apud, & cum Ricciolio in Chronologia reformata *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 8. vbi ex Sancto Auguſtino, & Authoribus relatis edocet, quomodo Vulgata ſtabilienda ſit in ſua Chronologia, non quidem ex vnico textu, ſed ex pluribus. Quarta cauſa diſcrepantiæ eſt controverſia circà annos Regum: quippe tùm propter interregna, tùm propter perſonas corregnantes, tùm propter aliquos prætermiſſos, vt Ochoziam, Ioam, & Amaſiam, tùm propter annos incæptos, & completos prona eſt hæc diſputatio ad non modicas variationes, de quibus videri poterunt Henricus Philippi, Tirinus, Salianus, Torniellus, & alij, & Nos etiam ex Ricciolio dabimus Syntaxim brevem Chronologiæ Regum ſeorſim ſumptam, vt nonnulla facillius poſsint expediri. Circà quos Reges prætermiſſos cum non admodum vulgaris ſit illa ratio, quam Noſter Pater Poſsinus affert in *lib. de Genealog. Chriſti* poſt Catenam Patrum Græcorum in

Matth. edito *à cap.* 27. *ad* 30. eam ad Verbum prout in Ricciolio iacet, non gravabor attexere : & ſic ſe habet.

48 „ Cauſam igitur huius ſilen-
„ tij in Evangelio præter multa, quæ
„ Poſsinus adijcit, cur permiſsit Deus
„ eos in libris Regum, & Paralyp.
„ recenſeri, refert in Sacerdotum ar-
„ cana tabularià, in quibus bis mille
„ annorum Genealogias conſervatas
„ fuieſſe teſtatur Ioſephus *lib.* 1. *contra*
„ *Apionem*, & de quibus ſermo eſt,
„ primo Eſdræ *cap.* 11. *num.* 62. vbi
„ ejecti ſunt de Sacerdotio, quo-
„ rum Genealogia non eſt inventa; &
„ cuiuſmodi Catalogos apud Iudæos
„ vidiſſe ſe teſtatur Abulenſis *quæſt.* 30.
„ *in* 1. *Paralip.* Iam in tabulis, quæ
„ ad hiſtoriam non ſpectabant (in his
„ enim nihil immutatum) ſed ad mo-
„ ralem inſtructionem quorumdam no-
„ mina Sacerdotali iudicio ad igno-
„ miniam deleta erant: talis enim pœ-
„ na inſinuatur in Scripturis 1. Exod.
„ 32. *num.* 32. & 4. Reg. *cap.* 21. *num.*
„ 13. & Pſalm. 68. *num.* 29. & alibi
„ ſicut ex ſacris Dypthichis deleban-
„ tur quorumdam Clericorum nomi-
„ na etiam Epiſcoporum ob delicta,
„ vt tradit Baronius ad annos 57.
„ 307. 518. 519. 680. Quare autem
„ tres ibi Reges Sacerdotali cenſura
„ deleti ſint è tabulis ſacropoliticis
„ cauſam affert Poſsinus quod Ioia-
„ das Athaliam nequiſsimam, & cru-
„ deliſsimam interfectricem ſuorum
„ filiorum, vt Tyranidem ſuam ſtabi-
„ liret; indignam nomenclaturà Re-
„ gum, ipſam, & eius filium Ocho-
„ ziam iudicaverit. Cuius exemplum
„ ſequutus Pedaias eraſerit ex eo-
„ dem Catalogo Ioam Athaliæ fi-
„ lium, & interfectorem Zachariæ
„ Pontificis Ioiadæ ſucceſſoris. Ama-
„ ſias quoque filius Ioas meruit, vt
„ deleretur è faſtis, quia commina-
„ tus eſt mortem Prophetæ miſsi divi-
„ nitus ad ipſum, vt narratur 2. Para-
„ lip. *cap.* 25. *num.* 16. Si ſic eſt Mat-
„ thæus Hebraicè ſcribens potuit con-
„ formare ſe illis tabulis, & dicere,
„ Ioram autem genuit Oziam ideſt,
„ mediantibus Ochozia, Ioas, & Ama-
„ ſia. Mihi verò ſuborta eſt ſuſpitio
„ Ioram genuiſſe duos filios, nempe,
„ hinc Ochoziam inde Oziam, qui
„ Ozias diu vixerit, & genuerit Ioa-
„ thàm; Azariam verò nepotem Ocho-
„ ziæ caruiſſe liberis, vel illis mor-
„ tuis adoptaſſe in filium, ac ſucceſ-
„ ſorem Regni Iudæ ipſum Ioatham,
„ & tunc Azariam aſſumpſiſſe nomen
„ Oziæ, vt perinde haberetur, ac Pa-
„ ter eius, eſſetque inſtar alterius
„ Oziæ. Etſi enim ſcriptura genera-
„ tionem illam non exprimit, huic ta-
„ men expoſsitioni non repugnat; &
„ ſi ſic eſſet, Matthæus naturali gene-
„ rationi inhærens rectè dixiſſet: *Io-*
„ *ram autem genuit Oziam* : *Ozias au-*
„ *tem genuit Ioatham.* Quædam autem
„ alia afferemus *lib.* 8. *cap.* 18. *num.*
15. Hucùſque Ricciolius, quem po-
tius propter Poſsinum retuli, vt ea, quæ ex ipſo non inerudita ſunt ſcirentur.

49 Quinta cauſa eſt illa controverſia, quæ habetur inter Doctores de tempore Babylonicę captivitatis, quam Nos lato calamo pertractamus in hoc præſenti *tom.* 2. *noſtræ Palæſtræ. Dec.* 2. *q.* 8. vbi luſtrari poterunt fundamenta, & ſententiæ. Sexta cauſa eſſe poteſt hiſtoria non continua Sacræ Scripturæ : v. g. Iob, Tobiæ, Iudith, & Eſther, quo nimirum tempore acciderint. Septima cauſa eſt illa celeberrima controverſia de tempore incæptionis, & terminationis ſeptuaginta Hebdomadum Danielis, de qua quidem Nos in præſenti opere abundè diſſerimus *Decad.* 3. *quæſt.* 7. Octava cauſa eſt varietas in ſerie annorum Pontificum Hebræorum vſque ad Chriſtum, & etiam annis Herodis infanticidæ, de quibus acuratiſsimè Petavius *lib.* 10. *de Doctrina temporum, à cap.* 47. & in Paralip. *à pag.* 868. Tirinus *in Chronico, cap.* 142. Redanus *in Machabæos, à pag.* 110. & Ricciolius

tom.

tom. 1. *Chronolog. lib.* 6. *cap.* 13. & 14. Nona cauſa communis eſſe poteſt multis Nationibus, multiſque controverſijs, ſcilicet, ex parte ipſorum annorum, quando nimirum computandi ſint incepti, quando completi, num Lunares, num verò Solares, an ſic, vel aliter computandi. In quibus omnibus diſcrepantiæ cauſis illa puncta miſvimus, quæ in voluminibus Veteris Teſtamenti controvertuntur, & in diverſas cogunt abire Chronologias; nunc verò alia inſuper puncta libabimus quę inNovo Teſtamento ſatis diſtrahunt Authores, vt diverſas ſupputationes ineant, & efforment: quo ſimul tametſi generatim, & curſim, & erudientur Lectores, & ipſa etiam Chronologia plus illuſtrabitur.

Pergo igitur vt eas, quæ de Novo Teſtamento haberi ſolent Chronologicæ controverſiæ, ſummatim referam: in quo ſi benè animadvertit propugnator Biblicus, obſervabit, præter amplitudinem eruditionis, qua ipſe eſt ſemper ornandus, ſe multum emolumenti reportaturum; dum videlicet, ipſæ argumentationes Chronologicæ, ſupputatoriæque obijciantur: cum enim ipſe noverit, annum aliquem, in quo quidpiam factum adſcribitur, non eſſe ita fixum, quin ex probabili Doctorum opinione poſsit, vel ſurſum, vel deorſum variari; nanciſcitur facultatem, dum ad determinatum annum premitur, quem tamen ipſe in ſuis Theſibus determinatè non ſuſtinet, deſcendendi, vel aſcendendi vnò, vel alterò anno iuxtà opiniones Doctorum: quod quidem facere non auderet, niſi huiuſmodi prælibata notitia, tùm de varietate, tùm de probabilitate opinionum maneret inſtructus. Cumque de his, quæ attinent ad vetus Teſtamentum, ſit ſatis iam dictum modo à Nativitate Chriſti Domini nobis eſt exordiendum.

50 *Prima* igitur controverſia, & quidem celeberrima vberrimaque ex multiplicitate opinionum eſt circa annum Nativitatis Chriſti Domini. Eſt traditio tàm Græca, quàm Latina de Chriſto Domino incarnato die vigeſsima quinta Martij, & natò die vigeſsima quinta Decembris: quoad feriam autem Chriſti incarnati videtur fuiſſe feria ſexta ex Ricciolio, Nativitas autem die Dominica, quamvis Salianus, & Philippi feriam ſextam, Tirinus verò inter tertiam, & quartam Navitatem ponat, & Incarnationem inter Dominicam, & feriam ſecundam. De Nativitate Chriſti quoad annum non deſunt opiniones intolerabiles, & abſurdæ apud Petavium *lib.* 12. *cap.* 4. ſed opiniones octo, quæ probabiles, & tolerabiles ſunt, per octo annos variant, ſcilicet, ab anno 40. Iuliani ad annum 48. ſed ex recepta opinione Eccleſię nos cum Salmerone Clavio, Bæda, & alijs apud, & cum Ricciolio ad annum 45. adhæreſcimus; manente cuilibet ex Tirino, Petavio, Ricciolio, Philippique libertate eligendi vnam ex opinionibus, quæ intrà octo prædictos annos excurrunt. *Secunda* controverſia eſt de Baptiſmo, in quà, quoto anno Tiberij ſit Chriſtus baptizatus, non conſtat; etſi probabilius ſit ipſo anno 16. labente, vt tenet Ricciolius. Quoad annum autem Chriſti alij dicunt anno 30. completò. Sic Lyra, Cayetan. S. Thom. Salm. Baronius, & Spondan. Alij verò anno 30. inchoato per tredecim dies. Ita Clem. Alex. Irenæus, Epiphan. Theoph. Abulen. Perer. Barrad. Salianus, Petavius, & alij apud Ricciolium. Et illud *incipiens* poſitum à D. Luca intelligunt de initio anni Salianus, Suarez, & Barradas, licet Petavius, & Baron. intelligant de initio prædicationis. Dies autem Baptiſmi fuit feria ſexta, quà feria ſexta, ſed alio die eiuſdem anni interfuit Chriſtus nuptijs in Canà Gallileæ. *Tertia* controverſia eſt de numero Paſchatum, & annorum prædicationis Chriſti à Baptiſmate ad Reſurrectionem. In quà

tres

tres ſunt opiniones abſurdæ. Alia, Chriſtum vixiſſe 46. & prædicaſſe 15. annos. Alia, eſt Irenæi ex Præsbyteris Aſiæ Chriſtum vixiſſe 50. Alia denique Clem. Alexand. & Tertulliani, Chriſtum fuiſſe occiſum anno 30. ætatis ſuæ, & annò vnico prædicaſſe. Quibus dimiſsis, prima opinio probabilis eſt de tribus Paſchatibus, & duobus integris annis prædicationis. Ita Cyrillus Alexandrinus, Orig. Oroſius, Caſiod. Petavius *lib.* 12. Secunda opinio ponit quinque Paſchata, & quatuor annos ſolidos cum tribus menſibus prædicationis. Barradas, Suarez, Pererius, Salianus, Mariana, & qui ponunt vnum annum inter baptiſma, & nuptias in Canà Gallileæ. Tertia opinio communior eſt de quatuor Paſchatibus, & tribus annis ſolidis prædicationis cum ferè tribus menſibus. Chronicon Alexand. Epiph. Euſeb. Theod. Abul. Salm. & Ricciolius. *Quarta* controverſia eſt circa anticipationem, vel poſtpoſitionem in Paſchate celebrando: prima opinio eſt Græcorum, ſcilicet, quod Chriſtus pridie ante Paſcha illud celebraverit. Orig. Epiph. Chryſoſt. Alij Chriſtum legitima die celebraſſe Paſcha, quia Iudæi illud poſtpoſuerant vnò die. Gagneius, Ianſenius, Catharinus, Maldon. & Mariana. Alij dicunt probabilius ex copia Doctorum Chriſtum ſimùl cum Iudæis Paſche eadem die legitimà celebraſſe. Ambroſ. Auguſt. Nacianz. Theoph. Theodoret. Cyprian. Anſelm. Abul. Toletus, Suar. Barrad. Salianus apud, & cum Ricciolio *tom.* 1. *lib.* 8.

51 *Quinta* controverſia eſt de Triduo mortis Chriſti, in quà ex communi ſenſu Eccleſiæ, & vnanimi ſenſu Patrum mortuus eſt Chriſtus ſexta feria, & Reſurrexit die Dominica: quomodo autem verificetur Triduum in corde terræ Nos exponimus in quæſtione de hac re ſpeciali, quam in hac noſtra Paleſtra diſcutimus ex communi Doctorum, vel nimis probata ſententia. Hieron. Auguſt. D. Thom. Suar. Gaſpar Sanchez in *cap.* 2. Ionæ, & alij in Matth. 12. *Sexta* controverſia eſt de die mortis Chriſti, circa quem iuxtà Ricciolium deficiunt regulæ certæ ad determinandum, & ideò multiplex eſt opinio. Epiphanius cenſet mortuum die 20. Martij. Theophilus Cæſarienſis, Anſelm. Cedrenus, Bellarm. & alij die 23. Iacobus Mazzonus, & fere Baron. die 24. Authores plurimi, cum priſcò vulgi conſenſu die 25. Martij. Victor Lemovicenſis, & Onuphrius Panvinius die 26. Heruartus, ex Græco codice manuſcripto die 29. per hæc verba: *Chriſtum ex virgine natum in Bethleem* 25. *Decembris hora diei ſexta, baptizatum anno ætatis* 30. *die* 11. *Ianuarij hora* 10. *nocte. Manſiſſe in hac vita annos* 33. *menſes tres: affixum eſſe Cruci die* 29. *Martij hora diei ſexta; Reſurrexiſſe prima die Aprilis hora noctis ſexta: ſublatum in Cœlum die* 3. *Maij hora diei* 9. Ita apud Ricciolium *tom.* 1. *Chronolog. lib.* 8. *cap.* 10. Gerardus Mercator ait, mortuum fuiſſe die 2. Aprilis: & Lucas Antonius Rodulphus die 6. Sed quod ex Ricciolio probabilius, & pænæ moraliter certum eſt, eſt mortuum fuiſſe die 3. Aprilis. Ita Abulenſis, & Ioannes Mariana de die mortis Chriſti. Lucidus, Rogerius Bachon. alij vt Monte-Regius die 11. Aprilis, & apud Marcellum Francolinum etiam ponitur die 16. Aprilis. Sed vt dixi, die 3. Aprilis videtur certior. *Septima* controverſia eſt de anno Paſsionis, & mortis Chriſti, in quà, dimiſsis placitis, alijs probabilibus; alijs verò ſecùs, videndis apud Snarez *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 40. §. 1. Quæ ponit Chriſtum mortuum anno 33. Olymp. 202. anno Iuliano 78. & Tiberij 19. nobis cum Ricciolio probatur.

52 Attactis igitur, & prælibatis Chronologicis controverſijs, quæ circà Chriſtum Dominum Redemptorem noſtrum communiter diſputantur, etiam oportet eas, quę circà Sacratiſsimam Virginem Mariam promoveri

ri ſolent, indicare. Igitur primò circà Conceptionem Beatiſsimæ Virginis Mariæ quoad diem, tùm extraditione Eccleſiæ, tùm ex duplici revelatione Abbatis Helſinij, & Beati Amadei Confeſſarij Sixti IV. fuit dies octava Decembris. Quoad annum verò Conceptionis ſimul, & Nativitatis reperitur modica controverſia, ſcilicet, fuiſſe annum Iulianum 28. vel 29. & decimũ ſextũ, vel 17. ante Epocham Chriſti. Evodius, Baron. Caniſius, Salianus, Salmeron. Secundò, de ſui *Præſentatione* traditur facta die 21. Novembris anno 3. completo, & die 74. cumque nota fuiſſet anno 16. ante Epocham Chriſti ex Ricciolo, præſentata eſt anno 13. Tertiò, quo ad *Annuntiationem* poſito anno Chriſti Nativitatis, & Incarnationis, ſatis fit conſtans apud Ricciolum Annunciationem B.V. Mariæ, & Incarnationem Domini factam fuiſſe anno 45. Iuliano primo ante Epocham Chriſti, ætatis verò Deiparæ anno 14. completo, menſe 6. etiam completo, & diebus 22. die 25. Martij, feria 6. Quartò, *Viſitatio.* Beatæ Mariæ Virginis iuxta Ricciolum fuit anno 45 Iuliano, menſe Martio exeunte, vel neunte Aprili; licet Eccleſia celebretin die ſecunda Iulij potius complenentum Viſitationis poſt Nativitatem Baptiſtæ, quando reverſa eſt Maria tribus ferè menſibus, vel quaſi trius apud Eliſabetham diverſata. Quinto, *Purificatio* Deiparę facta eſt an. 46. Iuliano, & primo Epochæ Chriſi die ſecunda Februarij feria 5. Sextò, le *Aſſumptione* Deiparæ, & annis vitæ ipſius, alij dicunt vixiſſe annos 49. Petrus de Natalibus, & Volaterranus, revelationeſque non ita firmæ. Alij 59. annos Evodius, Nicephorus, Hevartus. Alij 63. Euſebius, Onuphrius, Salmeron, & Beata Birgita. Alij 72 annos Epiphanius, Caniſius, Laurntius Marcellus, Georgius Cedrens. Alij probabilius, vixiſſe ſeptuagita annos ſolidos, menſes 11. dies 3. & Aſſumptionem incidiſſe in feriam primam, ſeu Dominicam, mortem autem, in feriam ſextam die 13. Auguſti. Ricciolius *tom. 1. lib. 8. cap. 14. concluſ. 7.* Atque licet hic nonnulla indicari poſſent de Genealogia Chriſti Domini, Beatæ Mariæ Virginis, & Ioſephi; cum eas attingamus in varijs quæſtionibus huius Palæſtræ Biblicæ, nihil hic interſerimus, ſed remitimus Lectorem ad duos Viros Societatis noſtræ in hac re vberrimos, quorum primus eſt Pater Poſsinus, apud Papebrochium in vita S. Ioachim in hac re ſingularis, & Pater Ricciolius, qui copioſè rem tractat *tom. 1. ſuæ Chronolog. lib. 8. cap. 17. vſque ad* 20. in quo agit de Prophetia ſceptri Iudæ, de qua etiam nos quæſtionem integram inſtituimus.

53 Sequitur nunc ex ordine vt de nonnullis annis etiam poſt Paſsionem Chriſti Domini controverſis, paucula delibemus, vt totius Chronologicæ diſputationis notitia ſit magis abſoluta, & comprehenſa. In quo generatim præmitendum eſt diſcrimen, quod obſervabitur in his annis inter Chronologos Ricciolium, Baronium, Tirinum, Onuphrium, Cornel. in Chronotaxi ad Acta Apoſt. manare quidem ex alijs punctis controverſis iam inſinuatis, ſcilicèt, de concurrentia Nativitatis Chriſti cum Vulgari Epocha Chriſtianorum, quam Ricciolius aurumat concurrere cum anno primò Chriſti nati ante Kalendas Ianuarias; vndè talis Vulgaris Epocha incipit, ſecus verò alij. Item de diſcrepantia annorum plurium, & pauciorum, qui prædicationi Chriſti adſcribuntur. Prima controverſia eſt de tẽpore converſionis Sancti Pauli, & eam ponit Ricciolius anno ſecundò poſt Paſsionem Domini, & 35. à Nativitate Chriſti. Sed Baronius, & Cornelius, ac Tirinus ponunt anno 36. & Tirinus cum vocat annum 3. à morte Chriſti. Secunda controverſia eſt de tempore diviſionis Apoſtolorum in Provincias, de qua Gaſpar Sanchez, & Caſtrus fuiſſe dicunt,

cunt, ſtatim à Pentecoſte. Baronius, & Lorinus ad annum Chriſti 44. Ricciolius ponit factam anno Chriſti 36. quarto ab eius Paſsione, & ſecundò poſt converſionem Pauli iam currente. Tertia controverſia eſt de Sede Anthiochena D. Petri, quam ipſo anno 36. ponit Ricciolus, & ex parte conſentiunt Baronius, & Petavius: diſſentire autem videtur Onuphrius, ſed minus rectè, vt notat ipſe Ricciolius. Quarta eſt de anno Decollationis Iacobi, & vinculis Sancti Petri. Baronius, Petavius, & Tirinus vtrumque ponunt eodem anno 44. Chriſti. Ricciolius verò diverſo anno, & etiam Onuphrius, ita vt Decollatio fuiſſet ann. 41. Chriſti. Et Petrus incarceratus ann. ſecundo Claudij, vel 42. Chriſti. Quinta eſt de primo adventu Petri Romam, eiuſque Cathedra, quem veniſſe multò ante Paulum, eſt conſenſus Conciliorum, Patrum, & Pontificum: vndè corrigendi ſunt Spalatenſis Epiſcopus, & Caſsiodorus in deſignando Conſules illius temporis. Item Onuphrius, qui ponit annum tertium Claudij, fortaſſe quia poſt ſex dies imminebat initium anni tertij. Sexta eſt de tempore primi Concilij Hieroſolymitani, quod fuiſſe anno ſexto Claudij, ait Onuphrius, qui valde diſplicet Ricciolio. Alij cum Hieronymo ponunt anno 12. Claudij. Baronius, verò, Petavius, Cornel. Tirinus, & Ricciolius probabilius collocant anno 9. ipſius Claudij. Septima eſt de anno Sancti Pauli deducti Romam. Euſebius vult eſſe ſecundum Neronis, Baronius autem, & Cornelius tertium, & Tirinus qnartum. Octava eſt de tempore mortis Petri, & Pauli Apoſtolorum. Epiphanius anno 12. & ferè Caſsiodorus refelluntur. Ad annum 13. ponit Baron. Onuphrius, & Cornel. ad 14. Euſebius, & Nicephorus, & vtroſque conciliat Petavius. Nona eſt de Epiſcopatu, & Martyrio Sancti Iacobi Minoris, ac Sancti Marci. Hieronymus, & Euſeb. martyrium Iacobi ponunt ſeptimo ann. Neronis. Tirinus verò ann. octavo, & hoc etiam anno mortuum ponunt Sanctum Marcum Hieron. & Euſeb. Ricciolius ponit Epiſcopatum Iacobi ad triginta annos inchoatos, & etiam occiſum anno octavo Neronis. Decima eſt de annis Sancti Ioannis Apoſtoli. Hieronymus ponit relegationem in Pathmos anno 14. Domitiani, & Euſeb. Baronius verò cum Cornelio anno 10. Domitiani ſed Apocalypſim ad vltimum, aut penultimum Domitiani annum reijcit. Petavius relegationem anno 13. & Apocalypſim 14. Tirinus verò relegationem anno 10. & Apocalyſim anno 14. Vndecima eſt de anno Martyrij Sancti Dionyſij Areopagitæ. Metaphraſtes, & Methodius ponunt fuiſſe ſub Domitiano. Michael Syngelus apud Lyppomanum ſub Traiano. Ricciolius verò cum alijs ſub Adriano. Duodecima verò controverſia eſt de ſucceſſoribus D. Petri, in qua Baronius ad annum Domini 69. evincit Petro, Linum, Lino, Cletum (alias Anacletum) Cleto, Clementem in Pontificatu ſucceſsiſſe. Cumque aliæ controverſiæ hinc vlterius iam deſcendentes potius ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, quam ad Biblicam pertinere, videantur, hic peroportunè reſecabuntur. Et hęc de diverſitate, & multiplicitate Epocharum Chronologorum, punctorumque, quæ apud ipſos controvertuntur.

54 Hæ omnia, quæ in toto hoc tractatu de re Chronologica hucuſque tetigimus idò ſunt tacta, vt non ſemel inſinuaimus; tùm vt in opere Biblico, in quo, quaſi vniverſalis quidam conficitur apparatus ad diſcendum, expoendum, tractandum, diſputandumve Sacras Scripturas, non omninò deſſet notitia rei Chronologicæ, à qua nimis multa pendere videntur: tùm vt ex ijs ſatis poſsit conijci vaſitas, lubricitas, & immenſitas, conficique proinde poſſet Antidotus, ne quis præſertim in exordijs plus iuſto longius in re huinſ-

iuſcemodi velificetur. Idcircò, quæ hactenus data ſunt, potius ad hunc ſecundum finem famulabuntur: quippè in quibus conſtet de ipſa rei obſcuritate, de multiplici tenore ſupputationis, de varietate Epocharum de diſcrepantia perpetua Chronologorum, de cauſis plurimis, & iuſtis ad ſic diſcrepandum, de multimodis punctis controverſis, quæ ad annorum calculos referuntur, ac denique de impoſsibilitate citrà Divinam revelationem vnius tutæ, firmæ, atque compertæ Chronologiæ, ita vt quantùmcumque de integra Chronologia deinceps adlaboretur, nihil res lucubrata nanciſci amplius poſsit præter iura probabilitatis, quandoquidem rebus iam altè diſcuſis, conſtabilitiſque iam pridem per Eccleſiam, Concilia, & Patres verſionibus, vix vnquàm poterit ipſa Eccleſia contraire. Ad primum autem finem ex nuper dictis ſpectare videtur, vt per modum Antidoti ea noſtro Propugnatori Biblico hic præſcribatur Chronologia, quæ neque futura ſit minus, neque plus quam oportet, vt Palæſtra Biblica legitimè tranſigatur. Quamobrem tria poſtmodum dabimus huic argumento famulatura. Primum, varias Chronologias, & Chronotaxes particulares ex optimo Authore Ricciolio ſuppeditabimus: quippè ad intelligentiam ſcripturarum iuvatura ſunt plurimum, & ab ipſis inſuper non pauca Dubia Chronologica dirimuntur. Secundum, optimorum Doctorum placitis oſtendemus quam non ſit quis incautè immergendus in vaſtum, ſcopuloſumque mare Chronologiæ, adiecta inſuper compendioſa de voluminibus Sacris Sacra Chronologia quæ minus ſit litigioſa, & cuius calculis tutiùs, & tenaciùs adhæreſcat, quoties de numeris annorum habenda ſit diſputatio. Tertium denique, ne fortè videamus fugere difficultatem tradendæ vniuerſæ Chronologiæ, neque viridarium hoc noſtrum Biblicum hac planta privetur; adijciemus Chronologiam Vniverſalem breviſsimam, clariſsimam, probatiſsimam, prout nobis viſum eſt, poſtquàm non paucas Chronologias evoluimus, in qua in primis habebimus, quod Lectorem inſtruat, & non obruat, deinde quod quæſtionibus principalibus Chronologiæ, quas Nos tractavimus, ductu annorum exactiſsimò accommodetur. Ea igitur erit, quæ ex optimis Authoribus deſumpta, adiecta eſt ab Emminentiſsimo noſtro Bellarmino ad calcem eruditi ſui libelli de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & probata eſt à noſtro Ricciolio Authore in hac re ſingulari, & quam video vſque ad ſolemniſsimum nobis Domini noſtri Ieſu Chriſti annum primum receptam, non minus quam à celeberrimo noſtro Petavio in doctrina temporum certè clariſsimo, & à noſtro Theophilo Rainaudo emunctæ naris homine, & viro inter eruditos oppidò ſingulari in ſua Critica Sacra. Vt ſi quis in re Chronologica velit vniverſaliores calculos adire, eoſque ſurſum, ac deorſum verſare pro temporis, loci, ætatiſque oportunitate; nec deſit res, quanta ſit ſatis, neque vllus ſit calculus, qui probabilior appareat. Itaque quotieſcumque in publicis Theſibus de Dubijs Chronologicis pertentur, poterit rotundè, & intrepidè ad hanc tutam Chronologiam permiſſivè, & remiſsivè confugere, dum citrà, vel vltra numerum annorum, quo precisè diſputat, extrahatur.

CAPUT SETVUM.

DE VARIA, ET MVLTIPLICI CHRONOLOGIA, & Chronotaxi particulari.

55 INter Chronologias, & Chronotaxes particulares, quæ ad perſpicuam intelligentiam Scripturarum ſolent conducere, prima eſt de tempore, quò vixit Sanctus Iob, circà cuius ſtirpem duæ ſunt opinio-

nes,

nes, iuxta quarum diverſitatem taxandum erit tempus, quo vixit. Altera eſt aliquorum Hebræorum, Sancti Hieronymi, Ruperti, & aliorum credentium fuiſſe de ſtirpe Nachor fratre Abrahami. Alia verò eſt Auguſtini, Origenis, Chriſoſtomi, Theodoreti, Gregorij Magni, & Turonenſis cum Pererio, Abulenſi, Pineda, Saliano, Petavio, Tirino apud, & cum Ricciolio *tom.* 1. *Chronolog. reformatæ, lib.* 6. *cap.* 5. opinantium communius, & probabilius Iob eſſe Idumæum, & de ſtirpe Eſau. In qua quidem opinione natus videtur anno 36. aut 40. poſt fugam Iacobi nempe 277. ab Abraham, vel ſi tardius, & anno 54. poſt illam fugam natus fuerit, anno 291. quo Iacob migravit in Ægyptum. Secunda hiſtoria vaga eſt hiſtoria Tobiæ, qui ex Tribu, & Civitate Nephtali ductus fuit in captivitatem per Salmanaſar Regem Aſſyriorum anno 6. Ezechiæ Regis Iuda, & nono Oſeæ Regis Iſrael, vt confirmati ab Iſraelitis; (alioqui enim erat 17. ab occiſo Phazè) vnde Tobias ſenior in ea captivitate vixit pluſquam annos 46. iuxta Textum Tobiæ 14. nam in ea viſum amiſit, & poſteà recuperavit: quare iuxta Ricciolium captivatus eſſe videtur anno 721. ante Chriſtum. Salianus verò, & Serarius hoc anno, qui fuit 3276. ab Orbe condito putant fuiſſe Tobiæ ſenioris nativitatem. Secunda verò ſubverſio Ninive, à quo, & quando acciderit, non conſtat inter Chronologos.

56 Tertia hiſtoria vaga eſt de tem-
„ pore Iudith. Pro quo ſciendum eſt
„ ex P. Ricciolio quod Nabuchodono-
„ſor ille rex Aſſyriorum, qui regnabat
„in Ninive, quique miſit Holofer-
„ nem contra Iudæos, vt narratur in
„ Libro Iudith *cap.* 1. & 2. proba-
„ biliter fuit ſucceſſor ille Aſſarhado-
„ nis quem *lib.* 5. *cap.* 4. in fine dixi-
„ mus regnaſſe annos 13. & *cap.* 6.
„ cæpiſſe regnare anno ante Chriſ-
„tum 698. & mortuum eſſe anno 685.
„ nempe anno 12. Manaſsis Regis ius-
„ dæ. Itaque Iudith factum ad hos an-
„ nos intermedios pertinet ideſt poſt
„ 698. & antè 685. ante Chriſtum.
„ Fuiſſe autem Nabuchodonoſorem
„ hunc circà primos annos Manaſsis,
„ conſentiunt Serarius in Iudith. Pe-
„ tavius *lib.* 12. *cap.* 26. Salianus an-
„ no mundi 3340. *num.* 12. & 3344.
„ *à num.* 4. & apud eum Salmeron.
„ Tirinus in Chronico Sacro *cap.* 33.
„ Turſellinus *quæſt. vlt.* Chronol. Gor-
„ donus *cap.* 10. Chron. Bellarmi-
„ nus *lib.* 1. *de Verbo Dei, cap.* 12. ibi-
„ que Gretſerus, Pererius *lib.* 1. *in*
„ *Danielem*; ſed fuiſſe vnum de ſucceſ-
„ ſoribus Aſſarhadonis (non autem
„ Merodachum cum Petavio, Sera-
„ rio, ac Tyrino.) Non habeo tamen
„ quo repugnem Saliano cædem Ho-
„ lofernis conſignanti anno 7. Manaſ-
„ ſis, qui Nobis fuit annus 691. an-
„ te Epocham Chriſti ex conſtitutis
„ *cap.* 8. aut Petavio, qui anno 10.
„ Manaſsis id notat, quique nobis eſt
„ annus 688. ſed non poſſumus aſſen-
„ tiri Tyrino, qui ad 15. Manaſsis hæc
„ refert, nam fuiſſet annus 684. ante
„ Chriſtum, quando iam mortuus erat
„ Nabuchodonoſor ille. Sic eligemus
„ annum Manaſsis 8. & ante Chriſtum
„ 690. & Iuditham viduam quidem,
„ ſed adhùc florenti, & pulchro aſpec-
„ tu puta annorum 40. Nata ergo fuerit
„ anno 730. ante Chriſtum, & cum
„ vixerit annos 105. *ex cap. vlt.* Iudi-
„ thæ; obierit anno 646. ante Chriſ-
„ tum. Fundamenta tamen eorum,
„ qui volunt Iudithæ trophæum fuiſſe
„ poſt captivitatis Babylonicæ ſolutio-
„ nem vide apud Salianum ſoluta. Tan-
„ tum monemus eundem Regem fuiſ-
„ ſe Aſſyriorum ſimul, & Babylonio-
„ rum.

57 „ Quarta cauſa vaga eſt Eſ-
„ ther tempus. Hoc ex Mardochæi
„ tempore fruſtrà inquiritur, quod
„ enim dicitur Eſth. 2. *num.* 5. *Erat*
„ *vir Iudæus in Susâ Civitate vocabulo*
„ *Mardochæus filius Iair, filij Semei,*

filij

„ *filij Cis de ſtirpe Iemini, qui translatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam Regem Iudà Nabuchodonoſor Rex Babylonis tranſtulerat*: Non de translatione ipſius Mardochæi, ſed ipſius *Cis*, qui fuit proavus Mardochæi intelligitur à pleriſque. Quod certum eſt ex *lib.* Eſtheris, & Regem eius maritum fuiſſe *Aſſuerum*, qui regnavit ab India vſque Æthyopiam ſuper centum viginti ſeptem Provincias, & fuiſſe in primis Regem Perſarum, & Medorum, vt habetur *cap.* 1. & Eſther ductam fuiſſe ad Thalamum *Regis Aſſueri menſe decimo qui vocatur Thebeth ſeptimo anno regni eius* vt habetur *cap.* 2. *num.* 16. & ſtatim aſſumptam fuiſſe in reginam loco Vaſthi ibidem *num.* 18. & eumdem Regem Artaxerxem cognominatum ex *cap.* 16. Antea *cap.* 3. *num.* 7. memoratur annus 12. *Regni Aſſueri*, vnde excluditur Cambyſes qui regnavit ſolum annos 7. & menſes 5. & Xerxes II. qui menſes 2. Nulla verò inter diverſas opiniones probabilior eſt, quam quæ pro marito Eſtheris agnoſcit *Artaxerxem Longimanum*, quem cæpiſſe regnare ſolum anno 465. ante Epocham Chriſti, oſtendimus *lib.* 5. *cap.* 7. ideòque annus eius 7. & initium Reginæ Eſther fuit annus 459. nam & nomen convenit, & benevolentia Regis in Iudæos, & veri Dei cognitio, & ſimilitudo morum, & commoratio in Perſide, & regni diuturnitas. Ita Ioſephus *lib.* 11. *Antiq. cap.* 6. Sulpicius Severus *lib.* 2. hiſt. Nicephorus Conſtantin. in Chronico, Ludovicus Vives in *cap.* 36. *lib.* 18. *de Civitate Dei*, Suidas verbo *Eſther*, Zonaras, Sabellius Enneade 3. *lib.* 3. Caietanus in Eſther, Bellarminus *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. Henricus Philippi in manuali Chronol. vbi de Eſthere, Menochius *in cap.* 1. Eſtheris, Petavius *lib.* 12. *de Doctrina Temporum cap.* 27. & 28. Salianus ad annum Mundi 3590. vbi diligentiſsimè exhibet aliorum opiniones, & fundamenta earum, ſicut & Petavius, & ſubvertit. Dilatum verò fuit ſecundùm convivium nuptiale in annum 7. Regis huius, quia ante hunc annum debellandi fuere quidam rebelles per Artabazum, & Megabyzum eius Duces, vt colligitur ex Diodoro, & Thucydide, & idcircò annum hunc 7. non numeramus in primo eius initio, quo cæpit vivente patre regnare.

58 Indicatis iam in veteri Teſtamento hiſtorijs, quarum de tempore non ita conſtans eſt opinio Doctorum, ſequuntur inſuper nonnullę Chronologiæ particulares, in quibus particularis etiam ineſt Chronologica Diſputatio, & vnde non parum pendet recta ſupputatio Chronologiæ. Igitur prima Chronologia ſatis obſcura ſupra inſinuata eſt de tempore ab egreſſu Ægypti vſque ad fundationem templi: quæ quidem obſcuritas ortum habet tùm ex Textibus Scripturæ, ſcilicet, ex toto libro Iudicum, ex *lib.* 3. *Regum cap.* 6. & *ex Act. Apoſt. cap.* 13. ex varietate Authorum, nam Ioſephus, Sulpitius Severus, Beda, & Clemens Alexandrinus nimis variant, quatenùs licet Sacra Scriptura *lib.* 3. *Reg. cap.* 6. expreſsè ponat 480. annos ab egreſſa Ægypti vſque ad fundationem templi; nihilominus apud eos tempora ſervitutum quas paſsi ſunt Iraelitæ Iudicum tempore, faciunt rem ſatis confuſam, eo quòd videntur eſſe diſtincta à temporibus Iudicum ex ipſo textu; & tamen ex alia parte videntur non eſſe diſtincta, quia poſtmodum facta ſubductione annorum ſumma non congruit.

59 In hac re verè implexa nobiles Doctores cum ſelecto noſtro Riccioli *tom.* 1. *Chronol. lib.* 6. *cap.* 18. tradunt in eo loco Regum mendum aliquod Librariorum rem corrupiſſe. Ex altera verò parte doctiſsimus P. Vincencius Maſcarellus cum electo Doctorum manipulo ſibi ſuffragante

ſummopere averſatur, vt vel etiam de mero librariorum errore quidpiam in Vulgatam noſtram editionem aſpergat, vt latè ediſſerit *diſſert. 3. ſect.4.*

60 Porrò P.Ricciolius ad primam meditationem fovendam, ſtabiliendamque Catalogum texit de varietate ſupputationum, atque Doctorum, quo quidem non ita diſſonum fiat, vt pro retinendis textibus ipſius Vulgatæ ſumma annorum, quæ exinde colligitur, excreſcat ſuprà eam, quæ inibi exprimitur. Eſt ergo Catalogus qui ſequitur.

61 Igitur in proſpectu huius Catalogi, & paradigmatis non poterit, non multum innoteſcere huius ætatis difficultas implexa.

CATALOGUS.

	Anni.
AB EXODO AD TEMPLI FUNDAMENTA.	
Septuaginta Interpretes, 3. *Reg.* 6. in aliquibus editionibus.	440.
In alijs.	480.
Vulgata, & Hebr. codices, Euſeb. & alij adducti, *num.*5.	480.
Aimoinus, *lib.*4. de geſtis Francorum.	489.
Beda, retract. in Acta Apoſt. *cap.*13.	490.
Anteà, ibid. ex datis ab ipſo.	520.
Et additis ſervitutibus.	631.
Rufinus in parva transl. Ioſephi, eumque ſequuti Hugo, & Chartus *in* 3. *Reg. cap.*6. ac Sabellicus Ennead. 1. *lib.*9.	502.
Sigonius ex Sulpitio Severo malè intellecto.	510.
Petavius, & Poſsinus ex datis, *num.*8.	520.
Septuaginta Interpr. in edit. Germanica.	540.
Tirij apud Theophilum, *lib.*3.	560.
Clemens Alexandr. *lib.*1. *Strom.*	567.
Melchior Cano ſine Ioſue annis.	574.
Ricciolius, *à num.*10.	580.
Sulpicius Severus, *lib.*1. *Hiſt.*	588.
Sed ex datis ab ipſo.	590.
Ioſephus Hebr. *lib.*8. *cap.*2. *& lib.*10. *cap.*11.	592.
Sed ex datis ab ipſo ſine Thola.	597.
cum Thola.	620.
Theophilus Antiochenus, *lib.*3.	602.
Ioſephus in quibuſdam codicibus apud Abulenſem 3. *Reg. cap.* 6. *quæſt.*4. & Pinedam, *lib.*5. *cap.*5. *de rebus Salomon.*	612.
Nicephorus Conſtantinopolitanus.	634.
Cedrenus *in Hiſtoria Eccleſ.*	672.
Philaſtrius 3. *part. hæreſi* 63.	713.
Quidam apud Nicephorum.	757.

62 Ex qua quidem varietate ſupputationum, & verbis noſtri Ricciolij; ipſi cum cæteris *Authoribus*, *ſi qua eſt*; *ſuam* probabilitatem relinquo. Ego verò cenſeo ſtandum eſſe verſioni Vulgatæ: tùm quia verſiones ſatis in eo numero concordant, vt Maſcarellus obſervat: tùm quia argumenta non cogunt indè diſcedere; verùmtamen ſtando preciſo numero Vulgatæ, animadverto à noſtris ingenioſis Petavio, & Poſsino ita rem ingeniosè tractari, vt quantumvis diſtinguendi ſint anni ſervitutum ab annis iudicum; non tamen ideò peccet numeratio Vulgatæ, etſi plures anni ſuperſint: quia videlicet,

anni

anni 480. numerandi ſunt ab egreſſu Ægypti, non quidem inchoato, ſed completo; cumque hæc Exodus duraverit per quadraginta annos, conficiuntur omninò 520. & ita omnia componuntur. Hanc cogitationem verè ingenioſam, & de talibus Authoribus luculentam luculenti alij etiam Authores de glorioſa noſtra Societate ſatis exarmant, videlicet, Ricciolius, & Maſcarellus: quorum poſtremus in ſua *diſſert.* 4. de hoc puncto locupletiſsima, & extrà quam vix erit deſiderare quod cupias, nedum elevat fundamenta Petavij, ſed eam ſententiam amplectitur, & propugnat, quæ aſſerit annos præciſe 480. eſſe numerandos ab exitù Iſrael de Ægypto inchoato vſque ad fundamenta templi. Quam ſententiam mirificè promovet, & tanta eruditione reſpergit, tam ſedulaque diſcuſione pertractat, vt nihil nobis relinquat, niſi gratias agere; & lectores eò remittere; cum ea quoque ſit, quæ in Chronologia noſtri Bellarmini poſtmodum danda, à nobis exhibetur cum eò ſolo diſcrimine, quod Ioſue vſque ad Othonielem principatus fuerit decem, & ſeptem annos iuxtà Maſcarellum; iuxtà Bellarminum autem Ioſue præfuerit per viginti annos, & poſteà alios decem duraverit interregnum. Quæquidem Maſcarelli ſententia eſt celeberrima, tùm ex textu ipſo, tùm ex plurimis Authoribus, vt ſunt Iſidorus, Petrus Comeſtor, Hugo, Lyra, Abulenſis, Genebrardus, Ariaſ-Montanus Chronologia maior Hebræorum per Iudæum quemdam Salmanticenſem elaborata, Marianus Scotus, Gordonus, Samerius, Torniellus, Salianus, Barradius, Sancius, Cornelius, Spondanus, Henricus Philippi, Tirinus, Langius, Turſelinus, Rivera, & Bellarminus apud Ricciolum loco citato. Dum autem arguitur ex textu dicente, *quieviſſe terram*, v.g. quadraginta annis ſub Othoniele; etiam ibi, & alibi intelligenda eſt etiam quies in ſervitute, vt graviter argumentatur Maſcarellus cum Saliano, Turſelino, & Rivera.

63 Secunda Chronologia, & Sintaxis Regum Iudà, & Iſrael nedum in ſe, ſed etiam collata cum libris Paralipomenon plures claudit difficultates, quæ propter rationes à nobis tactas extrà inſtitutum noſtrum eſt, eas ſigillatim expendere; eas verò ex vnò præclaro Authore hic offerre concoctas, ita vt vnò intuitu oculorum in Tabula diſcernantur, vtile erit: cum enim ea coordinatio non niſi valdè ſolidè per Ricciolium noſtrum conſtructa ſit; deſervire poterit propugnatori Biblico, vt ſi fortè in Chronologia vniverſali Bellarmini poſteà danda, minus faventem numerum deprehendat, hinc illum mutuet, ſi ſors obtulerit, quoties in particulari certamine aliqua propoſitio ſupputatoria ad Regum ſeries accedat: nam hic anni exhibentur, tàm in Regibus Iudà, quàm in Regibus Iſrael multum diſcriminati, atque diſtincti, vt difficultates inſurgentes poſsint aliquomodò ſuperari, & per has Syntaxes conſtrui hiſtoria.

64 Sequitur iam paradigma, & Syntaxis omnium Regum Hebræorum.

An. Ante Chriſtum.	SYNTAXIS TEMPORIS Regum Hebræor.	SYNTAXIS TEMPORIS REGUM Hebræor.
	REGES IUDÆ.	*REGES ISRAEL.*
	Annus.	*Annus.*
1075.	1. Saul cum Samuele 18. ſolus. 2. Regnat.	
1055.	1. Davidis, regnavitque anno 40.	
1015.	1. Salomonis Primus, regnat anno 40.	

1012.	4. Templum fundatum anno 4. Salomon.	
975.	1. Roboami: regnat annos 17.	1. Ieroboami regnat annos 22. vix inchoatos.
958.	1. Abiami regnat annos ferè 3.	18. Ieroboami cum I. Abiami concurrens.
955.	1. Asæ regnat ann. 41.	20. Ieroboami exeunte.
954.	2. Asæ concurrens cum I. Nadabi.	1. Nadabis regnat ann. I. & aliquantò plus.
953.	3. Asæ concurrens cum I. Baasæ.	1. Baasa regnavit ann. 25. & aliquantò plus.
930.	26. Asæ concurrens cum I. Elæ.	1. Ela regnavit ann. I. & aliquantò plus.
929.	27. Asæ concurr. cum I. Zamri	1. Zamri regnavit dies 7.
929.	27. Asæ concurrens cum I. Amri.	1. Amri electi ab exercitu regnat annos 12.
925.	31. Asæ concurrens cum I. Amri solius.	Thebni mortuo, Amri solus, & pacificè.
917.	38. Asæ exiens, & concurrens cum I. Achabi.	1. Achab regnat ann. 22. fere.
914.	1. Iosaphati regnat 23. solus, & 25. omninò, id est 2. vltimos cum filio.	4. Achabi concurrens cum I. Iosaphati.
896.	17. Iosaphat exeunte.	1. Ochoziæ filij Achab regnat ann. I. & aliq; plus.
895.	18. Iosaphati concurr. cum I. Iorami.	1. Iorami filij Achab regnat fere 12.
891.	1. Iorami filij vivo Patre, cum quo 2. & deindè solus 6. annos regnat.	5. Iorami concurrens cum I. Iorami Iudæ.
889.	Iosaphati mors. I. Ioram solus.	
884.	1. Ochoziæ regnavitq; ann. 1.	12. Iorami concurr. cum I. Ochoziæ.
883.	1. Athaliæ Reginæ regnavit annos 6.	1. Iehu regnavit 28. ann.
877.	1. Ioas regnavit ann. 40.	7. Iehu concurr. cum I. Ioas.
855.	23. Ioas concurr. cum I. Ioachaz.	1. Ioachazi regn. solus fere ann. 15. & duos adhuc cum filio.
841.	37. Ioas concurr. cum I. Ioas.	1. Ioas vivo adhuc Patre.
839.	39. Iosias concurrens cum I. Ioasi iam solius.	1. Ioas solus regnat annos 14.
838.	1. Amasiæ annos regnat 29.	2. Ioasi solius concurr. cum I. Amasię.
	REGES IUDÆ.	*REGES ISRAEL.*
	Annus.	*Annus.*
824.	15. Amasiæ concurr. cum I. Ieroboam II.	1. Ieroboami II. regnat annos 41.
809.	Amasiæ mors, succesio Zachariæ, à qua computantur anni 52.	16. Ieroboami concurr. cum morte Amasiæ.
798.	1. Azariæ in Trono collocati.	27. Ieroboami concurr. cum Enthroniſmo Azariæ.

38. Aza-

783.		Ieroboami mors,& interregnũ an. XI.
772.	38. Azariæ concurr. cum I. Zachariæ.	1. Zachariæ regnavit menſes 6.
771.	39. Azariæ ineunte.	1. Sellum regnat menſem 1.
771.	39. Azariæ inito.	Menahem regnat ann. 10.
761.	50. Azariæ inito.	1. Phaceiæ regnat ann. 2.
759.	52. Azariæ, & vltimo.	1. Phaceiæ regnavit ann. 20.
758.	1. Ioatham regnat 16. ſolus, cum filio 20. ann.	2. Phaceæ concurrens cum I. Ioathami.
743.	1. Achaz vivo Patre incipit.	17. Phaceæ concurr. cum I. Achazi.
737.	Ioathami mors, Achaz ſolus ann. 14. regni.	20. Phaceæ occiſi ab Oſea.
729.	12. Achazi concur. cũ I. Oſeæ.	1. Oſeæ acceptati pro legitimo Rege.
726.	1. Ezechiæ concur. cũ 6. Oſeę.	6. Oſeæ concurrens cum I. Ezechiæ.
721.	6. Ezechiæ concurr. cum 9. Oſeæ.	9. Et vltimo. Oſeæ.

65 Cùm in ſuperiori Syntaxi non recenſeantur omnes Reges Iudæ ſubijcitur ſequens Chronicon Regum Iudæ, & Iſrael.

CHRONICON REGUM IUDÆ, ET ISRAEL.

Reges Iudæ.	*Regnav.*	*Init. Ante Chriſ.*	*Reges Iſrael.*	*Regnav.*	*Init. Ante Chriſ.*
David.	40.	1055.	Ieroboam.	21.	975.
Salomon.	40.	1015.	Nadab.	1.	954.
Salomonis IV.	37.	1012.	Baaſa.	23.	953.
Roboam.	17.	975.	Ela.	1.	930.
Abiam.	3.	958.	Zamri.	D. 7.	929.
Aſa.	41.	955.	Amri.	11.	929.
Ioſaphat.	23.	914.	Achab.	21.	917.
Ioram.	6.	889.	Ochozias.	1.	896.
Ochozias.	1.	884.	Ioram.	12.	895.
Athalia.	6.	883.	Iehu.	28.	883.
Ioas.	40.	877.	Ioachaz.	16.	855.
Amaſias.	29.	838.	Ioas.	16.	839.
Azarias, ſeù Ozias.	52.	809.	Ieroboam II.	41.	824.
Ioatham.	16.	758.	Interregnum annor. 11.	11.	783.
Achaz.	15.	741.	Zacharias.	M. 6.	772.
Ezechias.	29.	726.	Sellum.	M. 1.	772.
Manaſes.	55.	697.	Manahem.	10.	771.
Amon.	2.	642.	Phaceia.	2.	761.
Ioſias.	31.	640.	Phacee.	20.	759.
Ioachaz.	M. 3.	609.	Oſeæ legitimè.	9.	729.
IoaKim.	11.	608.	Regni finis.		721.
Ioachina, ſeù Iechonias.	M. 3.	598.	Duravit omninò	244.	
Sedecias.	11.	587.			
Excidiũ Regni, & Templi.					
Summa annor.	468.				

66 Post Chronologiam, & syntaxim Regum, sequitur ex ordine Chronologia syntaxisque Prophetarum, de quibus per ordinem dicemus, adnotando annum, quo eorum vnusquisque vixit ante Christum: licet non simus immemores, hanc ex Villavicentio *tom.* 2. nos aliter tradidisse. Cum tamen ex vna parte hæc varietas conculat eruditioni, & argumento nostro non noceat; ex alia verò oporteat hanc etiam ex Ricciolio, quem plerumque donamus, non præterire; ideò eam quoque in hoc loco libenter offerimus. Itaque I. Oseas anno 808. ante Christum prophetavit primus ex Tirino, & Saliano, cum Hieronymo, & Basilio *in cap.* 1. Isaiæ. Licet Ricciolius vt video doceat Ionam primum prophetasse. II. Ionas ex supradicto Authore antiquior est, quam Oseas, quia bis prophetavit ante ipsum, scilicet anno 864. & anno 823. ante Christum: quo componitur eumdem Ionam fuisse numerorum 4. *Reg.* 14. *& Ionæ* 1. *& Tobiæ* 14. iuxta versionem septuaginta. Vndè licet Rivera dicat præludio 2. Prophetas minores prophetasse eo ordine, quo sunt dispositi, & D. Hieronymus etiam dicat, *vnum Librum esse duodecim Prophetarum; in quibus autem tempus non præfertur in titulo, sub illis illos Regibus prophetasse, sub quibus, & illi, qui ante eos habent titulos, Prophetarunt*; intelligendum est in sensu affirmativo, non verò exclusivo alius temporis Prophetarum. Igitur excidium, de quo Tobias *cap.* 14. non fuit sub Sardanapalo, sed plusquam ducentis annis postea: vnde ex his duobus Prophetis Ionas prophetavit in tempore Ioas Regis Iudà primum, & posteà in diebus Oziæ Regis Iudà, & Ieroboam Regis Israel. Oseas autem ad annum secundum Oziæ Regis Iudà: quare admitendo quod dicitur, Ionam vixisse 84. annos, & quando prædicavit Ninivitis, habuisse 30. facile componitur, hos duos Prophetas fuisse contemporaneos. Quod dixerunt Hieronymus, & Eusebius. III. Ioel videtur prophetasse ex Saliano, & Ricciolio anno 797. ante Christum, vel sub Ozia iuxta D. Hieronymum, vel sub Ioatham iuxta Augustinum; licèt noster Castro sub Manasse, Vatablus verò sub Ioram fuisse pronuntient. IV. Amòs iuxta initium suæ prophetiæ observatum à Ricciolio prophetavit anno 785. ante Christum in diebus Oziæ Regis Iudà, & Ieroboam Regis Israel, qui fuit annus 25. Oziæ, licet Rivera, & Sancius quoddam ponant interrregnum inter Oziam, & Amasiam. V. Isaias de Christi Genealogia transversali natus est ex Saliano anno primo Oziæ, cæpitque prophetare anno 30. eiusdem, qui ex Ricciolio fuit 779. ante Christum, & prophetavit in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Iudà. VI. Abdias contemporaneus Isaiæ, & paulo post Amòs, & Ioel, prophetare incæpit iuxta D. Hieronymum. Fuere autem diversi, qui vocati sunt Abdiæ, de quibus Salianus anno 3255. num. 8. VII. Michæas non est ille, qui prophetavit tempore Achab 3. *Reg. cap.* 22. vt erroneè putavit Sixtus Senensis: fuisset enim centum annis ante Oseam. Sed ex Christophoro à Castro incæpit Prophetiam anno 10. vel 9. Regis Ioatham, qui ex Ricciolio fuit 746. ante Christum. VIII. Nahum prophetavit circa annum septimum Ezechiæ, qui est 720. ante Christum, vt tenet Ricciolius cum Serario, Rivera, Philippi, Saliano, Castroque nostro, licet aliter sentiant Iosephus, & Hebræi. IX. Abacuc prophetavit ex Saliano anno 19. Ezechiæ, qui iuxta Ricciolium fuit 708. ante Christum, & fuit distinctus Abacuc ab illo, qui 172. annis post hunc, regnante Cyro, tulit prandium Danieli: tametsi nos suprà ad lectionem certatoriam quam formavimus, *tom.* 1. non repugnavimus admittere eundem.

67 X. Sophonias creditur prophetasse in principio Iosiæ Regis Iudà

dà anno 640. ante Christum iuxta Ricciolium. XI. Hieremias incæpit anno 13. Regis Iosiæ anno 628. ante Christum, de quo Propheta accuratissimè scripsit noster Christophorus de Castro. XII. Baruch anno 5. Ioachimi, qui fuit ante Christum 605. iussu Hieremiæ prophetias, & minas ex ore Hieremiæ exceptas legit populo, & Principibus, vt patet ex Hieremiæ *cap.* 36. sed eadem posteà relegit, & inculcavit anno 5. transmigrationis in Babyloniam, vt patet ex *cap.* 1. Baruch. XIII. Ezechiel videtur prophetasse anno 601. ante Christum, qui fuit tricesimo ætatis suæ, vt sentiunt plures Sancti, & Doctores apud, & cum Ricciolio; etsi Hieronymus, Theodoretus, & Maldonatus videantur computare annum tricesimum memoratum ab Ezechiele ab anno decimo octavo Regis Iosiæ: Quo repertum fuisse dicit librum Deuteronomij. XIV. Daniel initium suæ prophetiæ designat *cap.* 2. dicens: *In anno secundo Regni Nabuchodonosoris, &c.* qui annus secundus coincidit cum 604. ante Christum ex Ricciolio. XV. Aggæus prophetavit anno secundo Darij primi, seu Histaspidis. Et anno 521. ante Christum. XVI. Zacharias prophetavit eodem anno, quo Aggæus. Vbi Ricciolius computat septuagesimum annum memoratum Zachariæ 1. *vers.* 12. ab anno 9. Sedeciæ *ex lib.* 4. *Regum, cap.* 24. *vers.* 20. & 25. Quem putat fuisse 590. ante Christum, à quo inclusivè ad annum 521. ante Christum excurrunt alij septuaginta. XVII. Malachias eodem tempore aut paulò post Zachariam cæpit prophetare ex communi consensu: vnde ponitur à Ricciolio anno 520. ante Christum. Post hanc Chronologiam, syntaximque Prophetarum sequebatur ex ordine quidpiam dicere de tempore Babylonicæ captivitatis, & septuaginta Hebdomadum Danielis. Sed cum de his satis agamus in 2. nostro Tomo, dum de vtraque quæstione aflatim disputamus; hic prætermitimus, vt ad Catalogos Hebræorum Pontificium, Chronologiamque Novi Testamenti gradum faciamus.

CAPUT SEPTIMUM.

DE CHRONOLOGIA PONTIFICUM Hebræorum, & ea, quæ est in Novo Testamento.

68 NOn importune seiungimus in caput alterum Chronologiam Pontificiam, veterem, & Evangelicam, tum ad commodiorem partitionem rerum, ne lectorem obruant: tum quia Chronologia vetus postrema, quæ Pontificum est, ligaturam debet habere cum Chronologia Evangelica. Quamobrem rem tradam sub eo ordine, quo etiam tradit Ricciolius supplendo plura ex Iosepho, & Saliano in præfat. *tom.* 4. Barradio *tom.* 1. *lib.* 5. *à cap.* 24. & ex Petavio *lib.* 10. *de Doctrina Temporum.* Iacobo Tirino *tom.* 1. in Chroni o Sacro *cap.* 142. & ex Redano in Machabæos *pag.* 110. Ex quibus quantam potest rei verè amplexæ, & obscuræ conciliat claritatem. Quæ vt ex tanto Authore manent in hoc opus nostrum, atque inde manent in vulgus; hic opportunè inseruntur, quo Iuvenes præciso disputationis fragore figant gressus constantes, & ad Sacra volumina perdiscenda temporibus ritè dispositis alliciantur. Igitur Catalogus Pontificum Hebræorum hic se habet.

69 Sequitur ex ordine in hoc numero Catalogus Pontificum Hebræorum.

CATALOGUS PONTIFICUM Hebræorum.	*ANNI ANTE Epoch. Christi.*
1. Aaron initiatus anno 2. exitus de Ægypto. Exod. 29. Levit. 9. gessit pontificatum anno 38. & mens. 4.	1591.
2. Elea-	

2. Eleazarus Aaronis filius ei ſucceſsit, Numer. 20. & 33. & Deut. 10. 1553.

3. Phinees Eleazari filius, Paralip. *cap.* 6. & I. Eſdræ *cap.* 7. *num.* 5.

4. Abiſve Phineæ filius I. Paralip. *cap.* 6. *num.* 4. & I. Eſdræ *cap.* 7. *num.* 5.

5. Bocci Abiſve fil. Paralip. *cap.* 6. *num.* 5. & I. Eſdræ *cap.* 9. *num.* 5.

6. Ozi Bocci fil. I. Paralip. *cap.* 6. *num.* 6. & I. Eſdræ *cap.* 7. *num.* 5.

7. Zararias Ozi fil. I. Paralip. *cap.* 6. *num.* 6. & I. Eſdræ *cap.* 7. *num.* 4.

8. Meraioth Zarariæ filius I. Paralip. *cap.* 6. *num.* 7. & I. Eſdræ *cap.* 7. *num.* 4.

9. Amarias Meraiothi filius I. Paralip. *c.* 6. *n.* 7. & I. Eſdræ *c.* 7. *n.* 3. Quidam Hebræi cum Ioſepho *lib.* 5. & 8. *Ant.* poſt *Ozi* dicunt translatum Sacerdotium ab Eleazari poſteris ad *Heli* poſterum Ithamaris ſecundogeniti Aaronis, ſed *lib.* 20. *cap.* 9. admiſit ab Aarone ad templum conditum ſub Sadoco tredecim fuiſſe Pontifices; & alioquin Sadoc, quando ſe ad Davidem in Hebron contulit, *eratque puer egregiæ indolis*, vt dicitur 1. Paralipomenon *cap.* 12. *num.* 28. fuiſſet octogenario maior. Porrò tempora diſtincta durationis in Pontificatu poſt Aaronem neſcimus, ſed ſolum ab Aaronis obitu vſque ad initium Heli Sacerdos ſimul, & Iudicis fuiſſe annos 416.

10. Heli Pontifex ſimul & Iudex tenuit pontificatum annis 40. ex 1. Reg. *cap.* 4. *num.* 18. 1136.

11. Achitob nepos Heli, filius Phineez, & frater Ichabodi, 1. Reg. *cap.* 14. & 21.

12. Achias fil. Achitobi, qui & Achimelech, à Saule occiſus, 1. Reg. *cap.* 14. & 21.

13. Abiathar Achiæ filius, quem Salomon exauthoravit, translato Sacerdotio ad Sadochum Eleazari poſterum, 1. Reg. *cap.* 22. & 3. Reg. *cap.* 3. ſed & ipſe Achimelech alio nomine Abiatar dictus eſt ex 1. Paralip. *cap.* 18. *num.* 16. & ſub eo David edit panes propoſitionis, & ita Conciliatur dictum Marci 11. *num.* 26. cum 1. Reg. *cap.* 21. A morte porrò Heli vſque ad initium Sadochi, Petavius, & Tirinus numerant annos 80. diſtribuendos in tres eius ſucceſſores.

14. Sadoch de ſtirpe Eleazari à Salomone ſubſtitutus Abiatharo, in qua familia manſit Pontificatus vſque ad Chriſtum. 1015.

15. Achimaas Sadoci filius ſub Rege Roboamo, ex Ioſepho, & Seder Olam. 975.

16. Azarias Achimaaſi filius 1. Paralip. *cap.* 6. *num.* 9. ſub Rege Abiamo. 958.

17. Ioannam Azariæ filius 1. Paralip. *cap.* 6. *num.* 10. Ioſepho eſt *Ioram* ſub Rege Ioſaphato. 914.

18. Iſus

	ANNI ANTE Epoch. Christi.
18. Iſus filius Ionami, ſeu Ioannæ ex Ioſepho, hic in Seder Olam nominatur *Ioarib*, & dicitur vixiſſe ſub Ioramo Iudæ Regè.	889.
19. Axioramus Iſi filius ex Ioſepho *lib.* 10. *cap.* 21. vixit ſub Rege Ochozia.	885.
20. *Phideas*, ſeu *Phidaias* filius Axiorami ex Ioſepho, vixit ſub Athalia.	884.
21. Ioiadas Phideæ filius, de quo 4. Reg. 12. & 2. Paralip. 23. Ioſepho nominatur *Sudeas*, vixit ſub Athalia, & Ioas, vſque ad annum 130. & 2. Paralip. *cap.* 24.	882.
22. Zacharias filius Ioiadæ, de quo 2. Paralip. 24. Ioſepho alio nomine *Iulus* ſub Ioas Rege Iudę.	850.
23. Ioannam II. Zacharię filius Ioſepho dicitur *Iatham*, at in Seder Olam *Zedachias*, ſeu *Sedacias*, vixit ſub Amaſia Rege Iudæ.	838.
24. Azarias II. filius Ioannani, de quo Antonomaſtice dicitur 1. Paralip. *cap.* 6. *num.* 10. *Ipſe eſt, qui Sacerdotio functus eſt in domo, quam ædificavit Salomon in Ieruſalem*; quia, vt exponit Lyranus, ſtrenuè functus eſt ſuo officio, reſiſtens in faciem Oziæ Regi tentanti adolere incenſum in templo, vt narratur 2. Paralip. *cap.* 26. hunc Ioſephus nominat *Vriam*.	
25. Amarias filius Azariæ 1. Paralip. *cap.* 6. *num.* 10. Ioſepho *Nerias* ſub Ioathamo Rege.	762.
26. Achitob II. Amariæ filius 1. Paralipomenon *cap.* 6. *num.* 12. ſub Rege Achaz.	745.
27. Sadoc II. fil. Achitobi. 1. Paralip. *cap.* 6. *num.* 12. ſub Achaz & Ioſepho dicitur *Odeas*.	736.
28. Sellum filius Sadochi 1. Paralip. *cap.* 6. *num.* 12. Hic Baruc 1. *num.* 7. dicitur *Salomon*, & Ioſepho *Saldumus* ſub Ezechia.	720.
29. Helias filius Sellumi 1. Paralip. *cap.* 6. *num.* 13. ſed intruſus eius loco *Somnas*, de quo Iſaiæ 22. *à num.* 15. *ad* 22. qui tamen expulſus eſt ſub Ezechia, & in eius locum ſuſtitutus Eliacim filius Helciæ, vt ibidem dicitur.	710.
30. Eliacim fil. Helciæ, de quo Iſaiæ 22. *num.* 20. & Iudith 4. ſub Manaſſe Rege.	697.
31. Azarias IV. filius ſecundo genitus Helciæ, mortuo Eliacim ſine Liberis, ſucceſsit 1. Paralip. *cap.* 6. *num.* 13. ſub Amon Rege, & Ioſia Regibus.	642.
32. Sararias filius Azarię 1. Paralip. *cap.* 6. *num.* 14. ſub Ioachaz, IoaKim, Ieconia, & Sedecia Regibus; hic Ioſepho eſt *Sareas* qui à Nabuchodonoſore interfectus eſt anno excidij, & incendij Ieroſolimitani, ac templi 4. Reg. *cap. vlt.* & Ieremiæ 52.	
33. Ioſedec filius Sarariæ, de quo 1. Paralip. *cap.* 6. *num.* 14. *Sararias genuit Ioſedec: porrò Ioſedec egreſſus eſt, quando tranſtulit Dominus Iudam, & Ieruſalem per manus Nabuchodonoſor.*	587.

34. Ioſue, ſeu Ieſus filius Ioſedech, ſub quo regnante Cyro, ſoluta eſt captivitas, & cæptum reædificari templum, Eſdræ 1. *cap.* 3. *& lib.* 2. *cap.* 12. Aggæi 1. Philo apud Annium ait eum vixiſſe vſque ad 20. annum Darij Hiſtaſpidis, licet autem anno 536. eſſet Pontifex, anteà tamen fortaſſe incæperit.	536.
35. Ioacim filius Ioſuæ, 2. Eſdræ *cap.* 12. *num.* 10. geſsit pontificatum ab anno 21. Darij Hiſtaſpidis vſque ad II. Artaxerxis, vt ait Philo apud Annium.	502.
36. Eliaſib filius Ioacimi, 2. Eſdræ *cap.* 12. *num.* 10. fuitque Pontifex ab anno 12. Artaxerxis, vſque ad 33. eiuſdem, 2. Eſdræ *cap.* 3. *& cap. vltimo.*	461.
37. Ioiadas II. filius Eliaſibi, 2. Eſdræ *cap.* 12. *num.* 11. alijs Iudas, vel Ioachaz, huic Mercator dat annos 44. Pontificatus.	441.
38. Ionatham Ioiadæ filius, Ioſepho Ioannes, cui Mercator dat annos 47.	397.
39. Ieddoa, ſivè Iaddus, 2. Eſdræ *cap.* 14. *num.* 11. præfuit annis 27. Hic eſt ille, qui obviam venit Alexandro Magno, illumque Iudæis conciliavit, nec ita multò poſt obijt eodem anno, quo Alexander. Eius frater Manaſſes fuit primus Pontifex templi Samaritanorum in monte Garizim, vide Ioſephum *lib.* 11. *Antiq. cap.* 7. *& vltimo, & lib.* 13. *cap. vlt.*	350.
40. Onias Ieddoæ filius cognomento Priſcus, cui Mercator dat ann. 23.	324.
41. Simon Oniæ filius Euſebio cognomento *iuſtus*, laudadatus in Eccleſiaſtico *cap.* 50. cui Philo dat ann. 13.	300.
42. Eleazarus II. Simonis frater, cum Onias II. filius Simonis eſſet parvulus, adminiſtravit Pontificatum, & miſſit 72. Interpretes ad Ptolomæum ex Ioſephi *lib.* 12. *cap.* 3. fuitque Pontifex annos 23.	287.
43. Manaſſes Patruus Eleazari ex Ioſepho *lib.* 12. *cap.* 3. annis item 23. geſsit.	265.
44. Onias II. Simonis iuſti filius præfuit annis 9. ſub Ptolomæo Evergete.	242.
45. Simon II. Onię filius ſucceſsit, & præfuit ann. fere. 46.	233.
46. Onias III. Simonis II. filius cognomento *Sanctus*, de quo I. Machab. 12. *num.* 7. & 8. Item 2. Machab. *cap.* 3. vbi de Heliodoro, præfuit pacificè totis annis 11. ſed exul ſupervixit annis alijs 4. ex 2. Machab. *cap.* 4. *num.* 34.	187.
47. Iaſon Oniæ III. frater, antea Ieſus, qui gentilis factus Pontificatum pecunia emit ab Anthioco Epiphane, extruſo fratre Onia, & aſſumpto nomine Iaſonis, ideòque Pſeudopontifex dicendus 2. Machab. 4. *num.* 7. *& cap.* 5. *num.* 5. duravit annos 3.	176.
48. Menelaus Onias pecunia & ipſe Pontificatum ab Antiocho Epiphane redemit, expulſo Iaſone, ſed dilata ſolutione pecuniæ, iuſſus eſt Pontificatu ſedere Lyſimacho fratri.	173.
49. Ly-	

49. Lyſimacho fratre lapidato, Menelaus novis largitionibus pontificatum recuperat, ſimulque duo hi præfuerunt annis 6. ex 2. Machabæorum *cap.* 5. eſto enim Menelaus pervenerit ad annum 10. donec ſuaſu Lyſiæ occiſus fuit ab Antiocho Eupatore ex 2. Machab. *cap.* 13. eique ſuffectus fuerit *Alcimus* ex Ioſepho *lib.* 12. *cap.* 12. tamen iam inde ab anno 7. Menelai Mathathias, & deinde Iudas legitimi Pontifices fuere.

50. Mathathias Sacerdos ex Aſſamonæis exeunte anno Græcorum 145. Summum Pontificatum, & Civilem Ducatum init, ac tenet paucis menſibus I. Machab. *cap.* 2. Petavius tamen *lib.* 10. *cap.* 52. contendit eum non fuiſſe Pontificem. 168.

51. Iudas Machabæus Mathatiæ filius ſuccedit Patri in vtraque prefectura anno Græcorum 146. & glorioſe occumbit in prælio anno Græcorum 152. menſe I. ex I. Machab. *cap.* 4. & 9. 167.

52. Alcimus Pſeudopontifex anno 153. Græcorum paralyſi percuſus à Deo perit *cap.* 9. *n.* 56.

53. Ionathas frater Iudæ eligitur à Populo I. Machab. *cap.* 9. *num.* 30. quam electionem confirmavit anno. 160. & iterum 167. Græcorum Alexander Veles Antiochi Epiphanis filius I. Machab. *cap.* 10. vixitque in Pontificatu poſt confirmationem annos fere 4. vtpote occiſus à Tryphone anno Græcorum 170. ex I. Machab. *cap.* 13. *num.* 23. & 41. & Ioſepho *lib.* 13. *cap.* 15. 161.

54. Simon à populo ſubſtituitur fratri Ionathæ I. Machab. *cap.* 13. *num.* 8. & 25. & interimitur à Ptolomæo Genero ſuo anno Græcorum 177. menſe II. ex I. Machab. *cap. vltimo, à num. II. ad* 17. cum præfuiſſet annis 8. 143.

55. Ioannes Hyrcanus Simonis filius I. Machab. *cap. vlt.* & præfuit annis 31. teſte Ioſepho *lib.* 20. *cap.* 8. 135.

PONTIFICES, AC REGES SIMUL HEBRÆORUM.

56. Ariſtobulus 10. Hyrcani filius, primus regium Diadema ſumpſit, regnavitque anno vno ex Ioſepho *lib.* 13. *cap.* 19. & *lib.* 20. *cap. penult.* 104.

57. Alexander frater Ariſtobuli cognom. *Ianneus* regnavit annis 27. ex Ioſepho *lib.* 13. *cap.* 23. ſub finem anni cepit. 104.

58. Hyrcanus II. Alexandri primogenitus fit Pontifex à Matre *Alexandra* iam vidua, & pro marito regnante, quę regnavit annos 9. ex Ioſepho *lib.* 14. *cap.* 1. *lib.* 20. *cap.* 8. antem præfuit annis fere 11. 78.

59. Ariſtobulus Alexandri filius natu minor, mortua Matre, fratrem ſpoliat pontificatu; eo regnante M. Craſſus templum expilavit, ipſe autem Ariſtobulus cum filijs Antigono, & Alexandro, cum regnaſſet annos 8. Romam captivus miſſus eſt à Cn. Pompeio. Addit Ioſephus *lib.* 14. *Antiq. cap.* 8. Ieroſolymam captam à Pompeio 67.

pcio menſe 4. *Tamuz* in die ſolemnis ieiunij Olympiadis 179. anno I. nempe, exeunte; quia id factum Conſulib. Marco Tullio, & Caio Antonio, ideſt, ante Epocham Chriſti 63. notant Euſebius Cuſpinianus, Onuphrius, & Faſti Siculi.	
60. Hyrcanus iterum pontificatui præficitur à Pompeio, & Gabinio, quem variante fortuna, tenuit annis alijs 22. Interim Ariſtobulus, cum filio Antigono Roma profugus auxilio Parthorum Iudææ regnum, & Pontificatum recuperat, tenetque per 3. annos, & menſes 6. ſed Caius Iulius Cæſar, mortuo Pompeio, confirmat Hyrcano pontificatum, Herodis autem Antipatri Idumæi filius fit Tetrarcha Iudææ à Marco Antonio ex Ioſepho *lib.* 14. *cap.* 13. & *lib.* 20. *cap.* 8. factum id Caleno, & Vatinio Conſulibus.	63.
61. Antigonus Ariſtobuli ſecundògenitus iterum ope Parthorum occupat Iudææ regnum, & pontificatum, tenetque donec, petente Herode, à Marco Antonio ſecuri percuſus eſt poſt annos 4. & in eo deſijt Aſſamonæorum ſtirps, ac regnum tranſijt ad Herodem, Pontificatus autem ad Ananelum ex Ioſepho *lib.* 14. *cap.* 28. qui ait Aſſamonæos præfuiſſe annis 126. ſed à Mathathia eſſent 131. niſi fuiſſent interrupti.	47. 40.
62. Ananelus ab Herode Pontifex creatus præfuit annos 3. ex Ioſepho *lib.* 15. *cap.* 2. & 3.	37.
63. Ariſtobulus Hyrcani nepos fit Pontifex, & præeſt annos 3. ex Ioſepho ſuprà.	34.
64. Ananelus iterum factus Pontifex, duravit vſque ad mortem Antonij, & Cleopatræ, ideſt, anno I. ex Ioſepho ſuprà.	31.
65. Ieſu Phabetis dein Pontifex per annos 6. ex Ioſepho.	30.
66. Simon Boethi filius, Socer Herodis vſque ad finem ferè Herodis fuit Pontifex per annos 25. huius anno penult. *VERBUM DIVINUM* incarnatum eſt in vtero *B. VIRGINIS MARIÆ.*	24.

SEQVENTES PONTIFICES DESVMPTI SVNT EX Ioſepho à lib. 12. 15. & 18. vſque ad lib. 20. cap. 8.	*ANNI CHRIſti.*
67. Mathathias Ioſephi ſucceſſor Simonis per ann. fere I.	1.
68. Ioazarus Simonis filius anno I.	2.
69. Eleazarus Boethi filius anno I. factus ab Archelao,	3.
70. Ieſus filius Siæ anno I.	4.
71. Ioazarus iterum annis 2.	5.
72. Ananus Sethi filius annis 10.	6.
73. Iſmael Fabi à Grato Iudææ Præſide anno I. Tiberij creatus pro I. anno.	10.
74. Eleazarus Anani filius anno I.	17.
75. Simon Camithi filius anno I. &c.	18.
76. Ioſephus Caiphas Pontifex pro ann. 19.	19.

77. Io-

77. Ionathas Anani filius ſubſtitutus Caiphæ à Vitellio Syriæ Præſide anno vltimo Tiberij pro annis 3.	37.
78. Simon Boethi Canthara pro annis 3.	40.
79. Mathathias Anani filius ab Agrippa factus anno I.	43.
80. Eliomæus Cithei filius anno I.	44.
81. Simon Boethi Canthara iterum annis fere 2.	45.
82. Ioſephus Canæi anno 5. Claudij anno I.	47.
83. Ananias Anani ſenioris filius ſubſtitutus ab Agrippa iuniore anno I.	48.
84 Ananias Nebedæi filius, de quo Actor. 23. & 24. pro annis 7.	49.
85. Iſmael Fabi, ſeu Fabęi ab Agrippa iuniore creatus annis 2.	56.
86. Ioſephus Canæi iterum pro annis 3.	58.
87. Ananus Anani filius anno I.	61.
88. Ieſus Damnæi filius annis 2.	62.
89. Ieſus Gamalielis filius annis 2.	64.
90. Mathias Theophili filius anno I.	66.
91. Phanaſius Ruſticus tempore belli electus, cuius Pontificatus anno 4. capta eſt Ieroſolyma à Tito die Sabbathi, & exuſta anno, ſcilicèt 70. Epochæ Chriſti, vt oſtendimus *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 9.	

Ioſephus *lib.* 20. *cap.* 8. ab Aarone ad Phanaſium numerat Pontifices 83. ſed ſunt 86. quia tres omiſit: ex noſtro autem numero marginali, ex quo conſurgunt 91. demendi ſunt, qui iterum creati ſunt Pontifices, cuiuſmodi ſunt Hyrcanus, Annaelus, Ioazarus, Simon Boethi Canthara, & Ioſephus Canæi.

70 Ad calcem huius catalogi non importuna venit concluſio illa, quam idem Author habet de annis Herodis Infanticidę, de quibus cum Authores diſcrepent, ſic ipſe pronuntiat. Cum de morte Herodis Infanticidæ extent opiniones diverſæ, imò ipſe Ioſephus Hiſtoricus ſibi ipſi repugnet, nec ſufficit Dionis Autoritas ad eum annum determinandum, perperam ex morte Herodis annus Nativitatis Chriſti à quibuſdam definitus eſt; cum potius ex hoc aliunde notiori, de annis Herodis coniectura ſumenda fuerit; & hinc probabilius ſit, Herodem mortuum eſſe anno CHRISTI vero, & ſimul vſitato primo; ideòque annos Herodis ordinandos, vt in Tabella ad finem huius capitis exhibenda. Itaque cum ex vna parte plerique conſentiant, Chriſtum natum eſſe Auguſti anno 42. ideſt 44. aut 45. Iuliano; ex alia verò annus mortis Herodis ita ſit incertus, vt alij putent fuiſſe Iulianum 42. Alij Iulianum 46. alij verò 52. aut 53. planè conſequitur, potiùs annum Herodis ex anno Nativitatis Chriſti comperiendum eſſe, quam è converſò: ſiquidem ea, quæ certiora ſunt, de ſervire debent pro indagandis ijs, quæ ſunt minus certa. Exinde igitur pronunciamus, Herodem mortuum fuiſſe anno primo Chriſti nati, & Iuliano 46. *Primò*, quia cum omnes Chronologi pro certo recipiant ex Ioſepho *lib.* 17. *Antiq. cap.* 8. *&* 11. Eclypſim Lunæ contigiſſe currente morbo læthali Herodis, & ante eius interitum, qui aliquot diebus evenit ante Paſcha Iudæorum, & hæc Eclypſis contigerit anno 45. Iuliano die 29. Decembris hora 5. $\frac{1}{4}$ poſt meridiem Ieroſolymis, atque ab ea vſque ad mortem Herodis defuncti paulò ante Paſcha Iudæorum fuerit trium ferę menſium tempus idoneum

omnibus illis, quæ poſt talem Eclypſim vſque ad mortem Herodis geſta narrantur à Ioſepho; videtur probabilius mortem Herodis contigiſſe illo primo anno Chriſti 46. Iuliano currente inter Kalendas Ianuarij, & Paſcha Hebræorum. *Secundò*, quia probabilius eſt, annos 37. regni Herodis numerandos eſſe à fine Regni Aſſamonæorum, extincto Antigono. Quod eveniſſe anno 37. ante Epocham Chriſti, & Iuliano Nono, oſtendit Ricciolius *tom.* 1. Chronol. reformat. *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 5. Et 37. ſuprà 9. eliciunt annum 46. Iulianum. *Tertiò*, quia probabiliùs contigit mors Herodis, eique ſucceſsit Archelaus eo anno, quo poſt relegatam Iuliam, Caius paulo ante profectionem in Syriam intereſſe potuit iudicio de ſucceſsione in regnum Herodis. Hic autem ex Ricciolio *vbi ſuprà num.* 8. fuit annus Iulianus 46. *Quartò*, quia ſi mortuus ponitur Herodes anno 46. Iuliano, rectè cohærent tum in Ioſepho relegatio Archelai per Decennium regnantis anno 56. Iuliano; tùm in Ricciolio, quod hæc fuerit tribus annis ante mortem Auguſti, qui fuit anno 59. Iuliano. Fit igitur probabilior mors Herodis Infanticidæ primo anno Chriſti, & Iuliano 46.

71 Atque ne exinde promanare poſsit aliqua confuſio; advertendum eſt 1. non opponi cum dictis, quod Sanctus Ioſephus iuſſus fuerit fugere in Ægyptum vſque ad mortem Herodis. Quia licèt à Purificatione B.V.M. vſque ad mortem Herodis duo circiter menſes intereſſent; intra hoc tamen tempus futura erat cædes infantium, à qua Deus voluit per fugam humanitùs ſalvare Salvatorem noſtrum; quin ſequatur ſtatim à morte Herodis revocatum fuiſſe Sanctum Ioſephum. 2. Herodem illum, qui capite truncavit Sanctum Ioannem Baptiſtam, & Chriſtum ſprevit cum exercitu ſuo, fuiſſe Herodem Antipam filium Herodis Infanticidæ, & fratrem vterinum Archelai, vt colligitur ex Ioſepho *lib.* 17. *cap.* 1. Cui Auguſtus dederat Tetrarchiam Gallileæ, à qua tandem anno Chriſti 40. & 4. Caij Lugdunum relegatus eſt. Vt *lib.* 9. *Antiq.* Ioſephus quoque ipſe narrare videtur. 3. Herodem illum, quem nominat Sanctus Lucas in Actis Apoſtolorum *cap.* 12. fuiſſe Herodem Agrippam filium Ariſtobuli, & nepotem Herodis Magni fratrem Herodiadis, qui proculdubio occidit Sanctum Iacobum, & Petrum coniecit in vincula: percuſuſque eſt ab Angelo Cæſarææ, vbi diem ſuum obijt anno 44.

72 Sequitur tabella de annis Herodis Magni.

ANNI Ante Chriſtum.	*ANNI HERODIS MAGNI ANTE VEL POST Epocham Vulgarem Chriſti.*
68.	Herodes ex Antipatro Idumæo naſcitur alienigena, & Plebæius.
47.	Herodes annorum 11. præficitur Gallilææ.
40.	Herodes ſuaſu Marci Antonij declaratur Rex Iudææ à Senatu Romano.
37.	Herodes Antigono extincto, & ceſſante regno in ſtirpe Aſſamonæorum regnare incæpit ſolus tyrannicè.
30.	Herodes ab Auguſto, & Senatus Conſulti vi regni confirmationem obtinet.
12.	Herodes Cæſareæ ſtructuram abſolvit.
A Chriſto Nato. 1.	Herodes Magorum nuntio turbatus concilium convocat, diu-

que

que frustra expectato eorum reditu, innocentes Infantes occidi Iubet, eodemque anno Herodes paulo ante Paſcha menſe Aprili moritur; eique ex parte ſucceſsit Archelaus ex teſtamento patris, & anno inſequente ex ſententia Auguſti.

11. Archelaus relegatur ab Auguſto in exilium Lugdunum ex Ricciolio, ſeu Viennam Galliæ, vt videtur indicare Ioſephus *lib.* 18. *Antiquitatum.*

73 Cum igitur ex dictis pateat, annum mortis Herodis indagandum eſſe ex anno Nativitatis Chriſti Domini, ſciendum eſt, inter opiniones multas de hoc anno, quæ apud Ricciolium videri poterunt *tom.* 1. *Chronol.* 8. illam eſſe omnium probabiliſsimam, quæ à mille annis, & ſeptem iam ſæculis elapſis invaluit in Eccleſia, & in Imperio Romano, videlicèt Chriſtum Dominum natum fuiſſe eo anno, ex quo à Kalendis Ianuarij, & Circumciſione Chriſti, ipſius anni communiter numerantur, ideſt, anno Iuliano 45. ita vt primus Chriſti ex Circumciſione computatus inierit à Kalendis Ianuarij cum anno 46. Iuliano, & reſpectu eius Gregoriana Correcto Kalendarij facta dicitur, & eſt anno 1582. itemque reſpectu cuius modo, dum hæc ſcribo die Auguſti 18. numeratur annus 1722. Qua explanatione facta de annis Herodis, quos benè intelligere conducit ſatis ad ritè ordiendam Evangelicam Chronologiam; id de ea in præſenti capite dictum ſit ſatis, ne evadat nimis operoſſum, & ſequentia capita, quæ geſta Chriſti Domini, & Apoſtolorum ſunt donatura, diviſione magis perſpicua tradantur, vt ea, quæ verè ſunt curioſa, & ſcitu digniſsima partitione per accomoda Lectorem pelliciant.

CAPUT OCTAVUM.

DE CHRONOTAXI GESTORUM A CHRISTO prædicationis tempore, iuxta Ricciolium. De qua etiam ad longum. De Turre tom. 1. pag. 258.

74 PRæter S. Auguſtinum *lib.* de Concordia Evangeliſtarum, & Cornelium Ianſenium in Concordia Evangelica conati ſunt in ordinem redigere Hiſtoriam Evangelicam, & ſerie temporis ſervata, indicare, quid prius, quidve poſterius à Chriſto geſtum, dictumve fuerit, Barradius in Harmonia Evangelica, Bartholomæus Riccius in Monoteſſaro Evangelico; Baronius, & Salianus in Annalibus ab anno 30. Chriſti ad 34. Cornelius à Lapide *tom.* 1. in Evangelia initio in Chronotaxi, Petavius *lib.* 12. de Doctrina Temporum *cap.* 18. Iacobus Tirinus *tom.* 1. Comment. in S. Scripturam *cap.* 49. Chronici Sacri, & Simon à Corroy Cæleſtinus in Pandectis legis Evangelicæ. Sed neque illis aſſentiri poſſumus, qui cum Petavio tria tantum Paſchata, neque illis, qui cum Scaligero, & Saliano quinque Paſchata agnoſcunt inter Baptiſmum, & reſurrectionem Chriſti. In alijs autem, qui quatuor Paſchata ſolum agnoſcunt, multa ſunt, quæ veriori ordine dirigenda Nobis videntur. Sanè in hoc negotio per aliquas Hebdomadas (ait Ricciolius) iam inde ab anno 1632. deſudavimus, & poſt annos 14. idem repetivimus, & noviſsimè hoc anno 1664. ad limam revocavimus, nec tamen ita Nobis ſatisfacimus, vt non identidem de ordine rerum geſtarum ambigeremus; nec dum vt alijs ſatisfactum iri arbitremur. Interim ſyntaxim Evangelicam, quæ nobis probabilior viſa eſt Lectoribus communicandam cenſuimus.

CHRONOLOGICA SYNTAXIS HISTORIÆ Evangelicæ.

75 VErbi Divini generatio æterna, & eius Incarnatio in tempore, proœmij loco præmiſſa

missa à Sancto Ioanne *cap.* 1. *vsque ad num.* 15.

Genealogia Christi Regis per descendentem lineam ex Patriarchis, & Regibus. Matthæi *cap.* 1. *vsque ad numer.* 8.

Genealogia Christi Sacerdotis, ac per lineam ascendentium vsque ad Levi, & inde vsque ad Adamum. Lucæ 3. Regis *à num.* 3. *ad finem.*

S. Gabriel prænuntiat Zachariæ Præcursoris prærrogativas, & post sex menses Mariæ Virgini annuntiat Iesum Filium Altissimi ab ea concipiendum, & pariendum. Mox Maria visitatum it Elisabetham, & manet in Domo Zachariæ vsque ad Ioanni Baptistæ Præcursori nomen impositum. Lucæ 1. toto.

Reversa Maria Virgo in domum suam ad Ioseph, inventa est in vtero habens de Spiritu Sancto; sed Divinitùs admonitus Ioseph, retinet eam loco coniugis, sed nunquam cognoscit eam. Lucæ 1. *num.* 56. Matth. 1. *num.* 18. *ad* 25.

Augusti edictum: *NATIVITAS DOMINI NOSTRI IESUCRISTI.* Lucæ 11. *num.* 1. *ad* 22.

Magorum adventus: Herodis turbatio, &c. vsque ad reditum eorum in regionem suam. Matth. 11. *num.* 1. *ad* 13.

Purificatio Beatæ Mariæ Virginis Purissimæ, Simeonis Canticum, & Vaticinium. Luc. 11. *num.* 22. *ad* 39.

Fuga Iesu, Mariæ, & Ioseph in Ægyptum; Infantum Cædes; reditus ex Ægypto. Matth. 11. *num.* 13. *ad finem.*

Pueritia, & adolescentia Iesu. Lucæ 11. *num.* 39. *ad finem.*

Initium prædicationis, & Baptismi Ioannis anno 29. Christi, labente verno, aut æstivo tempore. Matth. III. *num.* 1. *ad* 13. Marci 1. *num.* 1. *ad* 9. Lucæ III. *num.* 1. *ad* 19.

Baptismus Christi annum 30. ingressi, & testimonium Patris Cælestis, ac Spiritus Sancti de illo Matth. III. *n.* 13. *ad finem.* Marci 1. *num.* 9. *ad* 12. Lucæ 13. *num.* 21. *ad* 23.

Ieiunium Christi; tentatio superata, & reditus ad Iordanem Math. IV. *num.* 1. *ad* 12. Marci 1. *num.* 12. & 13. Lucæ IV. *num.* 1. *ad* 14.

Ioannis testimonium alterum de Christo iam præsente. Andreæ, Simonis Philippi, & Nathanaelis accessus ad Christum, & Colloquium. Ioannis 1. *num.* 25. *ad finem.*

Nuptiæ in Cana Gallilææ, & primum Christi Miraculum ad Matris instantiam, descensus Capharnaum; & mansio ibi paucis diebus, vtpote instante Paschate. Ioann. II. *num.* 1. *ad* 13.

PRIMUM PASCHA ANNO CHRISTI 30. *Aprilis 6. feria 5.*

76 Ascendit Christus Ierosolymam ad celebrandum Pascha, & ex templo eijcit nundinatores, deinde disceptat cum Nicodemo. Ioannis II. *num.* 13. *ad finem,* & *cap. III. num.* 1. *ad* 22.

Christus venit in Iudæam terram, ibi baptizare incipit, Ioanne interum baptizante in Aenon iuxta Salim, & testificante de Christo, tanquam sponso, & filio Dei. Ioannis III. *num.* 22. *ad finem,* qui dum ait, nondum missum fuisse Ioannem in carcerem, satis innuit paulo post id futurum.

Ioannes iam functus officio Præcursoris, reprehendensque Herodem de adulterio, conijcitur in carcerem, quod factum Novembri sequenti. Matth. XIV. *num.* 3. *ad* 6. Marci VI. *num.* 17. *ad* 21. Qui occasione Decollationis narrant carcerationem. Et Lucę III. *num.* 19. & 20.

Ioanne in carcerem coniecto, & indignantibus Pharisæs de multitudine Discipulorum Christi, relinquit Iudæam iturus in Galilæam per Samariam, & ibi Samaritanos convertit. Math. IV. *num.* 12. Marci 1. *num.* 14. Ioannes IV. *num.* 1. *ad* 43. Quod factum

tum eſt 4. menſibus ante meſſem hoc eſt, ſub finem Novembris, ineunte enim Aprili, & Paſchalibus ferijs offerebantur primitiæ meſsis. Leviticì 23.

In Galilæam veniens Chriſtus, patriam declinat, vbi ſe acceptum non fore ſciebat, & ab alijs Galilæis exceptus in Cana, ſanat filium Reguli. Matth. IV. *num.* 13. *ad* 17. Lucæ IV. *num.* 14. & 15. Ioannis IV. *num* 43. *ad finem.*

Capharnaum ingreſſus prædicat pœnitentiam, & vocat deinde Petrum, Andræam, & filios Zebedæi. Matth. IV. *num.* 12. *ad* 23. Marci 1. *num.* 14. *ad* 20.

Nazareth venit, & in Synagoga legens Iſaiam, ac ſuorum Civium iniudiam tacite perſtringens, ducitur ad Montis crepidinem, vt præcipitetur, ſed fruſtrà. Lucæ IV. *num.* 16. *ad* 30.

Capharnaum reverſus ſanat oppreſſum ad immundo ſpiritu, deinde circuit Galilæam prædicans, & miracula faciens, quorum fama pervagante totam Syriam, innumerabiles turbæ ad eum concurrunt. Lucæ IV. *num.* 30. *ad* 37. Marci 1. *num.* 21. Matth. IV. *num.* 23. *ad finem.*

Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem cum Diſcipulis ſuis, & longo Sermone illos inſtruit de præcipuis capitibus doctrinæ Evangelicæ, vt & ipſi poſſent Turbas inſtruere. Matth. *cap V. VI. & VII.* integris.

Deſcendens de monte reperit turbas eum præſtolantes, & Leproſum ſanat. Matth. VIII. *num. 1.* ad 4. Marci I. *num.* 40. *ad* 45. Videtur eſſe idem, de quo Lucas V. *à num.* 12. *ad* 15. potuit enim contigiſſe in Civitate propè deſcenſum montis; aut certè duo fuere Leproſi ſimiliter curati.

Capharnaum ingreſſus, Centurionis ſervum ſanat, & deinde Socrum Simonis, & alios veſpere, ſeceditque in Deſertum. Matth. 8. *num.* 5. *ad* 18. Lucæ VII. *num.* 1. *ad* 11. & *cap.* 4. *num.* 38. *ad* 42. Marci 1. *num.* 29. *ad* 35.

Quæſitus à Simone, ac Turbis ait, oportere, & alijs Civitatibus prædicare, quod factum in omnem Galilæam per anticipationem Marcus, & Lucas memorant, nam viſas Turbas iubet ire transfretum, & in via duos ſequi ipſum volentes corripit. Matth. VIII. *num.* 18. *ad* 22. Marci I. *num.* 36. *ad* 39. Lucæ IV. *num.* 41. *ad* 44.

Irruentibus Turbis, naviculam conſcendit, & inde docet illas, ſequitur deinde piſcatio miraculoſa. Lucæ V. *num. I. ad II.*

Conſcenſa iterum navi transfretaturus, vt edixerat; ſedat Maris procellam. Matth. VIII. *num.* 23. *ad* 28. Marci IV. *num.* 35. *ad* 40. Lucæ 8. *num.* 22. *ad* 26.

Cum transfretaſſet ad regionem Geraſenorum, quæ eſt contra Galilæam, duos Dœmoniacos ſanat, ſed ex his vnum inſignem, & permiſſa legione Dœmonum, vt irent in porcos, rogatus abſcedit à Geraſenis, & transfretare iubet Diſcipulos. Matth. VIII. *num.* 28. *ad finem.* Lucæ VIII. *num.* 26. *ad* 39. Marci V. *num.* 1. *ad* 21.

Transfretat à Geraſenis ad Galilæam, reperit Turbas expectantes, & venit Capharnaum Civitatem ſuam, vbi ſcilicèt, frequentius habitavit, ibique ſanat paralyticum demiſſum per tectum. Matth. IX. *num.* I. *ad* 9. Marci II. *num.* I. *ad* 13. & *V. num.* 21. Lucæ V. *num.* 17. *ad* 27. & *cap.* 8. *num.* 40. ſæpè enim data occaſione, vel prout memoriæ occurrebat, narrant Evangeliſtæ aliqua, non ſervato ordine temporis, vt cum Sancto Auguſtino communiter advertunt Interpretes.

Egreſſus ad mare Matthæum vocat, intereſtque convivio cum Publicanis, & ſuos Diſcipulos excuſat, accuſantibus eos Phariſæis, & Ioannis Diſcipulis quod non ieiunarent. Matth. IX. *num.* 9. *ad* 18. Marci II. *num.* 13. *ad* 23. Lucæ V. *num.* 27. *ad* 39. occaſione calumniæ prædictæ aliam ſimilem de-

ſpicis confricatis ad eſuriem ſedandam narrant Marcus, & Lucas, hic: quod tamen poſteà factum ex Matthæo colligitur.

Adhùc loquente Chriſto cum Phariſæis, & Diſcipulis Ioannis, Iairus Archiſynagogus illum rogat pro filia moribunda quam (curata prius in itinere hemorrhoiſa) ſuſcitat à mortuis. Matth. IX. *num.* 8 *ad* 27. Marci V. *num.* 21. *ad* 43. Lucæ VIII. *num.* 39. *ad finem.*

Reverſus Domum duos cæcos ſanat, & egreſſus liberat dœmoniacum mutum. Matth. IX. *num.* 27. *ad* 35. circuit deinde Civitates, docens, ac ſanans, & miſeratus Turbas non habentes Paſtorem, ob paucitatem operariorum eligit, & convocat duodecim Apoſtolos, quos mittit ad prædicandum inſtructos prius præceptis ſaluberrimis. Matth. IX. *num.* 35. *ad finem, & toto cap.* 10. Marci III. *num.* 13. *ad* 20. Lucæ VI. *num.* 12. *ad* 17.

Deſcendens cum Apoſtolis de monte in loco campeſtri repetit Turbis ſummam eorum, quæ alias in monte docuerat ſolos Diſcipulos. Lucæ 6. *num.* 17. *ad finem.*

Præceptis illis abſolutis, tranſit inde prædicaturus alijs, & in itinere verſus Nain ſuſcitat filium viduæ, ac ſupervenientibus à Ioanne de Carcere deſtinatis reſpondet, ac digreditur in laudes Ioannis. Matth. II. *num.* I. Lucæ 7. *num.* II. *ad* 36. *& iterum.* Matth. II. *num.* 2. *ad* 20.

Diſceſſurus à Galilæa occaſione Paſchatis exprobrat Civitatibus Galilææ, & gratias agit Patri, quod revelaverit veritatem humilibus, & oppreſſos invitat ad iugum ſuum. Matth. II. *num.* 20. *ad finem.*

SECUNDUM PASCHA, CUI IEROſolymis interfuit Chriſtus anno 31. *Martij die* 28. *Feria* 3. *in quam incidit plenilunium Paſchale.*

77 AScendens Chriſtus Ieroſolymam ad diem feſtum Iudæorum, quod antonomaſtice *feſtum* dicitur, vtpotè feſtum feſtorum, ideſt, *Paſcha*, Paralyticum Probaticæ Piſcinæ ſanat in Sabbatho, & cum Iudæis diſſerit de Deo Patre ſuo. Ioannis *cap.* 5. *toto.*

Sabbatho altero, quod poſt primarium Paſchale Sabbathum ſucceſsit, nempe 8. Aprilis, tranſit per ſata, & Diſcipulos præ eſurie ſpicas confricantes defendit à Phariſæorum calumnia de violato Sabbatho, ac in Synagoga Sabbatho item curat manum aridam. Matth. 12. *num.* I *ad* 13. Marci II. *num.* 23. *ad* 28. Lucæ 6. *num.* I. *ad* II.

Phariſæorum, & Herodianorum inſidias, & contentiones cum eis declinans, ſecedit iturus ad mare Galilææ. Matth. 12. *num.* 14. *ad* 21. Marci 3. *num.* 6. *&* 7.

In itinere verſus Galilæam per Magdalum tranſiens, invitatur à Simone Phariſæo, & Magdalenam peccatricem abſolvit, quæ deinceps illum cum alijs mulieribus per alias Civitates, & Caſtella ſequitur. Lucæ 7. *num.* 36. *ad finem, & cap.* 8. *num.* 1. *ad* 4.

Dœmoniacum cæcum, & mutum ſanat, diluit calumniam de conſortio cum Beelzebub; beatificanti ventrem, qui eum portaverat, quærentibuſque eum videre, Matri, ac fratribus reſpondet. Matth. 12. *num.* 32. *ad finem.* Marci 3. *num.* 20. *ad* 35. Lucæ II. *num.* 14. *ad* 29.

Cum exiens de domo ſeceſiſſet ad mare Galilææ, & plurimos vndique confluentes, & irruentes ſanaſſet, recipit ſe in naviculam, ne ab ipſis comprimeretur, & inde docet illos parabolis ſeminantis zizania, &c. Marci 3. *num.* 7. *ad* 22. *& cap.* 4. *num.* I. *ad* 34. Matth. 13. *num.* I. *ad* 53. Lucæ 8. *num.* 4. *ad* 19.

Conſummatis his Parabolis, venit in patriam ſuam, vbi ſcandalizantur cives eius de illo, vtpotè filio Fabri, ideòque paucis ibi ſanatis, egreſſus inde, circuit caſtella alia, mittitque Apoſ-

Apoſtolos binos, & binos ad prædicandum cum poteſtate miraculorum. Matt. 13. *num.* 53. *ad* 58. Marci 6. *num.* 1. *ad* 14. Lucæ II. *num.* 1. *ad* 7.

Herodes ſub feſta Paſchalia Sanctum Ioannem decollari iubet, nec multò poſt, auditis miraculis Chriſti, & Apoſtolorum ſuſpicatur de reſurrectione Ioannis recens decollati. Matth. 14. *num.* 6. *ad* 12. *&* *num.* 1. *ad* 6. Marci 6. *num.* 12. *ad* 30. *&* *num.* 1. *ad* 13. Lucæ 9. *num.* 7. *ad* 9.

Reverſis à prædicatione Apoſtolis, & nuntio ſub idem tempus de nece Sancti Ioannis accepto, conſcenſa navicula ſecedit in deſertum Bethſaidæ, vbi de quinque panibus paſcit quinque millia hominum. Matth. 14. *num.* 12. Marci 6. *num.* 30. *ad* 44. Lucæ 2. *num.* 10. *ad* 17. Ioannis 6. *num.* 1. *ad* 14.

Iuſsis Diſcipulis transfertare, Turbiſque dimiſsis, in montem ſecedit, & navigantibus verſus Capharnaum Diſcipulis apparet noctu ambulans ſuprà Mare, & Petro ad ipſum ſuprà mare tendenti ſucurrit, venitque cum illis in terram Genaſar propè Bethſaidam, & inde Capharnaum. Matth. 14. *num.* 22. *ad* 36. Marci 6. *num.* 45. *ad* 56. Ioannis 6. *num.* 14. *ad* 22.

Altera die, qui erant trans mare, nec viderant Ieſum transfretaſſe, tranſmearunt Capharnaum, vbi repertus ab ipſis ediſſerit de panibus, & de Sanctiſsimo Sacramento Euchariſtiç, quod anno abhinc ſequenti erat inſtituturus. Ioannis 6. *num.* 22. *ad* 71.

TERTIUM PASCHA ANNO 32. *Aprilis* 14. *Feria* 2. *cui tamen Chriſtus Ieroſolymis non interfuit, nolens tunc in Iudæa ambulare, immò paulopòſt ſeceſsit in patris Tyri, & Siaonis.*

78 PAſchate tranſacto, venientibus quibuſdam de Ieroſolymis reſpondet ſuper omiſſa lotione manuum ante manducandum Matth. 15. *num.* 1. *ad* 20. Marci 7. *num.* 1. *ad* 23.

Secedit in partes Tyri, & Sydonis, & Cananææ filia ſanata, per Sydonis fines revertitur ſecus mare inter medios fines Decapoleos, vbi mutum, ac ſurdum ſanat. Matth. 15. *num.* 21. *ad* 32. Marci 7. *num.* 24. *ad* 37.

Quatuor millia hominum panibus 7. multiplicatis paſcit, & dimiſſa turba, conſcendit naviculam venitque in fines Maggeddon, & Dalmanutha, vbi à Phariſæis tentatur deſigno cælitus dando. Matth. 15. *num.* 32. *ad* 39. *&* *cap.* 16. *num.* 1. *ad* 4. Marci 8. *num.* 1. *ad* 12.

Transfretantes, & oblitos panis Ieſus de modica fide redarguit, cæcumque Bethſaidæ illuminat. Matth. 16. *num.* 5. *ad* 13. Marci 8. *num.* 13. *ad* 27.

Itur in partes Cæſareæ Philippi, interrogatiſque Diſcipulis de opinione circa filium hominis, Petrus confitetur eius divinitatem; Chriſtus paſsionem ſuam prædicit, & Petrum increpat, crucemque vnicuique portandam, & contemnendam mortem denuntiat. Matth. 16. *num.* 13. *ad* 28. Marci 8. *num.* 27. *ad* 38. Lucę 9. *num.* 18. *ad* 26.

Triſtem denuntiationem facit de morte ſui, & de cruce cuique vſque ad mortem toleranda, & ſciens, non guſtaturos mortem, niſi viſo regno Dei, ſpecimen gloriæ regni ſui dat illis transfiguratione ſui in monte Thabor. Matth. 16. *num.* 28. *&* *cap.* 17. *num.* 1. *ad* 13. Marci 9. *num.* 1. *ad* 14. Lucæ 9. *num.* 27. *ad* 36.

Die ſequenti deſcendit, & turbam multam nactus, Dœmoniacum curat, quem Diſcipuli nequiverant liberare. Matth. 17. *num.* 14. *ad* 21. Marci 9. *n.* 14. *ad* 29. Lucæ 9. *num.* 37. *ad* 43.

Converſans, & prętergrediens occultè Galilæam, prædicit iterum paſsionem ſuam, adventanſque Capharnaum ſolvi iubet Didrachma pro ſe, & Petro, quod fuit occaſio Diſcipulis diſputandi de Primatu, & Chriſto, dum alij tacent, alij interrogant de hoc, inſi-

nuan-

nuandi humilitatem, & exemplo parvuli ambitionem eorum compescendi. Matth. 17. *num.* 22. *ad* 27. *& cap.* 18. *num.* 1. *ad* 5. Marci 9. *num.* 30. *ad* 37. Lucæ 9. *num.* 43. *ad* 48.

Interpellatus à Ioanne de quodam ejiciente Dæmones in nomine Iesu Ioannem corrigit, & prosequitur Sermonem de parvulis non scandalizandis, de Angelis Custodibus, & de cura salutis etiam pusillorum. Marci 9. *num.* 38. *ad* 50. Lucæ 9. *num.* 49. *&* 50. *& cap.* 17. *num.* 1. *&* 2. Matth. 18. *num.* 5. *ad* 14.

Scandali occasione vitandi, correctionem fraternam insinuat, & benignitatem in dimitendis peccatis etiam septuagies septies, vbi de conservi duritia ad ignoscendum. Matth. 18. *num.* 15. *ad* 35. Lucę 17. *num.* 3. *&* 4.

Scænopegia, ideſt, festo Tabernaculorum imminente, recusat ire cum fratribus suis, ideſt, cognatis, ad diem festum palam, illisque abeuntibus in Iudæam, manet in Galilæa, sed iturus occultè illuc, tentat ire per vrbem Samariam, non recipitur à Samaritatis; duo interim sequi eum volentes corrigit. Ioannis 7. *num.* 1. *ad* 9. Lucæ 9. *num.* 51. *ad* 62.

Transiens Christus per viam mediam, inter Galilæam, & Samariam, decem leprosos mundat. Lucæ 17. *num.* 11. *ad* 19.

Scænopegiæ festum circà initium Octobris interest, quod septem diebus celebrabatur, in quorum medio docet in Templo, & disputat cum Iudęis. Ioann. 7. *num.* 7. *ad finem.*

Ex Monte Oliveti reversus in Templum, adulteram absolvit, & die sequenti differens de Deo Patre suo, lapidaturos declinat, fugiens de Templo. Ioannis 8. *toto.* Deinde differit de se bono Pastore, & de ovibus suis. Ioannis 10. *num.* 1. *ad* 22. designatosque 72. Discipulos præmittit prædicatum, instructos prius documentis eximijs. Ioannis 10. *num.* 39. *ad* 42. Lucæ 10. *num.* 1. *ad* 16.

Legisperitum tentantem se docet, quis sit proximus noster, exemplo Samaritani, & ingressus Castellum, recipitur hospitio à Martha. Lucæ 10. *n.* 25. *ad* 42.

Orationis, & perseverantiæ in petendo exempla, & documenta dat, invitatusque à Pharisæo, reliquos Pharisæos de multis reprehendit. Lucas 11. *num.* 1. *ad* 14.

Dum Turbas docet de signis non quærendis, de recta, & simplici intentione, de cavenda hypocrisi, de non timendis persequutoribus, & morte, rogatus de dividenda hæreditate sollicitudinem de rebus temporalibus damnat, quin potius eroganda bona in pauperes docet, & expectandam mortem quacumque hora, exemplo servi fidelis, & de dividendis filijs à Patribus vi amoris Divini. Lucæ 11. *à num.* 29. *ad finem, & cap.* 12. *toto.*

Occasione Galilæorum occisorum à Pilato, & obrutorum à turri Siloes pœnitentiam omnibus necessariam inculcat parabola fici infructuosæ, ac Sabbatho contractam mulierem erigit. Lucæ 13. *n.* 22. *ad* 30.

Reversos Discipulos ab inani gloria compescit. Lucæ 10. *num.* 17. *ad* 24. estò eorum reditum missionis Lucas anticipato narrarit; deinde per vicos, & Castella iter faciens in Ierusalem (ad Ænceenia de quibus infrà) differit de paucitate salvandorum, & multitudine reprobandorum. Lucæ 13. *n.* 22. *ad* 30.

Monitus de Insidijs Herodis, affirmat sibi moriendum Ierosolymæ, sed hanc posteà vastandam: à Tito scilicèt. Lucæ 13. *num.* 31. *ad* 35.

In domo Pharisæi Sabbatho Hydropicum sanat, & vitandos primos accubitus, invitandosque pauperes quoque docet exemplo eius, qui ad cœnam magnam omnes indifferenter invitavit. Lucæ 14. *num.* 1. *ad* 25.

Sequentes se duos docet de odio sui, & suorum, & de perfecta mortificatione, ac totali abrenuntiatione. Lucæ 14. *n.* 25. *ad* 35.

Mer-

Murmurantibus Phariſæis, quod peccatores reciperet, parabolam ovis centeſimæ, drachmæque repertæ, & filij prodigi recuperati proponit. Lucæ *cap.* 15. *toto.*

Parabola villici hinc, & inde Divitis Epulonis, prudentiam, & miſericordiam inſinuat, ne pauperes contemnendo, deſtituatur homo amicis recipientibus in æterna Tabernacula. *Lucæ* 16. *toto.*

Interrogatus de adventu Regni Dei, multa de futuro iudicio prænunciat. Lucæ 17. *num.* 20. *ad* 37.

De perſeverantia in Oratione, deque humilitate exemplo viduæ, & Publicani differit. Lucæ 18. *num.* 1. *ad* 14. Quo loci poſſunt inferi de augmento fidei, & inutili ſervo alibi tradita. Lucæ 17. *num.* 5. *ad* 10.

Ænceenia facta ſunt Ieroſolymis, id eſt, *feſtum luminarium* die 25. menſis Caſleu, qui dies incidit hoc anno Chriſti 32. in diem 16. Decembris; anno enim ſequenti 33. Niſan cæpit die 20. Martij. Huius igitur feſti occaſione, Chriſtus Ieroſolymis in porticu Salomonis differit de ovibus ſuis, & inde diſcedens abijt trans Iordanem, venientibus multis ad illum. Ioannis 10. *num.* 12 *ad* 42. Matth. 19. *num.* 1. & 2.

Cum eſſet Ieſus tras Iordanem cum Turbis ad eum congregatis, data occaſione, differit de divortio, & de prærogativa Virginitatis: parvulos oblatos ſuſcipit, & adoleſcente divite ægrè ferente exhortationē ad erogandas opes in pauperes, differit de difficultate, qua ſalvantur divites, & decentuplo, quod lucrantur, qui omnia pro Chriſto relinquunt. Matth. 19. *num.* 1. *ad* 30. Marci 10. *num.* 1. *ad* 31. Lucæ 18. *num.* 15. *ad* 30.

Ne autem qui ſerò vocati ſunt ad ſequelam Chriſti, putarent ſe deterioris conditionis futuros in remuneratione; parabola operariorum, & denarij diurni omnium ſpem erigit. Matth. 20. *num.* 1. *ad* 26.

Lazari ſuſcitandi cauſa redit in Iudæam, eoque ſuſcitato à mortuis, concilium contra eum congregatur coram Caipha, ideòque ipſe recedit in Civitatem Æphrem. Ioannis 11. *toto.*

Sub initium Martij aſcendens Ieroſolymam renovat Diſcipulis memoriam, & prædictionem de ſua futura nece, & reſurrectione, ac filiorum Zebedæi ambitionem de primis ſedibus retundit. Matth. 20. *num.* 17. *ad* 28. Marci 10. *num.* 23. *ad* 45. Lucæ 18. *num.* 31. *ad* 35.

Appropinquans Ierico ſanat vnum cæcum, & ingreſſus Ierico Zachæum iuſtificat, qui Dives factus fuerat negotiando, eaque occaſione docet negotiandum, benè vtendo talentis à Deo datis, parabola minarum propoſita. Lucæ 18. *num.* 35. *ad finem*, & *cap.* 19. *num.* 1. *ad* 28.

Egreſſus Ierico, alij duo cæci eodem clamantes illuminantur, præcipuè vnus Bartimæus nomine. Matth. 21. *num.* 29. *ad* 34. Marci 10. *num.* 46. ad 52.

QUARTUM, ET VLTIMUM PASCHA anno 33. quod fuit dies 3. Aprilis, Feria 6.

79 ANte ſex dies Paſchæ, nempe, die 28. Martij Feria 7. deſinente, venit Ieſus Bethaniam vbi cœnat cum Lazaro, Martha miniſtrante; & Mariam Magdalenam, quæ hic pedes eius iterum vnxerat, defendit à calumnia Iudæ Iſcariotæ. Ioannis 12. *num.* 12. *ad* 19.

In craſtinum, nempe, 29. Martij Feria 1. manè mittit duos Diſcipulos ad ſolvendum pullum aſinæ, qui adduxerunt pullum, & aſinam, qui vtrique veſtimenta ſua impoſuerunt, ſed Dominus ſuper pullum aſinæ ſedens tendit verſus Ieroſolymam exceptus more triumphantis hinc à Turbis ſequentibus, inde ab alijs obviam occurrentibus, propriorque Civitati factus cum lachrymis eius excidium

prædicit: eo ingreſſo, tota Civitas commovetur: ipſe ingreſſus templum eijcit nundinatores, ſanat cæcos, & claudos, & invidentibus inimicis, laudat pueros *Hoſanna* clamantes, factoque veſpere egreditur in Bethaniam. Marci 11. *num.* 1. *ad* 12. Lucæ 19. *num.* 29. *ad* 48. Ioannis 12. *num.* 12. *ad* 19.

Die 30. Martij Feria 2. manè egreſſus Bethania, & eſuriens ficulneæ infructuoſæ maledicit, templumque Ieroſolymæ ingreſſus, denuo eijcit nundinatores, & compeſcit vaſa tranſportantes, duas enim eijectiones manifeſtè referunt priorem Matthæus, & Lucas factam ipſo die triumphi ante maledictionem ficulneæ; poſteriorem Marcus poſt ficulneæ maledictionem. Scribæ quærunt perdere Chriſtum, ſed timent turbam, & ipſe eodem die ſub veſperum egreditur de Civitate. Matth. 21. *num.* 17. *ad* 19. Marci 11. *n.* 12. *ad* 19. Lucæ 19. *num.* 47. & 48.

Die 31. Martij Feria 3. Dominus redit in Civitatem, mirantibuſque Diſcipulis ficulneam arefactam, commendat vim orationis cum fide, & remiſsione iniuriarum factam. Docens in Templo, & interrogatus de poteſtate faciendi, quæ faciebat, proponit Problema de Baptiſmo Ioannis, cui non credentibus Principibus Iudæorum, credidere meretrices, & publicani præmiſſaque parabola duorum filiorum ſubiungit parabolam vineæ, & nuptiarum Regis. Matth. 21. *num.* 20. *ad finem.* Marci 11. *num.* 20. *ad finem. Et cap.* 12. *num.* 1. *ad* 12. Lucæ 20. *num.* 1. *ad* 19.

Interea ad eum capiendum in ſermone accedunt ſucceſsivè Herodiani, Saducæi, & Legiſperiti, quorum captioſas Quæſtiones diſſolvit proponens viciſsim Dubium *quomodo David Meſſiam filius ſuum agnovit, & appellavit Dominum ſuum?* mox coram populo redarguit hypocriſim, & alia vitia Scribarum, & Phariſæorum, & præfert viduam duo minuta inferentem gazophilacio. Matth. 22. *num.* 15. *ad finem, & cap.* 23. *toto.* Marci 12. *num.* 13. *ad finem.* Lucæ 20. *num.* 20. *ad finem, & cap.* 21. *num.* 1. *ad* 4.

Egrediens de templo, eius excidium prædicit. Matth. 24. *num.* 1. & 2. Marci 13. *num.* 1. & 2. Lucæ 21. *num.* 5. & 6.

Gentilibus Ieroſolymæ ad diem feſtum verſantibus, & cupientibus videre Ieſum, differit de ſui exaltatione à terra in crucem, & clarificatione, deque Iudæorum cæcitate (id enim factum poſt triumphum Chriſti, & eo die, quo ſe abſcondit à Iudæis, non amplius comparuit, niſi veſpere pridie Azymorum) ex Ioannis 12. *num.* 20. *ad finem.*

Sedens in Monte Oliveti contra templum prædicit ſigna excidij Ieroſolymitani, & finis mundi, vt ex verificatione excidij eo ſæculo futuri confirmaret ea, quæ ventura erant in fine ſæculorum; eaque occaſione differit de vigilantia ob diem incertam, additque Parabolam decem Virginum, & Talentorum, & de iudicio potiſsimum faciendo ſuper operibus, miſericordiæ. Matth. *cap.* 24. & 25. *toto.* Marci 13. *num.* 3. *ad finem.* Lucæ 21. *num.* 7. *ad finem.*

Die I. Aprilis Feria 4. biduo ante Paſcha Iudæi cogunt conciliabulum contra Chriſtum; Ieſus in domo Simeonis Leproſi cœnat, & Magdalenam non iam pedes, ſed caput ipſius vngentem iterum laudat, & defendit à Iudæ iterata calumnia, eſto quidam ob ſimilitudinem Nardi, & trecentorum denariorum confundant hanc cum cœna facta in domo Marthæ. Iudas tandem indignatus paciſcitur cum Iudæis de prodendo Magiſtro. Matth. 26. *num.* 1. *ad* 16. Marci 14. *num.* 1. *ad II.* Lucæ 22. *num.* 1. *ad* 6.

Die 2. Aprilis Feria 5. quę erat prima dies Azymorum; quando vetus fermentum exterminabatur, mittuntur Petrus, & Ioannes ad prę parandum cœnaculum, & facto veſpere venit illuc

illuc Ieſus cum duodecim Apoſtolis, & comedit agnum Paſchalem, & prædicit, ſe tradendum ab vno ex illis, qui ſecum intingebat manum in catino *væ illi* interminans. Matth. 26. *num.* 17. *ad* 25. Marci 14. *num.* 10. *ad* 21. Lucæ 22. *num.* 3. *ad* 14.

Cœna Paſchali facta, & iam ab Occaſu Solis, inita more Hebræorum feria 6. dieque 3. Aprilis, Ieſus ſurgit à cœna, & lavat pedes Diſcipulorum, deinde iterum diſcumbens inſtituit Sanctiſsimam Euchariſtiam, conſecrans panem in Corpus ſuum, & vinum in ſanguinem, & vtrumque communicans Apoſtolis: deinde turbans ſemetipſum, iterum ſui proditionem prædicit, & proditorem Ioanni clam indicat, porrigens Iudæ Iſcariotæ panem intinctum: quo hauſto, Iudas invaſus à Satana exit à cœnaculo ſub finem crepuſculi veſpertini, ſui nocte iam facta. Ioannis 13. *num.* 1. *ad* 32. Matth. 26. *num.* 26. *ad* 29. Marci 14. *num.* 22. *ad* 25. Lucæ 22. *num.* 15. *ad* 23.

Contentionem obortam de primatu compeſcit, maiora illis promittens in Regno ſuo, & mutuam concordiam commendans, & Petro tentationes futuras, ac trinam negationem prædicit, & reliquum Sermonis proſequitur vſque ad reſurrectionem à menſa. Lucæ 22. *num.* 24. *ad* 38. Ioannis 13. *num.* 33. *ad finem & cap.* 14. *num.* 1. *ad* 30.

Surgit à menſa, & Hymno dicto, egreſſus de Cœnaculo proſequitur Sermonem, vſque ad torrentem Cedron. Matth. 26. *num.* 30. Marci 14. *num.* 6. Lucæ 22. *num.* 39. Ioannis 14. *num.* 31. *ad finem, & capitibus totis* 15. 16. & 17.

Egreſſus trans torrentem Cedron prædicit Diſcipulorum ſcandalum, & fugam, & iterum Petro trinam negationem ante ſecundum Galli cantum, & in horto villæ Getſemani ter orat, deinde comprehenditur, & reliqua fiunt, quæ referunt. Matth. *cap.* 26. *à num.* 31. *ad* 57. Marcus 14. *à num.* 27. *ad* 52. Lucas 22. *à num.* 40. *ad* 53. Ioannes 18. *à num.* 1. *ad* 11.

Ducitur Ieſus ad Annam Caiphæ Socerum. Petrus introductus in atrium ab alio Diſcipulo, & interrogatus ab Ancilla oſtiaria, num eſſet ex Diſcipulis Chriſti negat ſe eſſe, & ſecurus ſtat cum Miniſtris calefaciens ſe. Ieſus autem interroganti Annæ reſpondens alapa percutitur. Lucæ 22. *num.* 50. Ioannis 18. *num.* 12. *ad* 23.

Ductus Ieſus ad Caiphan, & productis teſtibus falſis, & non convenientibus, interrogatus nihil reſpondet, ſed ad iurationem per Deum reveritus affirmat, ſe filium Dei eſſe, & ob id tanquam blasphemus iudicatur reus mortis, traditurque miniſtris ad illudendum. Matth. 26. *num.* 58. *ad* 68. Marci 14. *num.* 53. *ad* 66. Lucæ 22. *num.* 63. *ad* 65. Ioannes 18. *num.* 24.

Petrus in Atrio Caiphæ, affimante ancilla ipſum fuiſſe cum Ieſu Nazareno; & alijs occaſione de hoc inquirentibus, pernegat, exitque ab Atrio in conclave Atrio proximum, galluſque cantat prima vice; alia verò ancilla & alio quodam affirmantibus, ipſum eum eſſe de illis, qui fuerat cum Ieſu Nazareno, negavit iterum cum iuramento ſe de illis eſſe, & poſt parum temporis, ſeu intervallo quaſi horæ vnius in cõclavi, vbi Chriſtus erat, adſtantibus affirmantibus ipſum Galilæum eſſe, & fuiſſe in horto cum Ieſu, tertio cum iuramento, & anathematiſmo negavit, ſtatimque gallus iterum cantavit, & converſis Chriſti oculis in illum, recordatus prædictionis, egreſſus foras flevit amare, ergo quando poſt primam negationem exivit foras, non exivit ex Domo Caiphæ in viam, ſed ex atrio in conclave, vbi poterat naturaliter videri à Domino, & de his tribus negationibus in eadem domo, & ad galliciniũ eiuſdem galli ſpectantibus loquutus eſt Dominus. Matth. 26. *num.* 69. *ad* 75. Marci 14. *n.* 67.

ad

ad 72. Lucæ 22. *num.* 55. *ad* 65. Ioannis 18. *num.* 25. *ad* 27.

Facto die 3. Aprilis rursùs ductus est Iesus in Conciliabulum Iudæorum, iterumque confessus se filium Dei, tanquam convictus de blasfemia ducitur ad Pilatum, brachio sæculari tradendus ad mortem, quo audito, Iudas frustrà conatus extinguere incendium, desperatione adactus laqueo se suspendit, & Principes Sacerdotum triginta argenteos impendunt in agrum figuli, &c. Matth. 27. *num.* 1. *ad* 10. Marci 15. *num.* 1. Lucæ 23. *n.* 1.

Pilatus egressus à prætorio, & inter alia audiens Iesum dixisse se Regem esse, regressus in Prætorium interrogat illum de regno, & *quid sit veritas*, egressusque iterum negat inventam à se in eo causam mortis, & Iesus accusatus de multis nihil respondet, ne Pilato quidem vrgente, & silentium mirante, iterumque negante inveniri in eo causam sufficientem ad damnationem capitalem; audiens autem Pilatus commotam à Iesu Galilæam, remittit eum ad Herodem, à quo spretus est, indutusque veste alba, & remissus ad Pilatum, qui confirmat non inveniri in eo causam mortis. Matth. 26. *num.* 11. *ad* 14. Marci 15. *num.* 2. *ad* 5. Lucæ 23. *num.* 2. *ad* 16. Ioannis 18. *num.* 29. *ad* 38.

Optione data Iudæis de dimittendo Iesu, aut Barabba Latrone seditioso, & homicida, dum seniores persuadent plebi, vt postulet dimissionem Barabbæ; vxor Pilati ob nescio quas visiones mittit ad eum suadens, vt non se immisceat causæ criminali adversus Iesum, & Pilatus ter conatus absolvere illum, ter sollicitatur à Iudæis clamantibus, vt dimisso Barabba, Iesus crucifigeretur; proinde ad vitandum tumultum, lotis prius manibus decrevit dimittendum Barabbam, & Iesum prius flagellandum, quàm crucifigeretur; forte sperans flagellatione satiandam Iudæorum rabiem. Matth. 27. *num.* 19. *ad* 26. Marci 15. *num.* 5. *ad* 15. Lucæ 23. *num.* 17. *ad* 25. Ioannis 18. *n.* 19. & 40.

Iesus flagellatur, Clamyde induitur, coronatur spinis, alapis, & arundine percutitur, sputis, & illusorijs adorationibus ludificatur, producitur coram populo à Pilato dicente: *ECCE HOMO.* Vt vel sic ad misericordiam moveantur, sed frustrà, omnibus clamantibus, vr crucifigatur, negat denuò habere se causam id faciendi, instant illi, mori debere secundum legem, quia filium Dei se fecit; quo audito, timidior factus Pilatus, regressusque in Prætorium, interrogat Iesum *vndè sit*, & tacentem monet de potestate absolvendi, & damnandi eum, audiensque se minus peccatum habere, quam Iudæos, qui ipsum tradiderant; quærit adhùc illum dimittere, sed illis asserentibus fore contra Cæsarem, si qui se Regem fecerat, dimitteretur, sedit pro Tribunali non dum signo dato horæ sextæ, dicens ironicè, *ECCE REX VESTER*; vrgent illi, vt crucifigatur, Pilatus ait: *REGEM VESTRUM CRUCIFIGAM?* Dicunt Pontifices: *non habemus Regem, nisi Cæsarem*, & tunc demum tradit illum, vt crucifigeretur; quare illusus, & suis vestibus indutus educitur. Matth. 27. *num.* 27. *ad* 31. Marci 15. *num.* 16. *ad* 20. Ioannis 19. *num.* 1. *ad* 6.

Iesus baiulans sibi crucem exit in Calvariæ locum cum duobus Latronibus, & succumbit oneri Crucis, vel præ timore, ne sucumberet, eius Crux imponitur portanda Simoni Cyrinæo: mulieribus flentibus, cladem Ierosolymitanam potius flendam monet, gustatoque vino mirrhato, ac felleo, recusat eius haustum, mox sub finem horę tertiæ crucifigitur inter duos Latrones, Pilatus negat velle mutari titulum causæ semel scriptum, militesque interim vestimenta eius dividunt, & vestem inconsutilem sortiuntur. Iesus autem orans Patrem, vt ignosceret crucifixoribus, insultibus illuditur

tum

tùm à Gentilibus, tùm à Iudæis. Matth. 27. *num.* 32. *ad* 43. Marci 15. *n.* 20. *ad* 32. Lucæ 23. *num.* 26. *ad* 37. Ioannis 19. *num.* 17. *ad* 25.

Latronibus Iesum convitiantibus, sive vni eorum conversò, & alterum corripienti, ac se Christo commendati, paradisum pollicetur, deinde matri pro filio, substituit Ioannem, & facta hora sexta, Sol obscuratur, duraturis tenebris super vniversam terram vsque ad horam nonam, & hora nona imminente, Iesus exclamat, se derelictum à Patre; post hæc dicenti: *SITIO*, porrigitur acetum, quo accepto, ait: *Consummatum est*, & voce magna commendans in manus Patris spiritum suum, inclinato capite, emisit illum; tunc velum templi scissum est, & terra mota, & centurio, atque alij percutientes pectora, confitentes Iesum verè fuisse iustum, ac Filium Dei, reversi sunt, remanentibus in Calvario mulieribus, & notis eius à longè. Lucæ 23. *num.* 39. *ad* 56. Matth. 27. *num.* 44. *ad* 51. Marci 15. *num.* 32. *ad* 41. Ioannis 19. *n.* 25. *ad* 30.

Latronibus nondum mortuis crura franguntur, Iesu autem latus lancea aperitur; Ioseph ab Arimathæa, impetrato corpore Domini, illud cum Nicodemo deponit de cruce, & aromatibus conditum involvit in sindone munda, sepelitque in suo monumento novo sub finem feriæ sextæ, seu Paraseeves Sabbathi; observantibus mulieribus, vbi poneretur: Sabbatho autem apponuntur custodes, & sigilla sepulchro. Ioannis 19. *num.* 31. *ad* 42. Matth. 27. *num.* 57. *ad* 66. Marci 15. *num.* 42. *ad* 47. Lucæ 23. *num.* 50. *ad* 56.

Completo Sabbatho, & die 4. Aprilis in Occasu Solis, & lucescente prima Sabbathi, idest, feria prima in vespertino Crepusculo Mariæ Magdalene, & Iacobi, & Salomè emerunt aromata, sed Maria Magdalene, & Iacobi forte dum Salomè nomine ipsarum emptum ivit aromata, venit ad explorandum, num aliqua mutatio facta est circa sepulchrum Domini, & videntes illud clausum, & obsignatum, decreverunt illuc diluculo se conferre, & tentare, an possint vngere Corpus Domini, & valde manè profectæ sunt ad sepulchrum, eoque pervenerunt *orto iam sole* sed Magdalene cæteris præcurrens, *cum adhuc tenebræ essent*, venit illùc, & viso lapide sublato à monumento (resurrexerat enim Dominus, & Angelus exterrefactis custodibus revolverat lapidem) nec invento Corpore Domini, cucurrit ad Petrum, & Ioannem dicens: sublatum fuisse Corpus Domini, & nescire quo translatum fuerit, qnod non dixisset, si audivisset Angelos, qui paulo post dixere reliquis mulieribus, Iesum resurrexisse, & vt id nuntiarent Discipulis; cum autem recessissent illæ, cucurrerunt Petrus, & Ioannes ad monumentum, & Magdalena cum ipsis, illisque abeuntibus, mansit ibi foris plorans, & inclinans se vidit duos Angelos, iterumque conquesta est, sublatum esse Corpus Domini, & nescire quo translatum fuerit; mox Iesus illi apparuit sub specie hortulani, sed agnito Magistro; dum vult ipsi pedes osculari, prohibetur, fore id faciendi tempus opportunius; cum nondum ascenderit ad Patrem; iubetur nuntiari fratribus suis. Quando autem Marcus dicit Iesum apparuisse primo Mariæ Magdalenæ, intelligendus non est comparativè ad Matrem Domini, sed alias mulieres, quas prænominarat, & ad Apostolos. Deinde apparuit reliquis mulieribus in via, & interim custodes narraverunt Principibus Sacerdotum, quæ facta fuerant circa Sepulchrum, & acceperunt pecuniam cum pacto, vt dicitarent, dormientibus ipsis Discipulos furatos esse Corpus Magistri. Tandem mulieres, & ipsa Magdalene superveniens nuntiarunt Apostolis, ac Discipulis, quæ viderant, & audierant. Matth. 28. *num.* 1. *ad* 15. Marci 16. *num.* 1. Lucæ

24. *num*, 1. *ad* 11. Ioannis 20. *num*. 1. *ad* 18.

Eadem feria prima, ſeu die Dominica, quæ fuit 5. Aprilis ſub veſperam apparuit Dominus duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus, qui priùs audierant mulierum relationes, & illis reverſis in Ieruſalem, aliiſque congregatis Diſcipulis, excepto Thoma abſente, cum ſerò eſſet, apparuit, ianuis clauſis, pacem illis annuntians, & oſtenſione cicatricum palpatione carnis, & eſu piſcis, ac favi confirmavit, ſe non eſſe ſpiritum, qui aſſumpſerit Corpus aereum; ſed verum hominem, & ſuam reſurrectionem: Spiritus Sancti inſuflatione dedit eis poteſtatem abſolvendi à peccatis, & peccata reſervandi. Marci 16. *num*. 21. Lucę 24. *num*. 13. *ad* 47. Ioannis 20. *num*. 19. *ad* 23.

Poſt dies octo, videlicèt, 12. Aprilis Dominica die octava reſurrectionis apparuit iterum clauſis ianuis Dominus Diſcipulis, & Thomam ab infidelitate ad fidem ſuæ reſurrectionis reduxit. Poſteà profectis Diſcipulis in Galilæam manifeſtavit ſe ad mare Tyberiadis, Petro, filijs Zebedæi, Thomæ, Nathanaeli, & duobus alijs Diſcipulis piſcatione miraculoſa, & comeſtione cum ipſis: deinde Petrum trina interrogatione de ſui dilectione, conſtituit Paſtorem agnorum, & ovium ſuarum, & prædixit illi mortis genus, increpuitque eius curioſitatem de Ioannis ſucceſſu, ac mortis genere. Ioannis 20. *num*. 24. *ad* 45.

Præterea vndecim Diſcipulis in Monte Galilææ (fortè Thabore, vbi ſe transfiguraverat) apparuit Ieſus docens eos formam Baptiſmi, &c. & noviſsimè ipſis reverſis Ieroſolymam, ſimulque recumbentibus apparuit, iubens eos prædicare toto orbe Evangelium, & baptizare omnes, & promittens miracula in teſtimonium fidei, necnon miſsionem Spiritus Sancti: poſteà eduxit eos in Bethaniam, & ipſis benedicens aſcendit in Cœlum, illi verò reverſi ſunt in Ieruſalem, &c. Matth. 28. *num*. 16. *ad* 20. Marci 16. *num*. 14. *ad* 20. Lucæ 24. *num*. 49. *ad* 53. & in Actis *cap*. 1. *num*. 1. *ad* 14. Et hæc de geſtis Chriſti.

80 Cum verò ad intelligentiam Novi Teſtamenti tanti momenti ſit Hiſtoria, & Chronologia Actum Apoſtolorum; eam hic ex Ricciolio ſuo paradigmate ſubnectendam oportunè cenſuimus.

ANNI	*currentes.*
Chriſti à Kal. Ianuar.	*Imperatorũ à Die infraſcripta.*
33.	19. *Tiberij*, & 20. *à die* 19. *Auguſti.*
34.	20. & 21. *Tiberij.*
35.	21. & 22. *Tiberij.*

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA ACTORUM Apoſtolorum.

Acta omnia Apoſtolica, quæ à Sancto Luca narrantur à capite 1. in Actis vſque ad lapidationem S. Stephani, & finem capitis 7. ſub finem anni 33. Chriſti. S. Iacobus minor ordinatus eſt Epiſcopus Hieroſolymorum ex communi opinione cum Hieronymo in Catal. Script. Eccleſ.

Perſequutio in Eccleſia pluſquam annua, Saulo illam devaſtante; diſperſio Diſcipulorum præter Apoſtolos: res geſtæ à Philippo Diacono, & à Petro, ac Ioanne in Samaria, redituſque Petri, & Ioannis Hieſolymam, de quibus *toto cap*. 8. Actorum & *cap*. 26. *à num*. 10. *ad* 12.

Sauli converſio, eius iter in Arabiam, reditus Damaſcum: pax Eccleſiæ: *Petri* Palæſtinam viſitantis acta Lydæ, Ioppe, & Cæſareæ, præſertim cum Cor-

ANNI Christi à Kal. Ianuar.	currentes. Imperatorũ à die infrascripta.	
36.	22. & 23. Tiberij.	Cornelio Centurione, de quibus ad Galatas 1. *num.* 17. & Actorum *cap.* 9. & 10. necnon, *cap.* 22. *num.* 6. & *cap.* 6. *num.* 12. Petrus Hierosolymam reversus, narrata visione lintei, apparitione Angeli ad Cornelium Centurionem, & lapsus Spiritus Sancti super Gentiles Cesareæ nondum baptizatos, concludit cum Apostolis Gentiles ad Baptismum admittendos. Act. 11. *vsque ad num.* 18. proinde manentibus Ierosolymæ Iacobo minore, & ad serviendum Deiparæ Ioanne, reliqui Apostoli, confecto symbolo fidei, & Matthæus scripto Evangelio, eunt in diversas Provincias ad Evangelizandum Gentibus, Iacobus maior in Hispaniam, & alij alio. Audita verò multitudine fidelium Antiochiæ Petrus Antiochenam cathedram sibi interim deligit, præmisso illùc Barnaba, eamque fundat die 28. Februarij. Actor. 11. *num.* 21. *ad* 25.
37.	Caij. I. à die 16. Martij.	Iacobus maior pervenit in Hispaniam hoc anno, vt habet traditio antiquissima Ecclesiarum Hispaniæ, esto Baronius anno 816. quod corpus eius translatum est compostellam, id revocet in dubium.
38.	2. Caij.	Saulus triennio post sui conversionem demissus ex muro Damasci per sportam, & deductus Hierosolymam ad Apostolos per Barnabam visitat *Iacobum* minorem, & *Petrum*, cum quo manet dies 15. sed ob insidias Iudæorum deducitur à fratribus Cæsaræam, inde dimittitur Tharsum, & sic venit in partes Syriæ, & Ciliciæ. Ad Galatas 1. *à num.* 18. *ad* 22. & Act. 9. *num.* 23. *ad* 31. & *cap.* 22. *à num.* 17.
39.	3. Caij.	*Barnabas* Antiochia Tarsum it quæsitum *Saulum*, repertumque ducit Antiochiam, vbi annum totum conversantur, ibi aucti numero fideles, appellantur *Christiani.* Act. 11. *à num.* 25. *ad* 27.
40.	4. Caij.	Agabus Propheta Antiochenis prædicit famem vniversalem futuram, mox sub Claudio Imperatore, ideò Discipuli colligunt vndecumque subsidia, & præparant missuri ea in Iudæam ad fratres per *Saulum*, & *Barnabam* ad id destinatos. Act. 11. *num.* 27. *ad* 30. quod factum est anno sequenti.
41.	I. Claudij à die 24. Ianuar.	Claudius Herodis Agrippæ regno adiungit Samariam, & Iudæam, Herodes properat Ierosolymam ad festum Paschatis, & gratificaturus Iudęis incipit vexare Ecclesiam, reversumque ex Hispania Iacobum maiorem paulò post Pascha, decollari iubet. Actor. 12. *num.* 1. *ad* 3. & Ioseph *lib.* 19. *Antiq. cap.* 2. 4. & 11.
42.	2. Claudij.	Petrus visitans fideles Ierosolymæ vexatos ab Herode, includitur in carcerem die Azymorum producendus post Pascha populo; sed liberatus ab Angelo, inde recedit, ac visitata Antiochia, relictoque ibi

ANNI Christi à Kal. Ianuar.	*currentes. Imperatorii à die infrascripta.*	
		ibi Evodio sui Vicario, & posteà successorē, Romam contra Simonem Magum proficiscitur; *Barnabas*, & *Saulus*, relicta Antiochia, proficiscuntur Seleuciam, & inde in Cyprum. Actor. 13. *num.* 3. *ad* 18. & *cap.* 13. *num.* 1. *ad* 5.
43.	3. *Claudij.*	Petrus Romam pervenit die 18. Ianuarij nondum completo anno 2. Claudij, & sedem ibi figit ex communi Catholicorum post Eusebium. *Saulus* cum *Barnaba* in Cypro multa præclarè agunt, & Saulus conversō ad fidem Paulo Proconsule, assumit nomen *Pauli*. Act. 13. *num.* 5. *ad* 13.
44.	4. *Claudij.*	Paulus, & Barnabas Papho veniunt in Pamphiliam, & inde Antiochiam Pisidiæ disseminantes verbum per vniversam regionem illam. Act. 13. *num.* 13. *ad* 50. Herodes Agrippa ob superbiam percussus ab Angelo perit. Ioseph. *lib.* 19. *cap.* 7. Actor. 12. *à num.* 19. 145.
45.	5. *Claudij.*	Paulus, & Barnabas à Iudæis ejectis de finibus Pisidiæ, veniunt Iconium, vbi diu morantur multa signa patrantes, & plurimos convertentes. Actor. 14. *à num.* 50. & *cap.* 14. *num.* 1. *ad* 4.
46.	6. *Claudij.*	Paulus, & Barnabas ne Iconij lapidentur, fugiunt Lystram, ituri in Derben, & evangelizantes per vniversam regionem in circuitu. Actor. 14. *num.* 4. *ad* 7.
47.	7. *Claudij.*	Reversi Lystram *Barnabas*, & *Paulus*, hic post sanatum Claudium prō *Mercurio*, ille pro *Iove* habitus, deinde Paulus lapidatus est, & inde cum Barnaba Derben profectus, multis evangelizant, reversique Lystram, & Iconium, confirmant Discipulos, constituunt Præsbyteros per omnes Ecclesias, & transeuntes Pisidiam eunt in Pamphiliam. Actor. 14. *n.* 7. *ad* 24.
48.	8. *Claudij.*	Paulus, & Barnabas iterum in Pamphilia evangelizant, deinde in Attalia, vnde reversi Antiochiam Syriæ, narrant quanta fecerit Deus cum illis, &c. moranturque ibi non modico tempore. Actor. 14. *num.* 24. *ad* 27.
49	9. *Claudij.*	Claudij Edicto exulare Roma iubentur omnes Iudæi, Orosius *lib.* 6. *cap.* 7. ex Iosepho, & Suetonio. Ergo Petrus redit in Iudæam, & opportunè, nam mota Antiochiæ controversia de circumcisione, legeque Moysis servanda à Christianis, mittuntur *Paulus*, & Barnabas Ierosolymam, vbi fit primum Concilium; decidente Petro exemptionem christianorum à circumcisione, &c. approbante Iacobo, & Ioanne. Litteræ Decretales Concilij deferuntur Antiochiam per Paulum, & Barnabam, quo deinde perveniens Petrus, amice admonetur à Paulo, sed liberè, eratque hic annus 14. à conversione Pauli,

Acto-

ANNI Christi à Kal. Ianuar.	currentes. Imperatorii à die infrascripta.	
50.	10. *Claudij.*	Actor. 15. *num.* 1. *ad* 36. & ad Galatas 2. *num.* 1. *ad* 17. Paulus, & Barnabas visitaturi vniversas Provincias, in quibus prædicaverant; divisi ad invicem peragrant Barnabas cum Io. Marco Cyprum; Paulus cum Syla Ciliciam, Syriam, Lycaoniam; deinde visione quadam invitatur in Macedoniam, vbi Philippis, post aliquot miracula, & conversiones flagellatur, &c. Reliqua hoc anno gesta ab his Amphipoli, Appolloniæ, Berheæ, Thessalonicæ, & Athenis, vbi Dionysius Areopagita convertitur, narrantur. Act. 15. *num.* 36. *ad finem, & cap.* 16. *ac* 17. *toto.*
51.	11. *Claudij.*	Paulus Athenis Corinthum venit, vbi reperit Aquilam Ponticum Iudæum nuper ab Italia appulsum, vi edicti Claudij, manserat enim diu in Italia integro, & amplius anno: Silas, & Timotheus superveniunt ex Macedonia Corinthum, vbi manet Paulus Dei iussu annum, & sex menses. Act. 18. *num.* 1. *ad* 11.
52.	12. *Claudij.*	Paulus commoratus Corinthi, sex de hoc anno menses, & amplius, navigat in Syriam cum Aquila, & Prisilla, quos relinquens Ephesi, venit Cæsaream, visitat Ecclesiam matricem Ierosolymis, descendit Antiochiam, postea visitat Galaticam regionem, & Phrygiam. Act. 18. *à num.* 11. *ad* 24.
53. & 54.	13. & 14. *Claudij.* 1. *Neronis.* à 13. *Octob.*	Paulus peragratis Asiæ partibus superioribus, reversusque Ephesum, disputat per tres menses in Synagoga, & per biennium in schola publica docet illùc confluentes ex tota Asia, & miracula multa edit, multosque convertit. Act. 19. *num.* 1. *ad* 20.
55.	*I. Neronis,* & 2. *à* 13. *Octobris.*	Paulus Ephesi adhuc per 3. & amplius huius anni menses, vsque ad sedatum tumultum, à cultoribus Dianæ Ephesinæ concitatum, præmisso Timotheo, & Erasto, navigat in Macedoniam, eamque perambulans visitat, & inde venit in Græciam. Actor. 19. *num.* 21. *ad finem, & cap.* 20. *num.* 1. *ad* 3. Eodem anno, sublato iam edicto Claudij, admissisque Romam Iudæis, Petrus censetur reversus Romam.
56.	2. *Neronis,* & *deinde* 3.	Paulus in Græcia moratus tres menses, redit cum Luca, & alijs Philippos; vnde solvit post dies Azymorum, & per Troadem, Asson, Mitylenem, Chium, Samum, Miletum, Coum, Rhodum, Pataram, Syriam, Tyrum, Ptolemaidem, & Cæsaream, venit Ierosolymam sub festum Pentecostes, vbi alligatus à claudio Lysia Tribuno mittitur Cæsaræam ad Felicem Præsidem, & ab eius successore PortioFesto appellans ad Cæsarem, mittitur Romam per Sidonem, Lystram Cyprum, & Melitam. Act. 20. *à num.* 3. *ad finem, & cap.* 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. & 28. *vsque ad num.* 8.
57.	3. *Neronis,* & 4.	Paulus, cum in Melita Insula per tres menses hyemasset per Syracusas, Rhegium, Puteolosque deductus

ANNI Christi à Kal. Ianuar.	currentes. Imperatorii à die infrascripta.	
		citur Romam, permissusque est habitare in conducta domo cum custodiente se milite per biennium. Lucas hic Actis Apostolicis scribendis finem facit. Actor. 28. *à num.* 8. *ad finem*, reliqua de S. Lucæ itineribus, & martyrio vide apud Baronium *ad annum.* ipsi 61. *Christi.*
59.	5. *Neronis*, & 6.	Biennio Romæ exacto, *Paulus* à Nerone dimissus Hispanias, Galliasque peragrat, vt ex multis Authoribus colligit Baronius ad annum ipsi 61. Christi, & Neronis quintum, sed & Petrum alia multa loca visitasse idem docet suis locis.
61.	7. *Neronis*, & 8.	Barnabas in Cypro occisus die 11. Iunij anno 61. Domini ex Flavij Dextri Chronico anno 7. Neronis. Sed initio iam anno 8. Sanctus Andreas die 30. Novembris crucifixus est ex Onuphrij Chronico correcto.
62.	8. *Neronis*, & 9.	S. Marcus occisus die 25. Aprilis 8. Neronis anno, & Sanctus Iacobus minor Ierosolymæ prima Maij martyrio affectus. Nos ex Hieronymi Catalogo probè explicato. At 28. Octobris Ss. Simon, & Iuda occisi in Persida, si Onuphrio credas. Alij dicunt serius.
64.	10. & 11. *Neronis.*	Sanctus Mathias 24. Februarij occisus est ex Flavij Dextri Chron. Roma conflagrante. Nero incendium illud per calumniam Christianis affigens, multos excruciari iubet, de quibus Martyrum primitijs Romæ Martyrologium Romanum die 24. Iunij.
66.	12. & 13. *Neronis.*	Ss. Petrus, & Paulus Romam redeunt confirmaturi Christianos à Nerone vexatos, & profligaturi Simonem Magum; ibique Petrus scribit secundam Epistolam, prædicens velocem depositionem Tabernaculi sui.
67.	13. & 14. *Neronis.*	Prostrato Simone Mago Ss. Petrus Cruci affixus, Paulus capite truncatus iussu Neronis eodem die 29. Iunij, currente adhùc 13. Neronis anno, & à Sede Romana Petri anno completo 24. mense 5. & die 12. vt ex Hieronymo correcto, & alijs ostendimus *cap. 2. num.* 8.
68.	14. *Neron.* 1. *Galbæ.*	Neroni interempto die 10. Iunij, succedit Galba Imperator.
70.	*I. Vespasiani*	Ierosolyma capta à Tito, obsessa prius in Paschate, cæsa sunt Iudæorum vndecies centena millia ex Iosepho *lib.* 7. belli Iud. *cap.* 17.
71.	2. *Vesp.*	Sanctus Bartholomæus Apostolus martyrio affectus apud Persas per hæc tempora, vt conijcit Onuphrius in Chronico.
73.	4. *Vespas.*	Sanctus Thomas Apostolus, Calaminæ, ideſt, Meliapore in India occisus, iuxta Onuphrij Chronicon.
81.	*I. Domit.*	Domitianus init Imperium die 13. Septembis.
92.	12. *Domit.*	Sanctus Ioannes Apostolus à Proconsule missus Ephe-

ANNI Christi à Kal. Ianuar.	*currentes. Imperatorũ à die infrascripto.*	
		Epheſo Romam, & in dolium ferventis olei immerſus, illæſus exit die 6. Maij; inde relegatus eſt in Inſulam Patmos. Id factum anno 10. Domitiani Baronius, anno 12. Tirinus, & Onuphrius, anno 13. Petavius putant.
94.	14. *Domit.*	Sanctus Ioannes in Patmo Apocalypſim ſcribit ex Sancto Hieronymo in Catalogo, & Irenæo *lib.* 5.
96.	*Neruæ I. die* 18. *Septemb*	Sanctus Ioannes, Domitiani actis abrogatis ab Exilio revocatus revertitur Epheſum, imperante Nerva ex S. Hieronymi Catalogo.
100.	4. *Traiani.*	Sanctus Ioannes moritur anno 68. à Paſsione Domini ex S. Hieronymi Catalogo; ergo currente Traiani 4. qui cæperat imperare die 18. Septembris anno 97. Chriſti: Cornelius à Lapide dat S. Io annos ætatis 97. Alij 92.

CAPUT DECIMUM.

DE LEGITIMO, ET MODERATO vſu Chronologiæ.

81 SAtis in ſuperioribus multa congeſsimus, vt innoteſceret quantum operoſa foret res Chrologica ſi ad fundum vſque exhaurienda foret: quod præter ſupra citatos noſtros Poſſevinum atque Petavium cernere eſt in ſelectis Chronogis Ricciolio, Gordono in præfatione, Torniello, Saliano, & alijs vbi vix eſt, niſi invenire denſam difficultatum ſylvam, & quandam numerorum vagam, & planè tenebroſam lubricitatem. Vnde ſi res ipſa in ſe ita eſſe perſpicitur; quanto quidem iure debebit in Palæſtra Biblica modificari, ne vnde peti ſolet claritas, exoriatur confuſio. In quem quidem ſcopum tota hæc noſtra Chronologica hactenus collimavit tractatio, vt nimirum, & eruditio daretur quæ oporteret, & difficultatis magnitudo temperationem huiuſmodi perſuaderet. Atque vt melius conſtet, quomodo ſe gerere debeat circa Chronologiam is qui ſacros textus ſuſcipit exponendos placet ad litteram ſubiungere quod ſelectiſsimus Author Bonfrerius dixit in Pentateuchum loquens de generatione ſecundi Cainan ſuper *cap.* 11. Geneſ.

82 „ Adijciunt (ait) denique „ aliud argumentum, quod videatur „ omiſſa illa generatione à Moyſe Sa- „ cræ Scripturę Chronologia vitiari. „ Dico enim, adhuc alia non minus „ obſcura circa Chronologiam in „ Scriptura eſſe; quas obſcuritates vo- „ luit Spiritu S. relinquere, vt homi- „ nibus materiam diſputationum, & „ exercitationis honeſtam relinque- „ ret. Itaque ſi quod Chronologiæ „ vitium eſt; non illud Scripturæ eſt, „ vel Moyſis, qui de hac genealogia „ nihil vel negat vel aſſerit; ſed error „ eſt hominum ex Scriptura male col- „ ligentium. Et vero mirum eſt ali- „ quos tanti hanc Chronologiam fa- „ cere, quaſi omnia Moyſes Sacrique „ Scriptores, quæ ad hanc pertinent „ in manifeſta luce ponere debuerint; „ cum eam Spiritus Sanctus ſtudio „ multis locis videatur obſcurare vo- „ luiſe. Quid enim? Quas obſcurita- „ tes, quas digladiationes neceſſe „ erat naſci de illis quadrigentis an- „ nis, de quibus infrà *cap.* 15. *verſ.* „ 13. niſi Paulus ad Galatas 3. *v.* 17. „ ſubſidio veniſſet, cum etiam non „ obſtantibus Pauli verbis non deſint, „ qui quadringentos illos annos ve- „ lint eſſe commorationis in Ægypto, „ & ſervitutis in ea perpeſſæ? Quid non „ obſcuritatis in Sacra Chronologia „ naſcitur ex eo quòd ignoretur quot „ annos Ioſue Moyſi ſupervixerit?

„ Quæ

„ Quæ non obſcuritas ex libris Iudi-
„ cum (*de quo infrà*) cum ignoretur an
„ & quantum temporis inter vnum,&
„ alterum Iudicem ſit interponendum,
„ vt nemo ſit, qui in conficiendis illis
„ quadringentis octoginta annis ab
„ egreſſu filiorum Iſrael de Ægypto
„ vſque ad Templi Salomonis cęptam
„ ædificationem de quibus 3.Reg.6.
„ *verſ.* 1. non ſudet? Quæ non modo
„ obſcuritas ſed etiam ad ſpeciem an-
„ tilogia in annis Regum qui aliter in
„ libris Regum aliter in libris Paraly-
„ pomenon aſsignantur? Quid obſcu-
„ rius ſeptuaginta annis captivitatis
„ Babylonicæ, vnde inchoandi vbi fi-
„ niendi? Quæ non obſcuritas in ſep-
„ tuaginta hebdomadibus Danielis
„ vnde inchoandæ, quomodo perſe-
„ quendæ, vt quot capita tot ſint ſen-
„ tentiæ? Quid cum completi anni
„ pro incompletis vel contra incom-
„ pleti pro completis ſumuntur (quæ
„ tamen in obſcuro relinquit Scrip-
„ tura, & ex ea re tot Authorum diſ-
„ crepantes Chronologiæ) Quam ne-
„ ceſſe eſt ex ea re vitiari Chronologiã
„ Sacram? Et licèt in vno admiſsus hic
„ error videatur eſſe exigui momenti;
„ ſi tamen in decem, viginti, quinqua-
„ ginta hic error admittatur, quàm
„ neceſſe eſt à vero Chronologiam re-
„ cedere? Et nos pro hac Chronolo-
„ gia, ritè vt nobis quidem videbitur
„ continuanda, planam apertamque
„ ſcripturæ ſententiam deſeremus? Ita-
„ que vt quid de hac re ſentiam aper-
„ tè proferam (nam & hæc res paulò
„ poſt *à verſ.* 26. nobis vſui erit) ma-
„ lim totam Chronologiam, tempo-
„ rumque rationem everti, & inverti
„ faterique, me neſcire quid quoque
„ tempore geſtum ſit, quàm Scriptu-
„ ram vel mendacij auguere (quod
„ nimis quam impium ſit) vel quod ab
„ Eccleſia omnibuſque paſsim Docto-
„ ribus receptum ſit pro Scriptura Sa-
„ cra, vt ſuppoſititium credere: neque
„ enim mihi tanti Chronologia eſt
„ (quam in multis omnes obſcuram fa-
„ teri debent) vt ob id à minime obſ-
„ cura Scripturæ ſententia receden-
„ dum ſit. Velim ego ſi fieri poſsit
„ Chronologiam habere quam opti-
„ mam ea tamen ſi ſine Scripturæ Sa-
„ cræ (quæ ſacroſancta nobis eſſe de-
„ bet) diſpendio haberi non poteſt;
„ valeat ſane Chronologia: & ſi alte-
„ rutra truncanda ſit, mutila ſit nec-
„ ne Chronologia, ſuſque deque fa-
„ cio. Et vero qui Scripturæ Sacræ
„ in qua iuxta divina oracula vita ſa-
„ luſque æterna eſt poſita iacturam
„ facere præoptarit quàm Chronolo-
„ giæ; is mihi perinde facere videtur
„ ac ſi quis vitam ſibi eripi, quam
„ dentem malit excuti.... Neque etiam
„ obſtat argumentum quod tanti qui-
„ dem faciunt quod incerta nobis ſit
„ futura Chronologia niſi nobis hic
„ deſignetur annus nativitatis Ahra-
„ ham. Dico enim in omni ſententia,
„ & explicatione manere incertam
„ Chronologiam; cum non niſi pro-
„ babilis adferatur huius loci, ſi cum
„ alijs conferatur, explicatio. Nos ve-
„ ro in noſtra etiam probabilem ex-
„ plicationem, & Chronologiam adfe-
„ rimus: deinde. Quid mirum Chro-
„ nologiam hic manere obſcuram, cum
„ tam multis locis vt ſuprà oſtendimus
„ Deus dedita opera, vt apparet, in
„ Scriptura, eam reliquerit obſcu-
„ ram; & ex vna generatione Cai-
„ nam ſuprà omiſſa non minus neceſſe
„ ſit vitiari Chronologiam? Adde non
„ vitiari Chronologiam cum det no-
„ bis Scriptura fundamentum eam rec-
„ te conſtituendi; vitioſam autem ha-
„ beremus Chronologiam, eiuſque
„ erroris aliquam occaſionem nobis
„ præbuiſſe videretur Scriptura; ſi poſt
„ quam hæc dixiſſet; non aliunde de-
„ diſſet nobis fundamenta errorem
„ hunc corrigendi.

83 Hæc Bonfrerius optimus qui-
dem, & cordatus interpres: cuius pla-
citum ſanum eſt, & conſulendum, vbi
textui potius quis detrahere velit
quàm Chronologiæ non neceſſariæ:

ſun-

ſunt enim quædam Chronologię interdum non minus obſervandæ quam textus v. g. de ſeptuaginta hebdomadibus Danielis, in quibus tam ſolemnis ineſt prophetia Scripturæ de Chriſto D. Item de ſeptuaginta annis Babylonicæ captivitatis, vt ſalvetur prophetia Ieremiæ : & etiam quando à Sacro Scriptore numerus præciſus aſſeritur, & ab altero Scriptore canonico alter ponitur v. g. de annis Regum, & Paralypomenon: non enim debet admitti aliqua contradictio in Scriptoribus Canonicis. Et certè ſi pleræque Chronologicæ diſputationes profundè inſpiciuntur, omnes mihi ſunt ſatis graves: nam de numero annorum inter Vulgatam, & Septuaginta non ſine momento diſputatur; cum tanti facienda ſit res huiuſmodi pro concordia verſionum. De ortu Abraham certamen eſt ſolidum pro ſervando Textu Sacro *Geneſis* 5. De annis Iudicum etiam diſputare oportet pro ſervando textu Regum 3. *lib. cap.* 6. de annis captivitatis Ægypti intereſt pro textu *Exod.* 12. & alijs combinandis. Quare ſuperiora Bonfrerij magis ſerviunt pro quæſtione de ſecundo Cainan, vbi is ea dicit: ne videlicèt propter accomodandam Chronologiam error admittantur in textu; cum ſatis etiam poſſit cudi Chronologia, vt reapſe ſit ab Interpretibus, atque etiam fieri debet, ne heterodoxi, quoſvis ſacrorum voluminum apices cavillantes, hac ex parte nedum putent, ſe noſtros libros benè corrodere; ſed eos quaſi palmari, & Arithmetica via prorſus triumphare. Vnde tria Sanctorum Patrum proferam teſtimonia, quæ huc ſpectare videntur. Primus eſt S. Cyrillus Alexand. *lib.* 9. *Theſauri, cap.* 4. ſic dicens: *Neceſſarium igitur eſt ad intelligendas rectè ſcripturas tempora conſiderare in quibus dicta ſint quæ ſcribuntur : ſic enim facile poterimus errores evitare.* Secundus eſt S. Auguſtin. *de Doctr. Chriſt. lib.* 2. *cap.* 28. *Quidquid igitur de ordine temporum tranſactorum indicat ea, quæ appellatur hiſtoria; plurimum nos adiuvat ad ſacros libros intelligendos.* Tertius eſt S. Ioann. Chriſoſtom. *hom.* 2. *in cap.* 6. *Iſaiæ: Vidiſti, quantus error* (in Iudæos) *inciderit ex inſcitia temporum? Tantam igitur vtilitatem ne negligas: quomadmodum in agris termini, columnæque non ſinunt arva confundi; ſic tempora non ſinunt confundi res geſtas; ſed dum dirimunt alias ab alijs, & in ordinem congruentem digerunt; magna nos liberant turbatione.* Vide inſuper Lactantium *lib.* 5. *de Div. Inſtit. cap.* 5. Greg. *lib.* 2. *Mor. cap.* 2. & in Ezechiel. *hom.* 2. 11. 12. Clementem Alex. *lib.* 1. *ſtromat. ſect.* 11. Rupert. *lib.* 1. *in Apocalypſim* Euthymium in Ioann. *cap.* 7. S. Antoninum *part.* 4. *titul.* 11. *cap.* 2. §. 15. Baſilium in *c.* 1. Iſaiæ, Rufinum, & graves Interpretes. Quare cum in quæſtione de Cainan, vbi oportune veniunt, ego ipſe cooptaverim verba Bonfrerij; id etiam ex hoc Authore mihi perplacet, ſcilicèt, ne Expoſitores dum Sacrum Textum enucleant, plus iuſto immergantur in rem Chronologicam; nec vt hanc componant, illum mordere non renuant. In qua re cordatiſsima eſt illa inſtructio noſtra, qua noſtri Profeſſores Biblici commonentur, 1. vt Chronologia inutiles amandent, 2. vt neceſſarias non prætermittant, 3. vt pro vniverſa Chronologia Authores deſignent.

84 Quam methodum vt obſervem ſatis patet quoad *primum* quomodo in Decadibus huius Palæſtræ Biblicæ ſecuerim illas Chronologicas controverſias, quæ poſſunt minus vtiles iudicari, & ſolas aliquas ibi produxerim, quæ tum eruditioni conſulerent, tum de re gravi eſſent vt conſideranti patebit : & in hoc etiam *ſecundum*: alioqui neſcio quomodo hic labor non quaſi mancus prodiret, dum de punctis illis in quibus denſior graviorque concertatio inſtituitur; altum ſilentium haberetur. Quoad *tertium* autem de indicandis Authoribus in quibus copioſius, & ex profeſſo de Chronolo-

gia vniverſali differatur; id modò ſatis præſtitum credo, dum tot Authores Chronologos indicavi; & inſuper mox commodiùs exhibendum duco dum Chronologiam brevem, & gravem ad litteram infrà ſubtexam, per quam propugnator Biblicus tuto valeat dirigi quotieſcumque ad aliquam omninò coordinatam Chronologiam velit accedere: ea enim eſt brevis dilucida, & de bonis Authoribus teſtimonium adepta: quam nempe ſelegit noſter Bellarminus, & ad calcem libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis adiecit: & quam video in anno Nativitatis Chriſti ducto ab orbe condito coincidere cum clariſsimis Petavio noſtro, & Theophylo Reynaudo ponentibus Chriſtum D.natum anno mundi 3984. & quam citat noſter ſelectus Ricciolius in ſua Chronologia reformata. Ad quam quidem perſpicuam Chronologiam poſtea ſubdendam curavi accommodatas ire ſententias illas meas, quæ in quæſtionibus Chronologicis à me diſcuſis ſuſtinentur v. g. interſerendo annos ſecundi Cainan: ponendo Abraham ortum anno 70. Thare Patris ſui: deſignando 215. annos commorationis Iſrael in Ægypto, inchoando captivitatem Babylonicam anno 11. ſedeciæ & abſolvendo eam in anno 1. Monarchię Cyri: & denique ponendo initium ſeptuagintæ Hebdomadum Danielis, vſque ad Chriſtum mortuum ab olympiade 80. declinante vel 81. aſcendente propter ipſam mobilitatem, quam ſecum fert deſignatio exordij facta per ipſum ſacrum textum, qui dicit ab *exitu ſermonis*, & exitus ſermonis dum pro evulgatione rei ſumitur non facilè ad punctum temporale reduci poteſt.

85 Cumque ea Chronologia Bellarmini non deſignet in ſuis loculamentis hoc exordium Hebdomadarum notari debet id, quod nos in concluſione ſtatuimus ſcilicèt ab olympiade 80. declinante vel 81. aſcendente debere ſumi initium, ſive hæc concurrat cum anno 20. Artaxerxis Longimani, vt volunt plures ſive 23. vt vult Tyrinus; ſive ſeptimo Artaxerxis, vt Cornelius aut etiam octavo vt indicat Portilla ex Tyrino: ſive demum quando miſſus fuit Eſdras ad reparandum templum; ſive quando Neemias ad muros Civitatis. Quæ latitudo noſtra præter quam quod eſt admodum prudentialis patet quàm fundate ponatur: quia cum apud Raynaudum coincidentem cum Chronologia Bellarmini, currant ſeptuaginta Hebdomades ab anno 3530. vſque ad 4016. in quo mortuus eſt Chriſtus ideſt currant 486. anni apud hunc dicitur exordium fuiſſe tempore Neemiæ cum tamen apud Bellarminum ſequutum eandem Chronologiam debeant numerari Hebdomades, & earum anni per retrogreſſum à morte Chriſti ita vt recidant in annum 3528. *aut* 29. qui non poterat eſſe niſi ſeptimus aut octavus Artaxerxis Longimani, quando miſſus fuit Eſdras prout conſtat ex textu. Ab anno autem 3528. vel 3529. qui iuxta Bellarminum erat tertius vel quartus olympiadis octuageſimæ currunt vſque ad Chriſtum mortuum anno 4016. prout ipſe ponit; 487. aut 488. anni: cum quo ſalvatur Chriſtus mortuus in dimidio vltimæ Hebdomadæ, ſiquidem reſtarent tres vel duo anni ad complendum 490. annos quos efficiunt ſeptuaginta Hebdomades integræ. Cùm etiam modò apud nos dicatur *in dimidio Hebdomadæ* dierum mortuus Chriſtus D. etſi dies Veneris, in quo mortuus eſt, non ſit medius Mathematicè inter cæteros. Patet ergo ſententias noſtras non diſcrepare à tali Chronologia, ne videamur cunctaque iacimus tumultariè congerere.

86 Præter hanc iugem & ſelectam Chronologiam dedimus in particulari ex Ricciolio noſtro ſuperiores Chronologias, & Chronotaxes: quia ſunt ex Authore probatiſsimo in hac linea, & pro pluribus edocendis peroportunæ: in quo quidem-

dem nostram Chronologiam Bellarmini non deferentes, locupletamus propugnatores Biblicos, vt pro oportunitate eò manus porrigant, vndè sibi sint plus consulturi. Imò in eorundem gratiam etiam subsidium aliud non prętermittemus: scilicèt: compendiosè hic subdere Chronologiam illam Biblicam, & non litigiosam, quam Fr. Laurentius à Villavicentio vir doctissimus censuit potius vsurpandam esse: nè quis in sylvas Chronologicas mergeretur; sed quoad rem hanc fixo pede posset stare. Quam, si mordere quis velit, quasi cum Chronologia Hebræorum communiter repulsa coincidentem, vtpotè gradientem per præcisas numerationes Biblicas; nihilominus duo dico: alterum est, non coincidere cum Chronologia Hebræorum in Seder Olam, vbi præcisè ponunt vsque ad Christum annos 3758. & Villavicentius ponit 3989. plus quinque, quàm nos ponimus infra cum Bellarmino: secundum est, quod hæc Chronologia, quæ de præcisis Biblicis supputationibus habenda, & colligenda est, semper debet esse ad manum Biblici propugnatoris, præsertim si quidpiam Chronologicum sit defensurus; nè fiat, quod quandoque neget aliquem numerum ad litteram existentem in Sacro textu: hi enim semper salvi esse debent: quamvis postea ex ipsis textibus, & optimis coniecturis alij quoque numeri contexantur, vt faciunt Chronologi iam pridem in hac re plurimum laborantes.

CHRONOLOGIA VILLAVICENTIJ.

Incipit millenarium primum.

Genes. 5.	Adam genuit Seth.	130.
	Seth genuit Enos.	105.
	Enos genuit Cainan.	090.
	Cainan Malaleel.	070.
	Malaleel genuit Iared.	065.
	Iared Henoch.	162.
	Henoch Mathusalen.	065.
	Mathusalen Lamech.	187.
	Lamech Noe.	182.
	Summa.	1056.

Omnes numeri supra relati constant in Sacro Textu Genesis *cap.* 5. & expleto millenario annorum superfunt 56. anni ad sequens.

Secundum millenarium.

	Superfunt de Lamech.	056.
	Noe tempore diluvij.	600. *Genes.* 7.
	Diluvium anno vno.	001. *Genes.* 8.
	Sem biennis post diluvium genuit Arphaxad.	000. *Gen.* 11. 002. *Gen.* 11.
	Arphaxad Sale.	035. *Gen.* 11.
	Sale Heber.	030. *Gen.* 11.
	Heber Phaleg.	034. *Gen.* 11.
	Phaleg Rheu.	030. *Gen.* 11.
	Rheu Sarug.	032. *Gen.* 11.
	Sarug Nachor.	030. *Gen.* 11.
	Nachor Thare.	029. *Gen.* 11.
	Thare Abraham.	070. *Gen.* 11.
	Abraham quando ivit in Canaam.	000. 075. *Gen.* 12.
	Summa.	1024.

In hoc secundo millenario superfunt 24. anni Abraham, qui cum 51. computatis in antecedenti millenario faciunt 75.

Tertium millenarium.

	Superfunt de precedenti.	024.
	A profectione in Canaam	000.
	vsque ad exitum Ægypti.	000.
	Ex Paulo ad Galat. 3.	430.
Act. 7.	Ducatus Moysis.	040.
Iud. 3.	Iosue cum Othoniele.	040.

Quartum millenarium.

	Superfunt de Asa.	032.	3. *Reg.* 45.
	Iosaphat.	025.	3. *Reg.* 22.
	Ioram.	008.	4. *Reg.* 8.
	Ochozias.	001.	4. *Reg.* 8.
	Athalia.	007.	4. *Reg.* 11.
	Ioas.	040.	4. *Reg.* 12.

Aod,

Iud. 3.	Aod.	080.	Amaſias.	029.	4.*Reg.* 14.
Iud. 5.	Debora.	040.	Ozias.	052.	4.*Reg.* 15.
Iud. 8.	Gedeon.	040.	Ioathan.	016.	4.*Reg.* 15.
Iud. 9.	Abimelech pluſ-	000.	Achaz.	016.	4.*Reg.* 16.
	quam.	003.	Ezechias.	029.	4.*Reg.* 18.
Iud. 10.	Thola.	023.	Manaſſes.	055.	4.*Reg.* 21.
Iud. 10.	Iair.	022.	Amon.	002.	4.*Reg.* 21.
Iud. 10.	Populus ſine Iudi-	000.	Ioſias.	031.	4.*Reg.* 22.
	ce.	018.	Ioachaz vel Ioa-	000.	
Iud. 12.	Iephte.	006.	chin.	000.	3.ms. 4.*Reg.* 23.
Iud. 12.	Abeſam.	007.	Ioachin EliaKin.	011.	4.*Reg.* 25.
Iud. 12.	Ayalon.	010.	Iechonias.	000.	3.ms. 4.*Reg.* 24.
Iud. 12.	Abdon.	008.	Sedecias.	011.	4.*Reg.* 25.
Iud. 15.&16.	Sanſon.	020.	Captiv. Babyloniæ.	070.	*Ier.* 25. *Dan.* 9.
1.*Reg.* 4.	Heli.	040.	Reædificatio Tẽpli.	046.	*Ioann.* 2.
Act. 13.	Samuel,& Saul.	040.	A templo reædifi-	000.	
2.*Reg.* 5.	David.	040.	cato anno 6.	000.	
3.*Reg.* 12.	Salomon.	040.	Darij, qui diceba-	000.	
3.*Reg.* 14.	Roboam.	017.	tur.	000.	
3.*Reg.* 15.	Abias.	003.	Artaxer. & Longi	000.	
3.*Reg.* 15.	Aſa.	041.	manus à Philone	000.	
			apud Villavic. *lib.* 7.	000.	
Summa.		1032.	*obſerv.* 10.	001.	1.*Eſdræ* 6.&7.
			A. 7. Artaxer. ſep-	000.	
			tuaginta Hebdom.	000.	
			vſque ad mortem	000.	
			Chriſti.	487.	
			Summa.	969.	

Superſunt de Aſa 32. ad quartum millenarium, qui proindè in capite ſequentis millenarij apponuntur.

88 In qua Chronologia habetur, quod, ſi quid extrà prædictas ſupputationes, intrudi velit, poterit ſine nota repelli; quatenus ſemper erit opinabile, & de humanis petitum hiſtorijs, & Chronologijs, quæ ſolemniter diſconveniunt. In illis quadraginta, & ſex annis de reædificatione templi placet cum communi, vt fatetur ipſe Torniellus, anno 3540. intelligere de tempore conſumpto in reædificatione Zorobabelis: nam reliquæ intelligentiæ non videntur accommodæ, ſed propter preſſuras excogitatæ. Diſcedimus autem in extremo ſupputationis à Villavicentio: quia hic longè aliter, quam nos ponit ſeptuaginta Hebdomades Danielis inchoatas, & abſolutas, & quidem terminatas in Nativitate Chriſti, & non in morte, vt eſt communis ſententia. Quare cum nos videamus, à Philone vocari Longimanum, & etiam Artaxerxem illum Darium, cuius anno ſexto templum abſolutum eſt; incipimus Hebdomadas ab anno ſeptimo huius Darij, vel Artaxerxis Longimani, quando miſſus fuit Eſdras, vt conſtat 1.*Eſdræ* 7. quod nos latè ſuſtinemus cum Cornelio, & alijs in quæſtione noſtra de ſeptuaginta Hebdomadibus. Quod ſi quis Xerxes, & Artaxerxes, & Darios miſceat, & annos augeat, vel minuat; dicito talia non conſtare omninò, vt patet ex Diodoro, Herodoto, & Euſebio de Regibus Perſarum. Hæc Chronologia preſſa, & fixa data eſt: nè quis confundat numeros negabiles cum ijs, qui negari non poſſunt. Quod ſi adijciantur 30. anni ſecundi Cainam, dempta Centuria frequenter addita in LXX. aſcendet ſumma ad quatuor millenaria.

Ad

89 Ad calcem obſerva duo. Primum eſt, quòd circa criticum, & moderatum vſum Chronologiæ in hoc capite attactum, invenies in hoc eodem tomo in quæſt. de annis Saulis *num.* 4. & *num.* 5. obſervationes ſpecioſas atque huic rei plurimum ſervituras. Secundum eſt quod licèt inter particulares Chronologias ſuprà recenſitas non facta fuerit ſigillatim diſtributio annorum vniuſcuiuſque Iudicis ad eliciendam ſummam 480. annorum decurrentium ab Exodo vſque ad Templi fundamenta; tamen ibi ſatis doctrinaliter tota ratio difficultatis exponitur: atque inſuper in Chronologia vniverſali, tùm paulò ſuperius exhibita; tùm à nobis poſt Decades ſubnectenda invenietur ea diſtributio annorum inter Iudices facta: itemque apud Torniellum *tom.* 1. ſub duplici ſupputatione, & paradigmate ſatis clare proponitur.

***



APPARATUS
AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
PARS SECUNDA
DE RE GEOGRAPHICA, ET DIVISIONE TERRÆ SANCTÆ.

PROOEMIUM.

POSTQUAM EA, QUÆ DE TEMPORE SVNT, ET CHRONOLOGIA ad Sacras litteras ſpectante, tractavimus; reſtat nunc aliqua etiam, licèt ſummatim, & breviter, attingere de ijs, quæ ratione loci ad difficultates Biblicas ſolvendas conducere videbuntur. Cumque diviſio, & Geographia Terræ Sanctæ, ſeu Paleſtinæ, in qua verſatur tota hiſtoria Veteris, & Novi Teſtamenti, ſit id quod in hac parte iuvabit plurimum; eam ſic tradere aggredimur.

CAPUT PRIMUM.

DE SYRIA GENERATIM CONSIDERATA.

1 QUemadmodum nõ ignoro rem Chronologicam valde diſtinctam eſſe à re Geographica, & omni menſura quæ non ſit temporis; cæterum cum ex communi placito Doctorum Topographia, ſivè *locorum deſcriptio*, non parum conducat ad ſacras litteras penitius intelligendas, ſi nimirum, parcè quidem, & cum delectu res eiuſmodi adhibeatur; non piguit, pòſtquam de re Chronologica, quæ certè operoſa eſt nimis, omnia illa præmiſimus, cum quibus Bibliorum ſtudioſus poſsit circà temporum dimenſiones peritus excurrere; modo nonnulla de bonis Authoribus, quaſi florilega manu colligere, tùm de ſitu terræ Promiſsionis, tùm poſteà de ponderibus, & menſuris, quæ & opuſculum noſtrum ornatura ſint, & ſtudioſo Bibliorum non parum ſuffragatura eſſe videantur. Igitur vt ordinatè procedamus cum doctiſsimo Salmeronio, qui vt opinor, ipſe ſcripſit prudentiſsimus in hac parte, primò dicam de Syria in genere: ſecundo de Syria Paleſtinę: tertiò denique de Civitate ipſa Ieroſolimitana: in qua brevi tractatione huius capitis remittimus eos qui ſcrupuloſas, ſubtileſque dimenſiones, terrarumque diſtantias amaverint, ad Ptolomæum, & alios Coſmographos: illos verò, qui de Terra Sancta accuratam, & ſpecioſam deſcriptionem deſiderent, remittimus ad Adricomium in

ſuo

suo Theatro Terræ Sanctæ, Quaresmium, & alios.

2 Circà Syriam in genere sciendum est, esse partem, & Provinciam Orientalem nobilissimam, & ita vastam, vt in Sacris litteris non vna, sed multiplex Syria reperiatur, scilicèt, Syria Mesopotamiæ, Syria Soba, Syria Damasci, Syria Phæniciæ, Syria Mahaca; Syria de Decapolitana, Cœlesyria; & Syria Palestinæ. Insuper iuxta Gentiles dici solet alia Syria Comagena, alia Apamea, Cœlosyria, Phænitia, Seleucis, Leucosiria, & Palæstina, & Barapotamia; immo etiam secundum Plinium Mesopotamia, & Babylonia. Circa quas, licèt Abulensis sequi videatur Brocardum moderniorem, Nos cum Salmerone, quem omninò sequimur, potius veteres consectabimur Pomponium Melam, Plinium, & Strabonem. Atque in primis Syria, quæ ab Hebræis *Aram* (vnde Armeni) eadem est cum Assyria ex Herodoto, Iustino, Ammiano Marcelino, & Dione Casio, quæ licèt ita olim fuerit, tamen ex Ptolomæo, & alijs Assyria peculiaris est, cuius Metropolis *Ninive*, ab *Assur* in Sacris litteris. Syria verò ex Strabone plus cingitur, ita vt excludat Mesopotamiam, Chaldæam, Cappadociam, & Arabiam. Iam in particulari dicitur Syria Mesopotamiæ græco vocabulo, quæ Hebraicè dicitur, *Aràm Padam*, vel *Naaraim*, ideſt, Syria fluviorum duorum, de qua in Genesi, & Psalmis: quia Mesopotamia græcè idem est, ac *Medamnis*, id-est, media inter amnes. Padàm autem vel fuit Civitas Haràm, vbi habitavit Tharè cum Nachor, vel regio, in qua erat. Nomine Mesopotamiç venit etiam Chaldæa, & Assyria propter illos amnes, & ita fortè dicitur *Gen.* 12. & *Act.* 7. Civitas Haràm, sivè Charràm memoratur *Gen.* 11. & *in lib. Tobiæ, Iudith. & Actorum.* In hac Syria sunt Civitates Nisivis, vel Antiochia, & Edessa, quam Brocardus eamdem ac Ragès esse dicit. *Secunda* est Syria Soba, quæ distinguitur ab Hoba Damasci. *Gen.* 14. sita est in Mesopotamia iuxta Titulum *Psalmi* 59. & *Iudith.* 3. & 2. *Reg.* 8. & 1. *Paralyp.* 1. & 19. vbi dicitur pugna David cum Adàrecer Rege Soba, qui licèt dicatur Rex Regionis Emath, notandum est cum Pagnino, & Caietano Hebraicè dici *Chamath*, & fuisse locum prælij, itemque Emath nomen Civitatis, & totius regionis, vt constat 2. *Paralyp.* 8. Meminit liber secundus Regum, & primus Paralypomenon Syriæ Rohob, & Istob, & Syriæ Maacha, de quibus non satis inter Scripturarum Interpretes, & videntur esse Provinciæ trans Euphratem: quia Rohob fuit locus trans flumen, vbi Syrorum exercitus coacti sunt *lib.* 2. *Reg.* vel etiam posset dici esse vltrà Lybanum, *Numer.* 13. & datam Levitis. *Iosue* 19. Syria Istòb potest esse illa terra Iob prope Moab, ad quam fugit Iephtè. *Iosue* 2. & Syria Maacha illorum Cananæorum, qui permanserunt inter filios Israel, ad quos fugit Absalon.

3 *Tertia* Syria est Cappadociæ, quam aliqui Syriam Sobæ esse putant, sed ab ortu Armenia minori, ab occasu Paphlagonia & Galatia, ab Septemtrione Ponto Eusino cingitur, & in Isthmum desinit: cuius Metropolis olim Mazacha, à Tiberio dicta est *Cæsarea*. *Quarta* Syria est *Comagena* parva Regio habens vrbem Samosatam, vnde mordax Atheista Lucianus, & impurus Paulus Samosatenus. *Quinta* Syria dicitur *Apamea* dicta Tetrapolis, quia habebat quatuor Civitates insignes præter alias Antiochiam, Seleuciam, Apamiam, & Laodiceam. Dicebatur Cœlosyria, quasi depressa in planities; de qua simul cum Phænicia dicitur 1. *Machab.* 10. & 2. *Machab.* 3. 4. & 8. *Antiochia* apud Damnem Hebraicè dicitur Reblatàn, *Num.* 34. & à Iustiniano dicta Theopolis; fuit verò celebris propter Christianos, & prædicationem Pauli, & Barnabæ, & nativitatem D. Lucæ. Seleucus Nicanor illas

illas quatuor Civitates, aut condidit, aut ornavit. *Seleucia* quæ ſecunda eſt, ſita eſt prope Antiochiam, & *Apamea*, quæ tertia eſt, vocata eſt Cherſoneſus, & *Laodicea* vocata eſt ab Hebræis *Ramatà*. Seleucus autem multas vrbes condidit, quia multis annis regnavit, ita vt ſexdecim Antiochias condiverit, vel ornaverit, ne mirum ſit in Syria Meſopotamiæ, & Aſia minori tot Civitates Homonimas reperiri: à nomine autem Patris nominavit Antiochiam, à Matre Laodiceam, ab vxore Apamiam, & à ſe ipſo Seleuciam.

4 *Sexta* Syria eſt *Phœniciæ*, cuius Metropolis Tyrus, & in qua Sidon, & Sarepta, & de qua vetuſtiſsima meminit *Ioſue* 19. & cuius Rex Hiram memoratur 3. *Reg. cap.* 5. & ruina *Ezechiel.* 26. fuitque iuxtà Cœloſyriam. Hinc *Syrophœnices* dicti ſunt, de quorum numero erat illa Cananæa Syrophæniſa, de qua *Marci* 7. In eadem ora *Biblus*, nunc dicitur Gibeleth, ſic dicta, quod in ea libri illius Regionis incorrupti ſervarentur, & cuius fit mentio *Ezech.* 22. *Septima* Syria eſt Damaſci, de qua *Iſaiæ* 7. dicitur Damaſcus *Caput Syriæ*, *Et lib.* 2. *Reg.* & 3. *ac* 1. & 2. *Paralypomenon.* Antiochia facta eſt caput Syriæ, quæ etiam dicta eſt Syria Lybani propter Lybanum ibi incluſum, & data fuit dimidiæ Tribui Manaſſe. Ioſephus *lib.* 5. *Antiq. cap.* 3. Propè eſt Hemath à poſtremo filio Canaam. *Gen.* 10. & de qua *Iſaiæ* 10. & 11. *Zachariæ* 9. *Ezech.* 47. *Amòs* 6. & *Numer.* 34. *Introitus in Hemath*, (de quo *in lib. Iudic.* & 4. *Reg.* 14. & 2. *Paralyp.* 8.) eſt poſt Lybanum verſus Euphratem. Vbi Iturça, & Traconitis, de qua *Marci* 7. & Regio Decapolitana, eo quod decem præcipuas Civitates haberet, quas ita vocat Brocardus. *Tyberias*, *Sephet*, *Cades*, *Nephtalim*, *Aſor*, *Cæſarea Philippi*, *Capharnaum*, *Bethſaida*, *Corozaim*, *Bethſam*, *quæ & Scytopolis* dicta eſt. Damaſcus eſt inter Libanum, & *Antilibanum* ſita, & vocata terra Hus Patria Iob: quam partem etiam Orientalem viſi ſunt habitare poſteà Idumæi. *Ieremiæ Trenorum* 4. Celebris in hac Syria eſt Palmyra, de qua Hebraicè dicta Ramòth, *ſcribitur* 3. *Reg.* 9. & 2. *Paralyp.* 8.

CAPUT SECUDUM.

DE SYRIA PALÆSTINÆ.

5 SUfficiant hæc pro notitia Syriæ in generali; nunc autem plus ſigillatim dicemus de *Syria Paleſtinæ*, *ſivè Iudæa*, *ſivè terra Promiſſionis*, *ſivè Canaam*, quæ omnia ſunt idem. Quæ terra promiſſa fuit à Deo Abrahàm liberaliter; & iuſtè ablata à Cananæis, qui per vim eripuerant à filijs Sèm, quibus debebatur. Termini terræ Promiſsionis habentur *Num.* 34. *Ezech.* 47. Dicta eſt *Iudæa* à Tribu Iudà principali inter cæteras, & *Palæſtina* ab Ethnicis propter Philiſtæos. Huius terræ Promiſsionem iuxtà longiores terminos libri Numerorum implevit Dominus, quando David ſubegit Palæſtinos, vel Philiſtinos, Idumæos, Moabitas, & Ammonitas, Syriam Damaſci, & Syriam Soba vltrà Euphratem. 2. *Reg.* 8. Quam tamen non ſtatim occupaverunt, neque occupaturi erat Iudæi, vt dicitur *Exod.* 23. *Iudic.* 3. *Deuteron.* 30. Terra hæc promiſſa exigua erat iuxtà Hieronymum *Epiſt.* 129. à medio, ita vt à Dan, vſque ad Berſabè 160. millia paſſuum interſint: cuius latitudo iuxtà Brocardum ab Occidente ad Orientem, ſeu à mari magno ad Iordanem non excedit 26. leucas, & longitudo ab Aquilone ab Auſtrum, ſivè à Dan vſque ad Berſabè vix habet 120. leucas. Iuxtà Ptolomæum verò & alios Geographos habet longitudinis ferè ſeptuaginta, & latitudinis ad triginta: vndè mirum fuit divinæ Sapientiæ Conſilium in his Promiſsionibus, prout obſervat Hieronymus *Numer.* 34. & ſub quibus æterna promiſſa ſatis indicantur. Erat profectò

fectò hæc terra quantumvis exigua, longè pretiosa Cæli temperie, soli vbertate, aeris salubritate & pecorum, & armentorum copia cumulatissima, ita vt vix explicari queat, quantam hominum multitudinem aleret, quotque Civitates contineret, vtpotè quæ Regio erat altissimis, cultis, & feracissimis montibus constans: (qui quidem montes subiectas areas ferè per superficiem quadruplam superabant,) & viscera metallorum sanè fœcunda. Cuius terræ opimitas Reges vicinos, longinquosque invitabat ad deprædandum, vt Ægyptios, Assyrios, & Babylonios: erat insuper præclara Balsamo, quod Iudæa sola præstantissima proferebat, teste Plinio *lib.* 12. *cap.* 25. aquisque pro reparanda valetudine saluberrimis abundabat. Situs verò in quarto Mundi climate, & in medio terræ tunc habitabilis eam mari cinctam, lacubus, amnibus, fontibus, & portubus exornavit; sed præterquamquod glorioſior evasit Israeliticopopulo, & templo, necnon Prophetarum, iustorum, & sapientium hominum multitudine; glorioſissima pars Mundi est, postquàm eam filius Dei incarnatus suis pedibus calcavit, præsentia honoravit, prædicatione instruxit, ac tandem totius humani generis redemptrice morte insignivit. Adverte, quod quando Interpretes dicunt in hac descriptione *vsque ad Rinocoruram*, intelligitur vsque ad Torrentem Ægypti: quia vbi Vulgata legit *Torrentem Ægypti*, verterunt Septuaginta nomen proprium fluminis *Rinocorura*, quod transibat per Idumæam, & desertum *Sin* vsque ad mare mortuum.

6 Circà divisionem Terræ Sanctæ considerari post primò prout occupata à Cananæis seu filijs Canàm, qui ipsam eripuerunt à filijs *Sem*; sicut & Nembroth filius Chàm eisdem abstulit Babyloniam, quod indicat Clemens Romanus *lib.* 1. recognitionum circà principium. Sed de hac prima divisione inter ipsos Cananæos non est à nobis studioſe tractandum, cum has Nationes deleverit populus Dei. Secunda divisio venit consideranda inter duodecim Tribus Israel, *Iosue* 14. & 15. in cuius distributione plus, minusve datum est singulis Tribubus iuxta pauciores, vel plures familias in vnaquaque repertas, neque omnis Tribus sortitione rem habuit, nam portio duarum Tribuum Ruben, & Gad, & dimidia Tribus Manàsæ ex electione Moysis Ditionem suam obtinuerunt vltrà Iordanem. Citrà Iordanem verò omnes aliæ Tribus mare Occidentale attigerunt in sorte sua præter Tribum Beniamin extensam à Ierichò in Ierusalem. Igitur Tribus Iudà habuit per sortem ad ortũ mare salsum ab ipso ostio Iordanis: producebatur tamen, & vltrà mare terminus Orientalis ad vicinam vsque montis Hor solitudinem: inde Meridiem versus, atque ab ortu ad Occasum, procurrens omnibus illis montibus, quos voce generica *Hor* dictos plura nomina distinguebant, vt Cadesbarne, & montis, & vrbis in eo sitæ nomen, & Maon mons, & Pharan, atque Sinai. Ab Occasu secundum maris rubri latus civitates postremas Palæstinorũ. *A meridie* Civitates Gerara, & Siceleg. Iosuè 27. Ab Aquilone Iebneel inter mare, & montes Balgalæ. In hac Tribu fuerunt Civitates Iebus, seu Ierusalem sita in montibus Bethleem, Bethania, Engaddi, Bethsames, Chariatiarim Patria Zachariæ filij Ioiadæ. Petra distincta ab alia in Arabia. Nobo Civitas Sacerdotalis distincta ab alia Nobe in tribu Manàsse, & alia in Tribu Beniamin. *Simeon*, & *Levi* iuxta verba Patris sui Iacob *Gen.* 49. *Dividam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel* non habuerunt propriam mansionem; sed *Levitæ* per omnes Tribus dispersi erant, & etiam *Simeonitæ*, qui ex traditione Hebræorum ferè omnes erant Scriptores, & Pædagogi. Nihilominùs intrà Sortem Iudæ ab Austro

ponitur Tribus Simeon cingens Tribum Iudà.

7 *Tribus Beniamin* terminos habuit à meridie, quos Iuda ab Aquilone vſque ad Tamna, quæ ad montem Saronæ ſita erat, & prætendebatur à Iordane in mare Occidentale rectà, niſi quantum in montibus Bethel,& Ephraim non nihil deflecteba-tur. Occidentalem fluminis ripam vſque ad oſtium in mare Salis, Orientale claudebat latus, & tranſibat terminus per montes Saronæ Acharot, Ador, Bethel, & Vallem Bethaben, Anathot Patriam Ieremiæ, Maſpha,& Ebal vrbes in terminis. In ea fuerunt Civitates Iericò, Hai, duplex Gabaa altera, vbi latuit Saùl: altera, vbi violata fuit vxor Levitæ, Zeila, Gabaon, Ramà civitas Sauli, Maſphat Samuelis domicilio celebris. Hæc ſors anguſtior fuit, ſed terra vberior,teſte Ioſepho *lib.* 5. *Antiquitatum. Tribus Dàn* erat confinis Iudæ, ab Ortu, Occaſu, & Auſtro terminos habebat cum illa communes: ab Aquilone verò partim cum Beniamin limites coniungebat. In hac erat oppidum Modin patria Aſſamonæorum, qui dicti ſunt Machabæi. Quæ Tribus non contenta ſuis terminis procurrit ad vicina loca Lybani inter Aſer, & Nepthalin ſe extendens ab agro Emath vſque ad terminos Sidoniorum. *Tribus Ruben* victis Regibus Sehon, & Og habuit primam vrbem ſuæ ſortis Aroer ſitam à meridie ad ripam fluvij Arnon: ab Aquilone verò habentem Heſebon, ab Occaſu montes Hermon, ab ortu regiones Hedon, & Arabum ſolitudines. *Tribus Gad* habuit communes terminos cum Ruben à meridie; ab Occaſu partem montis Hermon, qua Iordanis defluit vſque ad mare Zenereth, ab Aquilone dimidiam Tribum Manaſſes; ab ortu vero eos montes, quibus Edom,& Arnon ab Arabum vaſto tractu dirimuntur. In ea fuerunt alia Civitas Aroer, & alia Heſebon, & aliæ: immo & tertia Aroer videtur ab ipſis ædificata. *Tribus Manaſſes* habuit duas medietates; alteram vltra Iordanem intra Baſſan, & Aram Damaſci, vel Trachonitidem, & Ituræam, vt volunt aliqui, quæ obtigit filijs Machir. In ea fuerunt vrbes Aſtaroth, Iabeſgalaàd, Edreghi, & Boſrra, Baalgad,& Hermonem. Vnus ex filijs Manaſſe *Iair*, victam à ſe bello partem regionis Baſam, 70. oppidis captis, atque inſtauratis, frequentem reliquit, quam de ſuo nomine *Havoth Iair* vocat. Alius ex Manaſſe liberis *Noba* vocatus, expugnavit vrbem Canatha: & nomen ſuum illi indidit, vt Nobe diceretur: vt docet liber Numerorum. Ad lævam enim eius eſt Tribus Aſer; ad dexteram pars Ephraim, ab ortu Iſachar, ad occaſum ipſum mare. Vrbes antiquæ Bethſan, quæ Scythopolis, poſteà Machmathath, & Machmas, Endor, Iebblagham, Mageddo, Nophethe, & Thanach, Getrimon, Dor, ſive Doræ Maritima. Iuxtà eſt turris Stratonis,& poſteà *Cæſaræa Palæſtinæ* vocata Bethulia patria Iudith, & Avelmehula patria Eliſæi, & Ramatà patria Samuelis, quam Syri vocarunt Arimathiam.

8 Sequitur *tribus Ephraim*, vbi advertendum eſt, Ephraim, & Manaſſem filios Ioſeph cooptatos fuiſſe in Tribus Iſrael pro *Ioſeph* Patre ſuo: vnde dempto Levi, & Ioſeph, ſemper remanent duodecim Tribus. Igitur termini meridionales Ephraim ſunt ijdem, qui Beniamin à Iordane ad mare. Aquilonares verò à fonte vnico Ierichuntis currente per ramenta montis Silo, & agrum vrbis Gazer datæ per Pharaonem Salomoni in dotem filiæ ſuæ. 3. *Reg.* 9. Inqua parte vrbes erant Silo, Ephraim, Bethavem, Bethoron inferior. In Auſtrali, & Orientali parte Bethoron ſuperior, & in centro Samaria, Silò olim locus tabernaculi, Sichen hoſpitio Abrahæ nobilis, & clade Sichimitarum illuſtris, *Gen.* 34. vbi ſepulti ſunt filij Iacobo. Salèm cuius Rex fuit Melchiſedec, de qua ſorte,

Ioſuè 16. *per totum. Sors Iſachar* collocata eſt inter Ephraim à meridie, & Zabulon ab Aquilone, Gad ab ortu, & Iordane ad lacum Genezareth, & Manaſſe ab Occaſu, & extenditur vſque ad Carmelum excluſivè in longitudinem: in latitudinem verò ad montem Ithabir, vel Thabor. In ea vrbes Ramoth, Ephraim, *Aroer Gentium*, & aliæ, & flumen Ciſſon ex montibus Garizin Samariæ, & Gelboe. De quo *Iudic.* 4. & 3. *Reg.* 18. ſunt etiam hic Nain, & Bethſaida. *Tribus Zabulon* vtriuſque maris littus obtinuit à meridie cum Manaſſe, & Iſachar, vbi alia Bethleem, & mons Carmelus, & Thabor in medio, & Hermòn minor. Item Capharnaum fons, & Civitas, & Canà Galileæ, ſeu minor à diſtinctione Canà maioris in Tribu Aſſer. Ab Occaſu verſus Aquilonem tangebat Sydonis regnum, vt dicitur *Gen.* 49. & *Ioſuè* 19. *Sors Nephtali* ſita eſt in angulo, quo ſe contingunt tres Tribus Nephthali, Aſſer, & Dàn. Ab Aquilone habet terminum Alibath, & iuxta Ioſuè pertranſit in Zabulon contra meridiem, & in Aſſer contra Occidentem, & in Iudà ad Iordanem contra Ortum Solis. *Tribus Aſſer* ſpatioſam terram obtinuit ab ortu *Nephthali*, ab Occaſu Regnum Tyri, & Sydonis, à meridie *Zabulon*, ab Aquilone verò *Dàn*. In ea fuerunt vrbs Rohob, & Canà maior vnde aliqui dicunt fuiſſe illam Cannanæam, cuius filia fuit à dœmone liberata. Giſcala municipium Galilææ, de qua D. Paulus iuxta aliquos oriundus eſt.

9 *Tribus Levi* nullam portionem habuit aſsignatam, quia Dominus erat hæreditas eorum, ſed tamen poſteà aſsignatæ ipſis ſunt ad habitandum 48. Civitates, vt habetur apud Ioſuè *cap.* 21. & inſuper aliquæ Civitates refugij pro ijs, qui homicidium caſuale perpetrabant, quæ erant *Cades* in Galilæa montis Nephthali, & *Sichen* in monte Ephraim, & *Hebròn* in monte Iuda. Et pro duabus Tribubus cum dimidia vltra Iordanem *Boſſor* in Tribu Ruben *Ramoth Galaad* in Tribu Gad, & *Gaulon* in dimidia Tribu Manaſſes. Et hæc de diviſione principaliori huius terrę. Quæ quidem poſtquam Reges obtinuit, etiam ſecta fuit in duo regna, ſcilicèt, *Iuda*, vbi manſit verus Dei cultus, & templum cum duabus Tribubus Iudæ, & Beniamin, & parte Levitarum, & Sacerdotum. Et Regnum *Iſrael*, ſivè Iacob, ſivè Samariæ, ſivè Ephraim, quod in Dàn, & Berſabe coluit Deus alienos, & avertit homines à templo Ieroſolymitano exædificato altero per Sanabalath in monte Garizin: de quo loco adorationis loquuta eſt Samaritana. *Ioannis* 4.

CAPUT TERTIUM.

DE ALIJS DIVISIONIBUS PALÆSTINÆ.

10 POſt has diviſiones, Græcorum, & Macedonum tempore diviſa eſt Palæſtina in tres Provincias, ſcilicèt, Iudæam, Samariam, & Galilæam, de quibus multa ſunt ſcitu digna, quæ recenſet Salmeron *Prologom.* 41. ſed quæ Ego per ſaltum ſolum attingam, ne caput noſtrum prolixitate deterreat. Iudæa, quam male Plinius cum Idumæa confundit, manſit cum duabus tribubus, & reliquę decem inter Galilæam, & Samariam ſunt; Samaria verò longè inferior quam Iudæa, vel Galilæa. In Iudæa ſic diviſa, erant Civitates Rinocorura, Gaza, Aſcalon, vnde Herodes, Azotus nunc Idumæis nunc Iudæis attributæ. Nova Gaza maritima poſteà à Iuliano ædificata eſt. Ibi Hebròn, Emmaùs, poſteà Nicopolis, & Cæſaræa Palæſtinæ celebris propter Ludos Olympicos, & converſionem Cornelij Centurionis, & quia deſtructa Ieroſolyma, fuit caput Iudææ, cuius Epiſcopus fuit Euſebius Pamphili. Item Bethleem patria Davidis, & *ortu Domini longè celebrior*. Rhamà, de qua

Matth.

Matth. 2. & *Hieremiæ* 31. & Iericò vbi Christus Zachæum convertit. Et Galgala vbi vnctus est Saùl, & Hierusalem, &c. *Samaria* verò ita dicta ante captivitatem populi Israel erat Metropolis Tribus Ephraim, seu decem Tribuum, quia ipsa erat Tribus Ephraim, quę recepit Verbum Domini prædicatione Philippi, & tempore Hieronymi nihil nisi ruinas habebat: fuit tamen clara reliquijs Elisæi, Abdiæ, & Sancti Ioannis Baptistæ. Propè ipsam est Sichen vel Sichar posteà dicta Neapolis, iuxta quam Puteus Samaritanæ, & in qua natus fuit Iustinus Martyr, & Phylosophus; duravit Regnum Samariæ 250. annis in Israel à Ieroboam vsque ad Salmanassar Regem Assyriorum, à quo Israel captus, & in Persas, & Medos abductus est, substitutis in eius locum ad Custodiam militibus, & habitatoribus ex Assyria missis. Qui etsi Moysis legem receperint, seruiebant tamen Dijs suis iuxta ritum Gentium, vndè Iudæis inuisi erant, & vt Hæretici ab eis habebantur. Horum ingenium erat, teste Iosepho, vt quoties Iudæi adversis rebus afflictarentur, Iudæos se esse pernegarent; contra verò rebus prosperis Iudaismum maximè profiterentur.

11 *Galilæa* alia erat superior, & alia inferior. Superior à Iordanis fontibus, qui fluunt à Libano, in Genezareth lacum descendit terram Zabulon, & Nepsthali complectens, per quam via publica ab Assyrijs in Tyrum ad mare mediterraneum ducit *via Maris* dicta; & quoniam hæc extrema est Palæstinæ, & Syris ipsis contermina, cognominatur *Galilæa Gentium*: cuius portio non modica donata videtur per Salomonem Hyràm Regi Tyriorum. In hac Galilæa superiori sita est Assor regia vrbs Regis Iabin, quam expugnavit *Iosuè* 11. Alia verò erat inferior Galilæa in Tribu Zabulon, sicut superior in Tribu Nephthali, vbi lacus Tiberiadis, Trachonitis, Ituræa, Libanus (ideſt Niverus) & Antilibanus, & Cæsarea Philippi. Ibi etiam Bethsaida vnde Petrus, Andræas, & Philippus, & Magdalum patria Magdalenæ, de quo *Iosuè* 19. & Nazareth, & Diocæsaræa credita Ioachimi, Patris Deiparæ, patria, licèt ab alijs creditur Bethlemiticus. Incolæ autem regionis Pentapolis olim amæniſsmæ, videntur fuisse, vel Philistæi, vel alij filij Chàm: vt colligitur *Gen.* 19. non enim videntur habitæ fuisse illæ Civitates à Gente Cananæa: vnde licèt tota terra Palæstina dicta sit à Philistinis, non quidem ab illis, vt ab Incolis proprijs, sed vt finitimis. Ex illis ergo quatuor Civitatibus Sodoma, Gomorra, Adamà, & Seboin factus est ille Lacus græcè vocatus *Asphaltites*, seu mare salsum, aut *vallis Salinarum*, & *mare mortuum*, de quo satis prodigiosa narrant Iosephus *lib.* 14. *Antiquitatum cap.* 7. Tacitus *lib.* 21. initio, & Strabo *lib.* 16. post medium, & in quod influit Iordanis, quando egressus lacum Genesareth, eruptionem facit. In hac etiam Galilæa sita est Sochoth, quæ interpretatur *Tabernacula*, quia Iacob ibi ea tetendit, & sic appellavit; qui locus propter luctam Iacob dictus est *Phanuel*: à quo non longè est Civitas *Salèm* (iuxta Salmeronem) distincta à Ierusalem in terra Canaàm, & cuius Rex fuit Melchisedech.

12 Quoad vltimam divisionem possumus illam terram Promissionis partiri more Romano fortè relicto à Græcis, vel cum Plinio *lib.* 5. *cap.* 14. Iudæam cis Iordanem in decem Toparchias, & *cap.* 23. Syriam in decem, & septem: vnde videtur colligi olim per Tetrarchas quadripartitam fuisse administrationem, quod Totrarchas nominatos reperimus in Evangelio, scilicèt Herodem, Philippum, & Lyssaniam; posteà verò illis ampliùs divisis, & aucto numero, vetus nomen retinuisse. Vel cum Iosepho *lib.* 3. *de Bello Iudaico, cap.* 2. in vndecim Toparchias, quas ibi ipse nominat. Scien-

dum

dum tamen eſt ex Salmerone prolegomeno 40. & Maldon. *Luc.* 3. & Matth. 2. 22. Quod licèt Tetrarchiæ (quas iuxta Salm. potius quam Auguſtus diviſit Herodes) ſonent quatuor partes imperij; tamen duæ cum Regio titulo ceſſerant Archelao; & ex Tetrarchijs duabus altera Philippo, altera Antipæ vel Antipatro; qui tres fuerunt filij Herodi ſuperſtites. Quis autem ſit Lyſanias ille etiam Tetrarcha *Luc.* 3. vide Salm. in Luc. vbi rem explicat. Pilatus verò, relegato Archelao, præſes, & Procurator factus eſt etiam Iudeæ, iam ad Syriam adiunctæ. Quoad montes verò præcipui ſunt Hermon, & Thabor, ad quos alij, ſcilicèt, Gelboe, & Garizim, referuntur. Eſt item mons Nebo pars montis Seir, à quo non longè diſtat mons Sinai, cuius ſummitas dicitur Orèb. Quare quod dicitur *ad Galatas* 4. *Sina mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Hieruſalem*, intelligendum eſt ſivè per ramenta montium, ſivè quia Arabia, vbi eſt Sinai, confinis eſt Iudææ, vbi eſt Ieroſolyma. Sunt etiam montana Iudææ, quæ deſcendunt à ſitu Hieruſalem ad Seir. Quoad regiones verò circùm iacentes ſunt ad Aquilonem terræ Sanctæ Tyrus, & Sydon, Syria, & Cæloſyria, & Damaſcus. Ad Oriente Arabia, & Idumæa, Cinæus, Amalech, Moab, & Amon; à meridie Arabia Petræa Idumæa, & Ægyptus, & Philiſtijn. Cum verò tota terra Sancta poſſeſsio fuerit poſteritatis Iſaac ſuſcepti ex vxore Sara; Iſmael ſuſceptus ab Abraham ex Agàr, crevit, quaſi in alijs duodecim Tribubus, quæ paternum nomen retinerent: quarum habitatio cæpit à deſerto Pharàm, & habuerunt duas Arabias, alteram iuxta felicem, alteram iuxta Cheſebon. Filij vero Abrahæ ex Cetura fuerunt Zaran, Ieſan, Madan, Median, Iesboc, & Suè: hi deſerta loca inter Ammonitas, & Moabitas, & Chaldæos ortum verſus occupavere, & ideo filij Orientis dicti ſunt. Sed de his Nos ſatis, & Salmeron aliquantulo fuſius.

CAPUT QUARTUM.

DE CIVITATE SANCTA IERUſalem.

13 PLacet ſeparatim, curſim tamen, ex Fulgentio Botens civitatem, & templum exponere, & in primis illam Civitatem regiam toto Orbe famoſiſsimam non novam, ſed veterem, totius Iudææ Metropolim, & ſedem regni Iudaici, de qua multa, & glorioſa dicta ſunt in ſacris litteris. Varia illi tribuuntur nomina, quorum rationem, ne longior ſim, diſcutere nolo: ſunt autem his verſibus comprehenſa.

Solyma, Luſa, Bethel, Ieroſolyma, Iebus,
Elia,
Vrbs Sacra Ieruſalem, dicitur atque
Salem.

Vrbs hæc condita dicitur annos Mundi 2023. & 50. annis gubernata à Melchiſedech, qui & Rex *Iuſtus* dicebatur, & à Ioſepho, ac ſequacibus aſſeritur eiuſdem Author, ſeu fundator. Horum ratio videtur præcipuè de ſumpta *ex Geneſ.* 14. 28. vbi Melchiſedech dicitur Rex *Salem.* Verùm non videtur ſubſiſtere; cum *Salem* Regia Civitas Melchiſedech, videatur eſſe alia à Ieroſolyma; ſcilicèt Civitas *Salim* ſita iuxtà Iordanem, & Ennon, & non longè à Bethzan, ſeu Scythopoli, ſive vt dicit *Hieronymus* Epiſt. ad Evagrium *eſt oppidum iuxta Scythopolim, quod uſque hodie appellatur Salem, & oſtenditur ibi palatium Melchiſedech ex magnitudine ruinarum veteris operis oſtendens magnificentiam: de quo in poſteriore quoque parte Geneſeos ſcriptum eſt: venit Iacob in Sochot, ideſt, in tabernacula, & fecit ſibi ibi domos, atque tentoria, & tranſivit in Salem Civitatem regionis Sichem, quæ eſt terra Channan.* Nec refert (inquit ibidem Hieronymus) vtrum *Salem*, an *Salim* nomine-

tur cum vocalibus in medio litteris perrarò vtantur Hebræi: & pro voluntate Lectorum, atque varietate regionum eadem verba diversis sonis, atque accentibus proferantur: & subdit se suprà dicta ab eruditissimis gentis illius didicisse. Reijcit itaque Hieronymus sententiam Iosephi. Quidquid de ea sit dicemus.

14 Ierusalem posteà intercepta est à Iebusæis, & annis circiter 914. possessa dicta *Iebus*; & iuncto vtroque nomine *Iebus*, & *Salem*, videtur vocata Ierusalem: B. mutato in R. Euphoniæ gratia. Hi illam natura loci valde munitam, amplius munierunt; ita vt filij Beniamin (in quorum Sortem ceciderat, vel Iuda, vt Salmeron, Iosue terram Chanaan A. M. 2583. dividente) eam non potuerint intercipere: & dum postmodum David anno ætatis suæ trigesimo octavo, omnibus Tribubus Israel se submitentibus imperare incipiens, eam capere tentaret; illi Cæcos, & Claudos in mœnibus posuerunt, tamquam ad eius defensionem sufficientes: David tamen eam interceptam, fugatis Iebusæis, circumcircà ædificavit, & munivit, signanter montem, & arcem Sion, & vocavit *Civitatem David*. Sub Salomone autem, & subsequentibus Regibus amplificata vrbs hæc, 50. circiter Stadia per gyrum habuit; vnde non adeò magna fuit. Insuper ornata fuit multis præclarissimis ædificijs, Turribus, Palatijs, Fortalitijs; maximè famosissimo illo Salomonis templo, de quo posteà.

15 In ea regnarunt Reges Iuda à Davide, & Salomone consequenter, vsque ad destructionem eius sub Sedecia. Post hanc desolata mansit; ita vt Ierusalem esset, quasi acervus lapidum, & Sion, quasi ager araretur, & mons templi esset, quasi excelsa Sylvarum; vtque interea (teste Hieronymo) nec avis volaverit, nec bestia pertransierit per eam: donec completis annis desolationis, annuentibus Regibus Persarum reædificata est cum templo, & ambitus 30. stadiorum, portis, turribus, muroque valido cincta à Zorobabele, & alijs; qui ibidem præfuit, non vt Rex, sed vt Dux populi, sicut & ipsum sequentes, qui habentur in tabulis Bottens: à quibus signanter Machabæis, & Herode, per quàm magnificè aucta, pristino nomine ac statu annis 527. vsque ad Christum glorioſa, & populosa claruit. Interea temen à Pompeio capta (& 27. annis post, etiam à Soæo Romano, & Herode) sed non vastata, venit in potestatem Romanorum, qui ibidem defuncto paulo pòst Christi nativitatem Herode, Præsides posuerunt, sub quorum quinto, scilicèt, Pontio Pilato, Christus passus, mortuus, & sepultus est; & sub vndecimo, & vltimo, scilicèt, Cestio Floro, rebellantibus Iudæis à Tito obsessa, capta, incensa, & destructa est Ierusalem; ita vt illam aspiciens, vix crederet fuisse habitatam. Reliquit tamen tres turres Herodianas, nimirum, Hippicum, Mariamne, & Phaselum, quæ magnitudine, & pulchritudine alijs præcellebant, Civitatisque eam muri partem. quæ eas ab Occidente cingebat; tùm vt deservirent pro Castro Romanis militibus ibi relinquendis; tùm vt posteris indicarent, quale m vrbem Romanorum virtus expugnasset.

16 Sed post annos sexaginta quinque Iudæorum rursùm rebellantium quinquies centena, & octo millia, vno die delevit Ælius Adrianus Imperator, ac turres illas relictas, cum muro relicto penitùs destruxit, iussitque Civitatem aspergi sale; & iuxta Salvatoris Oraculum non est relictus lapis super lapidem. Insuper Civitatem rursùm extruens vniversum montem Sion cum Palatio Salomonis, & Reginæ, & domo Saltus Libani: item portam anguli, & Castrum Assyriorum, totumque eum Borealem angulum ad portam Sterquilinij, & portam Ephraim vsque, vrbis ambitu excluſit: Iudæis

au-

autem Edicto interdixit, ne vrbem introirent, aut ex loco eminentiori aſpicerent; eamque à ſuo prænomine Æliam Capitoliam nominari voluit. Sic ſic perijt glorioſa illa Ieruſalem, ſuis exigentibus ſceleribus, maximè horrendo illo ſcelere abnegati à ſe, & crucifixi filij Dei tot Prophetarum vaticinijs promiſſi, tanto ſignorum ſplendore ſe Meſsiam eſſe, & per ſe, & per Apoſtolos ſuos comprobante! Sic perijt *vrbs illa perfecti decoris, gaudium vniverſæ terræ*, & facta eſt oppidum ignobile, plurimis huc vſque calamitatibus afflictum.

17 Nam licèt ſucceſſu temporis à Chriſtianis inhabitatum, & Patriarchali ſede inſignitum, receptum nomine *Ieruſalem*, annis quingentis in Chriſtiana religione floruerit; attamen anno Chriſti 636. à Sarracenis in Ægypto regnantibus capitur, & poſsidetur annis 463 ideſt, vſque ad annum 1099. intereà anno 1092. deſignantur centum millia virorum ex Hiſpanis, Gallis, Anglis, Scotis, Flandrijs, Ducibus Godefrido Bullonio, Balduino, & Lotaringijs alijs Principibus, communi expeditione: & primo Nicæa, deinde Antiochia fere inexpugnabilis novem menſibus occupatur, & tandem recuperatur Ieruſalem anno 1099. feria ſexta, hora nona, eadem, ſcilicèt, die, & hora, qua Chriſtus ibidem mori dignatus fuerat, ipſo Godefrido primo murum tranſcendente, vbi & tanta ſtrages facta eſt, vt in ſanguine graderentur victores talis tenus, eoque ad verticem vſque maderent: ac poſtquam diebus ſeptem loca Sacra cum mira devotione viſitaſſent, die octava ipſum Godefridum Regem Ieroſolymæ creaverunt.

18 Itaque Ieruſalem ſic recuperata per 88. annos manſit in poteſtate Chriſtianorum, donec, ſcilicèt, veniens Saladinus Rex Perſarum, illam cepit, & facta eſt ſubiecta Sarracenis: quo audito Fredericus I. cum Principibus Hungariæ, & Bulgariæ, & exercitu traijciens, & recuperatis multis Civitatibus in Licaonia, in Armeniam veniens, ibidem infortunato, & deplorato caſu ſubmerſus eſt: recuperata tamen fuit inſula Cyprus, Ptolemaida, Ioppe, & Ieruſalem, cuius factus eſt Dominus Marchio de monte Ferrato. Sed iterum 1217. capta eſt à Sarracenis, & anno 1229. reſtituta Chriſtianis ſub certis conditionibus. Poſt hæc circa annum 1248. iterum expugnatur, trucidatis multis Chriſtianorum millibus, atque etiam Peluſium, ſeu Damiata Chriſtianis eripitur. Demùm anno 1290. tota ferè terra Sancta amiſſa eſt: & 1517. expulſis, ac deletis Sultani exercitibus à Selimo Turcarum Imperatore occupata, ab ijſdem etiam num poſsidetur: Fratibus Ordinis Seraphici, (& quidem ſolis ex religioſis latinis; ob hoc etiam proculdubio meritò celebrandis) ab anno Chriſti 1034. cuſtodientibus loca Sacra, & ibidem in medio nationis pravæ commorantibus varijs in locis, quorum præcipua ſunt hæc. I. Duo Ieroſolymitani (ſcilicèt Sanctiſsimum D. N. I. Chriſti ſepulchrum, & Conventus S. Salvatoris Sacri Montis SION. II. In Bethlehem ad Præſepe Domini. III. In Nazareth ad locum Annuntiationis Angelicę, & Incarnationis Dominicæ, in quibus locis ſunt Conventus; ſicut & Aleppi: Damaſci verò, Ptolemaidæ, Alexandretæ, & alijs locis habent tantum hoſpitia. Ex iſtis omnibus conſtat Cuſtodia Terrę Sanctæ, cuius ſuperior, ſeu cuſtos eſt Guardianus Conventus Sacri Montis SION iam dicti, factus Sedis Apoſtolicæ Commiſſarius in partibus Orientis, eiuſdemque in pluribus delegntus.

19 Quantum ad ſitum huius vrbis ſita dicitur in totius Orbis, & Iudææ medio, ceu centrum, & vmbilicus terræ, iuxta illud Pſalmi 73. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ*: non quod ibidem

dem præcisè, & Mathematicè sit terræ medium. (Quod medium in qualibet parte Corporis Sphærici assignari potest) sed quia est situata inter alias Gentes, & terras; iuxta illud *Ezechielis 5. Ista est Ierusalem, in medio Gentium posui eam, & in circuitu eius terras.* Vel posset dici, quod fuerit in medio terræ habitabilis tunc vulgò cognitæ: quamvis non ita præcisè habeat partes sibi ad Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septemtrionem correspondentes, vt D. Hieronymus in istud Ezechielis, & alij antiqui posuerunt. Sita est Ierusalem in loco eminenti, scilicèt in montibus, vnde fit, quod introeuntes in eam ascendere dicantur, & exeuntes descendere. Montium horum præcipuus, & excelsior alijs, ac prima pars Civitatis, erat *MONS SION*, qui & *mons Domini*, & *mons Sanctus* dicitur, & *CIVITAS SUPERIOR.* Erat in proclivitate directior, in modum Theatri forma semicirculi vrbem toto Australi tractu ambiens, ac velut specula in eminenti, solida, & prærupta vndique rupe fundatus, planitiem habebat instar oppidi, eratque amænus valde: & *Civitas David* vocabatur. In hoc monte erat Arx, quam primò Iebusæi, deinde David inhabitavit, constructo sibi, ac posteris Palatio, &c. Erat hic inter cætera loca, *Cœnaculum Sion*, vbi Christus Agnum Paschalem comedit, V. Sacramentum instituit, Discipulis apparuit, & Spiritum Sanctum misit, &c. In hoc loco fuit Ordinis Seraphici Cœnobium per aliquot sæcula; donec anno 1561. Turcæ ex eo sibi fecerunt Palatium; Fratribus Ordinis Seraphici in aliud Cœnobium translatis.

20 Secunda pars fuit *CIVITAS INFERIOR.* Quæ dicebatur *filia Sion.* In hac erat mons *ACRA.* Qui olim eminens, & declivis erat, sed posteà sub Simone Machabæo triennij labore continuo, diu, noctèque, humilior factus est, & complanatus, vt solum templum omnibus esset excelsius. In hac parte fuit Arx Antonia, Amphitheatrum, domus Saltus Lybani, & præter alia plura loca memorabilia, quæ in tabula videri possunt: fuit etiam mons *MORIA.* Qui & aliquando *terra visionis*, & *mons templi*, & *mons filiæ Sion* dicitur: hunc David ab Orna Iebusæo quinquaginta Siclis argenti emit. Ineo fuit ædificatum à Salomone templum. Tertia pars Civitatis *SECUNDA CIVITAS* dicebatur. In hac erat Palatium Herodis munitissimum, ac ornatissimum, cum tribus illis Turribus Hippico, Mariamne, & Phaselo; quibus vix similes in mundo reperiebantur: erant & alia loca notabilia, vt patet in Tabula, & *apud Adrichomium.* Quarta pars Civitatis *BEZETHA* vocabatur, ideſt, *Nova Civitas*, græcè *Cœnopolis.*

CAPUT QUINTUM.

DE TEMPLO HIEROSOLIMITANO.

21 INter cætera mirabilia, quæ fuerunt in Civitate Sancta Ierusalem, primum locum obtinet templum illud, quod in inferiore Civitate, seu filia Sion, in monte *Moriæ* à Salomone constructum est, quod & passim in Scriptura *Templum Domini*, *Domus Domini*, & *Sanctuarium* dicitur. Vocatur communiter *Templum Salomonis*, quia illud ædificavit, licèt in ædificationis gloria magnam partem meritò vendicare possit Pater ipsius *Davidis*, quia idem, & materiam, & formam, & locum, & præceptum, & quietum fabricandi tempus reliquit. Templum hoc fuit vsque adeo intus, & extrà fulgente auro sumptuosum, ac magnificum, vt non solum Iudææ, sed etiam totius mundi miraculum haberetur: de cuius admirabili excellentia nihil dignum dici potest. Ædificatum est spatio septem annorum, ex electis, sectis, & politis saxis, & lignis Monte Libano succisis, cen-

centum quinquaginta trium millium, & ſexcentorum hominum opera, ex quibus 80. millia lapides cædebant, & 70. millia onera portabant, & tria millia, ac ſexcenti erant præfecti operum: inter quos præcellebat quidam miſſus à Rege Tyri, faber in auro, & argento, & omni opere metallico inſignis, dictus Hiram, ex Patre Tyrio, & Matre ex Tribu Nephtali *ex textu 3. Reg. cap. 7.* Vide P. Sanchez. Mittebat *Salomon* 30. millia filiorum Iſrael in Libanum, vt cæderent ligna, decem millia ſingulo menſe, vt vno ex tribus menſibus laborarent, & duobus quieſcerent. Fuit autem Templum duplo longius, ac latius Tabernaculo, quod fuit factum in Deſerto, fuit enim longitudo Templi 60. cubitorum, latitudo 20. altitudo 30. & ita duplex erat longitudo ad altitudinem, ſubtripla ad latitudinem: erat diviſum in duas partes, quarum vna *Sanctum Sanctorum*: altera dicebatur *Sanctum*. Parietes erant de politis facti lapidibus intrinſecus Cedrinis veſtiti tabulis, laminis quoque deſuper operti aureis, divino prorsùs opere ſplendebant; in quibus ſculpti Cherubim, gemmæ, palmæ, flores, ac cælaturæ, picturæque varię cœli pulchritudinem repræſentabant. Tectum autem erat opertum laminis aureis, & ne ab inſidentibus avibus ſordidaretur, acutiſſimis aureis verubus horrebat.

22 Introitus templi ortum ſpectabat; poſteriora verò eius occaſum: (Iudæi enim ad occidentem verſi orabant; ſicut è contra Chriſtiani, ad Orientem orare Solebant. Dico *ſolebant*, quia modernis temporibus paſim templa non in Orientem, ſed quaqua verſum vt commodius eſt, ædificantur, (vide P. Suarez *tom. 2. de Relig lib. 3. de Orat. cap. 7. num. 15.*) Mirabilis aſpectu erat facies Orientalis ſubſtructionis Templi Salomonis, ab imis vallibus Cubitos 300. erectæ, & circiter 700. in longum protenſæ, ad ſuſtinendos aggeres, quibus Atriorum templi aream Salomon laxandam curavit; necnon periboli, atque porticuum, quæ ad Hebræos æque ac Gentiles pertinebant. Vide illam pulchrè delineatam apud Tyrinum in Tabula Chorographica. Vide etiam ibidem veſtigium primum templi Ieroſolymitani, & vniverſarum illius porticuum à Salomone conſtructarum: quod dicit ex Sacræ Hiſtoriæ monumentis, Ezechieliſque deſcriptione depromptum, atque emmendatiſsimè exactum ad primarium exemplar olim à Deo inventore Davidi traditum, & ab Angelo poſteà Ezechiele proſpectante commenſuratum. Ponit in ea omnia Atria quadrata; & Atrium templi extimum, & maximum Iſraelitis quibuſvis, & Gentilibus commune calamorum 440. per circuitum, ideſt, pedum 3960.

23 Templum hoc ita magnificè conſtructum, ampliùs magnificatum eſt dum in ſua ſolemniſsima Dedicatione Maieſtas Dei illud implevit, ignis de Cœlo deſcendit devorans holocauſta, & victimas, ac Deus ipſe Salomoni reſpondit: *Sanctificavi domum hanc, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij.* Verum ipſorum Regum, populique Iudaici impietate Idolorum ſpurcitijs aliquoties prophanarum fuit; donec divina vltione anno à ſua fundatione 421. per Nabuchodonoſorem Babyloniæ Regem penitùs combuſtum eſt, deſtructum, & deſolatum. Sed poſt 30. annos à Zorobabel, & alijs iterum ædificatum eſt, & per vniverſum mundum honoratum, ac maximis Regum, & Principum muneribus illuſtratum: donec poſt 366. circiter annos ab Antiocho Epiphane ſpoliatum ac Idolis pollutum, tertio pòſt anno à Iuda Machabæo purgatum eſt, & in modum caſtri muris, ac turribus, ita munitum, vt in eo à 120. millibus gentium diu obſeſſum, expugnari non potuerit.

24 Poſt 100. circiter annos Pom-

peius magnus illud invaſit, occiſis 12. millibus Iudæorum; ac omnibus vſque ad Sancta Sanctorum perluſtratis, nihil attigit, vel abſtulit; ſed die poſtera conſueta Sacrificia fieri mandavit. Hoc ipſum Herodes ſumptuoſis ædificijs reparavit, & exornavit. Sed nulla re magis, quam Chriſti præſentia, prædicatione, & miraculis illuſtratum eſt. Tandem anno Chriſti 72. à Tito expugnatum eſt, eoque invito concrematum, & iubente omninò dirutum, & ſolo æquatum. Tanta autem Iudæorum ſtrages in eius expugnatione facta eſt, vt ſanguis interfectorum per gradus Templi inſtar torrentis defluereț. Poſt annos verò 65. Iudæis denuò rebellantibus, & Templum ædificare volentibus, Ælius Adrianus Imperator pluribus eorum millibus trucidatis, montem templi multum complanavit, & in planitiem redegit, ac rudera, & terras in vallem Ioſaphat, & Torrentem Cedron proijci imperavit. Arces 50. in Iudæa diruit, & vicos non gentos ferro, & igne vaſtavit. Annis autem 227. elapſis, Iulianus Apoſtata Iudæis facultatem fecit reædificandi Templum; ſed ignis de Cœlo deſcendens, & ex fundamentis erumpens, ipſos ędificantes, & ſpectantes comburens, inſtrumenta verò in cinerem redigens, tempeſtates, aliaque portenta prohibuere. Verum Iudæis confuſis, & repulſis, Chriſtiani non timuerunt ibidem magnificum Templum extruere, opere rotundo, & Græco labore, quod per aliquot ſæcula Patriarchali Cathedra decoratum, eaſdem cum vrbe viciſsitudines paſſum eſt, quas ſuprà diximus ipſam Hieroſolimam fuiſſe perpeſſam. De quo celeberrimo Templo, ſi vis fuſiſsiuum tractatorem adire poteris Villalpandum; ſi vis mediocrem, & temperatum poteris adire Riveram ad finem expoſitionis in Apocalypſim. Si autem velis compendium, ſive Enchiridion valde conciſum, poteris adire P. Martinum Stephanum etiam Societ. N. Virum qui in octavo volumen de hac re compoſuit non aſpernandum. Nunc verò tranſeamus ad explicationem locorum, vrbium, &c.

CAPUT SEXTUM.

INCIPIT INDICULUS GEOGRAphicus, regionum, vrbium, & locorum, quorum notitia pertinet ad Hiſtoriam Sacram.

ABARIM Mons, vel potius montes ſecundum Iordanis tractum à Moabitis incipientes verſus montes Galaad in longum protenduntur, & ſuo limite terram Amorrhæorum ab Ammonitica ſeiungunt. Habet hic mons montium iuga plurima; inter cætera *Nebo*, in quod Moyſes aſcendit: & *Phaſga*, ex quo contemplatus eſt Palæſtinam, à quo & adiacens regio *Phaſga* vocatur. In huius montis ſpeluncam putatur Ieremias abſcondiſſe ignem perpetuum cum Altari incenſi. Ad hunc montem fuit manſio 41. filiorum Iſrael. In hoc etiam mortuus eſt Moyſes ann. 120. ſepultus ab Angelis in valle terræ Moab contra *Bethphegor*, & non cognovit homo ſepulchrum eius: quod cum Diabolus prodere, ac revelare vellet Iudæis ad Idolatriam pronis, impeditus eſt, & prohibitus ab Archangelo *Michaele*.

ABELA inſignis Galileæ ſuperioris Civitas, & Iſraelitarum Metropolis in tribu Nephtalim non procul à Cæſareà Philippi, *de qua* 2. *Reg.* 20. 3. *Reg.* 15. & 4. *Reg.* 15. alijs dicitur Belmaacha.

ABILA egregia Cæleſæriæ Civitas, & Metropolis *Abilinæ*, ſeu *Abilene*, quæ eſt tractus circa Libanum, cuius Tetrarcha fuit Lyſanias Herodis Senioris filius, frater Archelai Tetrarchæ Iudæę, & Samariæ, & Herodis, Tetrarchæ Galilææ, & Philippi Tetrarchæ Iturææ, & Trachonitidis; quæ & *Abila Lyſanij* dicta eſt *v. Luc.* 3. 1.

ACCA-

ACCARON vrbs inclyta vna ex quinque Satrapiis Philiſtinorum, ſita non longè à mari, & Azoto in Tribu Dan.

ACHAIA variè deſcribitur à Geographis. In actis Apoſt. & Epiſtolis Pauli accipitur pro regione Græciæ adiacente ſinui Corinthiaco, cuius metropolis erat Corinthus.

ADRIA, *act.* 27. 27. Eſt mare Adriaticum ſic dictum ab oppido ad Padum à Tuſcis condito: hodie dicitur *Golfo de Venecia.*

ÆLAMIÆ, vel *Elamitæ* ſunt incolæ. Perſidis, & Mediæ, *v. Daniel.* 8. 2.

ÆNNON, vel *Elennon*, iuxtà *Salim*, vbi Ioannes baptizabat, quia aquæ multæ erant ibi. Locus eſt iuxta Iordanem, in dimidia Tribu Manaſſe.

ÆTHIOPIA Regio Africę. Duplex eſt vna Cis Æquatorem, Æthiopia ſub Ægypto dicta, altera vltra Æquatorem, dicta Inferior, & regnum Abyſsinorum.

AGER *Damaſcenus*, in quo aſſerunt Adam à Deo plaſmatum, & inde translatum in Paradyſum terreſtrem, & poſt peccatum eo eiectum, hùc dicunt relatum. Diſtat ab Hebron, quantum arcus iacit: eſtque adeò fertilis, & ſpecioſus, vt aliqui Paradyſum terreſtrem putarint: Habet terram rubram, & mirè tractabilem.

ALEXANDRIA, inferioris Ægypti metropolis ſita ad mare. Cuius incolæ Alexandrini dicuntur. *Act.* 6. 9.

AMALEC, Civitas, vnde & *Amalecitis* regio, & populi *Amalecitæ* orti ab Amalec filio Eliphaz primogeniti Eſaù, ex Thamna concubina Eliphaz. Hi impugnarunt in Raphidim Iſraelem aſcendentem ex Ægypto: cuius iniuriæ memor Dominus, voluit illos per Saulem internectione deleri.

AMANA, mons altiſsimus trans Iordanem iuxta Libanum, Hermon, & Sanir montes Situs, cuius Salomon meminit in Canticis. In tribu Manaſ. vltra Iord.

AMORRHÆORUM. Regnum fuit ab Arnon vſque Iaboc, & de ſolitudine vſque ad Iordanem. Orti ſunt ex Amorrhæo filio Chanaan. Regnum hoc ceſsit filijs Gad, ſcilicèt, omnes Civitates Galaad, pars etiam dimidia terræ filiorum Ammon, & reliqua pars regni Seon Regis Heſebon.

AMPHIPOLIS. Vrbs eſt Macedoniæ in confinibus Thraciæ: ſic dicta, quod vtrimque illam alluat, ſeu potius circumfluat fluvius Strymon.

ANATHOT. Civitas Sacerdotalis in terra Beniamin, tertio à Ieruſalem milliario. Hic natus eſt Ieremias Proph.

ANTILIBANUS eſt omnis regio (inquit D. Ieronymus) quæ eſt ſuprà Libanum ad Orientalem plagam reſpiciens, circa regionem Damaſci, quæ cecidit in Sortem Tribus Manaſſe.

ANTIOCHIA. Pluſquam duodecim ſunt huius nominis Civitates, quarum duæ pertinent ad Sacram Hiſtoriam. I. *Antiochia Syriæ*, in qua Diſcipuli primum dicti ſunt Chriſtiani. *Act.* 11. 26. Hæc ſita eſt ad Orontem fluvium, totius regionis Caput, condita à Seleuco Nicanor, & à Patris eius nomine ſic appellata eſt, vt dicit Strabo. *lib.* 15. II. *Antiochia Piſidiæ*, *de qua Act.* 13. 14.

ANTIPATRIS vrbs eſt maritima inter Cæſaræam, & Ioppem. Ad hanc Paulus cum 470. militibus captivus ductus. Condita eſt ab Herode, qui eam in gratiam Patris ſui ſic appellavit. Sita eſt loco amœno, fertili, & irriguo. Teſte Ioſepho I. *Belli Iud.* 16.

APHEC. Vrbs eſt, cuius Regem Ioſuè occidit *Ioſ.* 12. 13. *de qua I. Reg.* 3. & 29. 3. *Reg.* 20. 4. *Reg.* 13. eſt ad meridiem montis Thabor, non longè à Iezrael, & montibus Gelboe.

APPOLONIA. Macedoniæ oppidum, inter Amphipolim, & Theſalonicam. *v. Act.* 17. 1.

APIJ FORUM. Vbrs olim Latij inter Tarracinam, & tres Tabernas. *Act.* 27. 15.

AQUÆ MEROM. Lacus eſt 30. ſta-

ſtadijs latus, & 60. longus, inter Cæſaræam Philippi, & mare Galilææ. Tempore reſolutionis nivium à Libabano defluentibus aquis multum creſcit, & dilatatur; æſtate verò maiori parte ſiccatur. Sylvas alit venatoribus gratas.

AQUILO. Per *Aquilonem* ſæpè Gentes Septentrionales intelliguntur, *vt Luc.* 13. *v.* Oriens.

ARABIA, regio eſt nulli poſthabenda, ad Orientem Palæſtinę ſita, ampla, & longa, gentes habet multas; puta, Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Sarracenos, &c. Eſt autem Arabia triplex. 1. deſerta. 2. felix. 3. Petræa. 1. ſeu deſertæ Metropolis eſt antiquiſsima Civitas *Boſra*. Verè deſerta, montoſa, & ſterilis; ſed agnis, arietibus, & eiuſmodi animalibus, quæ myrica gaudent, abundat, teſte D. Hieronymo. Incolæ rari, & vagi, ac in Tabernaculis habitant. 2. ſeu *felix*, etiam dicta *Saba*. Huius incolæ dicuntur fuiſſe tres illi Magi, qui ſtella duce, Chriſtum quæſierunt. Sabæ regionis Metropolis, regia dicitur fuiſſe Gaſparis Regis Magi. Regio hæc cæteras vbertate ſoli longè antecedit: bis in anno feritur: vrbibus, & vicis frequens: auri, argentique venis, ac glebis, ſelectiſsimis, pretioſiſsimiſque gemmis, Thuris, aromatum, omniſque generis ſuaviſsimorum odorum copia exuberat. Ioſephus, & S. Hieronymus dicunt, filios Abrahæ ex Cetura has regiones occupaſſe, ac tenuiſſe. 3. eſt *Arabia Petræa*, ſic dicta ab oppido *Petra* ſua metropoli, etiam Nabathæa dicta eſt à Nabaioth primogenito Iſmaelis, & incolæ Nabuthæi. Regio hęc ſterilis plerumque arenoſa, petroſa, & invia, pecorum tamen plena eſt, teſte D. Hieronymo.

AREOPAGUS. Vicus Athenis à Campo Martis dictus, in quo capitales cauſæ diſcutiebantur à Senatu Areopagitico.

ARGOR. Vrbs, & regio Regni Baſan ſuper Iordanem ſita, quam cæpit Iair filius Manaſſe,

ARIMATHIA, ſeu *Arimathæa*, locus putatur prope Liddam, inter Ieruſalem, & Ioppe. Vnde Ioſeph ab Arimathia dictus, qui Chriſtum ſepelivit. *Matth.* 27. 57. *Marci* 15. 43. *Luc.* 23, 51. *Ioann.* 19. 38.

AROER Regni Syriæ vrbs, & regio, cuius Civitates deſerendas, & gregibus relinquendas prophetavit Iſaias *cap.* 17.

ASCALON. Vrbs antiqua nobilis, & robuſta, vna ex quinque Satrapijs Philiſtinorum, ſita in littore maris, forma ſemicirculi portum ambiens. Hic famſon occidit 30. viros. Hic natus fertur Herodes magnus, & inde dictus *Aſcalonita*. Verum de hoc inter Hiſtoricos eſt magna controverſia.

ASIA, vel accipitur I. pro *maiori* Aſia, quæ vna eſt ex tribus Orbis partibus veteribus cognitis: vel II. pro Aſia *minore*, quæ eſt pars maioris, & habet ab ortu Armeniam: à meridie mare mediterraneum; ob Occaſu mare Ægæum: à ſeptemtrione Pontum Euxinum; vel III. pro Aſia *propriè dicta*, quæ eſt Provincia Aſiæ minoris, quæ ab Occaſu alluitur mari Ægæo: & de hac præcipuè agitur in Novo Teſtamento.

ASOR, vel *Haſar* vrbs Tribus Nephtalim, olim totius regionis Chanaan, Metropolis, & caput, cuius Rex *Iobin*, & 24. Reges cum innumerabili hominum multitudine à Ioſuè devicti ſunt, vrbs capta, & combuſta. Anno 137. poſt à Cananæis reſtaurata, alium Regem etiam *Iabin* dictum habebat, qui Iſraelem oppreſsit, & ſubiugavit. Sed Dux eius Siſara à Barac victus ad Montem Thabor, & à Iahel occiſus eſt in Tabernaculo *Aber Cinæi*. Temporibus Chriſti fuit vna ex principalioribus Civitatibus Decapoleos, ruinis eius teſtantibus, qualis fuerit.

ASSOS, vel *Aſſon*, vrbs maxima Myſiæ Plinio dicta *Appolonia*, *v. Act.* 20. 13. 14. A parte maris arduum, & rectum aſcenſum habet: vnde Vulgatum

tum illud : *qui celeri paſſu aſſumit, magnum vitæ periculum adit.*

ASSYRIA, Regio eſt maioris Aſiæ, cuius terminos vide in tabula D. Strabonis, & alij eo nomine comprehendunt etiam Babyloniam, & maximam partem circumiacentium Regionum. Dicta eſt *Aſſyria* ab Aſſur filio Sem, teſte Auguſtino 13. *de Civitate.*

ATHENÆ, Civitas Græciæ totius celeberrima, & diſciplinarum altrix: ſita eſt in ea parte Achaiæ, quæ magna ſui parte littoralis eſt; vnde olim *Actæ*, dein *Attica* vocata eſt, quaſi *Actica.*

ATTALIA, vrbs maritima Pamphiliæ.

AUSTER, *Luc.* 13. 29. Per Auſtrum paſsim in Scriptura Gentes meridionales intelliguntur. Reginam Auſtri, quæ venit ad Salomonem, alij ab Æthiopia, alij ab Arabia veniſſe putant. Interdum tamen etiam ſignificat partem Mundi Meridionalem.

AZOTUS, vrbs potentiſsima, & vna ex quinque Satrapijs Philiſtinorum. Colebatur in ea Idolum Dagon habens caput, quaſi Piſcis, quod bis concidit collocata ARCA Domini. Eſt in Tribu Dan iuxta torrentem Sored, non longè à mari.

BABYLON. Principium Regni Nembrod, & Chaldaicarum gentium Caput. Veterrima vrbs, & toti Orbi notiſsima.

BAHURIM, oppidum, & Caſtrum ſatis pulchrum diſtans vna leuca ab Adomin verſus Bethaniam, & montem Oliveti.

BASAN, ſive vt LXX. habent *Baſanitis*, regio eſt trans Iordanem, à Torrente Iaboc vſque ad terminos Selcha, Geſuri, & Machari, lata à montibus Galaad, Seir, & Hermon vſque ad mare Galilææ, & Iordanem. Terra eſt pinguis, & vberrima, olim à Gigantibus habitata (vnde & terra *Raphaim* dicitur) quorum vltimus fuit OG, qui ibidem 60. vrbibus magnis præerat, quas, eo occiſo, Iair filius Manaſſe expugnavit, & *Avoth Iair* vocavit, ideſt, Civitates Iair.

BEÆA, vrbs Macedoniæ. *Act.* 17. 10. 13.

BERSABEE, *puteus iuramenti*, vrbs Tribus Iudæ, ſitu tamen intra terminos Simeonis, contigua deſerto magno, 20. circiter milliaribus ab Hebron vergens, ad Auſtrum. Hic Abraham, Iſaac, & Iacob multis diebus habitarunt.

BETHABARA. Locus trans Iordanem, vbi Ioannes Baptizabat. *Ioann.* 1. 28. Inxta Græcam lectionem. Vulgata legit *Bethania.* In Tabula B. ponitur ad ripam Iordanis; ſed poteſt eſſe, quod locus ab vtraque parte eius nomine appelletur, tanquam ad ipſam ſpectans. Alias cum Adrichomio trans Iordanem poni debet.

BETHANIA, vbi Domus, ſive Caſtellum Mariæ, Marthæ, & Lazari, diſtans à Ieruſalem ſtadijs quaſi quindecim. Ibi Chriſtus Lazarum quatriduanum ad vitam revocavit. Ioann. 11. 43.

BETHEL, ſeu *Beter* montes, numeroſi, herbis aromaticis pleni, cervis, capris, &c. frequentantur. De his fit mentio, *Cantic.* 2. non longè diſtant ab vrbe *Bethel*, quæ eſt in Tribu Beniamin, & quæ ſequitur.

BETHEL. Vrbs, prius *Luſa* vocata. Diſtat vna leuca ab *Hai*, contra Occidentem. Hic vidit Iacob Scalam, & lapidem erexit in Titulum, qui adhuc ibi oſtenditur. Hic Ieroboam poſuit vnum ex vitulis ſuis, & inde *Betaven* dicta eſt, ideſt, *Domus Idoli.*

BETHLEHEM, ideſt, (*Domus panis*) etiam dicta *Ephrata* (ab vxore Caleb ſic vocata) ſicut & adijacens regio, ſita eſt in monte mediocriter alto, ſitu ipſo arcto, & oblongo, eius ingreſſus eſt ab Occidente in declivi loco. Stabulum, in quo Chriſtus natus eſt, eſt in parte eius Orientali: & ſuper ipſam ſpecum Helena Conſtantini Mater maximam, & magnificentiſsimam extruxit Eccleſiam, cui vix parem in-

venias. Super ipsum præsepe est erectum Altare. Ad locum nativitatis descenditur ex Ecclesia decem gradibus. In exitu templi ad Aquilonem ambitus est claustri Fratrum Ordinis Seraphici S. Francisci ibidem habitantium. Iuxta latus Ecclesiæ Paula constituxit quatuor Monasteria; vnum pro viris: tria pro Virginibus. Bethlehem olim inclyta, etiam dicta *Civitas* DAVID, quia Sedes, & Caput Familiæ eius parva modo est, & raro habitatore, paucas, & humiles continet Domos. Sita est in Tribu Iuda, duobus, vel paulò plus milliaribus distans à Ierusalem. Iuxta portam eius erat cisterna: seu fons aquæ perennis, quam sitiens David, allatam bibere noluit. 2. *Reg.* 23. *1. Paral.* 11.

Est & alia BETHLEHEM in Galilæa in Tribu Zabulon, cuius mentionem facit Divus Hieron. Comm. in *Matth. V. Ios.* 19.

BETHPHAGE, vicus est sub monte Oliveti, Orientem versus, vnde Christus Asinæ, seu pullo eius insidens Ierosolymam petijt parvulo Osanna clamante, &c. *Matth.* 21. 1. *Luc.* 19. 29.

BETHSAIDA, Galilææ Civitas, vna ex 10. principalioribus Decapoleos, est in angulo maris *Tyberiadis*, quod & *Galilææ* dicitur. Ex ea orti Petrus, & Andræas, & Philippus Apost. *Ioann.* 1. 14. In ea Christus Socrum Petri curavit, & plurima miracula fecit. *Luc.* 4. 39. Ipse tamen Civitati impœnitentiam tandem exprobrat. *Matth.* 11. 12. *Luc.* 10. 13. Civitas hæc olim florens, ante aliquot annos vix sex habebat domos.

BETHSAN à Scythis instaurata, & dicta *Scythopolis*. Vrbs Decapoleos maxima, inter montes Gelboe, & Iordanem, à quo medio milliario distat. Hic suspensa fuere Capita Saul, & filiorum à Philistæis. Nunc ad nihilum ferè redacta est, cuius incolas non potuerant expellere filij Manasse.

BETHSURA, oppidum, vel castrum totius Iudææ munitissimum, circumvallatum montibus, distans vno milliario à Ierusalem, in viam, quæ inde ducit Gazam. Ad radices eius fons erat tempore D. Hieronymi, dictus fons Æthiopis, scilicèt, Eunuchi Candacis Reginæ Æthiopum in eo, vt putant, baptizati à Philippo. A Roboã, & Iuda Machabæo ædificijs firmatum est à Lysia oppugnatum, ab Eupatore per fraudem captum, à Ionatha Machabæo fortissimè communitum. Apud hoc Reges Syrię sæpè cæsi, & profligati sunt.

BETHULIA, inclyta vrbs Galilææ sitæ iuxta viam, quæ à Bethsaida ducit versus mare, Gazam, & Rinocoruram, inter Dothaim, & Gaberam in Tribu Zabulon. Ad hanc vrbem Holophernes à Iudith capite truncatus est. Extare adhuc dicuntur plurimæ vrbis ruinæ, & castrorum etiam Holophernis versus Dothaim. Vide *Tabulam.* A.

BOSRA, vbrs munitissima, & caput Trachonitidis regionis in Tribu Manasse vltra Iordanem Sacerdotibus data fuit. Est & alia BOSRA in regione Moab, & tertia in Idumæa.

BYTHINIA, Asiæ minoris Provincia ad Pontum Euxinum, & Propontidem.

BONI PORTUS, locus in australi ora Insulæ Cretæ iuxta Salmonium Promontorium, & Civitatem Talassam. Vide *Act.* 27.

CÆLESIRIA, idest, cava, curva, humilis, & inferior Syria, maioris Syriæ pars est, campestris, humilis, ac depressa, & concava dicitur, quia circumquàque altissimis montibus est vallata. A meridie habet Arabiam desertam, ab Occidente Phænitiam, & à Septemtrione Velania fluvio cingitur; versus Orientem vsque ad Euphratem extenditur.

CÆSAREA *Palæstinæ* vrbs maxima sita in medio Iudææ littore, aliquando *Tauris*, vel *Cæsarea Stratonis* dicitur.

tur. Hanc Herodis magnus maximam, pulcherrimam, & munitissimam reddidit, & Iudeis metu defectionis, quasi Arcem imposuit, Templum, Theatrum, Amphitheatrum, & cloacas magnificè extruxit, portumque Pyrro non minorem, quem *Sebastum*, id est, *Augustum*, nominavit. Hic Cornelius à Petro baptizatur: Herodes Agrippa ab Angelo occiditur: Philippus domum habuit. Agabus Paulo vincula prædicit: Paulus tenetur in carcere, &c. Incolæ huius plurimam partem Græci fuere Ita Iosephus Adrichomius, & alij.

CÆSAREA *Philippi* sic dicta ad differentiam iam dictæ, & quod Philippus filius Herodis Iturææ, & Trachonitidis Tetrarcha eam ampliarit, & in gratiam Augusti Cæsaris Cæsaræam appellavit, cum prius *Paneas* diceretur. Vocata etiam est *Dan* in Scriptura, & ponitur Civitas terminans terram Israel à Septemtrione, sicut Bersabee ab Austro. DAN maximè vocata est, postquam intercepta fuit à filijs DAN, qui ibi coluerunt Idolum ex Domo Michæ ablatum vsque ad captivitatem suam. Sita est, vbi fontes IOR, & & DAN confluunt, & Iordanem efficiunt.

CAMPUS Magnus, qui & *Campus Mageddo*, & *Esdrelon* olim dicebatur, nunc autem *Campus Fabæ*, à Castello; quod ita nominatur. Habet in longitudine decem milliaria, latitudine vsque ad Iordanem extenditur. In hoc Iosias vulneratus interijt, & Sisara à Barac devictus.

CANA *Galilææ* Civitas in Tribu Zabulon inter Anaton, & inter Civitatem Sabulon. Hæc etiam *Cana minor* vocatur ad distinctionem *Canæ maioris*, quæ est in Tribu Aser. Hic Salvator verit aquam in vinum; hinc oriundi Simon, & Nathanael Apostoli.

CANANÆA, sive *Chananæa*, cuius precibus filiam absentem à dæmonio liberavit, non à Cana vrbe, sed vel ex posteritate Chanaan, vbi à Civitate Canæa sita non longè à Sarepta, & Baruto. Matthæo Chananæa, Marco Syrophæniſa, & Gentilis dicitur.

CAPHARNAUM. Maritima Civitas Galilææ in finibus Zabulon, & Nephtalim, totius Decapaleos ferè teleberrima, & pulcherrima fuit, ab Oriente habet Iordanem proximum: ad Austrum versus ipsum mare Galilææ. A monte Caristi tribus milliaribus abest, qui & ipsam sua inhabitatione dignatus est, multisque in ea patratis miraculis, quibus ipsa ingrata, & impœnitens, in inferno demergenda prædicitur. *Matth.* 11. *Luc.* 10. modo humilis vicus, vix septem Piscatorum casas habere dicitur.

CAPPADOCIA Provincia Asiæ minoris inter Armeniam, & Galatiam, exposita Ponto Euxinio.

CARMELUS. *Maris* mons excelsus valde, & Nemorosus, nobilissimis vineis, oleis, arbustis, fructiferis arboribus, herbisque odoriferis abundans. Situs est iuxta littus maris inter Ptolemaidem, & DOR. Hic Elias Dei zelo 850. Pseudoprophetas Baal occidi iussit, dato de Cælo igne ad consumptionem holocausti, & pluviam etiam à Deo impetravit. In pede montis orientali (inquit Ghistele, in itinerario) spelunca est, & fons, vbi habitabant Elias, Elisæus, & filij Prophetarum. Postea inde, & ibi Fratres Carmelitæ, originem, & nomen prætendunt.

Est & alius CARMELUS, mons insignis, & fertilis in Tribu Iuda, in quo habitabat Nabal Maritus Abigail, qui repulit Nuntios Davidis. In hoc monte Saul victoriam obtinuit contra Amalecitas, & fornicem Triumphalem erexit.

CASTELLUM, *contra vos* dictum, vnde iussit Christus Asinam cum pullo ad se adduci, erat domus, vicus, aut Villa è regione Bethphages.

CAUDA insula. *Act.* 27. 17. quam

alij

alij *Clauden* vocant, non longè distat à Creta versus Austrum.

CEDAR, regio deserti, sic dicta à *Cedar* filio Ismaelis, in qua habitabant Ismaelitæ, dicti etiam Agareni ab Agar ancilla Abrahæ; licèt illi falso nomine se Sarracenos dicant, tanquam Saræ filios. Gens semper vaga, & finitimis infesta.

CEDAR, vrbs glorioſa in montanis Seir altø, ac firmo loco ſita in Manaſſe vltra Iordanem. Tranſit hanc Civitatem celebris, & publica via, quæ in Syria initium habens, & Corozaim, ac Capharnaum pertranſiens, iuxta Bethſaidam in duo itinera dividitur, quorum vnum per Galilæam procedens in Occidentem ducit ad mare magnum; alterum totam præteriens Palæſtinam, in Ægyptum vſque excurrit.

CEDES *Nephtalim*, ſic dicta ad diſtinctionem aliarum eiuſdem nominis in Tribubus Iſachar, & Iuda, vrbs magna, & munita quondam, & vna ex decem præcipuis Decapoleos, ac Civitas refugij, magnas nunc habet ruinas, & pulcherrima antiquorum ſepulchra.

CEDRON Torrens inter montem Oliveti, & vrbem Ieruſalem fluit per mediam vallem Ioſaphat, & augetur tùm pluvialibus aquis è montibus deſcendentibus, tùm piſcinis, & fontibus quam plurimis ex vrbe, & vrbis vicinio emanantibus, & inter fructiferas arbores lapſus, tandem mari mortuo abſorbetur.

CENCHRÆ, oppidum Peloponeſi iuxta Corinthum in ipſo Iſthmo ſitum, portus Corinthiorum.

CHIOS. *Act.* 20. 5. Inſula maris Ægæi ad ortum reſpiciens Ioniam.

CILICIA. Eſt regio minoris Aſiæ inter Syriam, & Pamphiliam, expoſita parti maris mediterranei, quod *Cilicium* dicitur.

CISON, torrens ex pede montis Thabor ſcaturiens, mox tumore quodam ſeparatur in duos rivos, quorum minor ad Solis ortum pergens, ſe inergit in mare Galilææ; maior verò in Occaſum pergens, & aliquibus rivis auctus ſe in mare magnum exonerat ad radices montis Carmeli.

COLOSSÆ vrbs Phrygiæ non longè diſtans Laodicea. Atque hi ſunt Coloſſenſes, ad quos Paulus ſcribit Epiſtolam, non verò Rhodij, vt quidam putarunt.

CONVALLIS *Illuſtris*, quę *vallis Save*, & *vallis Regis*, & *campus Regius* dicitur ob ſui amænitatem, & fertilitatem, incipit à mare Galilææ à Bethzan, & extenditur per totum deſcenſum Iordanis vſque ad mare mortuum, eratque illuſtriſsima priuſquam ſubverteret Dominus Sodomam, & Gomorram, & medio Iordane irrigabatur, ſicut Paradyſus Domini, & ſicut Ægyptus.

CORINTHUS, Metropolis Achaiæ ad Iſthmum Peloponeſi.

COROZAIM, vrbs Decapoleos ſita in conſpectu Capharnai, ſed ad alteram, eamque Orientalem Iordanis ripam. Nullum in ſpeciali referunt Evangeliſtę in ea factum miraculum; prima tamen numeratur inter eas Civitates, in quibus plurima facta fuerant, & quę nondum pœnitentiam egiſent. *Matth.* 11.

COUS, alias *Coos*, *Cos*, &c. Inſula in mari Ægæo reſpiciens ad Ortum Cariam Provinciam Aſię minoris.

CRETA, Inſula maris mediterrani dicta vulgò *Candia*.

CYPRUS, inſula maris mediterranei inter Ciliciam, & Syriam ad ſinum Iſicum ſita.

CYRENÆUS. à Cyrene vrbe Lybiæ in Africa longèque à Iudæa, & trans Ægyptum. Inde fuit Simon ille, qui crucem portavit poſt Ieſum.

DABIR, alias *Cariatſepher*, ideſt, Civitas litterarum, ſeu vniverſitas, & Academia Paleſtinæ.

DALMANUTA, locus eſſe videtur trans mare Galilææ, de quo quia variant Geographi, audi D. Hieronymum.

mum. MACEDAM (inquit *lib. de Loc. Heb.*) ad cuius fines Matthæus Evangelista scribit Dominum perveniſſe, ſed & Marcus eiuſdem nominis recordatur, nunc autem regio dicitur *Magedena* circa Geraſam. Dicit etiam Adrichomius Tit. *Manaſſe* 2. *num.* 66. *Magedam*, alias Magedon, aut vt eſt in Græco, *Magdala*, locus eſt ad Orientem maris Galilææ circa Geraſim, qui à Marco DALMANUTHA vocatur. Et ſubdit: eos multum errare manifeſtum hinc eſt, qui loca hæc Magedam, & Dalmanutha cis mare Galilææ conſtituunt, inter idem mare, & montem Thabor, vt paſsim nunc in Chartis annotatur: Hieronymus enim circa Geraſam fuiſſe teſtatur, & proinde vltra mare Galilææ. Quod verum eſſe, & ex Marco in ſequentibus colligitur, qui ſcribit Dominum, cum in hoc loco petentes ſignum confutaſſet, illis dimiſsis, conſcenſa navi traieciſſe trans fretum, & veniſſe Bethſaidam. Corrigenda ergo in hoc Tabula B.

DALMATIA, Pars Illyrici ad mare Adriaticum.

DAMASCUS, vbrs olim maxima, & celeberrima Syriæ, in veteri teſtamento, vrbs laudabilis, vrbs lætitiæ, & domus voluptatis nuncupatur. A Davide capta, & in tributum cenſita, ſub vltimis Salomonis temporibus Iugum excuſsit. Sed & multoties ab Aſſyrijs, Babylonijs, Græcis, & Romanis laceſsita, & capta eſt. Huic appropinquans Paulus ex perſecutore Chriſti præco factus eſt. *Act.* 8. & 9.

DECAPOLIS; regio, quæ præter alias minores vrbes plurimas, decem celeberrimas amplectitur: quæ ſunt, Cæſarea Philippi, Aſor, Cedes Nephtalim, Sephet, Corozaim, Capharnaum, Bethſaida, Iotopata, Tiberia, & Betzan, ſeu Scythopolis. Hæc ferè tota ad Iordanis ſuperioris, & ad maris Galilæi vtramque ripam ſe extendit.

DERBE. *Act.* 14. 10. vbrs Licaoniæ.

DESERTUM *Berſabee*, in quod abiit cum filio Iſmael Agar Ancilla Abrahæ, ibique eum abiecit ſub arbore. Eſt inter Geraram, & Aſmon, in Tribu Simeon.

DESERTUM *Bethſaidæ*, vbi populus poſt quinque panum, & duorum piſcium multiplicationem. *Matt.* 14. *Ioann.* 6. Chriſtum Regem facere voluit; ſed ipſe Diſcipulos compulit, vt navim aſcenderet, & præcederent ſe transfretum ad Bethſaidam. *Marc.* 6. 45. vnde videtur deſertum hoc fuiſſe trans mare Galilææ.

DESERTUM *Iudææ*, in quo Ioannes pœnitentiam prædicabat. *Matth.* 3. *Marc.* 1. *Luc.* 3. putatur ab Adrichomio in medio Tribus Iudæ.

DESERTUM *tentationis* eſt inter Ieruſalem, & Iericho: ibi Chriſtus per quadraginta dies ieiunavit, & poſtea à diabolo varie tentatus fuit. *Matth.* 4. *Marc.* 1. *Luc.* 4.

DITALASSUS. *Act.* 27. 41. Locus in Boreali ora Inſulæ Melitæ, hodie portus Sancti Pauli.

DOMUS Simonis Phariſæi, in qua mulier peccatrix iam pœnitens Chriſtum vnxit. *Luc.* 7. Putatur ab Adrichomio fuiſſe in Ieruſalem; ab alijs in Naim, ab alijs alibi: ſed domus huius poſitio pendet ab hiſtoria, & annotatione mulieris peccatricis quam alij ſororem Lazari, alij aliam faciunt.

EDOM, Hebraicè, *Idumæa* græcè, regio eſt inhabitata ab Eſaù, & poſteris eius. Eſt vndequaque munita faſtigijs montium, & in ſciſſuris petrarum ſita. Eſt vna ex vndecim Toparchijs Iudææ ordine octava. Duplicem ponit Idumæam Ioſephus, *ſuperiorem*, ſcilicèt, & *inferiorem*. Prior extendit ſe Ieroſolymam vſque ad mare mortuum, & ad Aſcalonem, & Gazam. Poſterior eſt circa Ægyptum, & Arabiæ montem Regionem hanc, montemque Seir ob negatum tranſitum diu circuierunt filij Iſrael. Hanc Saul expugnavit, & David in Servitutem redegit: at illi Iugum abiecerunt, donec ab

Hircano victi etiam Iudaismum suscipere coacti sunt.

EMATH, seu *Hamath* munitissima vrbs est antiquitate, & claritate memorabilis, sita in Tribu Nephtalim iuxta montem Libanum, à qua & circumiacens territorium terra Ematha, & incolæ Amathæi vocantur. Est terminus terræ Israel ad Aquilonem, condita est ab Amathæo vndecimo filio Chanaan. Hæc Tribui Nephtalim assignata multis Sæculis intercipi non potuit: sed dum David anno 9. Regni Philistæos, Moabitas, Adarezer Regem Soba, Syriam Damasci, aliosque hostes subiugasset, Rex *Emath* pacem petijt, & impetravit; Salomon autem vrbem hanc vi expugnavit, aliasque Civitates Emath fortissimè muniens restauravit: quam deinceps à Syris occupatam, Ieroboam recuperavit.

ENDOR est & Civitas sita in monte Hermonio, in qua Saùl consuluit Pythonissam, est & torrens *Endor*.

EMAUS. Duplex est: I. propè Ierusalem, oppidum, seu Castellum, in quo Discipuli duo Christum post resurrectionem agnoverunt, & quod à Ierusalem stadijs 60. distasse scribit *Sanctus Lucas* 24. 13. Iuxta hanc locum est Trivium in quo simulabat se longius ire, & in eo fons, ad quem Christus semel divertisse, & pedes lavisse, & aquis vim morbis hominum, & aliorum animalium medendi, tribuisse dicitur. Cæterum hunc locum à Varo exustum, postea *Nicopolim* esse dictum, putant Sozomenus, Nicephotus, Tyrius, & alij. Et postea terræmotu concidisse refert Eusebius ann. Christ. 131. pro cuius instauratione Iulius Africanus, cuius suprà meminimus, legationem suscepit anno Christi 224. ad Imperatorem M. Aurelium Antonium. Milliari vno ab hoc loco erat domus Zachariæ iuxta montana.

Est & II. EMAUS propè Tyberiadem in Galilæa, teste Ioseph *lib.* 18. *cap.* 3. *Antiq.* & *lib.* 4. *cap.* 2. *Bell. Iudaic.* In quo Vespasianus pro Tyberiade castra posuit, ibique dicit esse aquas calidas.

ENGADDI dicta, & iam *vrbs palmarum*, vna ex Toparchijs Iudææ ordine nona. Eo, quod floreret palmis, & Balsamis, hortum Balsami, seu vineas (quas Salomon vocat vineas Engaddi, *Cantic.* 1.) in Ægyptum transtulit, concedente Antonio, vel Amatore, vel Marito, Cleopatra, vbi irrigatur, à fonte parvo, quo fama est, B. Virginem cum puero Iesu sæpè vsam esse: & *fonticulus Iesu* vocatur: qui cum parvulus sit, & insufficiens irrigationi totius horti, Sarraceni alium puteum foderunt iuxtà illum, ex quo quatuor boves aquam protrahunt, quę positis Canalibus, ducitur in fontem Iesu, & sic largiter, & salubriter ex aquis mixtis rigatur Balsami hortus sed (quod mirum est) à meridie Sabbathi vsque ad Auroram dici Lunæ boves nullo verbere impelli possunt, vt in protrahenda aqua laborent. Ita refert Adrichomius ex Saligniaco, qui ibidem se fuisse testatur.

EPHRAIM, mons, vel potius montes, seu montana, longa milliaribus novem, sunt in Tribu Æphraim. In his est palma Deboræ, & Domus Levitæ.

EPHRÆM, Civitas, in qua morabatur Christus cum Discipulis suis post Lazarum resuscitatum. *Ioannis* 11. 54. sita est iuxta desertum inter Samariam, & Iericho.

ESSEBON, vrbs glorioſa, & insignis, prius Moabitarum; deinde Regis Amorrhæorum *Seon*, postea Tribus Ruben, & data Levitis.

FONS ELISÆI, scaturiens ex pede montis Quarentanæ (vt dicit Adrichomius) fluvium generat vberrimum, cuius aquas insalubres, & amaras sanavit Elisæus. Illius aquæ fluunt iuxta locum Galgalæ. Prope hunc fontem crescunt arbores instar prunorum, spinosæ tamen, in quibus flores nascuntur

tur, quos rosas Ierichuntinas appellant, quæ nocte natilitia nostri Salvatoris paulatim hiant, atque inde se recludunt, licèt siccæ sint, & aridæ. Ita Salign. *Tom. 9. cap. 6.*

FONS IACOB, iuxta Sichar Samarię Civitatem, iuxta quem Iesus fatigatus ex itinere sedens, cum muliere Samaritana multa loquutus est de aqua viva, de Deo adorando, &c. *Ioan. 4.*

CAPUT SEPTIMUM.

PROSEQUITUR INDICULUS GEOgraphicus.

GABAA, Civitas Levitarum; & posteà regia Saùl. Hic ferè tota Tribus Beniamin perijt, 600. exceptis, ob vindictam necatæ vxoris Levitæ, vindicante scelus hoc toto populo Israel.

GABAON, olim Metropolis, & regia Civitas Hevæorum. Dictat à Ierusalem stadijs circiter 50. sita in monte Silo. Huius incolæ callidè, & dolosè cum Iosue fœdus inierunt; sed dolo detecto in aquarios, & lignarios Templi deputati sunt, dicti Nathinæi, idest, dati, vel donati ad serviendum Templo. Hic Salomon in Tabernaculo Moysis, immolatis super altare Æneum mille hostijs, sapientiam à Deo petijt, & impetravit.

GADARA, vrbs trans Iordanem contra Tyberiadem, & Scythopolim ad Orientalem plagam: sita est in monte, ad cuius radices, teste Hieronymo, aquæ calidæ erumpunt. Vrbs fuit natura loci validissima, ac Transamnanæ regionis Metropolis.

GALAAD, mons (vel potius montes) montium omnium trans Iordanem altissimus 50. circiter miliaria longus. Ab Austro iuxtà Civitatem Iaer, rupesque Arnon initium sumit, & versùs Septemtrionem per duo regna (Amorrhæorum, scilicet, & Basan) ad Orientem verò per deserta loca diversis cacuminibus vsque ad Libanum montem porrigitur, & in diversis locis diversa sortitur Nomina. Nam à rupibus Arnon vsque ad Civitatem Cedar, vocatur *Galaad*: deinde vsque Bosram, vel Phialam fontem, *Seir* appellatur; hinc porrò Trachonitidem circumiens, Hermon vocatus est. Galaad idem est, quod *acervus testimonij*, acervus, scilicet, lapidum, quem in aræ modum ibi posuerunt Iacob, & Laban in testimonium initi inter eos fœderis. Totus mons Pascuus est, arborum, Aromatum, & graminis ferax, abundans maximè pinis resinosissimis.

GALAAD Regio, seu *Galaaditis* à monte Galaad, cui adhæret, nomen accepit; sicut & vrbs *Galaad* quia in eodem monte sita est.

GARIZIM, mons totius Samariæ altissimus; crescit autem ad dexteram partem fontis Iacob; mons habens duo capita, quorum alter *Garizim*: alter *Hebal*. In priore promissiones observantibus legem factæ; in posteriore maledictiones transgressoribus eius interminatæ, publicatæ sunt, &c. *Iosue 8.*

GAZA, quæ *Gazara* (& ad Christianismum conversa *Constantia* dicta) vrbs magna fuit, potens, & celebris, vna ex quinque Satrapijs Philistinorum distans à mari stadijs septem, & vltima versùs Ægyptum. Huius portas Samson noctu abstulit, & tulit in montem vicinum. *Iudic. 16.* Hic etiam Dalilæ blanditijs victus, captus, excæcatus, molere iussus, duas columnas evertens, tria hominum millia secum oppressit, *ibidem.*

GELBOE Mons, sivè montes, in quibus Saùl, & Ionathas occisi sunt, & quibus David maledixit, extendunt se ab Occidente, à Iezrael vsque ad Iordanem per vndecim leucas.

GERARA, seu *Geraris* vrbs regia Metropolis terræ Palæstinæ, terminus olim Chananæorum ad plagam australem, vbi & peregrinatus fuit Abraham

ham, Isaac natus, & 25. annis educatus. Ab hac vrbe regio adijacens Gerarítica dicitur.

GERAZA vrbs ad Orientem maris Galilæi, quam aliqui eandem volunt esse cum *Gerara* suprà, sed melius distinguitur, vt in Tabula B. cum vtriusque loci meminerint Iosephus, Ptolomæus, Stephanus, & alij. Ab hac dicitur regio vicina Gerasenorum apud Matthæum, Marcum, & Lucam: sic enim constanter legitur in latina versione, vbi græca exemplaria variant. *Gerasenorum* legitur apud Matthæum, *Gadarenorum* apud alios.

GESSUR fortis, & regia Civitas trans Iordanem, & Israeliticæ terræ terminus versùs Septemtrionem. Hæc filijs Manasse afsignata nunquam videtur ab ijs occupata. Ab hac vicina regio Gessuri dicitur. De hac legitur David egisse prædas, & filiam regis Tholmai (vt dicunt Hebræi) bello captam duxisse vxorem nomine Maacham, ex qua genuit Absalon, & Thamar.

GETH. Vrbs regia sita in colle, vna ex quinque principalioribus Philistinorum, à qua & proprie incipit terra eorum. Sita est non longè à mari inter Caspin, & Tamnata. Fuit quondam Gigantum alumna. Hanc David diripuit, Roboam instauravit, Asaèl Rex Syriæ expugnavit, Ozias murum eius destruxit.

GISCALIS. Oppidum Iudææ, patria Sancti Pauli Apostoli, quo à Romanis capto, cum Parentibus suis Tarsum Cilicię migravit, vt dicit D. Hieronym. Sed vide. *Act. Apost.* 22.

HACELDEMA, ideſt, *ager sanguinis*, erat ager figuli situs ad australem plagam montis Sion emptus 30. argenteis (quibus Christus venditus fuit) in sepulturam peregrinorum. De huius agri terra iussu Helenæ Imperatricis tantum Romam advectum est, quantum ducentæ septuaginta (vt dicunt) naves, vehere poterant, & iuxtà Vaticanum exoneratum in eum locum, quem *Campum Sanctum* vocant, eandem vim habet, quam Ierosolymis: quod scilicet, sola peregrinorum corpora admittit, & intra 24. horas tota consumat, ossibus tantum relictis; aliorum corpora reijciat. Ita, teste Adrichomio, & alijs, experientia testatur.

HARAN, quæ & *Aram*, & *Charam*, & *Charran*, vrbs Mesopotamiæ, ad quam, relicto UR Chaldæorum vrbe, emigravit Thare Pater Abrahmi.

HEBRON, prius dicta *Arbee*, & *Mambre*, & *Cariatharbe*, ideſt, Civitas quatuor virorum, scilicet, Patriarcharum ibidem sepultorum Adam, Abraham, Isaac, & Iacob; quamvis Adam quidam suspicentur in Monte Calvariæ sepultum; vrbs fuit antiquissima terræ illius, sita in monte Hebron, regia, & Metropolis terræ illius, habitaculum Gigantum, quorum Simulacra, & Reliquiæ ibi adhuc videntur, qualia (inquit Iosephus) vix credant, qui non viderunt. Posteà fuit sedes regia Davidis septem annis: hodie præter magnas, & admirabiles ruinas ibi nihil cernitur, & Hebron nova constructa est in loco speluncæ duplicis.

HELIOPOLIS, Civitas Ægypti heroica, ambitu 140. stadiorum. Huius Sacerdos erat Putiphar, cuius filiam Ioseph duxit in vxorum. Hic fuit, & Templum Oniæ Simile Ierosolymitano. Hic etiam ostenditur fons Iesu, de quo suprà.

HIERAPOLIS. Vrbs Phrygiæ magnæ.

HISPANIA Europæ regio occidentalior, montibus Pyrinæis separatur à Gallia versùs Septemtionem, reliquis lateribus alluitur mari Mediterraneo, freto Gaditano, &, Occeano Athlantico.

IABES. Civitas primaria in Galaaditide, quæ ob negatas suppetias contra Gabaa Beniamin ab vniverso Israel expugnata, & deleta, exceptis 400. virginibus, datis in matrimonium totidem viris Beniamitis. Post 300. & ampliùs annos à Naas Rege Ammonitarum obsessa, sed à Saule libe-

liberata, eius, & filiorum corpora ſublata de patibulis in muro Betzan, honorifice ſepeliendi curavit, quod Davidi pergratum fuit. 2. *Reg.* 2.

IAMNIA, vrbs maritima inter Ioppe, & Geth numerat illam Ioſephus inter Toparchias.

ICONIUM, vrbs Licaoniæ inter Derben, & Lyſtras.

IERICO, vrbs olim magna, & populoſa, vna ex vndecim Toparchijs diſtans à Iordane ſtadijs 60. à Ieruſalem 150. fuit communis limes Tribuum Ephraim, & Beniamin. Ibi Chriſtus Zachæum è Sycomoro vocavit, quæ tempore Hieronymi adhuc monſtrabatur. Reſtant modo iuxta Breid. vix octo domus, & villæ veſtigia.

IEZRAEL, vrbs regalis, & vt vult Hieronymus, Metropolis decem Tribum. Terminus eſt Tribus Manaſſe, & Iſachar, ſita in pede montis Gelboe ad Occidentem. Hic ob lapidatum Naboth, Iezabel iuſſu Iehu præcipitata de feneſtra, equorum vngulis contrita, & à canibus lacerata eſt.

ILLYRICUM, *Illyrium*, *Illyria*, *vel Illyris* eſt Regio Europæ ad oram maris Adriatici, oppoſita Italiæ.

IOPPE (modo Iaffa) vrbs antiquiſſima (dicitur enim à Iaphet ante Diluvium condita) in edito Saxo, vna ex Toparchijs. Sub vrbe eſt portus Ieroſolymæ, & Iudææ totius: in quem ligna, & lapides convecta ſunt, pro Templi ſtructura, & hinc Ieroſolymam, terreſtri itinere. Hic Ionas navem conſcendit, hic Petrus Tabitam ſuſcitavit; hic vidit linteum de cælo dimiſſum, &c. Cinxit eam muris, & turribus S. Ludovicus Francorum Rex anno 1250.

IORDANIS, maximus, & amæniſsimus totius Iudææ fluvius, ducit originem primùm ex fonte, qui Phiala dicitur in Trachonitide ſito (vt Philippus Tetrarcha, & alij comprobarunt) immediatam autem ex fontibus *Ior*, & *Dan*, qui ante portam Cæſareæ Philippi, vt aquis, ita & vocalibus coniunctis, *Iordanis*, qui *minor* vocatur-& nomen, & fluvium efficiunt. Hic regiones amænas præterlabens poſt longos circuitus, quibus Trachonitidem ab Ituræa, & Galilæa ſuperiori ſeparat, in vallem quandam influens, ſtagnum facit, quæ *aquæ Merom* nominatur, de quo ſuprà. Inde curſum ſuum versùs Orientem flectit, & fontibus aliquot actus 120. alijs ſtadijs emenſis inter Capharnaum, & Corozaim in mare Galilææ ſe diffundit.

Hoc mare emenſus, & aquis torrentis Ciſon ab Occidente, & fluvij Iacob ab Oriente auctus; *Iordanis maior* vocatur. Tunc Peræam à Samaria, & Moabitidem à Iudea dividens, *convallem illuſtrem*, quæ à lacu Genezareth vſque ad mare mortuum 230. ſtadiorum longitudine patet, mediam ſecat, & fæcundat; præter minores aliquot fontes, Dibon, Ieſrael, Taphuæ, Carith, & Eliſæi fontium, & torrentium, & Iazer, & Arnon fluminum aquis receptis, poſt multos circuitus, & ſinuoſos flexus, tandem in mare *mortuum* velut invitus ſe demergit. Tandem ex peſtifero hoc mari emergens brevi inde ſpatio in horrenda quadam terræ voragine abſorbetur.

Fluvium hunc primò Iſraelitæ, poſteà Elias, & Eliſæus aquis miraculoſe diviſis, ſiccis pedibus tranſierunt. In eadem Naaman Syrus iuſſu Eliſæi ſe ſepties lavans, à lepra mundatus. In eodem Ioannes baptizavit populum, atque etiam ipſum Chriſtum D. N.

ISCARIOTES, dicitur Iudas proditor, à vico Iſcariot, qui non longè à Samaria putatur verſus Orientem: alij eum in Tribu Simeonis collocant.

ITALIA, Regio Europæ notiſsima Alpibus, diviſa à Germania, & Gallia, reliquis lateribus mari mediterraneo circumflua.

LAODICIA, vrbs Phrygiæ in confinibus Lidiæ.

LIBANUS. Mons ſacris litteris ce-

lebratiſsimus, montium Syriæ altiſsimus, ſimul ac amæniſsimus, à quibuſdam mons montium appellatur. In eius ſummitatibus etiam media æſtate nives inveniuntur. Præſtantiſsimarum arborum, & herbarum fertiliſsimus eſt, etiam medicarum, & aromaticarum. Valles eius mirum in modum feraces ſunt, ac optimo tritico, vineis, pomarijs, hortis, & vberrimis paſcuis abundant. Vide *Oſeæ, cap.* 14.

LYBIA. Olim totiùs Africæ nomen fuit: ſed modo *Lybia* propriè dicta eſt Regio Africæ, ſita ad Oram maris mediterranei inter Ægyptum, & Cyrenem.

LYCAONIA, Regio Aſiæ minoris inter Galatiam, Cappadociam, & Piſidiam.

LYCIA, Regio Aſiæ minoris ad mare mediterraneum inter Cariam, & Pamphiliam.

LYDDA. Vrbs non procul à mari, & à Ioppe, vbi Petrus Æneam paraliticum ſanavit. *Act.* 9. vna ex 10. Toparchijs, ordine quinta. In hac dicitur decollatus S. Georgius M.

LYSTRA, vel *Lyſtræ*, vrbs Lycaoniæ, de qua *Act.* 14. 6. eſt & Lyſtra Liciæ. *Act.* 17. 5. quæ vulgò *Mir* dicitur, vrbs maritima.

MACEDONIA, Græciæ regio ad ortum habens mare Ægæum, ad Meridiem Theſſaliam, ad Occaſum Dalmatiam, ad Septemtrionem Scardo, & Orbelo montibus dirimitur à Mæſia, Dacia, & Thracia.

MACHERUS, oppidum, & caſtrum munitiſsimum, in Saxoſa tupe alta, & vndique præcipiti ſitum, vallibus omni ex parte cinctum, loci natura, & firmitate inacceſſum, & inexpugnabile, magnitudine, & pulchritudine admirandum, primò ab Alexandro Rege ædificatum, & poſt ab Herode inſtauratum, & præcellenti regia ornatum. Hic S. Ioannes Baptiſta captus, & decollatus eſt.

MAGDALUM, Mariæ Magdalenę caſtrum, cuius domum ibi adhùc videri dicebat Breid. Situm eſt in littore maris Galilæi ab Occidente, & Aquilone magnam habens planitiem.

MASPHA, inclyta vrbs Levitarum in Tribu Gad, in qua habitavit *Iephte*, qui Iudex factus, Dei ſpiritu accenſus, primum ratione agit cum Rege Ammonitarum: deinde vbi eos viciſſet, ob votum temerè factum, filiam ſuam vnicam Deo ſacrificat.

FUIT, & alia Civitas *Maſpha*, quam aliqui ponunt in Iuda, aliqui in Beniamin. In hac fuit Arca Domini, eratque locus orationis: ibique Samuel iudicabat populum.

MARE MAGNUM, ſeu *mediterraneum* vario reſpectu varia ſortitur nomina. Dicitur *magnum*, quia eſt ſpatioſius alijs maribus Palæſtinę: *noviſsimum* reſpectu maris mortui, quod eſt ad Orientem Iudææ: *Occidentale*, quia Occidentalem Palæſtinæ alluit. Hoc mare fluxu, & refluxu parum creſcit, aut decreſcit; cum tamen Oceanus in partibus noſtris Septemtrionalibus ſurgat ad octonos cubitus. Aquæ eius ſalſæ ſunt, & piſcibus valde abundant.

MARE MORTUUM, ſeu *Salſum*, *Salis*, & *Salinarum*, ſive *mare primum*, *Orientale*, *Sodomiticum*, & *lacus Aſphaltitis*, ideſt, Bituminis, olim erat vallis ſylveſtris, amæna, delitioſa, ac fertilis, Iordane medio irrigua, ideoque paradyſo Domini comparata: erantque quinque Civitates Regiæ, à quibus *Pentapolis* dicebatur, ſed poſtquam dimiſſo cælitùs igne, ac ſulphure, conflagrarunt quatuor regiæ Civitates, Sodoma, Gomorra, Adama, & Seboim (ſegor enim incendium evaſit) factus eſt lacus peſtilens, & horribilis, cuius longitudo, iuxta Ioſephum, eſt 580. ſtadiorum; latitudo 150. Aquę ſunt ſpiſſæ, ſordidæ, fætidæ, & ſuprà alias maximas ſalſæ: nihil in eis, vnde *mare mortuum* vocatur. Etiam graviſsima dicuntur in eis fluitare. Lacus hic multis in locis vomit nigras bituminis glebas, atque etiam inſtar camini infer-

nalis, perpetuis exæſtuat vaporibus, quorum halitu littora, & montes vtrimque ſqualent ad aliquot milliaria.

MEDIA Regio eſt maioris Aſiæ ad ortum habens Hircaniam, & Parthiam: ad meridiem Perſidem: ad Occaſum maiorem Armeniam: ad Aquilonem mare Caſpium, ſivè Hircanium.

MELITE, vulgò *Malta*, inſula maris Mediterranei non procùl à meridiana ora Siciliæ.

MELLO erat vorago, & vallis profunda, & lata, quæ montem Sion ab inferiori Civitate diſcernebat: hanc coæquavit Salomon, vt eſſet commoda habitationi hominum, & eam ædificijs ornavit.

MILETUS eſt vrbs maritima in confinijs Ioniæ, & Cariæ.

MITILENE, Civitas in Lesbo inſula.

MOAB, fuit filius Loth ex filia maiore, ex eo orti ſunt Moabitæ, gens magna, potens, & ſuperba. Ab eo vrbs *Moab* (alias Aroer) & *Moabitis* regio nomen acceperunt.

MONS CHRISTI, ſic dictus, quia ſæpè ad illum divertebat orandi, & prædicandi cauſa: in quo Apoſtolos elegit *Luc.6.* & prolixum illum ſermonem habuit. *Matth.cap.5.6.7.* diſtabat Capharnao tribus milliaribus.

MONS OLIVETI. Matthæo, Lucæ, Ioanni, *mons Olivarum*, Marco, & Lucæ pluries, ſic dicitur ob olearum frequentiam: eſt mons altiſsimus iuxtà Ieruſalem, Sabbathi habens iter: ideſt, iuxtà Ioſephum quinque ſtadia, vel ſex, ſi ſummum montis accipias, quæ ſolum facerent quartam partem milliaris horarij. Hunc montem ſæpè aſcendit Chriſtus, vt oraret, noviſsimè autem, & ante paſsionem *Luc.22.* & ex eodem cælum aſcendit, facie versà ad Occidentem, vt conſtat ex pedum eius veſtigijs petroſo monti inſtar ceræ impreſsis.

MONS TENTATIONIS, quem etiam vocant *montem Diaboli*, in quem Diabolus Chriſtum aſſumpſit, & tentavit, eſt à latere Bethel, & Hay, auſtrali.

MISIA. *Actor.* 18. 17. 8. eſt regio minoris Aſiæ ab ortu habens Bithyniam; ab Auſtro Phrygiam minorem; ab Occaſu Helleſpontum; ab Aquilone Propontidem, & Pontum Euxinum.

NABATHA, vrbs condita à Nabaioth primogenito Iſmaelis, à quo & omnis regio ab Euphrate vſque ad mare Rubrum *Nabathæa*, (quæ pars Arabiæ dicitur frugum inops, plena pecorum) eiuſque incolæ *Nabathæi*, vel *Nabuthæ*, vel *Tubianæi* Arabes appellantur, quorum gentes ſunt duodecim.

NAIM, ad cuius portas Chriſtus filium viduæ ſuſcitavit, Civitas eſt in Tribu Iſachar decora, & pulchra, quam Torrens Ciſon alluit: ſita eſt in latere Aquilonari montis Hermon minoris, à monte Thabor duobus milliaribus, ab Endor verſus meridiem ſimiliter.

NATATORIA SILOE, eſt infra fontem Siloe, & ſub monte Sion, ad Orientem vrbis Ieruſalem. Ad hanc miſit Chriſtus cæcum à Nativitate, cuius oculos ſputo, lutòque inunxerat, vt lavaret ſe; quo facto, viſum recepit, & Chriſtum Phariſæis indignantibus, confeſſus eſt. *Ioann.9.*

NAZARETH, quæ interpretatur flos, pulchra fuit, ac florens Galilææ Civitas, ſubiecta vrbi Capharnaum. Ædificata eſt ſuper montem, quem inſtar coronæ ambit, duobus milliaribus à monte Thabor Occidentem versùs, & trium dierum itinere à Ieruſalem. Hic nata dicitur B. V. Maria, candens flos Virginum: hic Chriſtus Dominus noſter, & Salvator, gloria, & corona noſtra; vt flos campi (inquit Hieronymus) naſceretur in flore virtutum, conceptus, & educatus eſt, ita vt Civitas eius, & patria diceretur. Sacrum illud Domicilium, in quo *VERBUM CARO FACTUM EST*, iam quarto a Angelis translatum in viam publicam

Re-

Recanati, ibidem ſedem ſtabilem recepit.

NEAPOLIS, de qua *Actor.* 16. 11. Macedoniæ Civitas eſt apud Strimonicum ſinum ſita, non longè diſtans Philippis. Eſt & Neapolis in Campania, & alibi aliæ.

NICOPOLIS, de qua alibi iuxtà aliquos eſt vrbs maritima Epyri, ſic dicta à victoria, quam de Marco Antonio retulit Auguſtus: iuxtà alios eſt vrbs Traciæ, non longè diſtans Philippis in Macedonia.

NILUS, celeberrimus Ægypti fluvius, ex lacu *Zaire* in Africa ſuam trahens originem, per 800. circiter currit milliaria, antequam Ægyptum intret. Ipſam ſingulis annis irrigans mirabiliter fructiferam reddit. Vbi ad mare Mediterraneum accedit, quaſi triangulum facit, qui DELTA appellatur, & in ſeptem partes, ſeu oſtia dividitur, quibus ſe exonerat in mare Mediterraneum.

OCCIDENS, ORIENS (& idem eſt de Aquilone, & Auſtro) aliquando deſignant in Scriptura partes, ſeu plagas mundi; aliquando gentes, quæ in ijs habitant: dum autem omnes quatuor ponuntur, omnes mundi partes ſignificant, *vt Luc.* 13. 29. *Venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in Regno Dei, &c.*

CAPUT OCTAVUM.

CLAUDITUR INDICULUS GEOGRAphicus.

PALMYRA (Hebraicè Thamar, id eſt Palma) vrbs eſt à Salomone condita, qui deſerto ſuperioris Syriæ potius, tanquam in extremo Imperij ſui limite, hanc vrbem ibi extruxit miris operibus, & validiſsimis muris cinxit. Ab ea regia, & ſolitudo adijacens *Palmyrena* vocatur. Vide *Tabulam* D.

PAMPHILIA, regio Aſiæ minoris maritima inter Lyciam, & Ciliciam, à qua mare Mediterraneum adijacens *Pamphilicum* dicitur.

PAPHUS, vrbs ad oram Occidentalem inſulæ Cypri.

PARTHIA, regio Aſiæ maioris ab ortu Bactrianæ; à meridie Perſidi; ab occaſu Mediæ; à Septemtrione Hircaniæ conterminata. Incolæ *Parthi* vocantur.

PATARA, vrbs maritima Lyciæ. *Act.* 21. 1.

PATHMOS, inſula maris Ægæi, vna ex Sporaddibus, Cariæ oppoſita ab ortu.

PELAGUS, Ciliciæ, & Pamphiliæ. *Act.* 27. 5. Eſt pars maris Mediterranei, quæ eſt inter Cyprum, Ciliciam, & Pamphiliam.

PELLA, alias *Buris*, & *Berenice* vocata, eſt Civitas præclara vltra Iordanem ſita, vna ex vndecim Toparchijs Iudææ, ordine ſeptima. Ad hanc vrbem, & vltra confugerunt Chriſtiani, divino oraculo moniti, ante deſtructionem Ieruſalem, per Titum, anno quinto.

PELUSIUM, vrbs maritima ſita propè oſtium Nili Iudææ proximum, quod *Peluſiacum* dicitur, poſteà Damiata dicta eſt, portum habet tutiſsimum.

PERÆA regio, & Toparchia: longitudo eius eſt à Pella vſque Macherunta, latitudo verò à Philadelphia, Arabia, Silbonitide, vſque ad Iordanem. Eſt ſatis frugifera, & maximè Olivetis, vinetis, ac palmetis exculta.

PERGE, vrbs maritima Pamphiliæ.

PERSIA, ſeu *Perſis* regio Aſiæ maioris habens Caramaniam ad ortum; Suſianam ad occaſum; ſinum Perſicum ad meridiem; & Parthiam ad Aquilonem.

PETRA DESERTI, Arx, & vrbs vetuſtiſsima, Metropolis in Regno Moab, ac ſedes regia Arabiæ, quæ ab hac Petræa dicitur. Erat patria Moabitis, iuxtà Hieron.

PHÆNICIA, & *Phenicæ*, & *Phenix*, inclyta Syriæ regio, tàm in ſacris, quàm alijs litteris celebris. Sumit initium

tium à Velanio fluvio ab Aquilone versùs Auſtrum pergens vſque ad Civitatem *Dor*; latitudine vſque Damaſcum porrigitur. Hiſtorici, Teſte Hieronymo, Samariam, & Galilæam Phœniciæ includunt. Magnas, & egregias habet Civitates: Tyrum, Ptolemaidam, Sidonem, Paneam, Berytum, Biblum, Rodum, Tripolim, Antaradum, &c.

Eſt & *Phœnice*, ſive *Phœnix*, portus Cretæ in ora meridionali.

PHILADEPHIA, vrbs Lydiæ in Aſia minori. *Apoc.* 1. 2. & 3. 7. RABBA filiorum Ammon filij Loth ex filia minore Metropolis, etiam *Philadelphia* dicta eſt.

PHILIPPI Civitas Macedoniæ confinis Thraciæ.

PHRYGIA. Duplex eſt, maior, ſcilicet, & minor. *Maior* ab Aquilone habet Bithyniam: *minor* Myſiam, ſita ad Helleſpontum.

PHILISTIM, ſeu *Philiſtini* à Meſraim filio Cham progeniti, regionem inferiorem Iudææ à *Dor*, aut Cæſaræa Palæſtinæ, vſque ad Gazam poſſederunt. Inter hos erant *Enacim*, ideſt, Gigantes fortiſsimi. Habuerunt aliquando Reges quinquè, vt Lyranus docet, & dominati ſunt Iſraeli, & fecerunt eum tributarium pluſquam 150. annis. Hos coercuit Samſon, & Samuel, & David fecit eos ſibimet Tributarios.

PISCINA PROBATICA, erat Ieroſolymis inter portam vallis, & Templum. Quinque porticus habebat. Qui primus in eam poſt motam ab Angelo aquam, deſcendebat, ſanus fiebat. In ea Chriſtus hominem 38. annis infirmum, verbo ſanavit. *Ioannis* 5. 8. dicebatur *Probatica*, ideſt, ovina, vel pecuaria, à Græco *Probaton*, quod non tantum ovem, ſed omne fere quadrupedum genus ſignificat, iuxta Franc. Lucam. Ita autem appellabatur. 1. Quia erat iuxta portam gregis, quæ erat iuxta templum, & per quam introducebantur greges ovium immolandarum in Templum. 2. Quia ad hanc quotidie oves immolandæ congregabantur, & abluebantur. Multi quoque opinantur aquas in vſum ſacrificiorum adhibitas, mixtumque ſanguinem victimarum ex Templo per canales in hanc piſcinam defluxiſſe. Vis autem ſanandi in aqua hac erat miraculoſa. Piſcina hæc fuit Typus Baptiſmi: ſanguine enim victimarum rubens indicat vim Baptiſmi, qui animam emundat virtute ſanguinis Chriſti: vt docent. Ambroſius, & S. Chryſoſtomus, & ex eis alij plures.

PISIDIA, Regio Aſiæ minoris Gabens à meridie Pamphiliam, ab Aquilone Licaoniam.

PONTUS Regio item Aſiæ minoris, ab Aquilone habens Pontum Euxinum, ab Auſtro Cappadociam. *Act.* 9. & 1. *Petri* 2.

PTOLEMAIDA, vulgò *Acon*, vrbs Iudææ, maritima, & celebris in Tribu Aſer inter Tyrum, & Cæſaræam Palæſtinæ. Fuit olim munitiſsima, mirabilibus cincta muris, & antemuralibus, portis, Turribus, Foſsis. Frequens huius ſit mentio in libris Machabæorum.

PUTEOLI, vrbs maritima Campaniæ in Italia ad mare Tyrrhenum.

QUARENTANA, vocatur Deſertum, in quo Chriſtus ieiunavit 40. diebus, & noctibus. Situm eſt inter Ieruſalem, & Iericho, incipiens iuxta Anathoth, & extendit ſe vltra Galgala vſque ad Deſertum Thecue, & Engaddi iuxta mare mortuum.

RAMA (quod excelſum interpretatur) erat villa iuxta Thecuam; in via, qua itur in Hebron, ex qua videri poterat Iordanis, mons Abarim, mare mortuum, & littus maris magni à Ioppe vſque Gazam. Plures ſunt eiuſdem nominis villæ, omnes in collibus ſitæ.

RAMATHA, alias *Arimathæas*, Civitas fuit ſeparata Levitis, ſita in Sophim monte Ephraim; vnde, & *Ramatha Sophim* dicitur: eſtque confinium

Tribuum Ephraim, Beniamin, & Dan. Ex hac oriundus fuit nobilis ille Decurio Ioseph, qui Christum sepelivit.

RAMESSE, est vrbs in extremis Ægypti finibus ab Israelitis ædificata, dum essent sub servitute Ægyptiaca. Apud hanc convenerunt Ægypto exituri: fuitque mansio prima.

REBLATA, vrbs inclyta in terra Emath, ac Tribu Nephtalim iuxa Iordanem sita, in qua (licèt aliqui id factum putent in Anthiochia Syriæ) Pharao Nechao Ioachaz Regem Iuda ligavit, ac in Ægyptum transtulit. In hac etiam Nabuchodonosor Sedeciæ acriter increpator oculos eruit, &c.

RHEGIUM, vrbs Calabriæ ad fretum Siculum.

RHODUS, est maris mediterranei Insula, ac septemtrione oppositа Cariæ.

RINOCORURA, vrbs olim Ægypti, postmodum Iudæorum. Vocabulum hoc apud Hebræos non habetur, sed XXL. pro Torrente Ægypti hoc nomen possuerunt.

ROMA, vrbs olim Latij toto Orbe celeberrima, eiusque populi *Romani* dicti sunt, in quorum potestatem Iudæa devenit, ante Christum ann. 63.

SALAMINA, seu *Salamis* Civitas maxima in Orientali ora Insulæ Cypri.

SALMONE, promontorium Orientale Insulæ Cretæ.

SALTUS EPHRAIM, sic dictus, etsi non esset in Tribu Ephraim, sed vltra Iordanem in Tribu Gad, campus erat post tergum Sylvam habens, in quo ab exercitu David cæsa, sunt 20. millia, & ipse etiam Absalon crinibus hærens in quercu à Ioab transfixus est. Tradunt Hebræi, & Hieronymus, quod in Sylva erant bestiæ feroces, à quibus plures sint occisi, quam à pugnantibus in acie.

SAMARIA, vrbs Metropolis munitissima, regalis, & pulcherrima decem Tribuum, quæ appellantur *Regnum Israel* posteà ab Herode in honorem Cæsaris Augusti *Sebaste*, ideſt, *Augusta* appellata. Distat à Ierusalem 15. circiter milliaribus. Ab ea tota regio, quæ est vberrima, *Samariæ* nomen accepit. In vertice montis Semeron ædificata est ab Amri Rege Israel, qui Samariam vocavit à Samaro, à quo montem emerat: cuius verticem cinxit admirabili Ædificiorum superbia in modum Coronæ. Prospectum habebat amæniſsimum, & quaquaversùs longisſimum. In hac sepulti dicuntur Elisæus, & Abdias Propheta, & S. Ioann. Baptista.

SAMOTHRACIA, Insula in mari Ægæo ad septemtrionem Thraciæ oppositа.

SARDIS, Civitas Syriæ in Asia minori.

SCYTHÆ, populi Asiæ ad mare Caspium, Barbari, & inculti.

SEGOR, vrbs parva, quæ sola ex quinque vrbibus Pentapoleos precibus Loth ab incendio præservata. Hæc tertio dicitur terræ motu absorpta, & prostrata.

SELEUCIA. *Act.* 13. 4. Civitas maritima Syriæ ad sinum Isicum.

SEPHET, vrbs in Tribu Nephtali inter montana altisſimo monte, & pulcherrimo loco sita; fuit vna ex clarisſimis Decapoleos Civitatibus; ac Christianorum tempore firmisſima arce munita, fuit tutisſimum, & inexpugnabile Christianorum Asylum.

SICHEM, quæ & Sichima, & Christi tempore dicta *Sichar*, fuit vrbs refugij, & Levitarum, Metropolis Samariæ: postquam restaurata fuit, vocata est *Neapolis*, ideſt, nova Civitas.

SICELEG, vrbs assignata prius Tribui Iudæ, posteà Simeonis, sed possessa à Philistæis, quam Rex Achis donavit Davidi, qui in ea sedit, & habitavit totum annum, & menses quatuor.

SIDON, perantiqua, opulenta, celebris, ac regia Civitas. Hanc primoge-

mogenitus Chanaan condidit, ac ſuo nomine dotavit: in ſolida rupe ad littus maris in longum ædificata eſt. Cecidit in ſortem filiorum Aſer, ſed nunquam incolas potuerunt expellere. Primùm à Nabuchodonoſor capta eſt, gladio, peſtilentia, ac fama conſumpta. Deinde ab Alexandro Magno expugnata. Multis ſæculis Chriſtiana floruit.

SILO, mons altiſsimus omnium in Civitatu Ieruſalem. Eſt ferè in medio inter hanc, & Samariam. Eſt eiuſdem nominis vrbs *Silo* in eodem monte, in qua pluribus annis manſit arca Dei, & Tabernaculum, donec ea à Philiſtæis capta eſt.

SINA, ſive *Sinai*, mons præclarus, & Sanctus in Deſerto Pharan, eſt rotundus, omnium in ea regione altiſſimus, & aſcenſu difficillimus. Dicitur in altitudine continere ſeptem millia graduum, exceptis locis, quibus rectis paſsibus aſcenditur. Huius montis pars quædam, ſeu iugum eſt OREB; vnde legitur lex data nunc in *Sina*, nunc in *Oreb*. D. Hieronymus ſenſit, quod duplici hoc nomine idem mons ſignificetur; communior tamen ſententia eſt, montes illos inter ſe diſtinctos eſſe, radicibus cohærere, & *Oreb* eſſe multò inferiorem altero. Hic manſit Iſrael toto anno, & quatuor diebus, quo tempore conſtruxit Moyſes, & dedicavit Tabernaculum, Pontificem, Sacerdotes, & Levitas conſecravit; leges tulit, quæ ad ſtatum religioſum, & politicum ſpectabant, populum numeravit, caſtra diſpoſuit. Media pars Exodi, totus liber Leviticus, & principium Numerorum, completa ſunt in hac manſione.

SMYRNA, vrbs maritima Ioniæ in Aſia minori, quæ ab Occidente habet Inſulam.

SOCCHOTH, ideſt, Tabernacula. Hic Iacob redux ex Meſopotamia fratri ſuo Eſaù reconciliatus eſt, defixis hoc loco tentorijs; vnde ei hoc nomen impoſuit. Hic poſteà conſtructa eſt Civitas eiuſdem Nominis munitiſsima, & optima.

STAGNUM *Genezareth* ſic dictum à terra continente; dicitur etiam *mare Galilææ* ab adijacente Provincia; dicitur *mare Tyberiadis* ab adijacente Civitate, &c. Ioſephus dat illi quadraginta ſtadia ia latitudine; centum in longitudine. Ægeſippus plura, & Plinius adhuc plura. Secundum Tabulam B. habet pluſquam duodecim milliaria in longitudine: quatuor, vel quinque plus minus in latitudine. Aqua eius dulcis, fæcunda, & potabilis eſt: piſces habet ab alterius loci piſcibus ſpecie, & ſapore differentes, aliiſque rebus illuſtratur; maximè tamen navigatione Chriſti, vocatione, & piſcatione Apoſtolorum, alijſque miraculis.

SUNA, Civitas eſt ad latus Auſtrale montis Hermon. Triangulum facit cum *Naim*, & *Endor*.

SYRACUSA, vrbs Siciliæ maritima à parte Orientali.

SYROPHÆNISA, mulier: Marco eadem eſt, quæ Cananæa Matthæo.

SYRTIS. *Act.* 27. 17. Eſt tractus maris mediterranei ad Oram Africæ, naufragijs infamis. Eſt duplex: magna, ſcilicèt, & parva. Magna eſt ſinus maris Africa ad Occidentem regionis Cyreniacæ: parva eſt Occidentalior è regione Sicilię.

TABOR, mons eſt pulcherrimus in medio Galilææ campo, mira rotunditate ex omni parte æqualiter finitus: eius altitudo triginta ſtadijs conſurgit, iuxta Adrichomium: & in vertice habet planitiem 26. ſtadiorum: cœli temperie eſt ſaluberrimus; vineis, olivis, varijſque arbuſtis, & fructiferis arboribus totus conſitus. Flores omnigenos, aves, & feras frequentes habet. Totus mons paſcendis oculis, reficiendiſque animis dicatus eſt, inquit idem. In loco, in quo Chriſtus transfiguratus eſt, modo eſt hortus arboribus conſitus, & fontibus irriguus, muro cinctus.

TA-

TABERNACULA CEDAR, ſunt Tabernacula, ſeu tentoria pulchra, & pretioſa, quæ fiunt in loco quodam inter Civitatem Cedar in Manaſſe vltra Iordanem, & ipſum Iordanem ſito, in quo ſtatis anni temporibus celeberrimæ aguntur Nundinæ, convenientibus eò mercatoribus ex omnibus vicinis regionibus.

TABERNACULUM ABER *Cinæi*, in quo Siſara clavo Tabernaculi à Iahel tempora transfixus occubuit. Diſtat non longè ab Aſor in Tribu Nephtalim.

TANIS, Ægypti Civitas, ſeptem annis poſt Hebron condita, à 17. Titanibus filijs Noe poſt Diluvium genitis, iuxta Beroſum. Metropolis fuit olim Ægypti, in qua temporibus Moyſis, & Ieremiæ erat regia domus Pharaonis.

TARSUS, vrbs Ciliciæ non longè à ſinu Iſsico.

TERRA CHABUL, Regio eſt Galilææ Gentium, Tyro vicina, cuius viginti Civitates Tyriorum Regi Hyram dederat Salomon; qui & eas ab eodem ſpretas reſtauravit, & Iſraelitis inhabitandas dedit. 3. *Reg.* 9.

TERRA, Hus, Græcè *Auſitis*, eſt vltra Iordanem in Trachonitide, inter Palæſtinam, & Cæleſiriam media. In hac principatum habuit Sanctus Propheta Iob iuxta probabiliorem ſententiam: probabilius enim videtur, quod ibi regnaverit, vbi ſepultus eſt, extat autem eius ſepulchrum Pyramidale in terra Hus, & ibi oſtenditur. Probabile tamen etiam eſt, quod in Idumæa regnaverit, vt ſuprà inſinuavi. Terra Hus plures habuit Civitates, & Reges. Olim communiter celebriores Civitates ſingulę ſingulos habuerunt Reges.

TALASSA, Civitas maritima ad Orientalem Oram Cretæ, propè locum, qui boni *portus* dicitur.

THEBÆ, olim potentiſsima, & maxima Ægypti Civitas, quæ dicitur centum portas habuiſſe. Regio ei ſubiecta *Thebais* vocatur; deſertum ei vicinum, iuxta mare rubrum, deſertum Thebaidos dicebatur; in quo S. Antonius, Paulus, & alij Eremitæ vixerunt.

THESSALONICA, Civitas maritima Macedoniæ in ſinu Thermaico.

THYATYRA, Civitas Lydiæ in Aſia minori.

TYBERIAS, vrbs inſignis, Metropolis, & terminus Decapoleos, Galilæarum maxima. Olim Cenereth vocata dicitur, ſed Tyberias appellata eſt ab Herode Tetrarcha, in honorem Tyberij Cæſaris. Diſtat à Tyro 20. milliaribus.

TRES TABERNÆ. *Act.* 18. 15. locus eſt in latio inter forum Appij, & Romam.

TROAS. *Act.* 16. Civitas Phrygiæ minoris.

TURRIS LIBANI, quam Salomon in monte Libani conſtruxit altiſſimam, & pulcherrimam.

TYRUS, vrbs maritima inter Sidonem, & Ptolemaidam omnium, quas Phænicia habuit, maxima, & munitiſsima, ac Metropolis, Domina maris, totiuſque Orbis Emporium celeberrimum. Ædificata eſt inſtar circuli ſuper rupem duriſsimam: & olim Inſula fuit; vnde & dicitur ſita *in corde maris*. De hac ſic loquitur Adrichomius: ſi munitionem ſpectes, Arx, magis quam vrbs, dicenda eſt: ſi negociationem, mundi totius forum eſt: ſi magnificentiam, & gloriam, regia quadam maiestate fulgens, velut Regina inter cęteras vrbes eminet: ſi opes denique, fauſtum, & luxum attendas, Orbis potiùs quam vrbis, nomen meretur. Hæc à Salmanaſſar Rege Aſſyriorum fruſtra obſeſſa, à Nabuchodonoſore duodecim, vel tredecim annis obſeſſa, expugnata eſt: & poſteà iterum ab Alexandro magno ſpatio ſeptem menſium. Poſt Chriſtum ſexcentis ferè annis in Chriſtiana religione floruit, donec in Sarracenorum manus delapſa eſt.

eſt. Ex quibus A. C. 1112. eam eripere fruſtrà tentavit Balduinus Ieroſol. Primus Rex; ſed anno 1124. à Chriſtianis, ex ijs erepta eſt. Deinde anno 1188. capta vniverſa Palæſtina, eam etiam expugnare tentans Saladinus, victus, & fugatus eſt, claſſe Navali tota, combuſta, & caſtris exuſtis. Denique anno 1289. à Saracenis, deditione intercepta, in Turcarum etiam num manet poteſtate.

VALLIS BENEDICTIONIS, locus in Tribu Iuda medius ferè inter Herodium, & Engaddi, ſic dictus, eo quod in eo, Iudæis Domino benedicentibus, Moabitæ, Ammonitæ, & Idumæi in ſemetipſos verſi, ſe mutuo occiderunt.

VALLIS IEZRAEL, ſita in Tribu Iſachar etiam dicta *planities Galilææ*, incipit circa Civitatem Iezrael, & procurrit verſùs Iordanem inter Torrentem Ciſon, monteſque ei contiguos ab vna parte, & montes Gelboe ab altera: eſt duobus circiter milliaribus lata. In hac multi, & magni habiti ſunt conflictus.

VALLIS TEREBINTHI, in qua David poſtravit Goliad. Eſt inter Lebnam, & Cariathiarim.

VR CHALDEÆORVM, vrbs Chaldeæ, quæ à latere meridionali eſt ad Euphratem ſita, non longè à Babylone. Ex ea migravit Thare cum filijs, & tota familia in *Haran* Civitatem Meſopotamiæ.

*



APPARATUS
AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
PARS TERTIA.
DE PONDERIBVS, ET MENSVRIS.

PROOEMIUM.

SUBSEQUITUR ALIA QUÆDAM PARS APPARATUS, QUÆ licèt brevior futura sit, quàm reliquæ præcedentes; nihilominus est valde vtilis ad navandum operam rei Biblicæ: siquidem quidquid de ponderibus, & mensuris quondam stabilitum erat, & vsurpatum, multum prodest ad totius sacræ paginæ intelligentiam. Itaque sicuti fecit Deus omnia in numero, pondere, & mensura; par etiam est, vt de ijs, quæ scripsit, postquàm egimus in Chronologia de numero, nunc adijciamus aliquid de pondere, & mensura; atque ad Geographica colluſtrada distantiarum mensura subnectatur.

CAPUT PRIMUM.

DE PONDERIBUS S. SCRIPTURÆ.

1. DE ponderibus, & mensuris post descriptionem templi, sequitur, quasi ex ordine, nonnulla tractatio, nullibi tàm oportuna, quàm post tractationem templi, cuius Sacerdotes ponderibus, & mensuris præficiebantur. Igitur hæc res non est modica, quantumvis patiatur minutias: nam præterquamquod de eius elucidatione multa veniunt loca scripturarum intelligenda, cum apud Nationes tanta ponderum, nummorum, & mensurarum, sivè pro liquidis, sivè pro solidis fuerit diversitas; satis operosum est in tanto sæculorum tractu, edacique temporum vicissitudine, prædicta discernere, vt in hoc genere ipsorum ponderum, ac mensurarum mensura iusta taxetur. Inter omnes verò, qui de hac re disseruerunt, observo pulcherrimam tractatiunculam nostri Iacobi Tyrini *tom.* 1. post Chronicon sanè perbrevem, & ex optimis Authoribus collectam: cuiusmodi sunt Robertus Cenalis, Quintus Rhemnius, Fanius, Aulus Gelius, Collumela, Budæus, Alciatus, Clavius, Villalpandus, Mariana, Alcazar, & alij. Ex quibus disserit de antiquis ponderibus, & mensuris Hebræorum, Græcorum, & Romanorum collatis cum mo-

modernis Italorum, Hiſpanorum, Gallorum, Belgarum, &c. Quam quidem tractationem tribus Tabulis ornat, quas Nos experientia ducti, de eo quod Iuvenes ad ſpectra tabularum, numerorum, & combinationum perterrefiunt, noſtro, quem hactenùs ſequimur, ſcribendi more evacuabimus, in id præſertim incumbentes, vt diſſertaciuncula hæc quanta poſsit à nobis claritate donetur.

2 Igitur antiquitùs ab exordio, Mundi videtur, non niſi appenſo ære, & minimè ſignato, iniri commercia; tametſi à tempore Iacob nonnulla æris ſignatura incæpiſſe videatur. *Gen.* 33. 19. vbi dicitur *centum agnis*, vbi *Act.* 7. vertitur *pretio agenti*, & ſimiliter apud Iob vltimo verſic. 11. verti ſolet, dediſſe nummum vnum, ideſt, figura ovis ſignatum, vbi dicitur *ovem vnam*. Quia videlicet, pecunia non niſi a *pecude* videtur ſuam Ethymologiam emendicaſſe: Sed quidquid de hoc ſit, dum æs antiquitùs appendebatur, vocabatur illa portio maior appendi ſolita *As*, vel *æs pondo* indeclinabile, & *libra*, quam Romani iuxtà anni menſes in vncias duodecim diſſecarunt, dictas quidem *vncias*, quaſi *vnicas*, vel *vnas*, vel *vnitates*, quaſi partes extremas, & ſimpliciſsimas totius ponderis, veluti puncta in continuo, & vnitates in numero. Harum partium prima, & ſimpliciſsima dicebatur vncia, quę valebat I. Secunda ſextans, quæ erat ſexta pars libræ, & valebat 2. Tertia dicebatur *quadrans*, ideſt, quarta pars libræ, & valebat 3. Quarta dicebatur *triens*, & valebat 4. Quinta dicebatur *Quinquunx*, & valebat 5. Sexta dicebatur *Semis*, & valebat 6. Quod eſt dimidium libræ. Septima dicebatur *ſeptunx*, & valebat 7. Octava dicebatur *Bes*, & valebat. 8. Nona dicebatur *Dodrans*, & valebat. 9. Decima dicebatur *Dextanx*, vel *decunx*, & valebat 10. Vndecima dicebatur *deunx*, & valebat 11. ac denique *as*, & valebat 12. vncias. Sed poſteà loco æris appenſi ſucceſsit æs ſignatum, quod non ita pro mercatura prægravaret, nec perpetuam bilancem expoſceret, & appellatum eſt *moneta*, quæ non tàm æris materia, quàm ſignatura valorem acciperet, tametſi modo in argento, & auro non videam ponderi ipſi valorem creſcere de ſignatura, quatenùs vncia etiam cum ſignatura non plus, quam vnciam valeat.

3 Duo autem notanda ſunt, priuſquam ad monetas expendendas appropinquemus: alterum, quod in antiqua ponderis vſurpatione *quadrans* licèt videatur ſonare *quatuor*, non valet, niſi tres, & è contra, *triens* licèt videatur ſonare tres, valet *quatuor*. Alterum eſt, quod quando mentio fit *ſtuferi* Belgici, loquor de priſco ſtufero excedente modernum, & æquivalente ad quintam partem *Iulij Italici*. Inſuper ad tollendam æquivocationem, obſervare oportet, quod licèt in vſurpatione monetæ pondus vnciarum ceſſaverit quoad materiam, non tamen quoad valorem, & pretium: vnde & eædem partes aſsis, quas expoſuimus, quoad proportionem, & valorem, ſunt permanſuræ, niſi quod inter illas alij nummuli æræi minores eſſe inferantur pro diverſitate Nationum, v. g. Hiſpanicè *ochavus*, *quartus*, *blanca*, & *marapetinus*, Italicè *quartini*, quos omnes in graduatione monetaria, quam ſtatim exhibebimus, commemorabimus. Denique de *ſextertio* duo ſubnotanda ſunt. Primum, quod *ſextertium* in neutro genere eſt moneta diſtincta in valore à *ſextertio* maſculini generis, ita vt vnum *ſextertium* claudat mille ſextertios. Secundum eſt, quod hæc figura HS compendij cauſa valet decies *ſextertium*. Quibus præcognitis ſimul cum imminutione monetæ facta, Matriti 7. Auguſti anno 1628. eo quod valor eſſet triplus ſuprà materiam, tranſeo ad exhibendas gradatim monetas incipiendo à Talento auri Hebraico, quod ſum-

ſummum pretium inter omnia fuiſſe videtur, & indè deſcendendo per gradus ſingulos monetarum, vt iuxta hanc deſcriptionem poſsint à quoquam monetę omnes cum ſuo valore, & ordine retineri, & ad libitum combinari.

4 I. Talentum auri Hebræum explicandum eſt, vti & reliqua pretia, & monetæ per alios valores in ſe incluſos, inferiores, & inferiores, & inferiores, &c. vſque ad vnciam, vel vnicam, aut vnitatem. Igitur Talentum auri Hebræum habet duo talenta auri Attica. II. Talentum auri Atticum habet ſex talenta agenti Hebræa minarum 60. Hebræarum. III. Talentum argenti Hebræum minarum 60. Hebræarum habet duo Talenta argenti Attica, minarum 60. Atticarum. IV. hoc valet duas mnas auri Hebræas quinquaginta ſiclorum aureorum, & ſiclos 25. V. hæc mna auri Hebræa valet duas mnas auri Atticas viginti quinque ſiclorum auri. VI. Hæc valet libram auri vnciarum duodecim, & 24. ſiclorum aureorum, & dimidiam vnciam. VII. hæc libra habet quatuor ſextertia; & inſuper 608. ſextertios. VIII. ſextextertium valet vnam mnam argenti Hebræam, quinquaginta ſiclorum, & ſiclos duodecim cum dimidio. IX. Hæc mna argenti Hebræa valet duas mnas, vel minas argenti Atticas, vel Romanas 25. ſiclorum argenti. X. Hæc mina Attica, vel Romana valet libram argenti duodecim vnciarum, vel vnam vnciam auri, vel duos ſiclos aureos, & dimidiam vnciam argenti. XI. Hæc libra argenti duodecim vnciarum cum dimidia valet duos aureos, vel duos ſiclos auri, & quatuor drachmas Atticas auri cum 48. drachmis argenti. XII. Hic aureus, vel ſiclus auri, &c. valet duas drachmas auri Hebræas: *doppias & Italia*, ſemiſiclos auri. XIII. Hæc drachma valet *ſolidum* aureum vnum cum dimidio: qui *ſolidus* eſt ſexta pars vnciæ auri. XIV. Hic *ſolidus* valet vnam drachmam auri Atticam; vel *piſtolam* Italicam, & *ſcutum* Gallicum, & Hiſpanicum *ſcuto di oro in oro* quarta pars ſicli aurei: tres ſicli argentei: duodecim regales, ſeu drachmæ argenti. Vnde hæc drachma auri Attica, & quatuor regales argenti faciunt vnum *ſolidum* aureum. XV. Hæc drachma auri Attica valet vnum ſcutum de moneta decem Iuliorum, vel regalium, & parte quinta, ſive ducatum vnum cum quinta parte. XVI. Tale ſcutum, vel ducatum valet vnciam argenti vnam cum quarta parte, vel duos ſiclos argenteos, duos ſtateres. Tetradrachmum Hebræum, duos florenos Belgicos ſemper cum quarta parte. XVII. Vncia argenti valet duos argenteos, vel duos ſiclos argenti, vel duos ſtateres, vel duos florenos Belgicos, vel vnum tetradrachmum argenti Atticum, vel vnum didrachmum Hebræum.

5 XVIII. Siclus argenti valet duas drachmas argenti Hebræas, vel duos denarios Hebræos. XIX. Drachma, vel denarius Hebræus valet vnum *ſolidum* argenteum cum dimidio, qui *ſolidus* argenteus dicitur *ſextula*, vel ſexta pars vnciæ argenteæ. XX. *Solidus* argenteus valet drachmam vnam Atticam argenti, vel denarium Atticum, vel regalem Hiſpanicum argenteum, & tertiam partem plus, & ſimiliter vnum *Iulium* Italicum, & tertiam partem plus XX. Hæc drachma Attica argenti valet duas medias drachmas Atticas, vel duos medios regales Hiſpaniæ argenteos. XXII. Hæc media drachma vel medius regalis valet duos ſextertios, vel duos quartillos, aut duas quartas partes regalis Hiſpanici argentei. XXIII. ſextertius, vel quartillus valet vnum obolum Hebræum, vel ſtuferum Belgicum, & quartam partem, vel duos Baiocos, etiam cum quarta parte vtriuſque. XXIV. Obolus Hebræus valet vnum obolum Atticum, & quintam partem plus. XXV. Obolus Atticus valet vnum quartum,

vel

vel fetè quartam partem medij regalis Hiſpanici argentei, & tertiam partem plus. XXVI. Vnus quartus valet vnum as, pondo, Baiocum, medium ſtuferum belgicum, quartam partem plus. XXVII. Vnum as valet, & habet *Deunx* cum vndecima parte ſuperaddita. XXVIII. *Deunx* habet dextantem, vel decuncem cum parte decima plus. XXIX. *Dextans* habet dodrantem cum nona parte. XXX. *Dodrans* habet beſſem cum octava parte plus. XXXI. *Bes* habet vnum ochavum, & decimam quintam partem. XXXII. *Ochavus* habet vnum ſeptuncem, & quartam partem. XXXIII. *Septunx* habet vnam ſemiſſem, & quartam partem. XXXIV. *Semis* habet quinquuncem, & quintam partem. XXXV. *Quincunx* habet trientem, & quartam partem. XXXVI. *Triens* habet vnum maravediſem, & duas decimas quintas partes. XXXVII. Vnus maravedis habet vnum quadrantem, & quartam partem vnam, & vnam octavam partem. XXXVIII. Vnus *quadrans* habet vnum quatrinum, & quartam partem. XXXIX. Vnus quatrinus habet vnum ſextantem, & quintam partem. XL. *Sextans* habet vnam blancam cum dimidia, & parte quinta. XLI. *Blanca* denique, habet vnam vnciam, & quatruodecim partes de decem, & octo.

6 Et hæc de minutiſsima monetarum diviſione, & æquivalentia, per quam qui ſpecialiter in hac re curioſus non fuerit, ſaltem colliget eruditionem nonnullam in hoc genere; qui verò vel curioſitate, vel vrgentia computationes facere velit, poterit; & has ſcalas valoris, & pretij, monetas, & pretia occurrentia appendere, & calculare, vt data opera fecit Tyrinus de quinque talentis ſervo donatis. *Matth.* 22. De 666. talentis, quæ ſolvebantur Salomoni. 3. *Reg.* 10. De decem millibus talentorum, quæ debebat ſervus nequam. *Matth.* 18, Et de centum millibus talentorum, quæ reliquit moriens David Salomoni. 1. *Paralyp. cap.* 22. Ad calcem rei monetariæ nota 1. *vnciam*, & *ſiclum* ſemper fuiſſe eiuſdem valoris, licèt aliæ in alijs mutationes contingerint; & libræ aliæ apud Nationes in vſu ſint præter libram duodecim vnciarum communem à nobis vſurpatam 2. quod aliquando *mina* vſurpatur pro *ſiclo*, vt oſtendit Tyrinus 2. *Paralyp.* 9. *verſic.* 16. 3. *minas* fuiſſe multiplicis generis, & valoris, *vt Ezechiel.* 45. *verſ.* 12. idem Author conatur oſtendere 4. Talentum Hebræorum non fuiſſe minoris ponderis, & valoris poſt tempora Davidis, quam ante, vt in hoc loco colligit ipſe Tyrinus ex varijs locis contra Marianam, ſcilicèt, *ex* 2. *Paralyp.* 25. *verſic.* 6. *ex* 3. *Reg.* 16. *verſic.* 24. *ex* 4. *Reg.* 18. *verſic.* 15. *& ex* 4. *Reg.* 24. *verſic.* 33. Plura pollicitus in Villalpando *tom.* 2. *in Ezequielem.*

CAPUT SECUNDUM.

DE MENSURIS VASORUM.

7 HIs iam dictis, de re numma ria pegimus ad menſuras vaſorum, quarum Tabulam in gradualem quamdam menſurarum ſcalam ſimilitet ordinavimus, vt inde quis poſsit menſuras ſuperiores cum inferioribus comparare, advertendo in primis, quod, ſicut libra apud Romanos diviſa erat in duodecim vncias, ſic dividebatur apud ipſos ſextarius ſuus in duodecim Cyathos, quorum quilibet capiebat vnciam vnam cum duabus tertijs: nominabantur autem Cyathi, in ordine ad ſextarium, ſicuti vnciæ in ordine ad libram, ſcilicèt, *Cyathus, ſextans, quadrans, triens, quincunx, ſemis, ſeptunx, bes. Dodrans, dextans, vel decunx, deunx, & ſextarius*: quia nimirũ, ſextans claudit duos Cyathos ſextam partem ſextarij: quadrans, tres Cyathos, ſeu quartam partem: triens, quatuor, ſeu tertiam partem: quincunx, quinque: ſemis, ſex Cyathos: ſeptunx, ſeptem: bes, octo: dodrans, novem: dextrans, decem: deunx, vndecim; & ſextarius, duodecim. Poſt quæ etſi

quidpiam adnotari posset; commodius forte annotabitur, & clarescet, si prius vasorum gradatas mensuras singulas percurramus, sub hac forma.

8 I. Culeus capit viginti amphoras, seu libras 1600. seu Bottam Romanam vnam, & libras 234. & duas tertias partes. II. Botta Romana continet 8. barriles, seu libras 1365. & vnam tertiam partem, ideſt, vnum rublum Hispanicum, & 545. libras, & vnam tertiam partem. III. Rublum continet libras 820. ideſt, vnum *homer*, vel *chomer* Hebraicum, & corum Græcorũ, & libras 20. IV. Chomer, vel corus habet decem *Ephi*, & libras 800. ideſt, duos *Lethech*, vel medias partes Cori. V. Lethech continet duos bariles, & libras 58. & duas tertias partes. VI. Barila continet boccalia 32. seu libras 170. & duas tertias partes, ideſt, vnam fanecam, vel quintalem Hispanicum, & libras duas, & duas tertias partes. VII. Faneca, vel quintale Hispanicum continet libras 168. ideſt, vnum medimnum, & libras 8. VIII. Medimnus continet medios sex, seu libras 160. ideſt, vnam Artabam Ægyptiam, & vnam quintam partem. IX. Vna Arbata Ægyptia continet modios quinque, ideſt, vnum talentum, & libras 8. & vnam tertiam partem. X. Talentum libras 125. ideſt, vnum cadum, vel Atticam amphoram, & libras 5. XI. Attica amphora, vel cadus, vel *pes* cubicus Græcorum, vel hydria continet libras 120. Ideſt, vnum Ephi, vel Batum communem, vel metretam vnam cum dimidia. XII. Ephi, vel Epha, batus communis, sivè metreta, sivè amphora Romana, aut pes cubicus Romanus, aut quadrantale continet libras 80. ideſt, vnam arrobam, seu cantharum Hispanicum, & libras 57. cum tertia parte.

9 XIII. Arroba, seu cantharus Hispanicus eſt quarta pars barilæ, continet 8. boccalia Italica, seu libras 42. & duas tertias partes. Ideſt, continet vrnam, seu dimidium amphoræ, & libras duas, & duas tertias partes. XIV. Vrna, vel dimidium amphoræ continet sextarios Romanos 24. seu libras 40. Ideſt, vnum palmum extensum cubicum, spithamam cubicam, & libras duas, & tres quartas partes. XV. Talis palmus, & spithama continet libras 37. & vnam quartam partem. Ideſt, vnum scotium, & libras 5. & vnam quartam partem. XVI. Scotium continet libras 32. ideſt, vnum satum, vel modium Romanum, aut tertiam partem Ephi, & libras 5. & vnam tertiam partem. XVII. Vnum satum, vel modius Romanus continet vnũ celeminum Hispanicum, & libras 12. & duas tertias partes, seu continet logos, seu libras 26. & duas tertias partes. XVIII. Celeminus Hispanicus continet libras 14. ideſt, vnum *hin*, vel semimodium Romanum, & vncias 8. XIX. Vnus Hin, vel semimodius Romanus continet 12. logos, seu libras 13. cum dimidia, ideſt, vnum congium, & libras 3. & vnam tertiam partem. XX. Vnus congius, vel chus. vel choe, seu quarta pars vrnæ, & octava ephi continet libras 10. seu vnum Gomor, & quartam partem. XXI. Vnus Gomor, seu Assaron, vel decima pars ephi continet libras 8. ideſt, vnam mediam partem Hin, & vnam quintam partem. XXII. Vna media pars Hin, vel quarta pars sextarij Italici continet sex logos, ideſt, vnum boccale Italicum, vel vnam azumbrem Hispanicam, & vnam quartam partem. XXIII. Vnum boccale, vel vna azumbris continet quatuor fogliettas, seu quartillos, ideſt, vnum cabum, & vncias 10, & duas tertias partes. XXIV. Vnus cabus, sivè Chœnix Hebræorum continet, sivè erat palmus contractus cubicus, sexta pars sati continens vnam quartam partem Hin, & vnam tertiam partem. XXV. Quarta pars Hin habet tres sextarios Hebræos, & duos Italicos, vel Romanos. XXVI. Vnus sextarius Romanus habet cyathos 12. ideſt vnam fogliettam Italicam, seu quartillum

Hiſ-

Hiſpanicum, & vnam quartam partem. XXVII. Vnus quartillus vel foglietta habet vncias 16. ideſt, vnum ſextarium Atticum, & vnciam vnam. XXVIII. Vnus ſextarius Atticus habet cyathos novem, ideſt, vnum logum, vel log; aut ſextarium Hebræum, & vnciam vnam, & duas tertias partes. XXIX. Logus, vel ſextarius Hebræus habet cyathos 8. ideſt libram 1. & vnam tertiam partem.

10 XXX. Vna libra habet vncias 12. ideſt vnam Heminam vel Cotylam, & vnam quintam partem. XXXI. Vna hemina, vel Cotyla, vel Tryblion habet medium ſextarij Romani ideſt trientem 1. cum dimidia. XXXII. Vnus triens qui eſt tertia pars ſextarij Romani, & media Logi, ſeu ſextarij Hebræi habet vnum quartarium, ſeu quadrantem, & vnam tertiam partem. XXXIII. Vnus quartarius ſeu quadrans, qui eſt quarta pars ſextarij Romani habet ſextantem 1. cum dimidia. XXXIV. Vnus ſextans, ſeu ſexta pars ſextarij Romani habet acetabulum, vel Oxibaphum 1. & vnam quintam partem. XXXV. Vnum acetabulum continet octavam partem ſextarij Romani ideſt Cyathum 1. & vnam quintam partem. XXXVI. Cyathus eſt duodecima pars ſextarij Romani, & habet digitum Cubicum 1. & vnam tertiam partem. XXXVII. Digitus Cubicus capit vnciam aquæ, vel vini 1. & vnam quartam partem. Et hæc de ſcala vaſorum. Vbi adverte, infra Cyathum etiam poni ſolere *Cyanem*, quæ erat dimidium Cyathi, & tandem vas minimum, ſeu menſuram minimam *cochlear*, vel *ligulam* quartam partem Cyathi. Quibus poſitis, diligentius ſubnotandum eſt, hæc vaſa omnia ſcripta eſſe relatè ad aquam, & vinum, & alios liquores ponderis æqualis: nam ſi talia vaſa repleantur liquefactis metallis, pondus erit longè maius; ſi autem oleo, farina, & frumento longè minus. Exempli gratia, ſi ſextarius Romanus impleatur aqua, vino, & aceto, quorum eſt pondus æquale, habebit vncias 20. Item & frumento Aſiatico totidem; ſed Italico, vel Belgico 15. & plenus oleo, 18. farina autem 9. Econtrà verò, idem ſextarius plenus melle, habebit pondere vncias triginta: ſtannò, 150. ferro, fere 162. ære cupreo, 182 argento, 208. plumbo, 233. argento vivo 300. auro denique vncias 365. quia hæc eſt proportio inter metalla; licet de auro non ita ſenſerit Plinius *lib. 33. cap. 3.* Hinc melius intelligi poteſt menſura Gomor per ſingula capita *Exod. 16.* quia cum *Mannà* eſſet leviſsimum inſtar farinæ, talis menſura vix ſuperaret vncias quinquaginta. Ad calcem huius ſcalæ obſerva Nos eſſe loquutus ſuprà de *Bato communi*; nam *Batus facer* fortaſſe ad tertiam partem ſuperabat batum communem; nam vbi de mari æneo dicitur 3. *Reg.* 7. cæpiſſe duomillia batos 2. *Paralyp.* 4. dicitur tria millia.

CAPUT TERTIUM.

DE MENSURIS LONGITUDINUM.

11 POſtremò venturi ſumus ad menſuras longitudinum, quæ etiam ſunt ſatis dignæ intellectu, & quarum ſcalam ſic gradatim conſtruimus. I. Diſtantia maior eſt leuca continens tria milliaria Italica quinque itinera Sabbathi, & viginti quatuor ſtadia Romana. II. Milliare Italicum habet iter Sabbathi, & duas tertias partes. III. Vnum iter Sabbathi habebat apud Hebræos duplex Chibrath terræ, & quatuor ſtadia Romana cum quatuor quintis partibus. IV. Vnum Chibrath terræ habet duo ſtadia Romana, & duas quintas partes. V. Stadium Romanum claudit ſtadium Græcum, & pedes 25. ideſt, 625. pedes Romanos. VI. Stadium Græcum habet calamos 66. & cubitos quatuor. VII. Vnus calamus continet vnum paſſum Græcum compoſitum cum dimidio. VIII. Paſſus Græcus compoſitus claudit paſſum Romanum compoſitum, & pedem vnum. IX. Vnus paſſus Romanus compoſitus claudit greſſus duos, ſeu

ſeu paſſus ſimplices Romanos duos. X. Greſſus, vel paſſus ſimplex Romanus habet vnum cubitum Sacrum Hebræorum, & tres palmos minores.

12 XI. Cubitus Sacer Hebræorum continet vnum cubitum Romanum, Græcum, & Vulgarem Hebræum cum vna ſexta parte. XII. Cubitus Romanus, Græcus, & Vulgaris Hebræus habet pedem Romanum cum dimidio. XIII. Pes Romanus habet palmum maiorem, ſeu extenſum vnum, & quartam partem. XIV. Palmus maior extenſus continet tres palmos minores, ſivè tranſverſos. XV. Palmus minor, ſivè tranſverſus continet quatuor digitos tranſverſos: qui digitus tranſverſus poſtrema menſura longitudinum eſt, in qua ſiſtit ſcala. Iuxtà quam ſcalam poſſumus metiri ſexaginta illa ſtadia (Romana quidem) quibus dicit S. Lucas diſtare Caſtellum Emaùs à Ieruſalem. Itaque hæc diſtantia habebat leucas duas cum dimidia: milliaria Italica ſeptem cum dimidia: iter Sabbathi, vel itinera, duodecim cum dimidio: Chibrath terræ 25. ſtadia Romana 60. ſtadia Græca 62. cum dimidio: calamos 4166. & ſex pedes: paſſus Græcos compoſitos 6250. paſſus Romanos compoſitos 7500. greſſus, ſeu paſſus ſimplices Romanos 15000. cubitos Sacros Hebræorum 21428. & quatuor palmos. Cubitos Romanos, Græcos, & Vulgares Hebræos 25000. Pedes Romanos 37500. Palmos maiores, & extenſos 50000. Palmos minores, & tranſverſos 150000. Digitos tranſverſos 600000.

13 Cumque omnes ſuprà relatæ menſuræ ſatis à curioſo mutuò conferri, & combinari queant, id prætermittimus, dumtaxat de cubito id obſervantes, quod cubitus Romanus, Græcus, & Vulgaris Hebræus eſt illa diſtantia, quæ à flexura brachij vſque ad extremum digiti longioris protenditur, ſeu quarta pars ſtaturæ hominis benè formati, nam iuxtà Sanctum Hieronymum, Vitrubium, & alios quiſque habet in ſtaturà ſua quatuor cubitos, & pedes ſex; totidemque in latitudinem, quando brachia in latum extendit. Cubitus autem Sacer Hebræorum iuxtà Villalpandum excedebat vnò palmo tranſverſo cubitum ordinarium *ex Textu Ezechielis* 43. *verſic.* 13. vbi Sermo eſt de cubito veriſimo, ſeu legali, & Sacro, & quo putat Scripturam paſsim, & Ioſephum fuiſſe loquutum, videturque Tyrinus aſſentire cum Sancio 3. *Reg.* 6. eo, quod homines olim ſtaturà proceriores fuiſſent, quando talis menſura inſtituta fuit, quam Græci, & Romani tempore poſteriores immutare non debuerunt, licet aliam inferiorem, ad menſuram videlicet ſui, & ſui etiam vſum ſtabilirent. Et hæc modò dicta ſufficiant de ponderibus, monetis, atque menſuris, & de tota noſtra Chronologica, Geographicaque tractatione, & omni parte noſtri apparatus Palæſtram Biblicam, atque quæſtionum Decades præcurrentis. Poſt hanc verò tractationem de ponderibus, & menſuris, modo datam animus erat, quartam aliam partem apparatus adnectere, quæ foret *Biblicum Memoriale* metricè compoſitum vt iuvenes, qui Biblia Sacra, à ſe bene perlecta, cupiunt in promptu habere, vt vſui eſſe poſsint, vel ſaltem excitent id, quod in oportunitate ſit ſerviturum; id inde obtinerent. De qua quidem re ſcripſit olim Doctor Sorbonicus Alexander de Villa Dei opuſculum, quod in ſua Biblia Maxima inſeruit in fronte Ioannes de la Haye, & poſtmodum nuper edidit R. P. de Turre Genuenſis in ſuis Inſtitutionibus *tom.* 3. Sed cum ex vna parte ſit ſatis Apparatus modò præmiſſum; & aliunde hæc res non eodem tractu, & ſitu typorum currere debeat cum reliquis partibus; melius eſſe arbitrati ſumus id per modum appendicis reponere poſt Decades quæſtionum abſolutas. Vbi, Deo dante, de eodem argumento opus Metricum aliter concinnatum exhibebimus.

DE

DECADES BIBLICÆ QUODLIBETICÆ.

PROOEMIUM.

POST PARTES APPARATUS HUCUSQUE IN HOC TOMO præmissas, quæ multum claritatis quæstionibus statim tractandis proculdubio sunt allaturæ, sequuntur ex ordine aliquot quæstionum Decades per otium disputatæ iam pro privata in pluribus locis firmanda sententia; iam pro Theatro Biblico sustinendo, iam pro functionibus certatorijs, quæ fortè non omninò inutiles censebuntur.

DECAS PRIMA QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

DANIELIS 14. VERSICULO 32.

ERAT AUTEM ABACUCH PROPHETA IN IUDÆA.

ARTICULUS.

V. HIC ABACUCH SIT IDEM CUM EO, QUI PONITUR INTER Prophetas minores?

SUppono 1. Posse ad rem præsentem elucidandam satis conducere historiam illam de Propheta Abacuch, vno ex duodecim minoribus, quam ad finem Danielis tradit noster Pereira ex D. Epiphanio *de Vita, & Morte* Prophetarum, & ex Dorotheo in Synopsi: qui sequuti etiam videntur Chronicum Alexandrinum. Historia igitur sic se habet. Cum Nabucodonosor postremum venit Ierusalem, eam exercitu opugnaturus; Abacuch fugit in terram Ismaelitarum, posteà vero reversus est in terram suam. Et cum aliquando messoribus suis pulmentum præparasset, apud suos prophetavit, dicens: *Proficiscor in terram longinquam ac citò revertar; si autem tardavero, ferte mes-*

foribus escam. Cum autem adductus à Deo in Babilonem fuisset, & prandium dedisset Danieli; reversus assitit messoribus vescentibus, nec quicquam dixit eorum, quæ ipsi contigerant: sciebat autem, populum brevi reversurum Babilone; & biennio priusquam reverteretur populus, mortuus est, ac sepultus in agro suo. Hucusque historia prædicta quæ cum vetus illa sit, neque inverisimilis, & à priscis Patribus cooptata, poterit non modicum suffragari, vt arguatur, quòd vnicus sit Propheta Abacuch in Sacra pagina memoratus.

2 Suppono 2. Totam hanc difficultatem præsentem inde nasci, quod non videantur cohærere tempora Abacuch Prophetæ minoris cum temporibus illis, in quibus Daniel tempore Cyri Regis Persarum missus fuit in lacum leonum, vt illuc potuisset Sanctus Propheta asportari. Quamquàm enim multæ sint Chronologiæ, rationesque supputandi; tamen cum ipse prophetaverit ante captivitatem Babilonicam, quam expresse suo *cap.* 1. prædicit venturam esse per Chaldæos; conficitur esse centenarius, vel vltra, quando post captivitatem solutam Daniel fuit immissus in lacum Leonum: proindeque inverisimile, vt in tanta ætate eo esset vigore, vt posset messoribus prandium deferre, sic onustus prout in textu depingitur. Alia tamen ex parte, si ad Chronologiam quisque non cingitur, sed ad solos textus, & historiam sacræ paginæ; non videtur ægrè componi posse eumdem Abacuch minorem Prophetam potuisse ferre prandium Danieli in Babiloniam, siquidem quod constat ex textu est, Danielem fuisse missum in lacum Leonum tempore Cyri Regi Persarum paulò post solutam Babilonicam captivitatem. Deinde Abacuch constat prædixisse Ierosolimis eversionem per Chaldæos. Si ergo accidisset quod superior historia enarravit, potuisset contingere quòd Abacuch iam viginti annorum prophetare cæpisset (veluti puer prophetabat Samuel) & postea intra quatuor annos, veniente eversione per Chaldeos, ipse fugeret ad Ismaelitas: vnde redivit ad Indæam, sive intra tempus captivitatis, vt conatur substinere Pereira in Danielem *lib.* 16. propter reliquias aliquas Iudæorum (nedum ex captivitate Babilonica, *Ieremiæ* 52. sed etiam ex fuga in Ægyptum, vt ibi *& lib.* 3. docte probat) sive post captivitatem, & metum, Cyro imperante, sublatum. Quo posito Abacuch ille habens viginti quatuor annos tempore captivitatis, & deinde alios septuaginta eiusdem captivitatis (non tamen in Babylone, quia ipse Danielis 14. ait quod Babilonem, non vidit) haberet 94. annos. Cumque Cyrus septem imperasset vt tradit Bellarminus in Chronologia; solum esse poterat centenarius. Quòd tamen centenarius esse posset ita vegetus, & robustus, vt messoribus prandium deferret, oportuna hodie probat nostra Ephemeris Matritensis huius anni 1729. notatu digna Parisina sic referens. *Ioannes Husson dives Agricola Principatus de Ioinville mortuus est habens quinque supra centum annos: quippè* 1. *Octobris anno* 1624. *natus fuerat, conservaveratque usque ad vltimam messem firmas vires, atque robustas.* Quare si hodierna die adhuc id cernimus; & in agricolis moderate viventibus sanitas est frequenter longæva; potest credi tantumdem in Abacuch fuisse verisimile, ne Prophetam eiusdem nominis alterum incognitum inducamus.

3 Suppono 3. Ob oculos habendam esse, nec facilè nostro ingenio & accommodatione repelli debere id, quod de patria, tribu, morte, & tempore Abacuch Prophetæ minoris tradunt D. Hieron. ad Cromatium, & celebriores Chronologię vt Ricciolius, Torniel. cum alijs, & Nos in Synopsi nostra insinuavimus, scilicèt Abacuch Prophetam minorem floruisse tempore Manasse, & fuisse ex agro

Be-

Bezochar ex tribu Simeon, proindeque in tempore captivitatis decem Tribuum ſuarum. Quæ quidem tempora longiorem poſtulant annorum ſummam in Abacuch minori Prophetа, vt Danieli conviveret, ita vt pro retinenda veritate vtriuſque textus tàm Abacuch, quàm Danielis, ſatius ſit duos Prophetas eiuſdem nominis fuiſſe ad ſervandam concordiam ſcripturarum. Atque licèt non ignorem, homines heterodoxos longe plus tribuentes cerebro ſuo, quam fidei, putare poſſe eiuſmodi ſolutionem hic, & alibi, v.g. in duplici Michæa, & Abdia, &c. vt ponunt aliqui cum Cornel. eſſe effugium voluntarium duplicandi perſonas; vellem ego ipſe profectò, iſtiuſmodi homines ſecum ipſis meditari profundius; quænam ſit via lubricior, falſitatique obnoxior? Ea ne, quam ipſi capeſſunt cudendi, & procudendi has, & illas Chronologias, quæ in millia millium cogitationum aſſurgunt, & mille millibus erroribus patent; quàm ſartatecta ſcripturarum ſervare in ſana fide, & per viam incedere admodum veriſimilem, nempe eam, quæ paſsim nobis occurrit tam in Hiſtoria Eccleſiaſtica, quàm in Authoribus; vt multi Gregorij, Philones duo, duplex Seneca, bini Quintiliani, & quorum alij alijs ſolent eſſe notiores; imò in ipſo commercio gentium viri cognomines, nedum in diverſo, ſed in eodem tempore, qui ſi oportune diſtinguuntur, ad aliquid enucleandum ſolent conducere. Et verò cùm nomen Prophetæ in veteri Teſtamento latitudinem habeat vt ſumi etiam poſſet pro quovis Sancto Prædicatore; perinde eſſet ac ſi nunc daretur Vincentius Ferrerius celebris concionator diſtinctus tamen à Sancto Vincentio Dominicano; & ſic non videbitur tam difficile, duos Prophetas habuiſſe nomen Abacuch, vti apud nos datur duplex Gaſpar Sanchez alter Interpres, alter Concionator.

4 Suppono 4. Nos non inſtituere hanc diſputationem Polemicè, ſcilicèt controvertendo cum Iudæis, & Hæreticis, qui hanc partem poſtremam Hiſtoriæ in Daniele, tanquam canonicam admittere obſtinatè recuſant, multis in eam argumentantes; ſivè ex Idiomate, quia non extat Hebræis codicibus; ſivè ex tempore vtriuſque Prophetæ; ſivè ex deportatione Abacuch per aera in regionem longè diſtantem, cuius in Sacra pagina non ſit aliquid ſimile. Iam enim hos Eccleſiæ hoſtes Doctores veteres confutarunt. Atque, vt obſervat Sanchez circa hoc poſtremum, edicant nobis illi: cum igne Babilonico non comburente, & cum Elia rapto in curru per aera quid ſit in Scriptura ſimile? At quemadmodum in Hiſtorijs Eccleſiaſticis leguntur caſus, in quibus flamma non noceat, & alia prodigia, ita ſæpè contigit, vt aliqui Sancti vt Antonius de Padua, Xaverius, & alij, ſeu bilocati, ſeu alibi ſpecie conſervata, & aliò in re delati, mira patrarint. Igitur rem agimus ſcholaſticè, canonice venerantes Sacrum textum Danielis, & inquirentes quiſnam Abacuch fuerit ille Propheta, qui detulit prandium Danieli?

5 His poſitis duplex in hac re datur oppoſita ſententia. Prima ſubſtinet Abacuch Prophetam minorem eundem fuiſſe cum eo, qui portavit prandium Danieli, ita D. Hieron. in Prologo ad Abacuch Dorot. in Synopſi. Epiphanius in vitis Prophetarum, Pererius, & Hector Pinto in Danielem *cap.* 14. Remig. Albert. Hugo, Lira. Secunda ſententia per oppoſitum dicit duos Prophetas fuiſſe diverſos. Quam tenent in primis Genebrard. in ſua Chronologia. Ribera *prælud.* 2. in Prophetas minores, P. Gaſpar Sanchez *Prolegom.* 8. in Daniel. Cornel. Tirin. in Abacuch, Ricciol. in ſua Chronologia reformata, Torniel. in Annalibus, anno mundi 3351. Circa mortem autem, proindeque circa argumentum eius Prophetiæ, Chroni-

con

con Alexandrinum, D. Ephiphan. Iſidor. & Dorot. putant, Abacuch mortuum fuiſſe in Iudæa biennio ante ſolutam captivitatem. Idem videntur ſentire Hieronym. vbi ſupra Theophil. Theodoret. in Prologo ad duodecim Prophetas, & Clem. Alexand. 1. Stromatum, quamvis hæc, vt benè obſervavit Ribera, non benè cohæreant cum opinione de eo, quod Abacuch Propheta minor detulit prandium Danieli. *Nam hiſtoria illa Danielis (inquit Ribera) iam Cyro apud Babilonios regnante contigit vt ex calce capitis 13. eiuſdem Danielis liquido conſtat: quod Ephiphanius non animadvertit.*

6 Sit igitur noſtra concluſio cum ſecunda ſententia. Scilicèt *Abacuch Prophetam minorem fuiſſe diſtinctum ab eo qui detulit prandium Danieli.* Probatur noſtra concluſio primò in hunc modum. Sacer textus in Prophetia Abacuch *c. 1. v. 6.* ſic habet. *Quia ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram, & velocem ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua. Horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredietur.* Sed veritas huius textus ſtare non poteſt, niſi ſit duplex Abacuch: alter Propheta minor: alter qui portatus eſt ad Danielem: ergo fuit duplex. Probatur minor. Ex prædictis verbis conſtat, quòd Abacuch Propheta minor ediderit ſuam prophetiam, antequam ſuſcitaretur imperium Chaldæorum adverſus plures gentes, & Nationes. Sed hoc poſito, non poterat eſſe ſuperſtes, quando delatum fuit prandium Danieli: ergo, &c. Maior conſtat, quia ſi iam incæpiſſet Imperium Chaldæorum, & ſolum foret propheria de everſione Iudææ, non rectè diceret textus *ſuſcitabo Chaldæos.* Minor probatur. Subigi cæperunt gentes per Chaldæos à 1. anno Nabuchodonoſoris, vt tradit Chronologia Hebræorum, evertendo Aſſyrios, & Siriam, vſque ad Peluſium, excepta Iudæa, & poſtea Iudęam, & Ægyptum. Sed hoc ſtante, Propheta minor non poterat ferre prandium Danieli: ergo, &c. Maior fusè expenditur apud Ribera *Prælud. 2.* Minor probatur. Nam ſi id ita fuiſſet; iam temporibus Danielis miſsi in lacum Leonum Abacuch Propheta minor, ità ætate futurus eſſet, vt non viveret, vel non eò vigore, vt poſſet meſſoribus prandium deferre: ergo, &c. Antecedens patet, quia oporteret, ac decet, dum aliud non conſtat, eum ponere prophetantem, non niſi in ætate perfecta, v.g. triginta annorum, & quidem prophetaſſe aliquot annos antequam Nabuchodonoſor inciperet triumphare, v.g. annos decem. Ne illa prædicto potius tribueretur cognitioni politicæ, quam prophetiæ, ſi nimirum circumcirca eventus, & apparatus pręliorũ prędictio contingeret. Atqui à primo anno Nabuchi, vſque ad caſum Danielis facilè procurrunt vltra nonaginta annos, ſcilicèt, 19. Nabuchi, 70. captivitatis Babilonicæ, quæ ex communi, & noſtra ſententia fuit anno 19. Nabuchi, & 11. Sedeciæ. Et poſteà vnus vel alter annus Cyri Regis Perſarum, vſque ad caſum Danielis: ergo. Propheta minor habiturus erat hoc tempore ad minus centum, & triginta annos, quod vt patet non eſt veriſimile: ergo convincitur, quod alius fuerit Propheta Abacuch, qui detulerit prandium Danieli.

7 Probatur ſecundò concluſio. Ex veteri, & recenti Chronologia omninò conficitur, Abacuch Prophetam minorem habiturum pluſquam centum, & quinquaginta annos tempore caſus Danielis: ergo fuerunt duo diſtincti. Antecedens patet. Quia Chronologia maior Hebræorum *cap. 20.* tradit Abacuch prophetaſſe temporibus Regis Manaſſes, & quidem vt obſervat Torniellus, paulò ante quam Manaſſes captivus duceretur in Babilonem, & longè ante Nabuchodonoſor. Quod communiter amplectuntur recentiores, & exacti Chronologi, vt luſtrari poterunt in ſuis Tabulis Torniel.

Ric-

Ricciol. Bellarmin. & alij; ſed à Manaſſe regnante vſque ad caſum Danielis, vel clariùs iuxta ipſos, ab Abacuch prophetante in Iudæa, vſque ad caſum Danielis fluunt 172. anni, vt conſtat ex Ricciol. & Torniel. ergo concedendus eſt alius Propheta Abacuch longè poſterior à quo delatum ſit prandium Danieli. Confirmatur primo. Quia ipſa Chronologia maior Hebræorum teſtificatur in hac re ſui veritatem conformas ſe cum textu Prophetæ, & dicens, quod ideo in initio ſuæ Prophetiæ ſubticuit nomen Regis tunc regnantis, ſcilicèt *Manaſſes*, quia erat improbus valde. Quæ quidem reflexio ſatis oſtendit, ibi rem tradi nimis notam atque compertam. Confirmatur ſecundo. Ex verbis ipſius Abacuch 1. 4. ibi: *Lacerata eſt lex, & non pervenit vſque ad finem iudicij, quia impius prævalet adverſus iuſtum* (hoc eſt, *iuſtos* inquit Torniel.) Quæ quidem valde characteriſtica erant temporibus Manaſſes: ergo Abacuch Propheta minor floruit tempore Manaſſes valde diſtante à caſu Danielis.

8 Contra hanc concluſionem. Objicies primo. Prædictio Prophetæ minoris ſi bene attenditur, non arguit tot annos, vt ipſe non potuerit ferre prandium Danieli: ergo fuit vnus, & idem. Antecedens probatur. Verba prophetica de adventu Chaldæorum debent intelligi reſtrictè de everſione Iudææ poſt annos multos imperij Babilonici Chaldæorum iam dominantium in ſuo Nabucho; ſed hoc ipſo non reſultarent de Abacuch anni tam protracti, vt nequiret ferre prandium Danieli: ergo, &c. Minor conſtat ex ſupputatione facta in notabilibus, vbi prophetans per duos annos ante captivitatem evaderet inter nonaginta, & centum annos, alias non ineptos prandio deferendo; imò & propterea electus præ alijs ad miraculum. Maior probatur. Nam proximè ante verba prophetica de adventu Chaldæorum, inquit textus *verſic.* 5. ſic: *Aſpicite in gentibus, & videte: admiramini, & obſtupeſcite; quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cum narrabitur.* Sed verba clarè dicunt ſuſcitationem Chaldæorum de præterito iam eſſe *factam*, ſaltem quoad alia Regna: ergo ſtrictè intelligenda eſt de Iudæa tandem everſa per Nabuchum. Ad hoc argumento. Reſpondo negando antecedens, & maior. probatio. Et ad vlteriorem probationem. Nego minore. Propter multa primo, quia licèt ibi dicat *factum eſt in diebus veſtris*, non debet explicari, quaſi de re præterita: neque id ſolum probo generaliter de modo loquendi prophetico vſurpante præterita pro futuris, ſed ſpeciatim ex littera Hebræa, quæ præciſe ſic dicit: *Quia opus factum in diebus veſtris non credetis cum narrabitur.* Vnde ly, *quod factum eſt* valet perinde, ac *factum fuerit*: quia ſcilicèt in diebus illorum tale factum, vel opus futurum erat. Secundo, quia ipſa verba de futuro *non credetis*, *quando narrabitur*, oſtendunt quod ly *factum eſt* revera nondum factum erat, alias diceret quod narratur. Tertiò. Quia textus paulò infrà, *verſ.* 10. rem declarat loquens de multis principibus, & munitionibus vniverſis, ſic dicens: *Et ipſe de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* Itaque verba priora in hoc loco ſumi debent hoc ſenſu, vt Propheta dicat: *Obſtupeſcite, quia in diebus veſtris tale quidpiam accidet, quod non credetis, quando narrabitur.*

9 Objicies ſecundo. Non eſt facile deſerenda ſententia, & traditio Patrum magis concors cum Sacro textu. Sed quod fuerit vnus, & idem in primis eſt magis conſonum Sacro textui, nullibi præter textum Danielis, alterum Abacuch Prophetam commemoranti; & deinde eſt traditio Patrum Hieronymi, Epiphanij, Theodoreti, Theophilacti, Clementis Alexand. vbi ſupra, & apud Torniel. Abacuch pro-

phetasse durante Babylonica captivitate, proindeque quod potuisset posteà deferre prandium Danieli: ergo, &c. Ad hoc arg. Resp. distinguo maiori: Traditio *dogmatica, constans, & vnanimis.* Concedo maior: *Traditio historica, & valdè inconstans, tàm in re, quàm in Patribus ipsis.* Nego maiorem: Et distincta respectivè minori. Nego consequentiam: Itaque, præterquamquod in exponendis Sacris Scripturis passim Patres Patribus opponuntur, dum alij alias vias capessunt interpretandi, quas censent expeditioni fore plus oportunas: & de quo videri poterunt verbo *SS. Patres* quę nos dedimus 1. & 2. tomo nostræ Palæstræ. Insuper in hac re obseruare licet, quod Patres ipsi, scilicet Epiphanius, Dorot. Isidorus cum Chronico Alexand. teste Sanchez *Prolegom.* 2. in Abacuch censent, Prophetam minorē mortuum fuisse biennio antequam solveretur captivitas. Si ergo vt notum est ex Historia, & Chronologia, & ipso Sacro textu, Daniel fuit missus in lacum Leonum post captivitatem solutam; quomodo Abacuch iuxtà ipsos potuisset ferre prandium Danieli? Atque ideò Ribera noster postquam graviter argumentatur *Prælud.* 2. in Prophetas minores, ait de Epiphanio in Abacuch, ibi: *Quod Epiphanius non animadvertit.* Item loquendo de Naum, ait: *Ex quo videmus non rectam Chronologiam sequutum fuisse Clementem. I. Stromatum.* Et paulò superius, ait: *Sed hic secum pugnare videtur Hieronymus.* Et in Abdia: *Hieronymus autem, ex propria sententia se id nequaquam dixisse in locis indicatis; sed simpliciter referendo vt sæpè solet, Hebræorum traditiones manifestè demonstravit*: Atque ibi in hoc puncto plura, & digna sunt obseruatu. Quare cum ex Chronologia Hebræorum, & ex ferè omnibus Græcis, & Latinis, teste nostro Ribera *Prælud.* 2 loquente de Abacuch, Prophetaverit hic ante Babilonicam captivitatem; semper argumenta præponderant vt duplex distinguatur, si veritas textus est conservanda. Atque cum ex ipso Daniele *cap.* 13. oporteat vt *multiplex pertranseat scientia*, & Deus sæculis reservet suos Doctores, sicut pro novis hæresibus novas suscitat Religiones; notandum est S. Patres in primis sæculis pro exponendis Sacris Scripturis per vias sanas, & catholicas, quibus delerent Hæreses tunc grassantes; ea collegisse, sivè de traditionibus Hebræorum, sivè de ritibus, & imperijs gentium, cum quibus abunde prædictas Hæreses confutarent, & sepelirent; intereà ex professo non curantes omnia aliundè in sacris disputabilia ad fundum haurire, ad purissimum coquere, & omnes quæstiones dirimere, & terminare: quare cum cavillatores Hæretici in sua proprij Iudicij nocte non dormiant, sed sint vigiles non vt Ecclesiam custodiant, sed vt mactent; insurgunt mille modis in Sacras Scripturas, & vix est quod non moveant, & criminentur. Vndè opus est quod Doctores Catholici super ijs, quæ omninò à Sanctis Patribus definita non fuere diligentissimè navantes operam suam, de spolijs Sanctum Patrum, & proprio litterarum thesauro componant illam omnem armaturam fortium, qua armata esse debet Ecclesia. Hi enim Doctores Catholici, qui in studio Patrum versantur, & ex ipsis, & cum ipsis, imò & pro ipsis fortiter dimicant contra hostes Ecclesiæ; etiam cum alicubi eos deserere videntur certè non deserunt, sed accommodant, obseruant, & venerantur.

10 Objicies tertio. Non est inducendus ex solo vno facto in Scripturis Propheta aliundè prorsus incognitus sub nomine alicuius, qui sit Propheta notissimus, ponendo, eum ab hoc esse distinctum. Sed secundus Abacuch solum inducitur ex facto portandi prandium Danieli, & revertendi in Iudæam; incognitus alioqui ex tribu, ex vita, & alijs gestis: ergo non est distinguendus. Minor est certa. Maior quo-

quoque videtur constare. Nam in quavis historia, vbi referuntur præclara facinora viri cuiuspiam *sic*, vel *sic* appellati, quoticscumque aliud etiam facinus tali homini, & nomini signatissimo adscribitur, præsertim circum circa eadem tempora; & aliundè nulla fit memoria alterius distincti; ius & possessio est pro priori viro. Sed sic se habet res in Sacra pagina: ergo minor patet, quia ex professo referuntur dicta, & facta Abacuch Prophetæ minoris: & deinde ferre prandium Danieli fuit circum circa tempora prioris Prophetæ: quandoquidem, quomodolibet subducta Chronologia, potuerunt Abacuch Propheta minor, & Daniel convivere: Daniel enim puer ductus fuit in Babilonem tempore Ioachin, vnde licet Propheta minor mortuus fuisset biennio ante quam everteretur Ierusalem per Nabuchum, convixisse potuerunt: & plus valet nomen, & officium expressum, quàm paucula accretio, vel decretio ætatis quæ semper est fallax. Adhoc argum. Resp. negando maiori: Ad cuius probationem. Distinguo maiorem: *Si sit eadem historia, & ab eodem scriptore*, Permittitur maior: Aliter. Nego maiorem: & distincta respectivè minori. Nego consequentiam: Tùm quia hic res agitur in diversis Libris, à diversis Authoribus, & in diversis temporibus: Tùm quia hæc tempora fideliter subducta non dant locum, vt vterque convixerit siquidem si Abacuch mortuus est biennio ante captivitatem, quam ipse prædixit, & propter quam habetur Propheta; fuit non ante captivitatem Babilonicam Nabuchi, sed ante suscitationem imperij Chaldæorum, prout diximus ideſt ante Nabuchum in anno primo imperij eius, quando necdum vixerat Daniel: tùm quia non sufficiebat convivere, sed ambos convivere tempore illius prandij delati: tùm quia secundus Abacuch iam dicitur *Propheta*, quod est aliquomodo cognosci. Tùm quia plurimæ in Scriptura sunt eiusdem nominis personæ distinctæ, v. g. duplex Asaph, duplex Michæas, imò triplex, & duplex Abdias. Vide Riberam.

*

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ONUS VERBI DOMINI AD ISRAEL IN MANU MALACHIÆ. Malachiæ 1. versiculo 1.

ARTICULUS.

V. *MALACHIAS SIT IDEM, AC ESDRAS?*

1 SUppono 1. quod tàm propter cohærentiam aliquorum textuum, atque Chronologiam, quàm propter librum quartum Esdræ, qui non est canonicus, plures Authores graves cum Torniello opinantur, duplicem esse Esdram; alterum cuius stilus liber quartus; alterum verò scribam illum in lege doctissimum qui Sacros Codices reparavit, & quem sentiunt plures dono prophetiæ præditum fuisse. De hoc ergo secundo procedit nostra quæstio, cuius tempora videntur cum temporibus Malachiæ coincidere, atque insuper non omninò adhuc est clarum, quisnam ille fuerit quoad personam: Siquidem aliqui, vt observat, & inclinat Sixtus Senensis in Esdra, fecerunt illum eumdem cum Iosedech, id quod minus verè Ludovicus Vives, tribuit Hieronymo, vt advertit Sanchez Prologo in Esdram. Quare, & nunc nos etiam scisitamur. *An fuerit idem cum Malachia?* Siquidem fundamenta vtrimque non desunt.

2 Suppono 2. Nomen Malachias esse vocem Hebræam, quæ in Hebræo scribitur *Malachi*, quia idem valet ac *Angelus meus*, vel *Nuncius meus*, siquidem vox *Malach* cum affixo primæ personæ id significat manifestè: & cum ly *meus* ad Deum planè referendum esse videatur; fortè inde dicitur iam Malachias, qua si ex prædicta voce, & voce *Ià* componeretur non secùs ac componitur vox *Zachariah*, cuius aspiratio extrema apud Latinos, & Græcos in sigma vel S. convertitur, v. g. Zacharias, Abdias, Banaias, &c. Hæc ergo vox benè quadrat vtrique tàm Esdræ, quàm Malachiæ, siquidem ille fuit Nuntius Domini notus, atque præclarus qui missus fuit de Babilone ad restituendum Israeli Civitatem, & templum, libros Sacros, & politiam. Malachias autem præterquamquod ex munere prophetandi satis esset *Angelus Domini*; sed insuper Propheta iuvenis fuit tam speciosa forma decoratus, vt propter personam *Angelus*, veluti, & nos passim consuevimus dicere; & propter doctrinam mereretur dici *Angelus Dei*. Sic Epiphanius, & nos *tom.* 1.

3 Suppono 3. Circa Malachiam dari nonnihil speciale in Origene. In primis enim scripsit tria volumina in hunc Prophetam, in quibus totus est in mysticis sensibus etiam circa Autho-

thorem libri. Vnde occasionem sumit pius, ac Doctus Ribera noster vt Prologum habeat suo more disertum, & vtilem tàm circa Authores, quos in sensibus mysticis consectari oporteat, quàm circa fidem Origenis non orthodoxam. Qui quidem Origenes in re nostra sensit, Malachiam fuisse Angelum, qui hypostaticè sibi corpus assumens typus Christi esset; motus ex nomine idest *Angelus Domini*: quare, & tantumdem dicere cogitur *de Aggæo* 1. 13. & de Ioan. Baptista, *Matth.* 11. 10. propter illa verba eiusdem Malachiæ: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Et cum Origene videtur quoque ire Tertullianus *lib. de Carne Christi cap.* 3. & 6. Cæterum hic iam est error planè damnatus, & quem Hieronymus, Cyrillus, Theodoret. & alij passim doctissimè confutarunt. Atque revera, vt diximus, quivis Propheta tunc, & etiam nunc, quivis Apostolus pleno ore, & sensu dici potest *Angelus Domini*, quia est Nuntius missus ad nos nomine ipsius.

4 Suppono 4. Rationem dubitandi maximè consurgere ex eo, quòd penè eadem concio inveniatur in Esdra *cap.* 9. quæ invenitur in Propheta Malachia contra matrimonia cum alienigenis. Cumque alias non appareant discordantia tempora vtriusq; & nomen *Malachias* quasi appellativũ sit cadens optimè suprà nomen proprium *Esdræ*, & etiam suprà eius officium; planè consequi videtur, quod sint vnus, & idem. Ex altera vero parte cùm Esdras nullibi Malachias appelletur; & in Canone Latino quasi distinctorum sint opera collocata, necnon ex argumento Parentis Esdræ coævus vterque non fuerit; potior videtur esse resolutio contraria. Hic ergo impræsentiarium est articulus disputandus.

5 In quo duplex est opposita sententia prima asserit, eumdem fuisse Malachiam cum Esdra. Quæ videtur esse vetus traditio Hebræorum, & quam sequitur Hieronymus, Remigius, Rupertus, Ribera, hic, & apud Tirinum, Torniellus anno 3595. *num.* 2. Secunda sententia distinguit Esdram à Propheta Malachia, & hanc sequuntur Epiphanius in vita Malachiæ cum Isidoro, & Dorothæo, Chrysost. *orat.* 2. contra Iudæos, & *homil.* 14. *in epist. ad Romen.* Athanas. *in Synopsi*, Augustin. *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 39. Theodoret. Lira, Vatablus, Clarius, Castrus, Ariasmont. Cornel. Sancius, Tirin. in hunc locum, Galarza *in Institutionibus*, & Georgius Ederus *in Oeconom. Bibliorum.*

6 Sit mea conclusio cum secunda sententia, cum qua dico *Malachiam fuisse distinctum ab Esdra Sacerdote, & Scriba legis.* Probatur primo conclusio. Quoties Scriptura, traditio, communis apprehensio, & plenior Doctorum cætus Malachiam distinguit ab Esdra; id nos debemus firmiter retinere. Sed res ita se habet: ergo Malachias ab Esdra distinguitur. Minor probatur, & declaratur per partes. Quoad primam. Tum quia, vtriusque libri, tanquam diversi Authoris sunt in distincta classe, & loco ita sepositi, vt nullibi fiat reclamatio vnius ad alterum, quoad Authorem libri: veluti facit D. Lucas *in Actibus Apostol.* suum Evangelium commemorans. Tum, quia *Eccles. cap.* 49. *vers.* 12. habentur hæc verba, & *duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo*, vbi includitur Malachias: servata in textu Hebræo, etiam eadem numeratione, & situ, postquam Prophetarum maiorum encomia præcesserant, excepto Daniele, qui apud Hebræos seponitur inter Agiographos, vbi ponitur Daniel, & Esdras. Fit ergo hic laus Prophetarum includendo Malachiam eodem tenore, quo sunt in Hebræo: & sicuti non fit mentio Esdræ, neque Danielis, qui planè distinguitur à cæteris recensitis. Quoad reliquas partes minoris videtur res esse palam, & in confesso. Quippè id statim respondebunt plerique homines docti de hoc interrogati; & ex

ſententijs etiam patet, refragari paucio-
res, & quidem ſequutos traditiones
Hebræorum valde ſemper infirmas.

7 Probatur ſecundò concluſio. Eſdras per plures annos ante natus fuit quam Malachias, & alibi quam Malachias vitam tranſegiſſe convincitur: ergo diſtinguntur. Probatur antecedens quoad primam partem. Eſdras natus eſt ante, vel iuxta initium Babilonicæ captivitatis. Sed Malachias natus fuit iam ipſa completa: ergo, &c. Maior probatur prius ſic. Eſdras fuit filius Saraiæ, vt conſtat 1. *Paralipom.* 1. Sed Saraias occiſus fuit à Nabuchodonoſor in Reblata, *Eſdræ* 7. *verſ.* 1. ergo Eſdras natus fuerat propè initium captivitatis. Minor prima probatur ex verbis Epiphanij *in Vitis Prophetarum*, cui concinunt Dorothæus, & Iſidorus, vbi habet hæc verba: *hic poſt reditum populi de Babilone, natus perhibetur in Sopha in terra nempè Zabulon*: ergo, &c. Probatur ſecunda pars primæ minoris, ſcilicèt, quòd in diverſo loco vitam degere competi ſunt: quandoquidem Eſdras fuit pincerna Artaxerxis in Babylone, ibi penè totam vitam ſuam ducens, vel ſaltem partem maximam; Malachias vero ſemper vixit in Iudæa, vbi natus eſt iam finita captivitate, &c. Confirmatur primo. Quia ſi traditio Hebræorum attendenda eſt; hanc tradit Genebrardus *in Chronologia*, nempe, *in quodam Concilio conſediſſe Danielem, Aggæum, Zachariam, & Malachiam, & Scribam fuiſſe Eſdram.* 2. Quia nunquam nomina miſcentur, nec ſe in libris ſuis perſona reclamat; ſed Edras perpetuo Eſdras dicitur, Malachiaſque perpetuo dicitur Malachias. Quod non ita accidit, quando quis duplici nomine fungitur.

8 Contra hac concluſionem obijcies primo. Eadem penè concio contra matrimonia alienigenarum invenitur. 1. *Eſdræ* 9. ab ipſo facta quàm facta per Malachiam præſertim *cap.* 2. ergo traditio Hebræorum de identitate ſatis conteſtata eſt, ac proinde admittenda. Antecedens patet ex ipſis capitibus & ex Authoribus ſic profitentibus. Ad hoc argumentum. Reſp. primo cum Cornel. Sanc. & alijs. Permiſſo antecedenti. Nego conſequentia. Tum quia Prophetæ vt Ieremias, Iſaias, & Abdias planè diſtincti, habent plura communia: tum quia commune eſt, Prophetis argumentum, comminari excidium Ieruſalem per Chaldæos. Atque id habent ſemper vitia tenacia, vt diverſos concionatores ſuper eodem argumento fatigent. Reſp. 2. negando abſolute antecedens: quia non dicitur eadem concio eiuſdem perſonæ illa, quæ toto argumento, ſtilo, ſententijs, & circunſtantijs planè diſcordat, vt obſervavit ipſe accuratè conferens vtrumque locum. Nam quod ſententia aliqua partialis diverſimode prolata circa vitium inveteratum cuiuſpiam gentis inveniatur in duplici ſermone, non eſt fundamentum pro identitate Authoris, ſi cætera diſcrepant, vt modo video; nam licèt vtrobique diverſimodè attingitur ſcelus contrahendi cum alienigenis, quod genus peccati vetus erat Hebræis; cæterà maximè diſcrepant, vt legenti patebit. Qui rurſus pro noſtra ſententia obſervare debebit, tùm quod in ſermone Eſdræ paſsim fit reclamatio ad captivitatem, quæ præterierat *verſ.* 7. *verſ.* 9. *verſ.* 14. quia exinde venerat Eſdras; apud Malachiam vero nulla fit mentio; ſed argumentum habet plurimum varians: tùm quod apud Malachiam ſtatim ac attingitur tale crimen *cap.* 2. *verſ.* 11. ibi: *Et habuit filiam Dei alieni* ſtatim ſubditur, & hoc *rursùm feciſtis.* Vbi patet iterum reprehendere Malachiam id quod longè ante ſe obiurgaverat Eſdras.

9 Objicis 2. Eccleſiaſticus commemorans viros celebres inter Hebræos tàm Regum, quàm Prophetarum Eſdram præterijt *cap.* 49. commemorans ibi Neemiam; ſed credibile non eſt, quod tantum virum reli-

que-

querit ſine laude : ergo. Quia vera erat traditio Hebræorum, quòd eſſet idem cum Malachia. Ad hoc argumentum. Reſp. diſtinguendo maior. Eſdram præterijt quoad nomen ipſius proferendum. Concedo maior. Quoad celebrandum facta notiſsima eius perſonæ. Nego maiorem, & diſtincta minore reſpectivè. Nego conſequentiam. Itaque notandum eſt Eccleſiaſticum in eis laudibus ita procedere, vt & facta, & proceſſus glorioſos Hebræorum deſignet, ſimul recenſendo perſonas, quæ talia facinora præſtiterunt. Vnde accedens ad reſtaurationem Civitatis, & templi, in qua glorioſa geſſerant Neemias, & Eſdras, qui tàm in ſe, quàm in hoc factò notior erat genti Hebraicæ, quàm quiſque ſibi; cùm eſſet vnum, & idem opus, quod fecit vterque, Neemiam protulit, in quo plenè, & planè dilaudabat & Eſdram : ſiquidem nihil aliud commendat in Neemia quàm notoria Eſdræ opera perfeciſſe. Itaque apud Hebræos primus eſt liber Eſdræ, ſecundus autem dicitur Neemiæ, qui eius eſt Author. Quare autem apud nos Eſdræ vterque dicatur? Reſpondet Sanchez, *prolegom. 1. ad librum 2.* Quia videlicet in hoc libro dicuntur abſoluta, quæ priori, cuius Eſdras eſt Author, inchoata fuerunt, atque ideo vna vtriuſque cenſetur hiſtoria.

9 Obijcies 3. Nam Eſdras vixit in eodem tempore cum Malachia. Sed Eſdras *lib. 1. cap. 5. verſ. 1.* ait : *Prophetaverunt autem Aggæus, & Zacharias.* Et non meminit Malachiæ : ergo quia non erat aliquis alius ab Eſdra diſtinctus. Ad hoc argumentum. Reſp. diſtinguendo antecedens. Ita vt poſſet Malachiam commemorare. Nego maior. aliter. Permito maior. & conceſſa minor. Nego Conſeq. Quia tales Prophetæ in eo textu commemorantur vt prophetantes tempore ædificationis templi Zorababelis, & ſtatim à reditu ſuo de Babylone, vbi nati fuerant. Malachias autem natus eſt poſt reditum: & poſt inſtauratum templum prophetavit contra Iudæos præſertim Sacerdotes ad priſtina delicta reverſos, vt nos *tom. 1. in Synopſ. cap. 49.* inſinuavimus, licèt ex Georgio Edero aliter à nobis dictum videatur, ibi *cap. 20.* quia id ille tradidit ſequutus Hieronymum qui nobis in hac parte eſt contrarius. Huc oportuna ſunt verba Riberę *Malachiæ 1. in Hiſtoria*, ibi: *Poſt Aggæum, & Zachariam prophetavit; vt diximus in 2. Præludio, ſed templo iam conſummato vt docent Cyrill. & Theodoret. etſi Hieronymus in hoc capite bis dicat eum prophetaſſe antequam templum fieret. Sed prior ſententia verior eſt, &c.* Et proſequitur vbertim id firmans. Et licèt hic Author, nobis contrarius, multus ſit inibi, vt varias perſonas binomias recenſeat in Sacra pagina, quod præſtat *num. 6. & 7.* Nos quidem id non negamus, imò alibi ſtabilimus. Verum ex fortioribus argumentis conamur, id hic non accidiſſe.



QUÆS-

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET CONGREGABUNTUR FILIJ IUDA, ET FILIJ ISRAEL pariter, & ponent ſibi caput vnum. Oſeæ cap. 1. verſ. XI.

ARTICULUS.

V. DECEM TRIBUS POST CAPTIVITATEM ASSIRIAM FACTAM, aliqua ex parte, finita captivitate redierint ad vnum Regnum Iudæorum integrandum?

NOTABILIA.

1 NOto 1. Quòd, cùm Regnum Iſraeliticum voluntate humana incæpiſſet, Domino permitente, & connivente; declarante tamen ſibi inde non pauca mala eventura, eò quòd Dominum abijcerent, ne regnaret ſuper eos; citiſsimè luiſſe ſuæ temeritatis atque ignorantiæ pœnas iuſtè promeritas tàm ex parte Regum, quàm ex parte Regni, & Regnicolarum. *Ex parte Regum* quia primus ille Saul fuit ſtatim abiectus, David in gravia crimina prolapſus, Salomon ita in peiora vt de eius ſalute æterna merito dubitetur. *Ex parte Regni*, quia propter peccata Salomonis diſciſum eſt Regnum eius tempore Roboami filij ſui in duas partes, quarum altera apud Roboamum retinuit Tribum Iuda, & Beniamim cum Levitis pluribus. Altera verò cum decem tribubus reliquis ſecuta eſt Ieroboam; & duo diviſa ſunt Regna, alterum *Iuda*, & alterum *Iſrael*. *Ex parte vero Regnicolarum.* Quia, Domino permittente, ita vtrobique in ambobus Regnis fædè ſunt in vitia prolapſi, vt quamvis Dominus eos ſæpè mille minis atque blanditijs revocare tentaverit; tandem non potuerit, non vtrumque Regnum in triſtem relegare captivitatem: ita vt prius ferè ad tria ſæcula decem Tribus Iſrael abductæ fuerint ſub Salmanaſar in Aſſyrios, cuius captivitatis exemplo Deus Regnum *Iuda*, ſibi longè chariſsimum, ad pœnitentiam iterum provocabat; quam cum non obtinuiſſet; eos quoque ſub Nabucodonoſore tradidit miſerandæ captivitati. Nunc ergo cùm hæc captivitas Babylonica poſt ſeptuaginta annos emenſos finem habuiſſet, ita vt Regnum Iuda in ſuam Civitatem, & templum reſtitueretur; quærimus nunc: an ſimiliter poſt longiorem captivitatem decem, ſaltèm ex parte, in ſuas ſedes reſtitutæ fuiſſent?

2 Noto 2. Præter alia complura loca, quæ per mille vias poſſunt in

hac

hac re de tota Sacra pagina in disputationem venire, duo esse celebriora loca, circa quæ accuratiùs, & densius hoc certamen solet iniri. Primus quidem locus est ille supra positus textus Oseæ *cap.* 1. *vers.* 11. vbi dicitur: *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnum.* Secundus vero locus est apud Zachariam *cap.* 8. *v.* 13. vbi dicitur: *Et erit: sicut eratis maledictio in gentibus domus Iuda, & domus Israel; sic salvabo vos, & eritis benedictio.* Verumtamen circa primum textum Oseæ oportet subnotare verba sibi antecedentia, quæ in modo cohærendi cum subsequentibus possunt cum diuersitate tractari. Verba enim illa, *& dixit: Voca nomen eius non populus meus: quia vos non populus meus; & ego non ero vester (& erit numerus filiorum Israel quasi arena maris quæ sine mensura est, & non numerotur. Et erit in loco vbi dicitur eis: non populus meus vos: dicetur eis: filij Dei viventis.*) Quæ verba immediatè antecedentia ad verba nostri textus possunt ex Gaspar Sanchez legi, vel cum parenthesi incipiente, ibi. *& erit numerus*, & clausa, ibi *filij Dei viventis*; vel sine tali parenthesi; verisimilius autem est apud ipsum, talia verba cum parenthesi illa legenda.

3 His positis triplex in hoc quæsito potest recenseri sententia prima. Asserit, congregationem illam Iudæ, & Israelis sub vno capite faciendam esse reverà, & intelligendam non minus de duabus, quam de decem tribubus; sed spiritualiter quidem, quatenus tempore Evangelij omnes illæ tribus in vnum corpus sub Christo capite redigentur. Quam sententiam tenent Haimo. Hieron. Albert. Hugo Vatablus, Montan. Castrius apud Sanchez in hunc locum. Secunda sententia asserit per Israel figuratè intelligendos esse Gentiles ad Christum postea accessuros, qui *Israelitæ* non incongruo vocabulo appellari possunt propter fidem. Hanc tenet Aug. *lib.* 22. contra Faustum *cap.* 89. *& lib.* 18. *de Civit. cap.* 28. Nicol. de Lira, Dion. Cartus. Ribera, & videntur in has partes simul venire etiam Authores primæ sententiæ cum Rup. Leone Castrio, Saa, Mariana, Cornel. & Tyrino in hunc locum. Tertia sententia substinet hanc congregationem intelligendam esse de populo Israelitico simul cum Iudaico, ita vt finita vtriusque captivitate, venirent ambo, ita vt sub vno duce, & capite Zorobabele reverterentur, & viverent. Hanc sententiam tenet D. Cyril. Alexand. Theodoret. & etiam inclinat Albert. eamque efficaciter, sed modestissimè promovet, & propugnat Noster Venerab. P. Gasp. Sanchez in vtrumque locum iam relatum Zachariæ, & Oseæ, item Tyrinus, qui hanc sententiam aperte propugnans, superiores, quoque accomodare non definit sic locu„ tus: Et sicut naturales Iudæi atque „ Israelitæ non manserunt disecti in „ duo Regna à reditu suo Babylone, sed „ in vnum coaliti paruerunt omnes vni „ Zorobabeli; sic spirituales Israelitæ, & „ Iudæi, ex quantacumque gentium, & „ nationum diversitate coalescent in „ vnam Ecclesiam. Quem postremum sensum recijciet nemo qui amplectatur primum. Circa quem admittendum Interpretes discrepant: alij enim censent, illas decem tribus captivas apud Assyrios perpetuo exilio ita fuisse mulctatas, vt nunquam redierint: quod tradit Iosephus *lib.* 11. *Antiquitatum cap.* 5. Hieronym. in Ecechielem *cap.* 23. Ribera in Oseam *cap.* 1. Beda 2. *Esdræ* & alij plures. Verumtamen alij Interpretes nobiles etiam de decem tribubus rediisse putant: ita Cyril. in Prologo Zachariæ, & in Oseæ *cap.* 11. in Malachiam *cap.* 2. Theophilact. & Theodoret, *Oseæ* 3. Lyra Tobiæ vltim. Paul. Palacios in Abdiam. Maluenda *de Antixpto lib.* 11. *cap.* 18. Iul. Bartolocc. *tom.* 1. Biblioth. Rabbin. v. *Aristæus*. Vide *illum*. Gasp. Sanchez, Oseæ

1. & Zachar. 8. quibus adiungi poteſt Tyrin. propter verba ſuperiora. Idem autem Gaſpar Sanchez, Oſeæ 1. *num.* 51. ait: *Quia revera ex decem tribubus ab exilio rediere quàmplurimi: quod tenent omnes ferme Doctores, & PP. ſi modo pauculos excipias, qui contraſentiunt*, & poſtea *cap.* 8. Zachariæ *num.* 28. citans Hieron. pro partibus adverſis, ait: *Vbi dicit ad ſuum vſque tempus decem tribus in vrbibus Medorum captivas teneri.* Idem alij fermè omnes, &c. Cum ergo etiam fermè omnes in reditum ſuprà conveniant videtur, tùm ex hoc Authore graviſſimo, tùm ex pluribus textibus in hac re manantibus, aliquem reditum concedendum eſſe decem tribubus, qui tamen non obſtet, vt eas quoque verè non rediiſſe dicatur.

4 Dico igitur *etiam de decem tribubus in Aſſyriam adductis, finita captivitate plures ſub Zorobabele in vnum Regnum Iudaicum rediviſſe.* Probatur hæc concluſio primo. Ex graviſsimis textibus Sacræ Scripturæ quorum primus eſt apud Ieremiam Prophetam *cap.* 3. *v.* 18. ibi: *In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Iſrael, & venient ſimul de terra aquilonis ad terram, quam dedi Patribus veſtris.* Item cap. 50. v. 4. *In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, venient filij Iſrael ipſi, & filij Iuda ſimul.* Ex quibus verbis ſic arguitur. Quando captiva ducta fuit domus Iuda in Babyloniam, clariſsimè evenit ire ad domum Iſrael, & ambas coniungi ſaltem aliqua ex parte. Atqui in reditu Babylonia ſub Zorobabele nulla fuit exceptio facta per Cyrum Iudæos dimitentem, vt dumtaxat reverteretur domus Iuda, quæ fuerat recentius captiva: ergo, iuxta expreſiſsima verba Prophetæ vtraque domus intelligenda eſt rediviſſe (& hoc aiebat ſuprà Tyrinus.) Probatur maior. Babilonia, quò adducta fuit domus Iuda habebat intra ſe, licet iam ſub Nabuchodonoſ. non pareret Aſsyrijs, habebat inquam plures familias de decem Tribubus Iſrael iam diù ante captivas priuſquàm captiva venit domus Iuda: ergo, &c. Antecedens probatur, tùm quia poſt captivitatem decem tribuum per annos plurimos Babilonia fuit ſub poteſtate Aſsyriorum, & Iudæi; vel potius Iſraelitæ illuc translati, paulatim per totum imperium Aſſyriorum fuerunt diſſeminati, vt patet *Eſther* 3. & 8. vbi Iudæi diſſeminati eſſe dicuntur per 127. Provincias. Ergo in Babilonem celeberrimam Civitatem gens illa, quaſi naturà mercatrix, & commercij amantiſsima, & in nullo alio captiva, niſi in prohibitione de reditu in patriam, prout cenſet Toſtatus; ſtatim veroſimiliter convolaſſet; maximè id Propheta clariſsime pronuntiante. Tùm quia *Daniel* 16. expreſsè memorantur in Babilone vtræque familiæ tàm de captivitate Iſrael, quàm de captivitate Iuda, ibi: *Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ timentes loquebantur vobis; ſed non filia Iuda ſuſtinuit iniquitatem veſtram*: ergo quia de vtraque captivitate filij Iſrael eò convenerant. Dixi ſupra *quamquàm Babilon non pareret Aſsyrijs.* Quia, niſi fallor non rectè dicit noſter Gaſpar Sanctius *Zachar.* 8. *num.* 30. quòd Cyrus æque ac Medis, & Perſis, dominaretur Babilonijs, & Aſsyrijs: ſiquidem ex Tirino *Reg.* 4. *cap.* 17. conſtat temporibus Ezechiæ, longè ante captivitatem domus Iuda, Babiloniam duce Merodac rebellaſſe in Aſsyrios. Sed tamen ad vim argumenti nihil obſtat, quandoquidem etiam tunc Babilonia poterat de decem tribubus claudere familias plures. Imò hic confirmatur valide argumentum ſuperius: quia Rex Aſsyriorum tempore captivitatis tulit de Babilone, & alijs Civitatibus ſuis plures in Samariam, vt eſſent pro filijs Iſrael. Ita conſtat 4. *Reg. cap.* 17. *verſ.* 24. Atqui veriſimile, imò & neceſſarium erat, vt cum fiebat translatio, familiæ Babilonicæ; quæ iubebantur ocupare Samariam, compenſarentur per familias Iſraelis intra ipſam Babi-

lo-

orem: ergo hæc proculdubio plena erat familijs de domo Iſrael quando domus Iuda venit eò quoque captiva.

5 Probatur ſecundo: Ex luculentiſsimo alio textu Ezechielis *cap.* 37. *verſ.* 16. & 21. ibi: *Et tu fili hominis ſume tibi librum vnum, & ſcribe ſuper illud, Iudæ, & filiorum Iſrael, & ſociorum eius: Et tolle lignum alterum, & ſcribe ſuper illud; Ioſeph lignum Ephraim, & cunctæ domus Iſrael, ſociorumque eius... Hæc dicit dominus Deus Ecce ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum, ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad domum ſuam, & faciam eos in Gentem vnam in terra in montibus Iſrael, & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes; nec dividentur amplius in duo Regna.* Ex quo ſic. Hic textus verè apertiſsimus omnia declarat: namque in primis facit duorum Regnorum diviſiones, & cum vtrique conveniat nomen Iſraelis in vtroque ligno fecit inſcribi, & alterum quidem Iuda, alterum Ioſeph & Ephraim compellavit, quod nomen eſt proprium. Deinde explicat quomodo ambæ tribus, vel ambo Regna inter medias nationes diſſeminata in vnum reditura ſint ita vt poſteà non ſint duo Regna. Quo nihil apertius dici poteſt. Vnde licet à Cornel. & alijs de Regno Chriſti exponatur; placet admodum in ſenſu allegorico, &, ſi velis in litterali ſecundò; ſecùs verò in primò litterali; niſi ſeverè nimis cum decem tribubus, & multis textibus ſibi faventibus ſit agendum. *Confirmatur.* Ex pluribus alijs textibus primo. Ex Oſea ſupra relato: *& congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibi caput vnum.* Ex Zachar. *cap.* 8. ibi: *Domus Iuda, & domus Iſrael ſic ſalvabo eos.* Ex Tobia cap. vltimo, qui morti proximus ſic prophetavit: *Prope erit interitus Ninive non enim excidit verbum Domini, & fratres noſtri qui diſperſi ſunt de terra Iſrael, revertentur ad eam.* Qui textus eſt celeberrimus, & vt obſervat Sanctius male aliò contortus, & elucidatur ſic. Tobias loquitur de captivitate decem tribuum; quia captivitas Iudæ nondum evenerat, ſed prophetat apertè reverſionem in terram Iſrael: ergo aliqua ſaltem reverſio concedenda eſt, ne excidat prophetia. Vrgetur ex Aug. vnius textus per alterum interpretatio fit optima, quamquam exercite ſolum colluſtratio fiat. Atqui in hoc textu fit interpretatio aliorum non ſolum exercita ſed ſignata; ibi: *Non enim excidit verbum Domini*: & quidem à viro Sancto; ab ſcriptore Canonico; à viro Propheta: ergo, &c.

6 Probatur tertio: A ratione ſi omnes decem tribus ſaltem quoad perſonas aliquas redituræ non eſſent ad ad terram ſuam, non eſſet cur Deus in piraſſet Ezechieli, vt pro duodecim tribubus partiretur totidem ſortes inter familias eas diſtribuens in terra promiſsionis: atqui iuſſus à Domino ita præſtitit Ezechiel: ergo ſaltem aliqui redierunt de duodecim tribubus. Minor conſtat Ezechiel *cap.* 48. *v.* 29. *Hæc eſt terra, quam mittetis in ſortem tribubus Iſrael, & hæ partitiones earum ait Dominus Deus.* Probatur ſecundo: A ratione quam doctè promovet Ribera. Nam tempore Chriſti D. aliæ tribus erant in Ieruſalem: ergo quia illuc etiam de decem tribubus ſaltem aliqui rediviſſent. Antecedens patet ex plurimis locis. Namque Anna dicitur de Tribu Aſer *Luc.* 2. Et Dominus prædicavit in finibus Zabulon, & Neptali *Matth.* 4. & Apoſtoli erant de varijs tribubus, itemque Iacobus ſcribit duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione. Quæ tamen ſecunda probatio potius ratione ornatus adhibenda eſt, quam vt in ea innitatur aſſertio quippe cui reſponſio eſt facilior. Confirmatur denique primo concluſio ex alijs textibus qui prætermitti non poſſunt ſcilicet *Oſeæ* 11. *Non faciam furorem iræ meæ: non convertam, vt diſperdam Ephraim: quoniam Dominus ego, & non*

homo... & avolabunt quaſi avis ex Ægypto, & quaſi columba de terra Syriorum, & collocabo eos in domibus ſuis. Item *cap.* 12. *Et ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti adhuc ſedere te faciam in Tabernaculis ſicut in diebus feſtivitatis.* Item *cap.* 14. *Sanabo contritiones eorum, dirigam eos ſpontaneè: quia averſus eſt furor meus ab eis*: Atqui cuncta hæc ſatis clare loquuntur de captivitate Iſraelis apud Aſsyrios, & de reſtitutione eorum in ſedes ſuas, cò quòd ira Domini quieverit: ergo, &c. Confirmatur ſecundo: Ex DD. Hebræorum apud Gaſp. Sanch. Nam ipſi in computatione redeuntium in Ieruſalem ſub Zorobabele numerant 42000. & cum tota ſumma de Tribu Iuda, & Beniamim cum Levitis ſolum pertingat ad 32000. plane fatentur decem millia etiam ex reliquis tribubus rediviſſe. Atqui hic numerus ſatis eſt, vt dici poſsit decem tribus etiam de captivitate ſua rediviſſe: ergo id dicendum eſt; maximè cum ita conſonet Scripturis. Minor patet, quia captivitas illa vtpotè longiſsima, & diſperſiſſima per tot loca longè plus quoad perſonas conſervaſſe videtur, dum decem millia ſic conſervavit de decem tribubus, quam captivitas Babilonica ſeptuaginta annorum reſervando triginta, & duo millia de tribus ſolis tribubus, ſi Levitæ ibi computantur.

7 Objicies primo: Hæc concluſio. Eatenus ſubſtineri valeret quatenus inniti poſſet Sanctis Scripturis, ſed ſatis firmiter, ſolideque id fieri nequit: ergo ſubſtineri non valet. Probatur minor: Celebriora loca ad id ſubſtinendum allegata longè quid diverſum ſignificare, & dicere probatur: ergo non ſatis ſolide firmatur ex Scripturis. Celebriora loca ſunt illud Ezechielis ſupra iam relatum de eo quod duo Regna Iuda, & Iſrael in duobus lignis deſcripta in vnum ventura eſſent, atque ſalvanda; ſed id non poteſt verificari de reditu amborum ſub Zorobabele: ergo, &c. Minor probatur. Nam ibi dicitur, quod Rex vnus erit omnibus imperans & poſteà, cum explicat, dicens: *Et ſervus meus David Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorum*; ſed hæc res evidenter ad Zorobabelem accomodari non poſſet, qui non fuit Rex; ſed Pontifex; neque ad Davidem, qui tanto ante præceſſerat: ergo, &c. Deinde ſecundus locus eſt ille celebris ex Tobia *cap.* 14. vbi propheticè dicitur ab ipſo reverſio in patriam de fratribus ſuis diſperſis. Atqui hic loquitur propheticè de captivitate Babilonica mox futurâ; ſecùs de Aſsyria: ergo, &c. Minor patet: Tùm ex Verſione vulgata, quia ibi *verſ.* 7. dicitur: *Et domus Dei quæ in ea incenſa eſt iterùm readificabitur*, cum tamen ſolum in captivitate Babilonica templum Domini fuiſſet exuſtum: Tùm ex Verſione Septuaginta, quia ibi apertiſsimè loquitur de futurâ captivitate, ibi: *Et quod fratres noſtri in terra diſpergentur à bona terra, & Ieruſalem erit deſerta, & domus Dei in ipſa comburetur.* Poſtremo tertius textus eſt ille celebris ex Oſea vbi dicitur, quod *illic congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibi caput vnum.* Atqui ibi ſermo eſt manifeſtè de congregatione ſub vno capite, qui eſt Chriſtus, ſiquidem in verbis antecedentibus ita loquitur *dicetur eis, filij Dei viventis*: ergo de primo ad vltimum celebriora loca adducta pro aſſertione præiacta firma ſoliditate non conſtant.

8 Reſpondeo ad hoc argum. Negando minorem: Ad cuius primam probationem ex primo textu Ezechielis. Reſp. negando minorem. Quod nimirum non poſsit intelligi de Zorobabele: nam duo illa, quæ adducuntur adverſus nos, ſcilicet, quod ibi ſermo ſit de Davide regnaturo ſuper eos, & quod Zorobabel non fuerit Rex, tàm longè abſunt, vt rem noſtram infirment: quin potius aſſertio noſtra plus inde clareſcat: nam, cum tempore illo quo Propheta loquutus eſt, loqui certè non poſſet de ipſa perſona Davidis, qui

iam

iam ante deceſſerat, proculdubio loquebatur de regno ipſius: quatenus nimirum hoc reuniendum eſſet à diviſione, quam tulerat tempore Roboam, ac denique finitis ſuplicijs captivitatum, rursùs poſteritati Davidis redonandum eſſet: quod & factum eſt dum Zorobabele Davidis poſtero, vt conſtat *Matth.* 1. omnes tribus in ſuas ditiones, & in vnam rempublicam Pontificibus quidem adminiſtrandam, coadunatæ ſunt: qui Zorobabel, ſi Rex fuiſſet in ſe, non tam clare curreret prophetia de Regno Davidis: iungenda enim erant iam in throno Iſraelis Regia authoritas ſimul, & Pontificia, quippè prope erat iam adventurus Rex ille æternus ſimul, & Pontifex Ieſu Chriſtus D.noſter. Vndè cum vnius textus per alterum recta ſit expoſitio;hęc clara fiunt apud Oſeam dum dicitur: *Et congregabuntur filij Iuda,& filij Iſrael pariter, & ponent ſibi caput vnum.* Vbi non Regem, ſed caput futurum eſſe pronuntiat, à quo Iſrael colligendus, & adunandus erat. Ad ſecundum textum. Reſp. Minimè infringi probationem noſtram per impugnationem adiectam, ſi res ſubtiliter inſpiciatur; quin potius arbitror, eam inde valde fulciri. Dicimus enim nos vtraſque captivitates ſub Zorobabele quodammodo rediviſſe, licèt ſemper ſolemnior reditus habendus eſſet ille, qui foret de captivitate Babylonica, vt tali; quippè qui foret de celebriori tribu, de tempore conſignato, & ad Sanctam Civitatem, & templum. Quare cum Tobias prophetice loqueretur;non obeſt,ipſum etiam loqui de captivitate Babylonica mox futura, vbi fuit domus incenſa; vt loqueretur quoque de reditu ſuæ captivitatis: ſi quidem ambæ ſub idem tempus redituræ erant, & de ambabus verificabatur, quod eſſent ſui fratres. Vndè fortè propterea Spiritus S. qui, & Scriptori Canonico,& etiam ex communi Doctorum aſtitit Septuaginta interpretibus, alibi de diſperſione præterita, alibi de diſperſione futura in vtraque verſione voces intexuit vt de vtriuſque captivitatis reditu Tobias videretur eſſe locutus: præſertim cum vtriuſque reditus (quidquid immeritò dicat noſter Ribera) paſsim in multis textibus appareat eſſe promiſſus. Ad tertium ex Oſea. Reſp. primo, ex doctrina P. Gaſp. Sanchez dicendo, prout notabili ſecundo præmiſimus, illa verba, *dicetur eis, filij Dei viventis*; non pertinere ad ſenſum ſequentium verborum;ſed in ſua parentheſi ibi inſinuata debere recludi; vbi figuratè ſumit Iſraelitas prout explicat Sanchez *num.* 48. & hoc poſito nullo remanet difficultas.

9 Reſp. ſecundo, & fortè congruentiùs propter ea quæ infra fuſius dabimus in tertia obiectione. Diſtinguo minor. Sermo eſt de Chriſto in ſenſu allegorico. Concedo minor. In ſenſu litterali. Subdiſt. Vnico, & intento ab Scriptore Canonico. Nego minor. Duplici vel ſecundo, & intento ab Spiritu S. Concedo minor. & nego conſequentiam. Quia ad noſtram interpretationem nihil officit, quod detur alius ſecundus ſenſus, ſivè allegoricus, ſivè litteralis prout eum velis; dummodo noſter non evertatur; & tam longè eſt vt evertatur; quin potiùs illa interpretatio de Chriſto, ſi ſit allegorica, vt ſit ſolida, debet ſupra litteralem fundari: & magis fundabitur ſi de omni Iſraele reditus de captivitate ponatur in littera; vt de omni Iſraele allegoricè detur intelligi ſalvatio per Chriſtum. Si vero ſit in ſenſu litterali ſecundo hic tanto eſt firmior, quantum intentum Spiritus S. videtur magis in vnum ire, & coire cum intento Scriptoris Canonici: & hic melius ibit, ſi Scriptor Canonicus verum vtriuſque reditum voluiſſet exprimere. Reſponderi poteſt tertio. Quod bene poterant dici *filij Dei viventis* omnes tribus ſtatim ac recuperata terra promiſsionis, civitate, & tem-

plo, quaſi inciperent eſſe *filij Dei*, & *populus Dei*, illi qui anteà ita ſub iugo idolatrico tenebreſcebant, vt ipſis Ethnicis videretur Deus Iſraelitarum potiùs mortuus eſſe, quàm vivus, qui talia ſubſtineret in ſuis, & non moveretur.

10 Obijcies ſecundo. Plura ſunt loca ſcripturarum ita manifeſta pro eo quod de captivitate Aſſyriorum decem tribus minimè rediviſſent, vt alia loca in ſpecie reditum promittentia, hùc flecti debeant: ergo talis reditus etiam in modico concedi non poteſt, ita vt verus reditus dici queat. Antecedens probatur primo ex textu Oſeæ *cap.* 1. vbi dicitur manifeſtè: *Non addam vltra miſereri domui Iſrael ſed oblivione obliviſcar eorum.* Secundò ex lib. 4. Regum cap. 17. v. 23. *Translatuſque eſt Iſrael de terra ſua in Aſſyrios vſque in diem hanc.* Tertio ex *lib.* 1. *Eſdræ cap.* 2. vbi dicitur: quot, & quinam fuerint qui redierunt in Ieruſalem cum Zorobabele. Atqui ibi nullus reditus de decem tribubus numeratur: ergo, &c. Ad hoc arg. In primis reſp. per inſtantiam in ſententijs adverſariorum, præſertim circa primum textum: in quo nobis obijcitur ſub figura vel exemplo filiæ Oſeę vocatæ *abſque miſericordia*, forè, vt Dominus non vltra miſereatur Iſraeli, quamquam miſereatur Iudæ. Nam ſententiæ contrariæ, vel intelligunt Iſraelem pro Iudæis, vel pro Gentilibus, & dum aſſerunt de vtriſque, quod convertentur, & congregabuntur ſub vno capite, qui eſt Chriſtus, perperam ſalvant illã comminationem Oſeę, quam hic nobis obiectant. Qua propter tum propter hoc; & tùm quia in ipſo *cap.* Oſeæ ſtatim appellatur *miſericordiam conſequuta*, illa eadem ipſa quæ antea vocabatur *abſque miſericordia*, ibi: *Dicite fratribus veſtris populus meus, & ſorori veſtræ miſericordiam conſequuta*, & ad Rom. 9. *vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam, & non miſericordiam conſequutam, miſericordiam conſequutam*, videtur neceſſario dicendum illa verba *non addam vltrò miſereri domui Iſrael* non debere accipi quaſi derelinqueretur in finem. Quomodo autem potius Iudæ, quàm Iſraeli inſinuetur ibi miſericordia indulgenda, copiosè docteque de more, vt mox dicam, explicat Sanchez. Ex quo prius hic obſerva oportunè, quòd quemadmodùm 1. *Oſeæ* dicitur *non vltrà miſereri Iſrael*, & poſtea 2. dicitur *miſericordiam conſequuta*, ita Ieremiæ 42. dicitur de ingreſſuris Ægyptum *nullus de eis remanebit*, & tamen *cap.* 44. poſt ferè eaſdem minas dicitur, *& qui fugerint gladium, revertentur de terra Ægypti, in terram Iuda viri pauci*; quod explicationi noſtræ, & mori ſcripturarum intelligendis non eſt invtile. Sed verto me iam cum Sancio ad explicationem difficultatis ſatis appoſitam, non derelinquendo metaphoram duarum ſororum, ſub qua Deus ſe explicuit. Ait ergo: quemadmodum quis habens duos filios, quorum alterum amet quidem, & alat; in alterum verò præter ea omnia ſtudia benevolentiæ, omnia pretioſa totius rei familiaris conferat, dicitur, præ amore huius, illum penitus obliviſci: vti & Iſaac Eſau amabat, & Rebecca Iacob; quamvis vterque ab vtroque patente diligeretur; non ſecus dici poteſt Deus obliturus Iſraelis præ Iuda; eo quod hæc ſoror, quæ electa erat ad Chriſtum, ſibi ſemper fuiſſet atque futura eſſet longè chariſsima, ita vt in ea, & fuiſſet captivitas minor, reditus locupletior, cura perſonarum ſolicitior *Eſdræ* 1. *cap.* 2. nomen perpetuum: vndè omnes dicuntur Iudæi, atque æterna memoria; cum ex ea dux prodiret æternus. Econtrà vero Iſraelitis fuit captivitas diuturnior, reditus imminutior, princeps nullus, nullum nomen, eò quòd duci de Tribu Iuda ſervirent, & de eius nomine inſignirentur, neque vt populus formatus, ſed quaſi reliquiæ in terram ſuam reſtitu-

tituti; cum Ecechielis 48. vt obſervat Sancius alias ſortes, & fines in reditu nacti fuiſſent, quam antea habebant. Igitur cur non iure optimo dicatur Deus eius obliviſci præ Iuda, ita vt propter hos textus fuerit quidem oblivio, ſed *comparativa*; propter noſtros verò fuit eius ſalutis recordatio, ſed *abſoluta*? Propter quæ omnia, cùm redirent de decem tribubus reſpectivè admodùm pauci ad alios, inibi remanentes; deinde nulla tribu diſcreti, ſed permixti potius vt reliquiæ, quàm vt populus ſine duce, & nomine proprio (vt olim Beniamin, quia parva, & abiecta confundebatur cum Iuda) plano more loquendi dici abſolutè poteſt, decem tribus non rediviſſe: atque adeo ita ſe explicuit Iſaias *cap.* 7. dicens *Ephraim deſinet eſſe populus.* Ex quibus conſtat ad authoritatem Ioſephi 11. *Antiq. cap.* 5. quam æſtimat Ribera. Nos autem non magnifacimus cum claris Authoribus Tornielo, Saliano, Baronio, Morerio citatis 1. *tom.* noſtræ Palæſtræ: nam modo dicto ſalvari etiam poteſt decem tribus vltra Euphratem manſiſſe, & duas per Aſiam, & Europam ſe dilataſſe, & ſic reſpondet Maluenda vbi ſuprà. Et patet noſtra reſponſio directa ad primum textum.

11 Ad textum ſecundum. Reſp. ex doctrina præiacta ſimiliter, ea verba ſalvari, quatenus ly *vſque ad diem hanc* quod Origenes Ioſuæ 7. putat eſſe in perpetuum, ſignificat eam captivitatem tam diuturnam atque diſperſam maiorem partem decem tribuum ita penitus corrupiſſe, & traduxiſſe in Nationes; vt quamquam poſtea reditus patefieret ipſi; vltro, & ſponte in ea captivitate permaneant, quam ipſi præ iugo legis Dei putarent ſibi forè libertatem ampliorem. Exinde tamen non tollitur quod multi de omnibus illis tribubus, qui in ſano patriæ, & legis amore perſiſterent tandem aditu patefacto ſub Zorobabele redijſſent. Ad tertium textum Eſdræ reſpondo primo. Ex doctrina Hebræorum vbi ſuprà admittentium in tali reditu etiam 10000. de decem tribubus rediviſſe, quod non obſcure ſignificatur in textu ibidem *v.* 59. *Et hi qui aſcenderunt de Thelmala Thelharſa Cherub, & Addom, & Emer, & non potuerunt indicare domum Patrum ſuorum & ſemen ſuum, vtrum ex Iſrael eſſent. Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda 652.* Quia cum captivitas Iſraelis fuiſſet diuturnior; inſtrumenta ad probandum fortè perijſſent. *Replicabis primo.* Fortè Civitates illæ erunt de ditione Babylonica. Reſp. Nihil intereſt dum in Babylone etiam fuerunt de decem tribubus. *Replicabis ſecundo.* Ex ſupra dictis relicti ſunt ſingulis annis de ſeptuaginta diſtributione arithmetica 4057. de ſolis duabus tribubus: ergo de decem plures debebant reſtare in ſingulos annos. Reſp. Diſting. Aſſumptum computatis diuturnitate, diſperſione, & apoſtaſia obdurata, qua plerique manſerunt. Nego conſeq. Non computatis: tranſeat conſequens. Nos autem ſemper loquimur reſpectivè ad circunſtantias. Replicabis tertio. Hic numerus modicus perperam verificat ſalvationem: ergo textus non ſalvantur ex eo. Reſp. Solitarie ſumptus. Permitto antecedens cum ſalvatione integra Iuda. Nego antecedens, & conſeq. Permiſi autem quia ſalvatio etiam totalis in eo ſtat quod illi omnes qui ad Deum, & ſua redire vellent; redire poſſent, licèt eſſent pauci. Denique poteſt reſponderi ſecundo ad dictum textum dicendo, Eſdram principaliter ſuſcepiſſe narrandam captivitatem Iuda redeuntem; tùm quia ille erat ex ea; tùm quia illa erat celebrior atque ſolemnior, & propter ea, quæ ſuprà diximus plenam ſibi commemorationem adrogabat præ reliquijs ex decem tribubus redeuntibus.

12 Obijcies tertio. Loca ſcripturę à nobis allata debent intelligi de Iſraele, & Iuda congregatis ſub vno

capite, & vno rege Chriſto : ergo perperam de reditu decem tribuum poſſunt acommodari. Antecedens probatur primo. Quia ita exponi debet Sacra Scriptura, vt minimè debilitari videantur omnes illæ prophetiæ de Chriſto in quas PP. & Interpretes conſpirare videntur. Sed PP. & Interpretes planè intelligunt hæc loca de Chriſto, ſub quo omnes congregabuntur : ergo, &c. Secundo. Quia ita fit ſenſus accomodatus ad locum Apocalypſis, vbi ex duodecim tribubus recenſentur 12000. ſignati poſteaque turba magna ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis : ergo, &c. Tertio. Quia ſententia negans reditum decem tribuum eſt omnium apud Ribera, ibi : *Eadem eſt ſententia Ruperti, & Lirani, & omnium fere Expoſitorum, tàm Hebræorum, quàm noſtrorum.* Ad hoc argum. Reſp. diſtinguendo antecedens. In ſenſu allegorico, qui in rebus de Chriſto eſt principaliſsimus ; vel ſecundo litterali ab Spiritu Sancto præintento. Concedo antecedens : In ſenſu litterali Scriptoris Canonici. Nego antecedens, & conſequentiam. Itaque ego ipſe primus cum omnibus pronuncio in his locis luculentiſsimas eſſe Prophetias de Chriſto, quas ægre poterunt pernegare Iudæi, ſi cum ipſis diſputetur ; ſed quonam in ſenſu illæ nobis donatæ ſint ; opus eſt, & labor inquirere. In quo, ſi ad munera biblici Interpretis cingor ; video ſatis denſe agitari inter DD. quomodo ex ſenſu allegorico firmum argumentum elici queat ? Circa quod Catholici omnes conveniunt, quod quotieſcumque aliquis textus præter ſenſum litteralem ibi obvium, atque currentem donatur altero ab altero Scriptore Canonico eidem textui ; tunc firmiſsimum, & infallibile reſultare argumentum etiam de ſecundo ſenſu vſurpato. Quo præſtabilitò defendunt plures de ſenſu allegorico, & myſtico irrefragabile argumentum enaſci, quoties hic ſenſus ab irrefragabili authoritate ſuſcipitur. Alij vero contendunt, cum iam non eſſe allegoricum, ſed ſecundum litteralem ab Spiritu Sancto præintentum, ne fateantur peti argumenta fortia de allegorijs. Vtrum vero quis dixerit nihil refert : nam perinde in vtroque modo dicendi argumentum irrefragabile reſultabit : Poſſuntque eſſe in exemplum textus illi *non alligabis os bovi trituranti* : itemque *os non comminuetis ex eo*, quorum alter per Paulum ſumitur tropologice ; alter vero allegorice per Evangeliſtam. Quibus poſitis, & ijs, quæ *tom. 1. Palæſtræ de hac re tetigi ex Aug. in quæſt.* de diluvio, & de Ieremia ; in vtraſque partes ibo libenter ; ſed fortiſsimè pernego, primam probationem inductam : quoniam tam longè abeſt ab infringendo Prophetias de Chriſto, conſtabilire priùs ſenſum litteralem planè cohærentem menti Scriptoris Canonici ; quin potius hic ſit modus ſolidior, planior, & magis biblicus eas doctè fundandi, & corroborandi. Quod patet pervias ambas biblicè argumentandi contra Iudæos vltro ſupra ſuſceptas. Primo per primam : Quia ſi de allegoria ſumendum eſt argumentum ; hoc profectò protinùs claudicabit, niſi ad mentem Scriptoris Canonici plana hiſtoria, & littera tota ſibi cohæreat, ac præfundetur ; quod ſecus accideret, ſi ſolemnes illæ promiſsiones factæ ad Iſraelem ſine fundamento litteræ traherentur in allegoriam ; & quæ erant Iudæ dumtaxàt ſervarentur ad litteram. Secundo etiam per ſecundam : Quia ſi intentum eſt ponere duplicem ſenſum litteralem alterum ex mente Spiritus Sancti, alterum ex mente Scriptoris Canonici, ſemper debet hic prior ſalvari, & totus contexi, ſemper ac poſsit, eò quod ex Aug. latiſsimè in quæſt de diluvio, eadem verba Scriptoris ſerviunt ſimul duplici conceptui, alteri exiſtenti in mente ſcriptoris, qui ſemper debet ordinate, & rationabiliter fluere ; alteri penès Spiritum Sanctum. Ponere autem ſaltus

quoſ-

quoſdam interciſos de figura ad rem figuratam eſt quidem ſanum, ſanctum, catholicum, perutile, & mille, vt ita dicam articulis, retinendum, quoties id eſt ita neceſſarium, vt nulla lux affulgeat aliunde, litteram concinnandi; ſecùs verò, neque eſt rigidioris, neque nobilioris interpretis. Ad ſecundam ergo probationem. Dico, ipſam cohærentiam ad locum Apocalypſis ſemper integram remanere, ſivè in ſenſu ſecundo litterali, ſivè in ſenſu allegorico, vt nuper explicui. Ad tertiam. Repono noſtro Riberæ, Salmanticenſi, meum Sanctium Venerabilem Complutenſem aientem vbi ſuprà: *Quia revera ex decem tribubus ab exilio redire quàm plurimi: quod tenent omnes fermè DD. & PP.* Qui inſuper nobiſcum adfert Doctores Hebræos, Zachariæ 8. *num.* 32. Non erit ergo cur ambo iſti PP. mihi ſanè dulciſſimi, & doctiſſimi anteſignani, non ſibi dent vtrimque manus ſub ſancto fœdere, nec ruituro, neque rumpendo.

13 Obiicies quarto. Textus à nobis allegati ſalvari poterunt per plures de decem tribubus venientibus ad Iuda ante captivitatem, ſcilicèt temporibus Aſa, & Ezechiæ, 2. *Paralip. cap.* 11. & 15. & 30. ergo non poſt illam. Ad hoc argumentũ reſpondeo negando antecedens. Quia id non permittunt textus. In primis ille celebris ex Tobia: quia manifeſtè loquitur poſt captivitatem. Deinde neque Ieremiæ 3. Ezechielis 37. vbi dicitur, venturas ſimul de diſperſione Iudam, & Iſraelem: captivitas autem Iudà fuit longè poſt captivitatem Aſſyriam: quare licèt multi ante illam tranſiſſent; etiam multi redivere poſt illam, ſimul cum Iuda ad terram promiſsionis.

14 Ad Calcem obſerva primo. Quod Samaritani qui tempore Chriſti vocabant *Patrem ſuum* Abraham, non erant Iſraelitæ de decem tribubus; ſed gentes tempore captivitatis Aſſyriæ illuc translatæ Reg. 4. 17. monſtroſa falſarum Religionum varietate inconſtantes; & etiam Iudaica, cum ſibi expediret, ſimulantes; propterea-que ſummopere Exoſi Iudæis, qui non coutebantur Samaritanis. Obſerva ſecundo. Eos Iudæos, qui tempore Chriſti, & Apoſtolorum de alijs tribubus reperiebantur, faciliùs componi in noſtra ſententia reditum ponente quemcumque; cum tamen id in ſententia contraria Ribera ipſe fateatu eſſe difficiliùs. Obſerva tertio. Quod ſi præter obiecta, & ſuprà tacta aliquis textus obijciatur præſertim ex Prophetis, vbi dicatur de decem tribubus nullam factam fuiſſe liberationem, diſtinguendum eſſe: & concedendum in ſenſu denotante liberationem directam, ſolemnem, pleniſsimam, comparativam & frequentiori modo loquendi vſurpatam; negandum autem de liberatione vere tali, & abſoluta abſoluteque adimpletiva reditus totalis earum. Rurſuſque ad quemlibet textum obiectum poteris ibi reſpondere: *Sub ſenſu debito, & cohærente cum alijs plurimis, quos pro nobis dedimus.* Concedo: *Aliter.* Nego. Obſervatio 4. Eam interpretationem, qua receptiſsimum eſt inter DD. Catholicos, Prophetas interdum in verbis ſuis dum loquuntur de Chriſto, ſaltus dare de figura ad figuratum (præterquamquod vt ſupra debet intelligi) facilius admitti poſſe, ac debere in Prophetis illis, qui loquuntur, & quando loquuntur, ſermone quodam interciſo, & variante, prout Spiritus Sancti dabat eloqui illis; non autem ita facilè truncatio ſenſus inſerenda eſt, dum alluditur ad hiſtoriam: namque tunc, adhuc ipſa hiſtoria completa, & non manca, longè melius reſultat intentum propheticum de Chriſto. Cuius ratio eſt, quia ſemper ac ſalvetur, prophetiam de Chriſto etiam in ſenſu litterali ibi traditam eſſe; non poteſt plus intendi. Atqui vt per veram litteram prophetia eliciatur debet ipſa res vel factum præintelligi, vt

absolutè significet: quatenùs in hoc sensu secundo litterali ab Spiritu Sancti præintento ad prophetizandum, significatio non solum fit per voces, sed etiam per res ipsas. Ergo,&c. Præterea nota hunc modum interpretandi ad revincendos hæreticos,& Iudæos parciùs esse vsurpandum, eo quod ipsi eum tanquam arbitrarium à Catholicis cavillentur, & per eum, quasi pro libito facta, & verba discerpi, vt prophetia intenta eliciatur. Inter Catholicos vero hic modus est planè solemnis præsertim pro locis dogmaticis retinendis, & etiam ibi, vbi nulla alia suppetat plana via emergendi. Observatio 5. Quod Tostatus *Deuteron.* 12. *q.* 5. fusè tradit, Arcam postquam venit in Philistæos, separatam fuisse à Tabernaculo, mansisseque vtrumque in distinctis locis, quos ipse recenset. Quod hic licèt minime est necessarium; tamen scitu non est inutile, vbi occasione Samaritanorum adorantium in Monte Garizim diseritur: *An liceret sacrificare præter loca Santuarij?* Observatio 6. In hoc cap. Oseæ de quo disserimus occurere locum salebrosum de vxore illa fornicaria, quæ iussa fuit sumi ab Osea. Circa quam, licet multi sentiant, ibi sermonem esse de muliere prostituta, atque meretricia,vt ego etiam sentio; tamen alij apud Cornel. putant esse Scripturæ toti valde consentaneum. Dicere, ibi sermonem esse de muliere Gentili, & idolatra: quod vitium in Scripturis dicitur *fornicatio.* Iubere autem Deum interdum hæc matrimonia, vel approbare etiam in Scripturis passim est pervium, vt in Sanssone, Davide, Salomone, Booz, &c. V. tamen Oseæ *cap.* 3.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

NUNQUID VIDISTI QUÆ FECERIT AVERSATRIX Israel? Ieremiæ 3. vers. 6.

ARTICULUS.

VTRUM DECEM TRIBUS, QUÆ DIVISÆ SUNT IN ISRAEL fuerint vere hæreticæ?

NOTABILIA.

1 SUppono 1. Intentum Prophetæ Ieremiæ in eo *cap.* 3. esse exponere verbis dulcissimis, & propria quadam amantis eloquentia proponere Iudæis teneritudinem amoris, quo Deus satagit Iudæos ad se toto corde pertrahere,vt tandem sub Iosia Rege ita effectum est. Ad quod vtitur duplici exemplo vtroque efficacissimo, altero, videlicet de libello repudij vt, nimirum, licèt alioqui vxor dimissa per libellum, & fornicationi dedita, rursus non admittatur; tamen ea Deum esse benignitate

nitate erga Iudam, vt quamvis hæc fornicatum ablerit cum amatoribus multis; eam tamen, si rediret, paratissimus ipse obvijs vlnis complecteretur. Altero insuper exemplo Decem tribuum Israel, quæ post divisionem mox referendam vocati sunt *Israel* ad differentiam duarum tribuum, remanentium cum Roboam, quæ vocabantur Iuda; & has ambas partes populi Iudaici sub metaphora fororum Deus ipse blandè compellans, atque Israelem, vt Aversatricem; Iudam vero vt prævaricatricem obiurgans, sic per Ieremiam alloquitur *v. 11. Et dixit Dominus ad me: iustificavit animam suam Aversatrix Israel comparatione prævaricatricis Iudæ.* Vbi Interpretes perscrutantur: *quo discrimine correspondentiæ erga Deum altera Aversatricis, altera verò prævaricatricis nomen acceperit?* Cumque hoc punctum inde maximè dilucidandum sit: an & quo modo in tribubus post divisionem religio vera permanserit? cùm dubitari non possit, quòd vera religio, & templum permansissent in Iuda; id circo in præsentiarum hæc quæstio instituitur.

2 Suppono secundo. Ad maiorem claritatem, tùm eorum quę dicta sunt, tùm etiam eorum, quæ sunt infrà dicenda, enarrari debere summatim divisionem factam in regno Israel tempore Roboam filij Salomonis, quæ contigit hac occasione. Aggravaverat quidem Salomon tributis populum suum, quorum relevationem à Roboam filio Salomonis populo enixè deprecante, ipse, re cum senioribus acta, qui onera sublevanda censuerant; ad immatura iuvenum consilia deflectens, ea sancivit non immutanda. Quo decreto statim populus indignari, moveri, desciscere custodem Regium interimere, ac tandem Ieroboamum multa frequentia Regem Israeliticum salutare. Roboamus interim coactis reliquis, tantùm propter Semeiam Prophetam destitit à præliando. Ieroboamus vero malefirmum sibi ratus fore regnum illud, quod tam inconstanti, & tumultuaria acclamatione erat partum; prætereaque animadvertens facilè discisas partes in vnum redituras, si ad templum Ierosolimitanum populus de more itare deberet; novum ipse templum, novos Deos, nempe, aureos vitulos, nova Sacra, & Sacerdotes instituit, quibus populus ab avita illa sua religione revocaretur: in qua quidem rebellione tam secunda cum eo fuit sors rebellantium, vt de duodecim tribubus, de quibus regnum Israel integrum resultabat, præter Tribum Iuda, & Beniamin, quæ fideliter cum suo Rege legitimo permanserunt, reliquæ decem tribus ipsi se subiugarunt; vnde manavit duplex iam regnum alterum *Iuda* quod per Roboam, eiusque successores traductum est vsque ad Sedeciam, quo tempore contigit celebris illa captivitas Babylonica: Alterum verò vocatum exinde Regnum *Israel* traductum de Ieroboam per successores vsque ad Osee Regem Israel, cuius tempore incidit plena illa captivitas Assyriorum, per quam omnes decem tribus abductæ fuere in Assyrios. Quæ ita contigit. Priusquàm regnaret Osee iam quinque tribus abductæ fuerant à Samaria in Assyriam. Vnde ille initio Regni, armis non fidens, vltrò Salmanasari Regi Assyriorum reliquas tribus vectigales fecit, quousque auxilio Regis Ægypti fretus, & bello indicto superatus est à Salmanasare, & iniectus in vincula, ac tribus quinque reliquæ perpetuo exilio ad Civitates Medorum sunt relegatæ. Quæ tertia, & postrema captivitas Regni Israel quæ novem annis fuit secunda posterior (illa nimirum vltronea initio Osee) incidit iuxta Tyrinum anno 6. Ezechiæ, & centum, & triginta ante Babylonicam captivitatem. Ex quo tempore intercurrente clarescit quomodo licèt Rex Assyriorum possideret Babylonem, alia fuerit captivitas Regni Israel apud Assyrios, alia vero Regni

Iu-

Iudæ tempore Sedeciæ apud Babylonios. Namque eo medio tempore defecerunt ab Assyrijs Medi sub duce suo, & Babylonij sub Merodac: itemque Ezechias ferè sub idem tempus de Assyrijs transtulit fœdus suum ad Merodachum, & Babylonios: vnde non erat Babylonia iam apud Assyrios multis retrò annis, quando eius celebris captivitas contigit.

3 Suppono 3. Quòd licèt decem tribus defecerint à Roboam, & adhæserint Ieroboamo; tamen multi de decem tribubus non sunt sequuti Ieroboam vt obseruavit noster Gaspar Sanchez *lib. 3. Reg. cap. 11. num. 29.* & P. Christophorus de Castro in Ierem. *cap. 3. v. 6.* nam(præter plures de ordine Leviticò) etiam dicitur in textu 3. Reg. *cap. 11. v. 16.* multos ex eis veræ religionis amore compulsos ad sacrificia Ierusalem rediuisse, & Regnum Iuda corroborasse. Imò Abulens. 4. Reg. *cap. 25. quæst. 10.* manifestè ait, Regem Assyriorum in hac postrema captivitate non omnes Ciuitates Regni Israel ocupasse, cum multæ mansissent de Tribu Ephraim, & Manasse, & de Simeon, & Neptali 2. *Paralyp.* 34. In Regno verò Iuda manserunt vtique duæ illæ Tribus Iudâ scilicèt, & Beniamin. Vbi cum 3. Reg. *cap. 11. vers. 31.* dixerit Ahias Propheta: *Ecce ego scindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus: porrò vna tribus remanebit ei*; & cap. 12. v. 20. *præter Tribum Iudæ solam*; & 4. Reg. 17. *non remansit nisi Tribus Iuda tantummodò*; nonnulli meritò cespitant, eò quod nodum videant esse difficilem, quem tamen Sanctius noster eruditè discindit, probans ex libro Iudicum 20. & 21. quomodo Tribus Beniamin propter immane scelus fama, & numero cecidisset, ita vt nomen non mereretur; & Saul ipse, quia ex ipsa Tribu, Regnum recusaret. Vnde Tribus Beniamin sub nomine, & numero Tribu Iudæ tunc celebrioris reputabatur. Quod nomem *Iudaicæ* Tribus etiam ad alias præter Beniamin fiebat commune, tum ad plures de decem tribubus venientes ad Ierusalem ante captivitatem Assyriam. Tum quia omnes tribus finito exilio à Tribu Iuda vocandi erant *Iudæi* de quo Gasp. Sanchez, Osee 1. *vers. 11.*

4 Suppono 4. Id quod notat oportunè Castrius, noster Complut. in hunc locum, scilicèt sermonem esse de decem tribubus ita diuisis vsque ad captivitatem tempore Oseæ nuper relatam, de quibus loquitur Ieremias non tamen de Samaritanis: qui à tempore Esdræ vsque ad Christum propriam hæresim suscitarunt, Iudæis speciatim nimis exosam, eo quòd admissa circumcisione, templum Ierosolimitanum, & Pontificem repellebant, & in templo Garizim adorationem fieri conabantur: quæ constare videntur Ioan. 5. Ecclesiastici 50. *v. 28.* & ex Aug. contra Cresconium *lib. 1. cap. 31.* Et Iosepho *lib. 12. Antiquitatum cap. 1. ad finem, & lib. 13. cap. 6.* Imò etiam de populo illo Israelitico durante vsque ad Regem Oseem non dubitatur, quin viri erga Deum fidelissimi permansissent vt Tobias, Elias, & Elisæus, & illa hominum septem millia, quæ non curvaverunt genua ante Baal; sed hic quæritur. *An populus ille, in vniversum acceptus, ad idola ita deflexerit, vt veram religionem despexerit ab illaque apostataverit?*

5 His positis duplex in hac re videtur posse recenseri sententia. Prima asserit. Per hanc diuisionem decem tribuum solum Regnum Israeliticum diuisum fuisse, non vero religionem ipsius, proindeque, & apud eas adhuc diuisas sub Ieroboam veram religionem perseverasse. Huius sententiæ patronus singularis est D. Aug. varijs in locis præsertim *lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 21.* & in breviculo collationum collatione 3. diei *cap. 9. & lib. contra Donatistas post collat. cap. 20.* Pro qua sententia lustratis aliquibus in-

interpretibus vix eſt vllus quem ſciã: Licèt enim P. Iacobus, Tyrinus *lib. 4. Reg. cap.* 17. loquendo de illis in ſummario dicat, quod Idolis ibidem, & ſimul Deo ſervirent; tamen rem videtur trahere ex vna parte ad Samaritanos illos poſt tempora Eſdræ de quibus nos non loquimur, & ex alia licèt eos ponat Pentatheucum, & Sabbata recipientes; nihilominus tùm ibi falſo cultum taxat; tùm quia Ierem. 3. manifeſtè ſtat pro eorum perpetua rebellione, & apoſtaſia. Melius poteſt pro hac re quodammodo citari Abulenſ. tùm apud Tyrinum 3. Reg. *cap.* 12. vbi ſubſtinet, licuiſſe Iſraelitis hoc ſchiſma facere, nedum ex Dei decreto manifeſtato per Prophetam Ahiam, ſed propter tyrannidem ipſam Roboami: Tum quia, *lib. 4. Reg.* ſubſtinet, Iſraelitas apud Aſſyrios nihil plus habere captivitatis, quàm prohibitionem de reditu in patriam ſuam ne rebellarent; de cætero vero planè liberos vivere. Ex quibus legitime infertur tales tribus nihil minus quam à vera religione Apoſtatas extitiſſe. Secunda ſententia tenet eas tribus vniverſim loquendo defeciſſe à vero cultu Dei, ab eoque, & Hæreticos, & Apoſtatas extitiſſe. Quæ eſt ſententia communis Interpretum in hunc locum Ieremiæ, vt ſunt P. Cornel. Alapid. P. Gaſp. Sanc. P. Chriſt. de Caſtro, Michael Ghislerius, & ex PP. eam tenent Hieron. Theodoret. Iſidor. Raban. imò, & citatur etiam Aug. *lib. 17. de Civitate Dei cap.* 23. Quos PP. congerit Caſtrius in hunc locum Ieremiæ.

6 Dico igitur illas decem tribus in communi, & à poſteriori loquendo verè Hæreticos, & Apoſtatas fuiſſe à cultu veri Dei; ſecùs autem à priori, & per ſe loquendo. Probatur 1. primam partem; poſtea probaturus ſecundam, & quidem primo ex Sacro textum: tùm ex verbis *lib. 4. Reg. cap.* 17. vbi dicitur 22. *Et ambulaverunt filij Iſrael in vniverſis peccatis Ieroboam quæ fuerat, & non receſſerunt ab eis, vſquequo Dominus auferret Iſrael à facie ſua, ſicut locutus fuerat in manu omnium ſervorum ſuorum Prophetarum: translatuſque eſt Iſrael de terra ſua in Aſſyrios vſque in diem hanc.* Sed hæc verba manifeſtè dicunt Iſraelitas ſequutos Ieroboam moribus eius idolatricis ita perpetuo adhæſiſſe, queuſque ipſe quoque Deus averſaretur Iſraelem ſui averſatricem: ergo à vero Dei cultu diſceſſerunt. Maior probatur ſecundo. Ex verbis Eccleſiaſtici *cap.* 48. *v.* 15. vbi loquendo de Elia, & Eliſæo dicitur: *In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt. In omnibus iſtis non pœnituit populus, & non receſſerunt à peccatis ſuis, vſquedam eiecti ſunt de terra ſua, & diſperſi ſunt in omnem terram.* Atqui populum non pœnituiſſe eſt, quaſi de communi ſectatum fuiſſe Apoſtaſiam à vero cultu Dei: ergo, &c. Minor patet. Quia quamvis in alijs peccatis ſit frequens diu hærere in eis, imò, & perire finaliter, quin deſeratur vera religio, & fides, proindeque ibi ſit multa, & longa iniquitas; non tamen infidelitas, & apoſtaſia; non ita eſt in peccato Idolatriæ, in quo etiam per primum vera infidelitas, & apoſtaſia contrahitur. Atqui huiuſcemodi erant peccata Ieroboam, in quibus ipſi eum ſectabantur vt patet *lib. 4. Reg. cap.* 17. ergo, &c. *Confirmatur*, nam de Regibus Iſrael omnes fuerunt impij, & imitatores Idolatriæ Ieroboam, vt patet ex libris Reg. & Paralyp. ſed gens illa, & tribus, quæ ab exordio ſuę diſceſsionis ſequutæ fuerunt Idola Ieroboam, vt patet ex verbis ſupra dictis, veriſimiliter in ijſdem moribus verſati ſunt cum Regibus ſuis, loquendo ſaltem de populo in vniverſum: ergo hæretici facti ſunt, & apoſtatæ toto illo tempore captivitatis. Dixi loquendo *in vniverſum*: quia de populo ſic ſumpto eſt noſtra quæſtio. Probo tertio eandem primam partem, & ſic probat Caſtrius. Quia Regnum Dividis diſcindi non

poterat ſine veræ religionis diviſione : ergo illæ decem tribus, quæ aſperitate Roboam tentatæ ſunt, ſectæ ſunt, & hereticæ factæ. Antecedens patet. Tùm quia erat opinio conſtans apud Iudæos, vt teſtatur Chriſtophorus Caſtrius. Tùm quia ideo dicitur *Pſalm. 77. verſ. 67. & 74. Et repulit Silo tabernaculum ſuum, vbi habitavit in hominibus... Et repulit tabernaculum Ioſeph, & Tribum Ephraim non elegit, ſed elegit Tribum Iuda Montem Sion quem dilexit* : Tùm quia extra templum à Deo electum 3. *Reg.* 9. & 2. *Paralypom.* 7. offerri ſacrificia non poterant ex *Levit.* 17. & *Deuteron.* 12. ergo idem erat ſeparari à David à Ieruſalem, & à templo, quod à vera religione ſeparari.

7 Probatur eadem prima pars ſecundo ex PP. ſcilicèt Hieronymo in hunc locum ſic aiente ſub figura duarum ſororum: *Priorem averſatricem, ſequentem pervaricatricem vocat, illa enim Deum penitus averſata eſt, ſtatim adoratis in Dan, & Bethel vitulis aureis: iſta autem apud quam erat templum, & veri Dei religio imitatione germanæ paulatim receſſit à Domino, & idcirco, & prævaricatrix dicitur.* Ex Theodoreto *Ierem.* 3. *Apertam fornicationis, ideſt, Idolatriæ accuſationem peregit.* Deinde pluribus docet non exhorruiſſe ſororis, ideſt, Iſraelis impietatem, licèt interitum eius perſpiceret. Atqui penitus averſari Deum per Idolatriam, & tandem per eam venire in interitum, non poteſt non eſſe conſummata Hereſis, & Apoſtaſia à Deo: ergo decem tribus quæ vocatæ fuerunt *Iſrael* hæreticæ factæ ſunt, & apoſtatæ in tali diviſione. Probo iam ſecundam partem concluſionis, ſcilicèt: *Quod per ſe, & à priori non fuit facta Hæreſis, & Apoſtaſia à religione.* Primo. Nam per ſe, & à priori eam factam fuiſſe in tali diviſione ſtaret in eo, quod ex intentione deſerendi religionem directa, vel indirecta facta fuiſſet talis diviſio decem tribuum ; ſed revera ita facta non eſt: ergo, &c. Maior patet, quia ly. *per ſe* in cauſis moralibus, & rationalibus denotat talem intentionem ſaltem indirectam. Minor probatur. *Quia in primis non ex intentione directa* deſerendi cultum Dei : Tùm, quia hæc nullibi conſtat; tùm, quia expreſsè conſtat de cauſa diverſa, ſcilicèt exactio crudeliſsima Roboami : tùm quia talis intentio perſuaderi non poteſt, neque eſt locus vnde convincatur. *Deinde non intentione indirecta* : ergo, &c. Probatur minor. Intentio indirecta in eo ſtaret quod ſe ſepararent à Roboamo cum cognitione de eo quod ſimul cum defectione, verus Dei cultus retineri non poſsit. Sed ita non ſunt ſibi perſuaſi : imò fundamentum eſt de perſuaſione contraria : ergo, &c. Probo minor. Quoad primam partem poſtea quoad primam. Si aliquod fundamentum eſſet ad eam perſuaſionem maximè; quod Ieroboam cui adhæſerant etiam à religione deſciſceret, vt patet 3. *Reg.* 12. *v.* 28. ſed hoc non probat : Tùm, quia id fecit longè poſt quàm acceſſerunt ad eum: Tùm, quia non eos cogebat, ſed vehementiſsimè invitabat in ſua erectione altaris, & ſacrificij, quam Deus fregit coram omni Iſraele, Ieroboami manu penitùs areſcente, ipſoque Prophetam Dei venientem de Iuda multis deprecante, vt conſtat ibi *cap.* 13. ergo quia ſicut Deus videbatur ibi non deſerere populum ſuum, dum ſic admonebat; ille omninò à cultu Dei ſaltem per ſe & ex animo non apoſtataverat, ſed tantum vehementi illa tentatione Ierobami pulſante, ad idola ſe convertebant. Vbi eſt non inutiliter obſervandam quàm preſtò veniant ſcelera poſt malum facinus. Probo ſecundam partem. Quia in primis ex ſupra dictis conſtat quod plures de decem tribubus vero Dei cultu permoti redibant in Ieruſalem vt ſacrificarent. Deinde inter ipſos inventi ſunt Prophetæ, & viri ſancti vt Elias, & Eliſeus, & Thobias qui etiam poſt captivitatem Salma-

manaſſaris fuit vir bonus, & rectus: Itemque recenſentur illa ſeptem millia, qui non curvaverunt genua ſua ante Baal. Atqui ex his conſtat talem defectionem non fuiſſe à Dei cultu: qui alioqui periſſet ſaltem ita, vt tam ſolemniter, & tandiu non vigeret atque duraret: ergo, &c.

8 Confirmatur primo *ex lib. 4. Reg. cap. 17.* vbi conſtat quod facta captivitate huius Iſraelis per Aſſyrios, & miſsis ad eorum Civitates incolis pro filijs Iſrael, qui incolę Dominum non colebant; ſtatim immiſſa eſt vaſtatio per leones; quam vt averteret Rex Aſſyriorum, miſit de captivis vnum de Sacerdotibus cultoribus veri Dei, qui eos inſtitueret quomodo colendus eſſet. Sed hæc manifeſtè ſuadent, quòd toto tempore diviſionis penè ad tria ſæcula vera religio ibi conſervata eſt: ſiquidem propter huius cultus defectum immiſſa eſt plaga; & ad eam avertendam reductus eſt cultus: ergo, &c. Confirmatur ſecundo. Quia *ex 3. Reg. 18. & 19.* conſtat non ſolum quod Elias erexerit altare, ſed quod dabantur multi Prophetæ Domini in Samaria iuxta illa verba: *Abdias autem timebat Dominum valde, nam cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abſcondit eos quinquagenos in ſpeluncis, & pavit eos pane, & aqua* (Quibus occultis dicitur poſteà ſolus Elias *cap. 19. v. 14.*) Atqui vbi eligebatur altare, vbi erant tot, & tales Prophetæ, vbi ipſe diſpenſator domus Regiæ qui erat Abdias timebat Dominum valde; vbi multi ſequebantur Deum, & multi Baal (vnde dicebantur claudicare in duas partes) vbi tandem viſo igne de Cœlo in ſacrificium Eliæ, omnis populus (ſcilicèt ibi præſens) confeſſus eſt Dominum; & interfecit Prophetas Baal, vt conſtat *cap. 18. v. 39. & 40.* magna ex parte vera religio regnabat in Iſrael, vel ſaltem ex corde totius Iſrael non erat penitus avulſa, & execrata: ergo, &c. Confirmatur tertio, ex verbis Oſeæ *v. 11.* vbi dicitur: *Et congregabuntur filij Iudæ, & filij Iſrael pariter, & ponet ſibi caput vnum*: In quibus verbis iuxta ſententiam noſtram alibi defenſatam non ſolum de captivitate Babylonica, ſed etiam de captivitate Iſraelita ſunt ſub Zorobabele plures de omnibus tribubus qui exinde omnes cognominati ſunt Iudæi. Vnde ſic conficitur argumentum. Non credenda eſt facta vera diſceſsio à cultu Dei, veraque Apoſtaſia in illis tribubus, quæ ſtatim ac ſe dedit occaſio, ſe receperunt in Ieruſalem, templum atque Pontificem. Sed ita factum eſt prout à nobis alibi oſtenditur, & fuſe probatur: ergo de primo ad vltimum licèt vniverſim loquendo verum ſit, quòd decem illæ tribus à vero cultu Domini defeciſſent, nihilhominus per ſe, & totaliter atque finaliter non defecerunt.

9 Obijcis primo. Vba D. Aug. *lib. 17. de Civitate Dei cap. 21.* vbi dicitur: *Cum voluiſſet Roboam tanquam tyrannidem diviſæ illius partis bello perſequi; prohibitus eſt populus pugnare cum fratribus ſuis, dicente Deo per Prophetam, ſe hoc feciſſe. Vnde apparet, nullum in ea re vel Regis Iſrael, vel populi fuiſſe peccatum, ſed voluntatem Dei vindicantis impletam: qua cognita pars vtraque inter ſe pacata conquieuit. Non enim religionis ſed regni facta eſt diviſio.* Ex quibus ſic. Hæreſis, & Apoſtaſia non fit ſine diviſione religionis, & cum Domini voluntate. Sed vt conſtat ex verbis ſuperioribus voluntas Domini interceſsit in ea diviſione, & hæc non fuit quoad Religionem; ſed quoad ſolum regnum: ergo, &c. Confirmatur ex eodem S. Doctore *lib. de Vnitate Eccleſiæ cap. 3.* vbi loquens de Iſraele, & Iu-
„ da ſic ait. Nec huius tamen, vel illius
„ peccata obfuerunt iuſtis, qui, & hic,
„ & illic fuiſſe inveniuntur. Nam in Iſ-
„ rael fuere Sancti Prophetæ: ibi erat
„ Elias, & Eliſæus, & illa ſeptem millia
„ quæ non curvaverunt genua ante
„ Baal. Ideo nequaquā pars illa populi
„ tan-

„tanquam hæresis fuisse deputanda „est. Deus enim eadem tribus iusserat „separari, non vt religio, sed vt Reg„num divideretur, & hoc modo vindi„caretur in Regnum Iuda. Deus autem „nunquam iubet schisma, vel hæresim „fieri. Quo nihil clarius dici potest: ergo, &c. Ad hoc argumentum resp. distinguendo maiorem. Vbi nulla est divisio religionis, & adest positivum beneplacitum Dei. Concedo maior. vbi solum deficit divisio directa, & formalis, non tamen deest aliqua verè talis, & simul voluntas Dei solum se habet permissivè. Nego maior. & disting. respectivè minor. Nego consequentiam. Cuius solutionis ratio à priori, vt quoàd fieri possit temperentur, & accomodentur verba tanti Doctoris, est textus expressus Sacræ Scripturæ *lib.* 4. *Reg. cap.* 17. *v.* 21. vbi dicitur: *Ex eo iam tempore quo scissus est Israel à domo David, & constituerunt sibi Regem* Ieroboam *filium Nabat: Separavit enim* Ieroboam *Israel à Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum.* Qua propter non omninò admitti possunt superiora verba Aug. dicentis nullum in Israele peccatum interveniisse; possunt tamen quoad præcipuum intentum D. Augustini magna ex parte salvari, & quidem cum multo fundamento in Sacris litteris supra tacto, vnde tanctus Doctor non sit deserendus. Itaque peccatum populi deficientis ad Ieroboam negari non potest propter verba à nobis relata: ex alia vero parte negari etiam non potest Providentiam, & voluntatem Domini interveniisse, vt constat 3. *Reg.* 12. vbi admonitus fuit Roboam per Semeiam ex ore Domini loquentem, ne persequeretur Israelitas *à me enim factum est verbum hoc ait Dominus. Audierunt sermonem Domini, & reversi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus.* Quæ ergo voluntas Domini concedi potest plusquam pura permissio, ea, nimirum, que iuxta altissimos eius fines relucet in permissione peccati? Quare neque videtur posse componi quod indicat Aug. *in lib. de Vnitate Ecclesiæ*, quod scilicèt talem defectionem iusserit Dominus: nam hoc iam esset voluntas beneplaciti, & positiva. Quamobrem vt cuncta, quæ huc faciunt meliùs cohæreant, nempe tàm decantata Apostasia decem tribuum, tàm expressum placitum Augustini, tàm crebra argumenta veri cultus Dei permanentis post divisionem iam factam; opinor ipse, Dominum ideo dixisse *à me factum est verbum hoc*, quatenus hoc factum non erat nisi adimpletio verbi sui prophetici quo capite antecedenti *vers.* 11. prædixerat Salomoni Regnum esse scindendum. In quo sensu non arguitur voluntas in Deo quæ excludat peccatum intervenire, sed solum voluntas vindicativa, quæ passim expletur multis hominum peccatis intervenientibus, veluti cum regnum aliquod in vitia declinans bellis etiam iniquis, & crebra hostilitate mulctatur.

10 Quoad divisionem vero à cultu Dei censeo, eam quidem vniversim loquendo, verè evenisse; non tamen per se, & ex ipsa divisione regni: quod est præcipuum intentum Aug. ita vt illa divisio regni, prout talis, neque formaliter hæresis esset neque Apostasia, sed solum occasionaliter; quatenus adhærebant Ieroboamo: & hic postquam regnum tale sibi paraverat, timens ne occasione cultus Dei ad suum Regem legitimum dilaberentur; eos quasi illicio quodam novi altaris, & sacrificij detinere studebat: quod obtinuit in plurimis; non tamen eos cogebat neque defectionem ipsorum suscepit sub fædere idolatrandi; quod opus erat vt illa discessio vt talis per se, & formaliter esset hæretica. Fulciunt hæc verba sequentia 3. *Reg.* 12. *v.* 26. *Dixitque* Ieroboam *in corde suo: nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini in* Ierusalem, *& convertetur cor populi huius ad Dominum suum* Roboam Re-

Regem Iuda, interficientque me, & revertentur ad eum. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: nolite vltra ascendere in Ierusalem. Vbi nota quod ly *nolite ascendere* non erat coactivè, sed hortatorie: siquidem etiam post annos plurimos, & strictiorem captivitatem inter Assyrios dicitur de Tobia 1. 5. *Denique, cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israel; hic solus fugiebat consortia omnium; sed pergebat in Ierusalem ad Templum Domini... Hæc & his similia secundum legem Dei puerulus observabat; & tamen Salmanasari placebat.* Vnde patet, stare posse verba Aug. quatenus, dum negat peccatum; videtur esse de hæresi communi, & formali in ipsa defectione interveniente. Et inde patet ad confirmationem. Atque ea quæ modo dicta sunt satis clarè firmari possunt ex verbis Tostati 4. *Reg. cap.* 25. *quæst.* 16. vbi loquens de captivitate Babylonica, & dicens eam eiusmodi esse, vt in cæteris omnino essent liberi, nisi quod in terram suam redire interdicerentur, prosequitur: *Sic etiam fuit de decem tribubus translatis in Assyrios: quia non fuerunt subiectæ servituti Assyriorum, sed data est eis terra ad colendum, & colebant eam pro se.* Quare si sub iuribus captivitatis ita erant liberi; potiori iure in initio suæ defectionis, qua Ieroboamum elevaverunt, credendi sunt ab ipso non cogi in religionis negotio; quamvis in eo invitarentur. Quoad plures autem Prophetas, & Dominum verè colentes, iam satis diximus sententiam nostram procedere de maiori parte Israelis: quod patet ex eo, quòd illa septem millia, quæ non curvaverunt genua ante Baal sunt, quasi relicta, & residua: quod de parte non solum minore, sed & minima dici consuescit.

11 Obijcies secundo. Regnum Davidis discindi non poterat sine divisione veræ religionis: ergo in ipsa divisione formaliter stabat Hæresis, & Apostasia. Antecedens probatur primo. Ex communi opinione inter Iudæos, vt nos suprà probavimus. Secundo quia *Psalm.* 67. dicitur repulsa Ephraim, quo nomine appellari solent decem tribus; & tribus Iuda electa. Tertio. Quia nullibi præterquam in Templo Ierusalem licebat Sacerdocium, & sacrificia, vt constat *Levitici* 17. *Deuteronimij* 12. 3. *Reg.* 9. 2. *Paralyp.* 7. Quare excelsa illa de quibus passim libris Regum *excelsa non abstulit* erant loca ad sacrificandum vero Deo, quæ erant prohibita: ergo inde discedere, erat formaliter, & per se à religione apostatare. Ad hoc argumento respondeo, distinguendo antecedens: *Occasionali* aut *formali*. Concedo antecedens: præcisè *formali*. Nego antecedens, & nego conseq. Itaque iuxta superiores doctrinas verum est, non nisi cum magno fundamento percrebuisse inter Iudæos opinionem illam, de eo quòd deficientes à Regno Davidis deficerent à vera religione, quatenùs cum illi adiunctum fuerit verum Sacerdotium, & Arca Domini vbi sola existebat verè religio; ægrè poterant, qui inde discederent, in aliud dominium transire vbi Religionem diu conservarent: non secùs ac nos ritè opinamur eos qui ex dominio Europæo ad Asiaticum, vel Africanum transirent citò à Religione Catholica defecturos, quamquam id non haberent in animo, sed solum temporaria subiectione alteri Domino se mancipare rent. Vnde ea opinio inter Iudæos vera vtique fuit, sed nobis non nocet. Ad secundam probationem resp. Illas repulsas tabernaculi in *Silo*, & tabernaculi Ioseph, & Tribus Ephraim præ electione Tribus Iuda, quamquam in hunc finem adducantur à nostro Castrio pererudito, propterquem in priori parte nostræ sententiæ ea quoque ipse cooptavi; nihilhominus ex Cornelio Iansenio *in Psalm.* 77. & ex ipsa littera eiusdem Psalmi aperte constat, ibi sermonem non esse nisi de habitatione fixa tabernaculi, & Arcæ ita vt Tri-

bus Ephraim, ibi repulsa, non sumatur pro Israele seu decem tribubus vt alias in libris Reg. vsurpari consuevit, sed pro ipsa solitaria Tribu Ephraim: Siquidem *Silo*, vbi fuit Arca Domini, priusquam capta fuisset à Philistæis, erat in Tribu Ephraim: cumque ipse Ephraim fuisset quoque filius Ioseph, inde per varios modos, & modulos cecinit David gloriam illam suam dicens, & repulit tabernaculum in *Silo*, & repulit Tabernaculum *Ioseph, & Tribum Ephraim non elegit, sed elegit Tribum Iudæ, Montem Sion quem dilexit.* Vnde ait Iansenius: *Sprevit familiam Ioseph, & tabernaculum illud antiquum, in quo prius in Silo in sorte Ephraim habitavit, & Tribum Ephraim non amplius elegit sibi in Arcæ habitationem, neque in regalis dignitatis solium.* Vnde nihil conficitur, ex quo probetur, quod repulsæ fuerint decem tribus, quoad religionem nisi tantum occasionaliter, quatenus deficiebant à regno, in quo facilius poterat retineri vera religio. Quamquàm, & hoc Regnum Iuda quamtumvis ita electum temporibus posteris multa Idolatria quoque prævaricavit: vnde dicitur Iuda prævaricatrix prę Israele aversatrice: quia hæc iugum excusit; secus illa; in negotio tamen religionis in hoc 3. *cap.* Ieremiæ, quasi gravius lapsa increpatur à Domino *v.* 11. per hæc verba: *Et dixit Dominus ad me: iustificavit animam suam Aversatrix Israel comparatione prævaricatricis Iudæ.*

12 Replicabis ex Theodoreto, quod impietas Israelis ad interitum vsque iam tunc videbatur esse perducta. Resp. Ibi sumi interitum quatenus Ieroboam maiores partes Israelis ad idolatriam sua invitatione perduxerat: cumque virus tam intrò manasset, & neque templum esset, neque tutò degerent Prophetæ; videbatur, & re ipsa erat ibi, quasi religionis interitus. Replicabis secundo. Si Abdias, vt antea diximus abscondebat Prophetas quinquagenos, & quinquagenos, ne perirent, fervore persecutionis grassante: ergo libera non erat veri Dei religio: ergo tali dominio se dedidisse apostatare fuit. Respondo distinguendo consequens. *Tempore illo Abdiæ.* Conced. conseq. *Tempore divisionis decem tribuum.* Nego conseq. Nam postquam Ieroboam eiusque successores, idolatrę roborati sunt; veros Dei cultores persequebantur, neque tunc negamus maximam partem Israelis ad idola iam declinasse; sed solum dicimus defectionem decem tribuum non fuisse per se hæreticam; quia non ex intentione divisionis in cultu; nec fuisse totaliter hæreticam: quia semper inter eos Prophetæ, & reliquiæ Domini remanserunt; neque fuisse finaliter Apostatam, eò quod multi ex his tribubus finito exilio tandem simul cum Iuda sub Zorobabele in vnum caput sunt adunati, prout dedimus separata quæstione. Ad tertiam probationem respondeo neg. assumptum. Quia vt constat ex Tostato 3. *Reg. cap.* 12. *q.* 27. in Gabaon *erat altare Domini, & etiam in Tribu Iuda, & Beniamin, vt haberet populus oportunitatem faciendi sacrificia in multis locis.* Atque, licèt nonnulli putent prohibita fuisse excelsa, in quibus verus Deus coleretur, eo quod nullibi præterquam in templo colendus esset; apparet id esse falsum ex verbis Abulensis *Levitici* 26. *quæst.* 15. Quæ verè hic sunt oportuna scilicèt: *Excelsum enim dicitur esse locus vel tabernaculum, in quo Iudæi colebant Deum verum, vel idola, & vocatur excelsum, quia talia loca erant communiter in montibus altis, & propter hoc erant magis suspecta de idolatria; aliquando autem in illis excelsis colebatur Deus verus: aliquando autem colebantur idola: & ideo dicitur de Regibus Iuda, & Israel, quod non destruxerunt excelsa, id est loca, in quibus colebantur idola: aliquando autem vocantur loca in quibus colebatur Deus, & tamen erant separata à sanctuario; & isto modo dicitur Gabaon esse vnum de excelsis, & Hebron. Ista tamen erant loca in quibus colebā-*

batur Deus verus, quoniam David, & multi de Israelitis offerebant in Hebron. Patet etiam hoc quoniam Absalon petijt licentiam à David vt iret ad offerendum hostias in Hebron, vt patet 2. Reg. c. 14. Hactenus Abulens. Atque insuper erecta fuerunt altaria à Samuele in Ramatà 1. *Reg.* 7. & Betheleem 1. *Reg.* 16. à Davide in area Ornam 1. *Paralyp.* 21. Ab Elia in Monte Carmelo 3. *Reg.* 18. & ab Israelitis: quæ destructa queritur Elias: vbi neque erat Arca, nec tabernaculum teste Abulensi *Deuteron.* 12. *quæst.* 5. Vnde non videtur esse, cur negetur, quod posset extra templum etiam Dominus adorari præsertim pro oportunitate, & necessitate, quamquam consultius esset, & magis pium templum adire. Fundamentum verò quod sumitur ex lege *Levitici* 17. & *Deuteron.* 12. *v.* 13. vbi dicitur: *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi.* In eadem ipsa lege satis explicatur infrà 29. 20. *Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua: locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt sit nomen eius ibi, si procul fuerit, occides de armentis, & pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, vt tibi placet.* Ex quibus verbis (quæ expresè fundant diversitatem quando dilataretur Israel, & locus electus esset procul) simul cum factis suprà recensitis de Davide, Samuele, Elia, &c. Infertur verum esse extra Templum, & Sanctuarium alia loca esse posse, in quibus Deus coleretur, vt haberet populus oportunitatem faciendi sacrificia in alijs locis, prout dixit Abulens. *loco suprà citat.* & Deuteronimij 12. *quæst.* 5. *lit. B.* vbi eum vide.

13 Obijcies tertio cum replica. Eatenus concluſio nostra posset sustineri, quatenus etiam extra templum, & Dominium Iuda posset vera Religio servari, sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur minor. Eatenus posset extra templum vera Religio servari, quatenus coli Deus posset per sacrificia in alijs locis, saltem postquam Dominus dilatasset terminos populo suo. Sed hoc est falsum: ergo & quod extra templum, & Davidis Regnum posset conservari vera Religio. Probo min. ex suprà citato *cap. Deuteronomij* 12. *v.* 26. ibi: *Quæ autem sanctificaveris, & voveris Domino tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus, & offeres oblationes tuas carnem, & sanguinem.* Ex quibus arguitur sic. Hic loquitur Dominus in casu etiam quo Israel fuerit quoad suos terminos dilatatus, & propterea ibi, quoad vescendum domi carnibus, indulgentiam præbet. Sed nihilominus ibi præcipit venire in locum electum ad oblationes faciendas: ergo extra sanctuarium, & locum electum Deus coli non poterat. Ad hoc argumentum respondeo negando min. & ad huius probationem rursus negando min. ad cuius probationem, concessa maior. disting. minorem: quoties fieri posset, concedo. Aliter, nego min. Itaque aliud est extra tabernaculum, & templum non posse erigi altaria, & coli Deum per sacrificia; & hoc est falsum, vt suprà constitit; & Deo inspirante, & casu vrgente, tùm per Prophetas, tùm per populum sæpè fiebat: aliud autem quod non deberet habere populus Dei sanctuarium fixum solemnissimum, & capitale suæ religionis quo vniversus populus etiam postquam dilatatus esset (imò & ideo) statis temporibus venire deberet: vt ibi esset quasi in propria sede oraculum Dei, & quasi anima, & spiritus totius religionis: atque adeo, quoties impedimentum non esset legitimum, venire deberet vnusquisque. Non secus ac Romam vigesimo quoque quinto anno propter Iubilæum lucrandum quodammodo coguntur fideles etiam distantissimi adire:

re: ſi vero impediti legitimè ſunt; tùm interea illius anni multæ indulgentiæ non habentur ſuſpenſæ, vt quæ ſunt Bullæ in Hiſpania: quæ pro mortuis, &c. tùm anno ſequenti ad inſtantiam Prælatorum ſolet iubilæum ſimile indulgeri, vt modo cùm hæc ſcribo tanto dono (diſpenſante Deo) prefruimur. Similiter ergo quod hic ex gratia, illic quidem ex præcepto; ſed non pro omni caſu: vrgentius enim erat præceptum circumciſionis, & tamen toto peregrinationis tempore iuſto impedimento itineris fuit intermiſſum. Cum ergo Decem illæ tribus ſub Ieroboamo in nullo alio eſſent rigoroſius interdictæ quam in reditu in Ieruſalem; non ſolum poterant erigere, & colere Deum ſuum, quemadmodum alij non ita impediti poſſent, quamquam eis liberum foret ire Ieruſalem aliquando; ſed etiam ſtatis temporibus poterant illuc non ire. Eaque prohibitio: *Cave ne offeras holocauſta in omni loco, quem videris*, tendebat ad duo, aliud ne ferrentur in excelſa illa idolatrica, quæ paſsim videre poterant, tùm vt ſcirent eſſe locum fixum religioni, & oraculo, ibi: *Sed in vnâ tribu, quam elegerit Dominus.*

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

FILIUS UNIUS ANNI ERAT SAUL CUM REGNARE cæpiſſet. 1. Reg. 13. verſ. 1.

ARTICULUS.

QUÆNAM SIT GERMANA, ET VERA INTERPRETATIO huius loci?

1 SUppono 1. Quod licèt circa hunc textum cum verbis ſequentibus: *Duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael* diſputari ſoleant ſimul ab Interpretibus tum genuina intelligentia huius loci, tùm legitima computatio annorum, quos Saul regnavit; nihilominus viſum mihi eſt longe vtilius, atque commodius vtrumque articulum ſeorſim diſcutere; licèt ambo ſe aliqua ex parte concernant. Potiſsimaque huius ratio eſt quia tanta, & tàm obvia quibuslibet, & tàm periculoſa queiſdam eſt intelligentia huius loci, vt ipſa per ſe ſolam digna ſit, quæ excutiatur, & diſputetur. Ad quod accedit maior illa perſpicuitas, quæ ipſi in ſua elucidatione continget; ſi nimirum à dubio annorum Saulis Chronologico, & implexo ſit benè ſeiuncta.

2 Suppono 2. Summam hiſtoriæ Sacræ huc pertinentem, ſcilicèt, quòd poſtquam *lib. 1. Regum cap. 8.* populus Iſraeliticus ita inſanivit, vt dari ſibi

ibi Regem, ſicuti, & Nationibus cæteris, poſtularet; deinceps per capita ſubſequentia vſque ad noſtrum, exponitur Genealogia Saulis, vnctio eius in Regem privatim per Samuelem, ſigna electionis Divinæ à Samuele prædicta, & in Saule completa, ſolemnis eius electio per ſortes, filijs Belial rebellantibus, & tandem *cap.* 11. bellum Naas Ammonitæ, quo renunciato Sauli venienti de agro poſt boves, hic, condolens Galaaditis de iniquo pacto Ammonitarum, bobus infruſtra conciſis, animum ſuorum erexit, prælium indixit, & talem victoriam reportavit, vt nemo iam eſſet qui Sauli ſic regnanti non plauderet. Quod videns Samuel, & innovato ſeu confirmato exinde eius Regno, redargutiones fecit Iſraeli iam de ſua vita, & munere innocenter actis, iam de iniquitate populi, & malo petendi Regem, iam de oratione pro ipſis, & Rege nihilominus facienda, & Domini protectione, niſi deſciſcerent, duratura. In qua quidem hiſtoria duo occurrunt digna notatu. Alterum, quod illa verba prima *cap.* 11. *Et factum eſt quaſi poſt menſem* in Codice Hebræo non reperiuntur: quamquam non omnino vniformiter. Verum ad rem præſentem id parùm intereſt. Alterum eſt, quod Saul iam electus in Regem videtur fuiſſe bubulcus: quippè qui dicitur de agro redire boves ſequutus. Et reapſe potius id verum eſſe videtur, quia vita ruſtica tunc eſſet in pretio, vt ſua eruditione comprobat eruditiſsimus Maſcarellius, exemplo Davidis ad paſtoritia redeuntis poſtquam Rex erat. Quamquam, & mihi arridet quam plurimum Lira negans, dum dicit, Saulem ruſticatione vel alio exercicio reducem, quo tempore ſolent boves de agro redire, illos, quos primùm cepit, ad illam trucidationem accepiſſe. Ad quæ iungere ego non deſinam lectionem Hebraicam diverſos ſenſus claudere in hoc loco, eius explicationi non repugnantes. Nam primo radix *BaKar* ſignificat quærere, & inquirere. Vnde non erat importuna ſignificatio illa, quæ diceret, Sauli poſtquam *quæſitus* in agro fuit, afflictionem populi fuiſſe renunciatam. Secundo ſignificat diluculum, quod etiam non incongrue poterat accommodari. Sed tertio, & quod videtur ſequendum omnino, ſignificat non quidem par boum; ſed integrum armentum bubalum. Ad quod fortaſſe in agro videndum poterat Saul perrexiſſe, & illud ſequi; licèt non foret eius bubulcus. Sed de hoc ſatis.

3 Suppono 3. Hic prorſus retinendam eſſe, & quidem vt minimè vitiatam lectionem Vulgatæ. Licèt enim modo ingredi non libeat, aut oporteat certamem illud. An, videlicèt, Vulgata alicubi melius verti poſſit? De quo latè plures Doctores, Ricciolius, Petavius, Baſilius Ponce, Doctor Portilla, Serarius, & Doctiſsimus Maſcarel. & de quo nos ſumus, dum oporteat, nonnulla dicturi; tamen circa hunc locum determinatum fundamentum non invenio, vt vitium admitti queat. Ad id enim potiſsimum argumentum eſt diſcordantia Verſionum, præſertim Originalium, quod hic prorſus deeſt. Siquidem ſic legunt vetuſtiſsimi Codices Hebræi, & Chaldæi, necnon ex Græcis fontibus ita quoque legunt illa Tetrapla ſolemniſsima, in quibus Septuaginta, Aquila, Simachus, & Theodotion recenſentur. Vnde neſcio, quo iure quis ad vitium confugiat: Illa enim difficultas, quæ inibi ex modo explicationis apparet, ſatis non eſt ad intrudendum vitium, vt de facili id Heterodoxi comminiſcuntur; ſed ad idiotiſmos originalium linguarum planè recurri debebit.

4 Suppono 4. Rationem dubitandi ſtatim ocurrere ex illis duobus verbulis, cum tota hiſtoria præcedenti. Quomodo enim Saul regnare cæperit, cum eſſet vnius anni, ſi nullo quidem iure hereditario regnavit, ſed per electionem creatus eſt Rex? Dein-

de: quomodo vnius anni esse poterat, qui tàm procero corpore fuit, dum eligeretur, vt cæteros superaret ab humero, & sursum. Cum verò altera ex parte illa expressio *filius vnius anni* sit tàm clara, & expressa, & ex omnibus codicibus, veluti quid sacrum retinenda sit; quæstio inde exoritur quæ ad tollenda offendicula hæreticorum, qui cæcutientes facile impingunt, à doctis Interpretibus est ventilanda.

5 His positis circa huius loci interpretationem multiplex occurrit sententia hinc, inde Authoribus discurrentibus iam de anno tacito, iam de anno metaphoricè, iam de anno litteraliter, & temporaliter sumpto. Prima ergo sententia est illa quam insinuare, & in quam inclinare videtur Magister Canus *lib.* 11. *de Locis cap.* 5. in responsione ad duodecimum, qui asserit, verisimile esse librariorum errore ibi vicenarium numerum defeciisse: proindeque debuisse legi *filius viginti, & vnius anni erat Saul*, &c. Secunda sententia asserit, Saul debere intelligi in dativo, quasi initio sui Regni habuisset iam Isboset filium suum vnius anni: hanc sequitur Rabanus cum alijs. Tertia sententia communissima tenet: ly *filius vnius anni*, perinde esse, ac si diceret ita innocentem fuisse, ac si esset *infans vnius anni*. Hanc tenet ex Patribus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis *cap.* 5. Augustt. *lib.* 7. in Iudices. Petrus Damianus *lib.* 2. *Epist.* 20. D. Gregorius, & Rupertus hic. Theodoret. *quæst.* 28. & ex Interpretibus Abulens. Procopius, Hugo, Lyra, Cartus. Angelomus, Cantapet. *lib.* 8. *cap.* 8. Caiet. Delrius adagio 179. & *Genes.* 37. Ribera, Amos 1. Salmer. *Prologom.* 14. & Exim. Noster Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. quæst.* 1. *art.* 6. *disp.* 6. *sect.* 1. Quarta sententia tenet, initium Regni Saul spatium duorum annorum fuisse, instar hominis privati sine habitu, & regio munere, quod inibi ita significari contendunt. Ita Eucherius, & Beda cum Genebrardo. Quinta sententia est quorumdam, quos nomine suppresso refert Cantapetensis, vbi supra, & dicit ly *viginti*, quod per vitium librariorum exciderat iuxta Canum, ex industria ibi reticeri quatenus ex lege Numerorum *cap.* 1. *vers.* 13. Nemo nisi vicennis poterat ad bella procedere, vnde ly *vnius anni* erat supra ætatem legitimam ex iure præsuppositam. Sexta sententia asserit, debere intelligi hunc locum perinde, ac si diceret. Porrò agebat Saul primum annum Regni sui. Hanc tenet Abulens. *quæst.* 1. *cap.* 3. *libri* 1. *Reg.* Pineda *de Rebus Salomonis lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 2. Salianus anno 2964. Genebrard. in Chronico Saulis, Vatablus, Cornel. Tyrinus, & novissimè perdoctus P. Mascarel. *tom.* 2. *disert.* 5. *sect.* 5.

6 Sit mea conclusio cum hac postrema sententia cum qua dico, verba illa: *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cæpisset*, hunc sensum habere. *Porrò adimpleverat Saul primum annum iam Regni sui.* Probatur conclusio: Primo quoties occurrit sensus dubius in verbis Vulgatæ recurrendum est pro sensu legitimo eruendo ad idioma originale eius textus. Sed originalia Hebraica sic docent, illum locum esse legendum: ergo ita intelligendus est. Maior patet ex communi sensu Doctorum, & diligenti eorumdem observatione circa idiotismos, & phrases doctrinalium linguarum. In quo præter alios Villavicencius, Delrius, Tyrinus, satis sunt locupletes. Probatur min. Littera Hebræa clarè ibi dicit, quod Saul habebat annum impletum, & quidem non in re alia, quam in Regno suo: ergo, &c. Antecedens patet ex ipso textu Hebræo, sic habente *Ben-Scana Saul Bemalcho*, ideſt, *Filius anni erat Saul in suo Regno, vel in suo regnare.* Quod inde patet tàm ex Lexicis, quàm ex Grammaticis Hebraicis, dum de figurata constructione agitur, quia Hebræi hanc vocem

Ben,

Ben, Filius, deductam ex radice *Banah*, quæ *ædificare* significat, diversi modè copulant plurimis Genitivis, tàm de re animata, quàm inanimata ad significandum quidquid sit ex altero quomodocumque, v. g. *Filius olei*, dicitur ab vnctione Sacerdos. *Filius areæ*, dicitur triticum. *Filia maris*, dicitur insula: quia est in sinu maris, & ad hunc modum est longè frequentius dicere *filium temporis*, vel tanti temporis, quod intra eas mensuras agitur, & continetur. Atqui inibi de tempore Regni Saulis, tàm currente, quàm definito agitur, vt plane ostendit contextus: ergo hæc intelligentia est fundata, est originalis, atque germana. Confirmatur primo: quia *Exod.* 12.5 & sæpè in libris Numerorum agnus anniculus, ideſt, qui completum annum haberet, Hebraicè etiam dicitur *Ben-Scana* filius anni. Sed per ly *in Regno* contrahitur talis mensura temporis potius ad Regnum, quàm ad ætatem: ergo, &c. Min. patet: quia si textus diceret *quinquennis erat Saul in Regnando ipsum*, quis ambigeret, quin potius ad Regnum, quàm ad ætatem deberet trahi ea mensura? Ergo, &c. Confirmatur secundo: quia quando vox *filius* adiuncta tempori referenda est ad ætatem, vix ab aliquo numerali separatur dicendo, v.g. *Filius octo dierum circumcidetur*. Et 2. *Reg.* 5.4 *Filius triginta annorum erat David*, &c. In nostro vero textu nullum adiungitur numerale, sed phrasis Hebraica, sic ait: *Filius anni erat Saul*, cuius discriminis rationem reddo: quia videlicet quando ad vocem *annus* iungitur numerale, tunc vox Filius separata potius stat pro generatione, v. g. *Filius decem annorum*: *Filius viginti annorum*; quando vero dicitur dumtaxàt *Filius anni*, vt in nostro textu Hebraici; licet Vulgata bene vertat, dicens *Filius vnius anni* quia ambæ illæ voces significant idem, ac hæc vox simplex *anniculus*; nihilominus cum ambæ illæ voces *Filius anni* stent pro tempore, significando annum rei, cui adiungitur; sequitur, quod tunc vox *Filius* non stat pro filiatione, aut generatione, veluti quando dicitur: *Filius octo dierum*: *filius decem annorum*: ergo quando in nostro textu Saul dicitur anniculus per has voces *Filius anni*, vox filius non stat pro filiatione, aut generatione personæ, sed est formativa phrasis importantis spatium anni, qui applicari debet Sauli iuxta contextum: cumque immediate subsequatur hoc adiectum *in Regno suo*; statim fit prona, & plana nostra explicatio, qua dicimus inibi non esse sermonem de tempore ætatis, sed de tempore Regni. Confirmatur tertio: quia satis commune est in historia Regum ante aliquid notabile referendum præmittere tempus Regni in eo Rege currentis: ergo, &c. Antecedens præterquamquod lustrari, & illustrari potest in libris Regum, vt bene observat P. Mascarel. *tom. 2. dissertationum dissertat. 6.* patet etiam in hoc loco 1. *Reg.* 11.1 vbi antequam bellum Saulis cum Ammonita Naa exponatur, dicitur, & *factum est quasi post mensem*. Nam licet hæc verba modò in Hebraico non reperiantur, verisimile est tempore D. Hieronymi reperiri. Vnde ea hauserint Septuaginta Interpretes, qui ea afferunt, & Iosephus, qui Hebræos codices sequi se profitetur.

7 Probatur secundo conclusio. Ea præ alijs est eligenda interpretatio huius loci, quæ sit planior, & simplicior, atque ad revincendos hæreticos sit aptior; sed sic se habet nostra: ergo præferenda est. Mai. nihil aliud continet nisi præcisum munus Catholici Interpretis Litteralis, qui ex vna parte erga Catholicos, & pios in eo debet operam suam navare, vt Scripturæ ijs simpliciter instillentur, & nullum relinquant offendiculum ipsis ad cespitandum. Ex altera vero parte erga hæreticos, vt interpretatio procedat non tàm ex cogitatione, licet accommoda, quàm ex vis-

ce-

ceribus litteræ originalis. Probo min. per partes: in primis eſt ſimplicior; tùm quia ſic eam manifeſtè appellant atque cognoſcunt Docti Interpretes: tùm quia re ipſa ita eſt. Sicut enim quid implexum eſt, quod Rex per electionem creatus, quando ab humero, & ſurſum cæteros ſuperabat, regnare inceperit anno primo ætatis ſuæ; ita profectò eſt pronum, & pervium, quòd Rex ſic creatus, qui poſt menſem prænarratur victor; dum poſteà dicitur, ſecundum prælium inire; ſic fiat exordium *Saul anno primo Regni ſui*, &c. Deinde probo ſecundam partem, ſcilicèt, quod ſit planior. Reliquæ ſententiæ aſperiores ſanè ſunt, & concoctu magis difficiles: quod patebit eas ſic recenſendo. Prima. Defectum ſive lapſum in Vulgata prætendit. At hunc quis benè pius devoret; quando cuncta originalia conſonant, & concordant? Secunda aſſerens ly *erat Saul* intelligi in Dativo, ita, ut initio Regni haberet filium vnius anni, ſtatim procumbit, nam vel eſſet Ionatas? Et quomodo hic tam infans ſtatim à Regno Patris ſui præficeretur mille viris, vt refert textus? 1. *Reg.* 13. Vel fuit Isboſeth? Et id repellit textus 2. *Reg. cap.* 2. dicens: hunc quadragenarium regnare cæpiſſe poſt Saul. Atqui Saul ex choro Interpretum ad viginti annos quoad ſummum, Regnum protraxit: ergo totidem ad minus debebat habere Isboſeth, cum Saul regnare cæpiſſet. Tertia ſententia per ly *Filius vnius anni* intelligit Saulis candorem, & innocentiam. Sed vero quanquàm hæc eo vſque inveniatur in illo; non cohæret hæc metaphorica anni acceptio: tùm cum annis immediatè expoſitis: tùm cum tenore texendi in totis Libris Regum Hiſtoriam, & Chronologiam. Quinimo ad hanc ſolide auſpicandam, & ordiendam ſummi erat momenti primum annum primi Regis ſpeciatim commemorare. Quarta ſententia. *De duobus annis in vita privata conſumptis*, neque cohæret cum legitima intelligentia, & notatione annorum in Libris Regum, vbi non ſub ea præciſſione notantur: neque cum ſolemni bello Saulis ante ſuſcepto, neque tandem facit ad rem noſtram: modo enim non agimus de numero annorum Regni Saulis, ſed de legitima interpretatione eorum verborum. *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cæpiſſet.* Quinta ſententia aſſerens ibi debere ſupplerì numerum viginti ex *lib. Num. cap.* 1. vbi non niſi vicennis poterat quis ad bella procedere, eſt ingenioſa; ſed ſubſtineri non valet: tùm quia à viceſimo, & deinceps poterant ab bella procedere: ergo ætas cuiuslibet primò belligerantis certò definiri non poterat, quanto minus definita ſupponi: tùm quia regnante Saule ad viginti annos, vt ſuprà ad ſummum, Isboſeth quadragenarius moriente patre ſuo, habuiſſet decem, & novem annos, quando eius pater regnare incipiens, habebat viginti, & vnum. Hæc non cohærent: ergo de primo ad vltimum noſtra interpretatio fit planior. Poſtremo. Probo tertiam partem quod ad revincendos hæreticos ſit aptior. Nam ipſi tunc manus dant cum vident ſe per orignalia torqueri, & ad nudam litteram per Lexica Grammaticenque trahi, & cingi; è contra vero veniunt difficiles, dum allegoriam vel tropologiam aliquam liberam odorantur, vel molimen aliquod cogitationis alicuius rem piè, ac reverenter accommodantis: veluti cum de innocentia aut vita privata Saulis, aut aliter inter Doctores Catholicos ſanctè, & ſolidè res tranſigitur, & componitur: ergo confirmatur tandem quod interpretatio noſtra eſt ſimplicior, eſt planior, & ad conciliandos hæreticos longè vtilior. Confirmatur ex Valentino Schildero in Lexico Pentaglotto in radice *Banah* vbi loquendo de voce *filius* coniuncta cum tempore affert noſtrum textum, & illum ſic explicat; *Saul anno primo Regni ſui.* Ergo.

8 Obijcies primo. Ex Magiſtro Ca-

Cano: Illa verba *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset* planè referenda sunt ad ætatem personæ Regnum obeuntis: ergo non ad tempus Regni, & regiminis. Antecedens probatur. Verba illa 2. *Regum* 5. *Filius triginta annorum erat David cum regnare cœpisset*, & similiter verba *Ieremiæ cap.* 52. *vers.* 1. *Filius viginti, & vnius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset* intelligi debent, & manifestè ab Authoribus intelliguntur de numero annorum ætatis vtriusque, dum regnare incipiebat: ergo verba nostri textus sunt explicanda similiter. Probatur consequentia. Eatenus de Davide, & Sedecia intelligi deberent de ætate; de Saule autem de regno; quatenus in verbis Saulis se explicat phrasis Hebraica dicens: *Filius vnius anni erat Saul in Regno suo vel in regnare suum, vel in regnando ipsum*, ex quibus videtur prima expressio taxari, & tempus trahi ad Regnum, & regimem: sed verba de Davide, & Sedecia in phrasi Hebraica originali coincidunt ad identitatem in tenore cum nostris si numeri discrimen excipias: ergo vel omnia de ætate personæ, vel omnia de tempore regiminis accipienda sunt. Minor patet producendo textus Hebraicos. Primo igitur 2. *Reg. cap.* 5. sic dicitur: Ben Sceloscim Scana David Bemalcho, ideſt, *Filius triginta annorum David in Regno suo, vel regnare suum*, & postea sequitur; *quadraginta annis regnavit*. Secundo *Ierem.* 52. *vers.* 1. legitur sic: *Ben beshrim veachat Scana TsidKiaha Bemalcho, ideſt, Filius viginti, & vnius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset*. Ad hoc argumentum quod littera Hebraica sic instructum vrgetur satis. Respondo primo. Iuxta doctrinam nostræ secundæ confirmationis, negando antecedens, ad cuius probationem, nego conseq. & ad eius probationem, dist. mai. *Ideò præcisè*. Neg. mai. Ideo, & quia vox Filius, ibi non stat *pro generatione*. Concedo Maior. & concedo min. Nego conseq. Itaque reasumpta doctrina nostræ secundæ confirmationis, quam tu hic lustrare debebis, & ego ne crambem recoquam libare dumtaxat; dico, quòd etiam in Hebraico differunt satis textus de Davide, & Sedecia loquentes à textu Saulis: nam hic prorsus deest aliquod numerale, ita vt illa vox *annus* indefinitum tempus significaret, nisi per vocem *Filius* contraheretur, & ex ambabus coalesceret significatio hæc *res vnius anni*, quæcumque ea sit sivè animata, sivè inanimata: quo circa hic sumi non potest filius pro generatione; secus autem accidit in illis alijs textibus, vbi cum vox *annus* suo numerali coniuncta per se faciat tempus determinatum; vox *Filius* suapte natura in sua propria significatione stat, atque perseverat. Numerus vero annorum nomini generationis seu filiationis suapte natura coniunctus, vt nemo non videt, planè ad ætatem referendus est.

9 Resp. secundo, negando similiter prius antecedens, & consequentiam, & distinguendo maior. probationis. *Eatenus præcisè*. Nego maiore; *Eatenus. & attenta simul historia, & contextu*. Concedo maior. & dist. min. Sub diverso contextu, & historia, concedo min. Sub eodem, neg. minor. & consequentiam. Verum enim est, verba ipsa Hebraica, & tenorem Grammaticum trium illorum textuum esse prorsus eumdem; sed tamen quando inspecta littera originali persistit dubium; solutionem debemus persequi per contextum. Quo lustrato invenio satis esse fundamenti, & discriminis, vt tempus Saulis ibi ad regimen; de cæteris vero Regibus ad ætatem personæ tradbcatur. Videtur enim, historiam congruenter instructam debere aliter, & aliter de suis Regibus tempora recensere, scilet aliter quando agit de initio Regni, sive inauguratione personæ Regnum obeutis, aliter autem quando agit de gestis Regis alicuius iam regnantis: quando enim

agit de inauguratione, si adscribit numerum annorum personæ, planum est referri debere ad ætatem personæ, non ad statum Regni, quod adhuc caret ætate. Quando vero gesta Regis enarrat, & ea enarrando pergit, atque procedit, si annorum numerum ibi Regi accommodat, qui indifferens sit, vt vel ad ætatem, vel ad tempus regiminis referatur; solidius, & firmius est ad hoc postremum referre ex more Scripturarum casus, & bella designantium ex annis præsentis regiminis, v. g. *Anno secundo, vel quarto Darij, anno decimonono Nabuchi, anno trigesimonosexto Asa*, &c. ergo ad nostram rem veniens, dum de Davide fit sermo est statim ab ipsa inauguratione Davidis, vt ibi constat: deinde circa Sedeciam describitur quoque inibi suum initium regnandi, vt clarè ibi constat, & aliquantulò clarius, siquidem paulò infrà dum gesta recensèt, notat expressè annos Regni, vel regiminis, dum dicit *anno nono Regni eius*, & quidem sub eodem infinitivo, & affixo Hebraico. Quando vero de Saule fit sermo, nedum fuerat prænarrata iam eius inauguratio; sed & inchoata erant gesta *cap.* 12. precedenti in bello cum Ammonitis. Quamobrem cum adsit ex contextu hæc congruentia, vt sermo sit de anno regiminis; & aliunde si refertur ad ætatem, appareat absurdum; valdè fundatè, & methodice fit nostra interpretatio. Resp. tertio. Similiter, negato antecedenti, & consequentia vlteriori: ad probationem maioris dist. *Eatenus præcisè*, neg. maior. Eatenus, & quia sic poscit *firma Chronologia Regum*, conced. maior. & concess. min. neg. conseq. Itaque pro stabilienda ritè Chronologia Regum duo oportebant: alterum erat, quòd in primo Rege notaretur, non ætas, sed primus annus regiminis sui, vnde inchoarent quasi de firma Epocha tempora Regum: alterum erat, quod in Regibus subsequutis præsertim hæreditate, notaretur ætas qua ascenderunt in solium vt sic tempus, tùm vivendi, tùm regnandi melius posit subduci combinari, & constare posteritati. Et ideo in Iudicibus, qui iure hæreditario non sequebantur, non invenitur tam exacta supputatio ætatis eius qui iudicare incipiebat Israelem. Si vero dicas de Davide, non regnasse per successionem, & tamen assignari tempus ætatis. Dico quòd David in totis libris Regum, est tam prima persona, & principale argumentum Sacræ Scripturæ, vt, præter commodùm ordinandæ Chronologiæ, omnes eius vitæ, ætatisque tractus recenseri deberent. Computando igitur Chronologiam Regum à primo anno Saulis regnantis (siquidem anni Samuelis spectant ad Iudices) statim conficitur, quod primus annus Regni sui, non vero ætatis, ibi recenseri debebat.

10 Obijcies secundo. Illa interpretatio præferenda est, quæ magis cohæreat toti contextui, & magis vniversim ab Authoribus recipiatur. Sed ita se habet illa, qua hæc verba *Filius vnius anni* significent infantiæ innocentiam: ergo hæc præferenda est. Maior videtur constare ex recta regula tàm intrinseca, quàm extrinseca interpretandi Sacras litteras: In contextu enim, & Interpretum sensu stant vis, & authoritas. Min. patet quoad Authores ex relatione sententiarum. Quoad contextum verò probatur sic. In primis ex Sacro textu, vsque ad illa verba, constat, Saulem morum candore, & innocentiæ dote satis præditum esse, sicque à Deo electum ad Regnum. Atqui insuper ex contextu apparet, quod in nostris verbis erat oportunum de hac eius innocentia differere: ergo, &c. Minor probatur. Antecedentia ad talia verba in fine capitis 12. sunt sermocinatio Samuelis ad populum promittentis ei protectionem divinam adhuc cum rege suo, si benè se gerant; si autem secùs, ipsos cum Rege pariter perituros. Et statim subditur *Filius vnius anni erat Saul*, &c.

De-

Deinde poſt hæc verba ſubiungitur, quomodò Saul ritè non ſe geſſerit coram Deo, & increpatus fuerit à Samuele ac de ſucceſſore præmonitus; ſed hæc omnia reſpirant ſilum hiſtoriæ ita contextæ. *Populus animatus de ſpè in Deum, tamen commonefactus fuit, ne forte rueret cum Rege ſuo Saule, ſi male ſe gereret. Saul autem, hactenus innocens, mala huiuſcemodi perpetrauit, &c.* Ergo ex contextu potius probari debet ſuperior interpretatio. Ad argum. Reſp. diſtinguendo mai. Attenta illa cohærentia contextus, collatis originalibus rem elucidantibus. Concedo mai. Non collatis, vel re exinde nihil clareſcente. Nego mai. & diſt. reſpectivè min. Nego conſeq. Ad ſubiunctam verò probationem. Reſp. Quod, quamvis non incongrue ſuperiora texuntur, atque idcircò, & propter ſuos Patronos talis interpretatio ſua probabilitate donatur; nihilominus cum nos conſulamus Originalia; neque anni acceptionem impropriemus; rurſuſque pro anno primo Regiminis Saul vrgere videantur Chronologia Regum, & hiſtoria geſtorum Saulis, quæ potius in Scripturis notantur per annos Regni, quam per annos ætatis; interpretationem obiectam ſupplices reveremur; ſed cum gravibus etiam noſtris Authoribus noſtræ adhæreſcimus.

11 Obijcies tertio. Si littera textus præ contextu potius attendenda eſt, vt videtur; hic ſenſus litteralis planus ſit ſi ly *vnius anni* referatur ad ætatem: ergo ſic referundum eſt. Antecedens probatur ſenſus eſt, quod *filius vnius anni erat Sauli*, dum Regnum obiret: ergo pro ætate ſtandum eſt, licet non Saulis. Antecedens conſtat, tùm quia huiuſmodi conſtructio eſt planiſsima: tùm quia Saul quando electus fuit in Regem plane habebat liberos. Ad hoc argumentum quod ſatis leve eſt. Reſpondeo negato vtroque antecedenti ad probationem ſubiunctam dico, quod talis conſtructio eſt plana, ſed ſuppoſititia: quippè inhæret Verbo ſubſtantivo *ſum* cum conſtructione idiotiſmi Latini, quod in hoc textu non datur in Originali; vbi ſolum dicitur *filius anni Saul in regnando ipſum*: Quare ex hoc dumtaxat talis conſtructio evaneſcit: cuius genus, reſpectivè ad Hebraica, ibi ſolùm opportunè fiet, vbi detur Verbum *habere*, ſeu Verbum *eſſe*. Præterquamquod extra rem eſt ibi ad regnandum commemoratio *filij vnius anni* præſertim cum haberet alios celebriores in ipſa Scriptura commemoratos, ſcilicèt Iſboſeth, & Ionatham de quibus loqui non poſſe, ſupra in probatione ſecunda mentionem fecimus, efformantes dilemma, quod huc eſt oportunè advocandum.

12 Obijcies quarto. Si hæc interpretatio de anno Regni amplectenda eſt, etiam ad litteram retineri debebit, quod Saul *duobus tantum annis regnaverit*; ſed hæc non videntur cohærere cum textu *Act.* 13. vbi Paulus adſcribit Regno Saulis annos quadraginta: ergo, &c. Ad hoc argum. Reſp. omittendo mai. ex primo notabili. Quia cum diſſertatio huius loci de ſe præſtet vberem materiam diſputationi; & inſuper numerum annorum Regni Saulis vberiorem, & implexiorem; viſum eſt vtrumque articulum in ſingulares quæſtiones ſeiungere; quamquam vnus tractetur poſt alium, vt ſpero futurum. Intereà vero dico, quod quadraginta anni *Act.* 13. adſcribuntur non ſoli Sauli, ſed ipſi & Samueli. Et Authores nobiles, vt V. P. Gaſpar Sanchez, Tyrinus, & alij ſubſtinent *duobus annis* dumtaxat regnaſſe Saulem. Sed inſuper, quamquam verba ſubſequentia alij aliter interpretentur vt malint; poſſunt tamen priora illa quæ modo diſcutimus interpretationem à nobis hactenus datam non relaxare. Ad calcem huius noſtræ quæſtionis obſervatum velim: quòd licet in Editione Sixtina Septuaginta Interpretum omiſſus ſit verſiculus primus, in quo ſunt verba, quæ diſputamus; id

non

non tollit, quominus in alijs exemplaribus eorumdem Septuaginta inveniantur: quare cum in Hebræis atque Chaldæis, & alijs verſionibus Græcis, & quod plus eſt in Vulgata, inveniantur, non poſſumus quaſi de non ſtantibus ea præterire ſilentio; ſed hinc inde pro virili noſtra parte diſcuſimus.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

FILIUS VNIUS ANNI ERAT SAUL, CUM REGNARE cæpiſſet; duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael.

1. *Reg.* 13. *verſ.* 1.

ARTICULUS.

QUOT ANNIS DURAVERIT REGNUM SAULIS?

1 SUppono 1. Rationem dubitandi in hac quæſtione ſemper eſſe fortiſſimam, & inter Biblicas difficultates ſatis implexam. Quia ex vna parte textus ſupra poſitus nequit eſſe magis clarus, & definitus dicens: *Duobus annis regnaviſſe Saulem ſuper Iſrael.* Et quidem id dicit eodem more, & tenore, quo ſolet Sacra pagina notare annos, quos vnuſquiſque Rex duravit in Regno; commemorando, ſcilicèt, quando Regnum incæperit, & ſubiungendo quandiu duraverit, v. g. de Davide quòd incæperit regnare cum eſſet *triginta annorum*, & quod regnaverit quadraginta annis. Item de Sedecia quod incæperit; cum eſſet annorum vnius, & viginti, & quod regnaverit vndecim annis, & ſic paſsim in libris Regum, & Paralypom. Cum autem in noſtro textu explicetur initium Regni Saulis, & ſtatim ſubijciatur *duodus annis regnaſſe*, videbatur res eſſe abſolutiſsimè definita, niſi eſſet aliquid momenti quod obſtaret. Sed hoc ſtante, ſunt quidem ex altera parte duo fortiſsima: alterum ab authoritate, & alterum à ratione. Ab authoritate quidem textus Actuum Apoſtol, vbi ſic dicitur: *Et exinde poſtulaverunt Regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de Tribu Beniamin annis quadraginta.* Vbi vt apparet, ex ore D. Pauli verba illa proferentis, Regnum Saulis protrahi videtur vſque ad quadraginta annos. Alterum à ratione, quia nimirum tot, & tanta ſunt quæ ab hoc *cap.* 13. non minus quam vſque ad *cap.* 31. referuntur geſta à Saule regnante; vt appareat prorſus incomponibile, quòd biennij ſpatio cuncta geri potuiſſent: quare per Doctores plures, & graves Regnum Saulis amplius protenditur.

2 Suppono 2. Vt præſens difficultas diluta magis ad certamem deſcen-

cendat, quòd communi Doctorum cum noſtro Sanctio, & P. Maſcarel. illi quadraginta anni, quos commemorat D. Paulus diſtribuendi ſunt inter Samuelem, & Saulem, & non ſoli Sauli adſcribendi, tùm quia alioqui cum Samuel ante Saulem populo imperaverit multis annis; nutaret ſolemnis illa Chronologia quartæ ætatis Mundi, ab egreſſu Filiorum Iſrael, vſque ad templi fabricam habita, 3. *Reg. cap.* 6. quia ad ſummam, quæ ibi eſt 480. annorum addendi eſſent anni, quos Samuel iudicaverat ante Saulem; tùm quia David vnctus in Regem anno ſecundo Saulis (& triginta, & octo ante mortem Saulis in ea ſententia) fuiſſet vnctus Rex octo annos ante quam natus; cùm Filius triginta annorum regnare cæpiſſet, 2. *Reg.* 5. tùm quia ſequeretur quòd Saul, mortuus fuit pluſquàm ſeptuagenarius, & quidem cadens iam & effœtus, ſiquidem ſeptuagenarius David iam erat huiuſmodi; cùm tamen in Sacra pagina vſque ad mortem deſcribatur robuſtus. Sequela verò eſt manifeſta: quia Saul incipiens regnare habebat Ionatham filium præfectum mille viris in prælio 1. *Reg.* 13. Vnde debebat eſſe quadragenarius: ſi ergo regnavit quadraginta annis, octogenarius erat quando mortuus eſt. Quod autem dici ſolet D. Hieronymum ſoli Sauli adſcribere quadraginta annos Regni in traditionibus Hebraicis; in primis id non tàm facilè reperio in hoc Maximo Doctore, quem curavi legere in editione Pariſienſi Mariani Victorij Epiſcopi Reatini. Deinde præterquamquod ibi ex traditione Hebræorum loquitur paſsim dicens, *tradunt Hebræi*; talè opuſculum inibi dicitur eſſe incerto Authore ex fragmentis Sancti Doctoris, & Bellarminus ipſi non adſcribit alias traditiones Hebraicas præter quam in Geneſim. Manet ergo firmum ac præſuppoſitum, illos quadraginta annos diſtribuendos eſſe inter Samuelem, & Saulem ſiquidem ibi D. Paulus, poſtquam de Iudicibus egit, iungit tempora Samuelis cum Saule, ſic loquens: *Et poſt hæc dedit Iudices vſque ad Samuel Prophetam, & exinde poſtulaverunt Regem, & dedit illis Deus* ~~David~~ Saul *filium Cis virum de Tribu Beniamin, annis quadraginta.* Ac propterea duo primi libri Regum apud Hebræos appellantur Samuelis primus, & Samuelis ſecundus. Quod ſi Heli ibi etiam fit mentio; non eſt niſi, quaſi tranſiens, & propter Samuelem, cum quo eius hiſtoria connectitur.

3 His poſitis variæ ſunt ſententiæ, poſtquàm ex cætu Doctorum, & ex Abulenſi 1. *Regum* 2. *queſt.* 6. & 1. *Reg.* 13. *q.* 1. manet excluſa illa ſententia, quæ ſoli Sauli annos adſcripſerat quadraginta. Prima ergo ſententia, eſt eorum, qui aſſerunt Saulem plures quidem annos regnaſſe, quàm duos, tyrannice quidem; duos vero tantum legitimè. Ita Abulenſ. Hugo Cardinalis, Lyra, Vatablo, & citatur Pineda *lib.* 6. *de Rebus Salomonis.* Secunda ſententia. Quæ potius rem accommodat ex bono, & æquo; quàm diſputat, partitur illos quadraginta annos inter Samuelem, & Saulem vnicuique viginti diſtribuens. Et in hac ſententia eſt noſter Bellarminus in ſua Chronologia, quam cooptamus, licèt inibi ſatis moneat, nihil ſibi certi eſſe præterquamquod, quadraginta annos inter Samuelem, & Saulem diſtribuendos eſſe: & pœnè communis eſt noſtro Sanctio. Tertia ſententia eſt Eucherij, Bedæ, atque Genebrardi, apud P. Maſcarelium cum aliis, *tom.* 2. *differt.* 5. *num.* 3. qui etiam in hanc venit interpretationem, opinantium, Saulem duobus annis regnaſſe prius, & inſtar hominis privati ſe geſiſſe; longè autem plures poſteà regnaſſe. Quarta ſententia. Subſtinet, Saulem decem, & octo, Samuelem autem viginti duos. pro qua ſunt Clemens Alexandrinus, P. Salianus anno 2977. à numero primo. Cornel. 1. *Reg.* 13. Abulenſis, &

alij cum Ioseph *lib. 1. Antiquitatum 6.* Rufinus, apud Lorinum *Act. 13.* apud, & cum perdocto P. Mascarel. *tom. 2. dissertatione 5. sect. 8.* Vbi obiter notandum est, quod sæpè in his quæstionibus Biblicis, in quibus agitur de expositione, & concordia alicuius loci vnus, & idem Author citari potest pro diversis sententijs, eo quod veluti clarus quispiam Magister nolit pro pluribus viatoribus in locis salebrosis vnicam semitam aperire: vti de more faciunt singularia illa ingenia Augustini, & Abulensis in Biblicis: non secus ac Doctor Subtilis quoque vi sui ingenij sæpè idem præstat in Scholasticis. Quinta sententia asserit Saulem duobus dumtaxat annis regnasse super Israelem absolutè, & præcisè loquendo. Hanc tenent in primis ipsi Hebræi in Seder Holam 1. *part. cap.* 13. & 53. Adricomius anno 2850. Gerardus Mercator in Chronologia, Arias Montanus *lib. de Sæculis*, & in Actor. Apost. *cap.* 13. Venerabilis P. Gasp. Sanchez 1. *Reg.* 13. & Iacobus Tyrin. in Commentarijs in hunc locum, & in Chronico. Quos postremos si consulas, quo argumento, & fulcro procedant; videbis profectò, non rectè dixisse nostrum Lorinum, *Act.* 13. illa verba: *At simpliciter de duobus annis asserere contradicit omni historiæ, & Authoritati*; præsertim cum sua ibi pro se argumenta non moveat, neque alicubi apud se discussa præmonstret.

4 Sit nostra conclusio cum quinta sententia. Cum qua dico *Saulem duobus tantum annis omninò regnasse super Israel.* Probatur primo nostra conclusio. Per totos libros Regum concordiæ tenore notantur illi anni, quos præcisè dumtaxat, ac definitè Regum quisque regnavit ad coordinandam Chronologiam: sed anni Saulis primi Regum debebant esse primi, & præcipui ad hanc Chronologicam considerationem, & aliunde numero definito duorum traduntur loco oportuno: ergo duobus annis dumtaxat, & non plures tenendum est regnavisse Saulem. Maior constat ex historia Regum. Minor *ex 1. Regum 13.* vbi dicitur: *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cæpisset, duobus autem annis regnavit super Israel* patet. Tùm, quia vt egimus de primis verbis in præcedenti quæstione, signatur in eis annus primus Regni Saulis: ergo in subsequentibus terminus talis Regni absolutè definiendus erat, vt res Chronologicè iam prænarrata locum daret historiæ, & gestis Saulis. Quod eo plus vrget, quo postea nullibi tempus Regni eius declaratur. Tùm quia de more est in libris Regum præmittere initium regnandi, & statim subdere tempus Regni, vt passim observare licebit: ergo author historiæ in Saule eodem more procedens, post initium regnandi, totum omninò tempus quandiù regnavit expossuit, vsus præsertim illa adversativa *duobus autem annis regnavit*, quæ contrapositа ad initium Regni videtur clarè, relatè ad initium, contraponere durationem.

5 Probatur secundo conclusio. Quoties salva Chronologia solemniter recepta Sacri textus circa quartam mundi ætatem, potest salvari circa annos Regni Saulis textus expressus, & directus, atque in loco suo de hac re loquutus; hoc potius retineri debet in sua definita expresione; quàm attendere, & peregrinari ad alios textus longè seiunctos, de ea re non loquutos, & per longa ratiocinia, & combinationes advocatos ad interpretandum textum priorem præter sui clarum, & simplicisimum intellectum. Atqui salva omninò Chronologia quartæ ætatis, omninò retineri potest textus ille de Regno Saul sic loquutus oportunè, & expresè *duobus autem annis regnavit super Israel.* Et aliunde ad aliter interpretandum hunc textum aliæ sententiæ aliorsùm peregrinantur hinc inde trahentes de suis sedibus ad id alios textus ad sonum litteræ, qui fortè in suis locis multifariam etiam explicari debebunt: ergo tenendum

est

eſt quod Saul duobus tantum annis regnavit ſuper Iſrael. Maior conſtat primo, quia ſi potius ſemper retinenda eſt littera textus, licèt alicubi non benè componatur Chronologia, tàm ex ijs, quæ fuſe dedimus cum Bonfrerio *tom. 1. quæſt. de ſecundo Cainam*, quàm ex iuſta criſi totius Chronologiæ; quantò magis, hac omninò ſalva, debebit littera retineri?

6 Cuius ratio à priori ea quidem eſt, dignaque, quæ obſervetur. Quia ſcilicèt Chronologia non eſt præciſè numeralis aliqua expreſsio cuiuſdam numeri in Sacra pagina declarati, v. g. 3. *Reg.* 6. 480. anni elapſi ab egreſſu filiorum Iſrael vſque ad templi fabricam: has enim expreſſas enumerationes, quas Spiritui Sancto per Scriptores Canonicos placuit nobis edicere, pari fide debemus excipere ac ipſos tractus, & ſententias Hiſtoriæ. Chronologia eſt combinatio, coordinario, & ſupputatio, vel *generalis*, quatenus omnes expreſsiones annorum, & temporum, quas Divina Scriptura complectitur velit aliquis ſuo calculo, & ſtudio partiri, & digerere, atque componere. *Vel particularis*, quatenus ſeorſim aliqua ſumma annorum, v. g. Captivitatis Babilonicæ, Hebdomadum Danielis, &c. in ſuos inferiores numeros ſubdiviſa temporibus, caſibus, perſoniſque acommodetur. Quod quidem genus ſtudij, in quo noſtris temporibus ſane eminet noſter P. Maſcarel, ſi quod aliud, eſt præſtantiſsimum, & valde laudandum: quoad generalem nimirum quia ſartatecta tuetur, & ſervat myſteria Bibliorum: quoad particularem vero, quia præterquam quod ab ipſa generalis tota dependet; inveniuntur etiam in eis ſummis particularibus quædam Prophetiæ, dogmata, atque myſteria apprimè ſervanda. Sed his explicitis, videtur mihi clarum, iam patere diſcrimen; quod nimirùm, licèt expreſsio numerica cuiuſvis Textus perinde ſit fidei, ac littera Textus; Chronologia tamen, tàm generalis, quàm particularis non item; quia nimirum, ſive coordinatio, & combinatio omnium ſummarum, ſivè accommoda reſolutio, & diſtributio cuiuſdam ſummæ particularis eſt opus, quod ſolo humano ſtudio, & ratiocinio tranſigitur: & quidem non ſine obnoxietate plurima, & maxima erroris. Si enim vt paſsim novimus in computo modiciſsimo rei cuiuſdam emptæ ſeu venditæ, arreptis etiam calamo, & notis, ne memoria labaſcat, experimur quotidie caput ita ad aliquem calculum cæcutire, obſtinarique in eo, vt niſi abrumpatur opella, quo vſque clarior dies affulgeat, non ſit emergendum; quid quæſo iure meritò cenſendum erit de computatione omnium ſæculorum, totius orbis, infinitorum caſuum, combinationum incogitabilium præſtanda ad exiguam lucem candelæ ab homine, cuius maius lumen ſemper eſt tenue? *Si ergo lumen, quod inte eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ, quantæ erunt?* Atque plus reſtota vrgetur, ſi ipſa veniat ad intendendam cum P. Labbe, & alijs concordiam Chronologiæ ſacræ, & profanæ, vt ſæpiſsimè opus eſt. Nemo enim eſt mediocriter peritus, qui neſciat, in hiſtoria Profana, præſertim veteri, quam omnia nutent. Ex quibus ita dilutis reſultat clara reſponſio ad id, quod in quæſitis Chronologicis ſolet eſſe tortura, alijs cum Bonfrerio eam locantibus in inferiori ſubſellio ad textum; alijs verò eam cum textu collocantibus etiam in primo. Nam ſi pro Chronologia intellexeris numerum in Sacra pagina expreſſum alicuius rei, v. g. 480. annos prædictos, vel quid ſimile; cum poſterioribus Authoribus iure ipſe cenſebis. Si vero per Chronologiam intellexeris coordinationem Summarum, vel cuiuſvis ſummæ partitionem accommodam cum caſibus, & perſonis; cum prioribus rectius ipſe conſenties.

7 Video ſane me longius ſolito proceſiſſe; ſed verò neque fuit in re

im-

importuna ; neque contemnenda ſi multum ipſe non fallor. Poſt quæ iam conſtat ſecundo mai : primi ſillogiſmi ex regulis interpretandi Sacras Litteras : quia licet ex Auguſtino *vnius Textus per alterum optima ſit expoſitio* ; id eſſe debet, quando aliquis Textus in ſe ipſo retineri non poteſt ad ſenſum obvium , & clarum. Quando vero ſic poteſt ipſe defendi conçrens plane cum ſuo contextu ; proclivius eſt ſemper, inveniri veritatem rei ibi , vbi ſit eius expreſsio , & in coniuncto circunſtantiarum eam indicantium ; quàm in locis valde ſeiunctis , de alia re agentibus , & quorum ſenſus forte varius, & multiplex prius in ſe deberet declarari , & excerpi , quàm inde avocaretur ad alia illuſtranda. Probo iam min. primo quoad primam partem , ſcilicèt quod Textus noſter in ſua clara expreſsione retineri poſsit , ſalva receptiori Chronologia. Quia hæc nihil aliud poſtulat , niſi , quod à morte Heli computentur quadraginta anni vſque ad Regnum Davidis diſtributi inter Samuelem, & Saulem. Sed hos plane concedimus tribuentes totos triginta & octo priores Samueli ; & poſteriores duos Sauli ; quin aliquid ſit contra convincens, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum : ergo , &c. Min. quoad ſecundam partē etiam eſt clara, quia iam alij Authores confugiunt ad Textum D. Pauli *Act.* 13. vbi tantum recapitulando memorantur anni Saulis. Alij ad priora capita Libri Regum pro inveſtiganda manſione arcæ Domini : quod eſt quid longè operoſum, & implexum. Alij, quod debilius eſt, ſine Textu ad arbitrium rem partiuntur ex æquo , viginti annos Samueli tribuentes , & totidem Sauli. Ergo de primo ad vltimum noſtra ſententia retinenda eſt vt ſimplicior , ſolidior , atque conformior.

8 Probatur 3. Concluſio. Anni quadraginta recenſiti cum Chronologis à D. Paulo , & intercurrentes ab initio Samuelis vſque ad Davidem Regnantem congruè , & ſolide ita dividuntur vt triginta & octo priores compleverit Regimen Samuelis , & duos poſteriores Regnum Saulis : ergo hic duobus tantum annis regnaſſe cenſendus eſt. Probo min. quoad primam partem de Samuele. Hic ad ingreſſum Regni Saulis erat vix vltra quinquagenarium, iam pergens ad ſenectutem , & cœpit iudicare Iſraelem ab adoleſcentia ſua. Sed deſignatis pro Saule regnante duobus annis in Sacra Pagina reliqui triginta & octo Priores optime componunt adſcripti Samueli , quod ipſe cœperit iudicare Iſrael adoleſcens , & finiret cum caneſcebat : ergo triginta & octo priores congrue , & ſolide adſcribuntur Samueli. Min. conſtat. Quia vt cumque intelligas adoleſcentiam, v. g. Ad annum decimum octavum ; vel viceſsimum , vel decimum ſextum ; ſi 38. ſuperadijcias, evadunt anni 54. aut 56. aut 58. peroportuni ad incaneſcendum. Mai. probatur quoad primam partem ex 1. *Reg. cap.* 12. 2. *Et nunc Rex graditur ante vos : Ego autem ſenui , & incanui.* Quoad ſecundam partem conſtat primo ex alijs verbis ibidem datis ſic : *Itaque converſatus coram vobis ab adoleſcentia mea , vſque ad hanc diem , ecce præſto ſum.* Ex quibus Abulenſ. Cartuſian. & alij communiter ſentiunt , Samuelem ab adoleſcentia ſua iudicaſſe Iſraelem. Secundo conſtat : quia *cap.* 2. *lib.* 1. *Regum* videtur ſtatim ac Heli fuit extinctus, cæpiſſe iudicare Samuelem : ſiquidem poſt intimatam mortem filiorum Heli ſubiungitur ,[35] *& ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem* , quę verba ad illum attinebant. 3. quia quando mortuus fuit Heli , & capta fuit Arca à Philiſtæis , ipſe erat parvus , vt conſtat *cap.* 3. & 4. & tamen videbatur eſſe iam Iudex : quia , Arca iam reſtituta poſt ſeptem menſes ſuæ captivitatis , & intercurrentibus viginti annis , quin memoretur Samuel iudicare incepiſſe , invenitur *cap.* 7. iam iudicans Iſraelem verſ. 15. ibi. *Iudicabat quoque Samuel Iſraelem cunctis die-*

bus

bus vitæ ſuæ, & ibat per ſingulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Maſphath, & iudicabat Iſrael in prædictis locis: ergo quia, vt plane indicant illa verba *cunctis diebus vitæ ſuæ*, ab adoleſcentia ſua iudicandi munus iam ſuſcepiſſet.

9 Quoad Saulem vero patet: primo ex textu noſtro *duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael*, ſuprà iam expenſo. Secundo videtur conſtare ex ipſa reprobatione Saulis, & vnctione Davidis. Nam vt conſtat ex accurato Chronico P. Tyrini, ter invenitur, vnctum fuiſſe Davidem. Primo ſub finem anni primi Regni Saulis, quando videlicèt poſtquam elegit milites ad ſecundum prælium, quod in noſtro *cap.* 13. deſcribitur, non obtemperans Domino reprobatus eſt; & David *cap.* 16. ſequenti vnctus eſt à Samuele, & donatus iure ſucceſsionis in Regnum, iuxta illa verba prædicti capitis. *Vſque quo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Iſai Bethlemitem, providi enim in filijs eius mihi Regem.* Secundò vero vnctio Davidis facta fuit ſub finem anni ſecundi Saulis quando ipſo interfecto 2. *Reg. cap.* 1. venit David in Hebron *cap.* 2. *v.* 4. & ibi vnctus fuit per ſolam Tribum Iuda ad poſſeſsionem Regni; cæteris tribubus deſciſcentibus ad Isboſeth filium Saulis. *Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi David, vt regnaret ſuper domum Iuda.* Tertia vero vnctio facta fuit anno octavo Davidis, quando ſublato Iſboſeth, reliquæ Tribus tandem ſe dedere Davidi, ibi *cap.* 5. *Vnxeruntque Davidem Regem ſuper Iſrael. Filius triginta annorum erat David cum regnare cæpiſſet, & quadraginta annis regnavit.* Vnde nota, quòd licèt inceptio Regni hic referatur, quia hic verè completa fuerit poſſeſsio regnandi per deditionem tribuum; tamen exordium Regni ſumendum eſt à tempore quo cæpit regnare in Hebron ſuper domum Iuda. Quibus ſic præmonitis, vt clareſcat illatio, ſic illam efformo: David regnare cæpit ſtatim à mortuo Saule, quando vnctus fuit in Hebron: ergo Saul dumtaxat duobus annis regnavit. Probo conſequentiam. Si hunc numerum exceſiſſet in Regno, ad minùs perveniſſet ad decimum ſextum annum Regni (quia inter receptas opiniones non minus temporis tribuunt) ſed inde ſequeretur abſurdum, & ex maiori tempore maius: ergo, &c. Probatur min. Tùm quia etiam quando primo vnctus fuit David dicitur *cap.* 16. *v.* 18. *Fortiſsimus robore, & vir bellicoſus, & prudens in verbis*; ſed id eſſe non poſſet, ſi fuiſſet electus, & vnctus in Regem poſtquam Saul regnaverit decem, & ſex annis: ergo, &c. Min. patet. Quia David erat triginta annorum quando fuit vnctus in Regem, mortuo Saule, & ſtatim ab electione Saulis in primis prælijs dicitur *cap.* 16. *v.* 18. *Ecce vidi filium Iſai Bethlemitem ſcientem pſallere, & fortiſsimum robore bellicoſum, & prudentem in verbis*, quando vix haberet quaſi decem, & ſeptem annos, quod non eſt veriſimile; & ſi amplius regnaſſet Saul minor eſſet ætas Davidis, & minus eſſet veriſimilis caſus: ergo, &c. Tùm quia ſi Saul regnaviſſet ſexdecim annos; cum in ſecundo prælio ſtatim acto reprobatus fuiſſet per illa verba *cap.* 13. *v.* 14. *Nequaquam regnum tuum vltra conſurget. Quæſivit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet Dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſervaveris quæ præcepit Dominus*; nimis fuiſſet ei dilatum ſupplicium poſt ſexdecim annos, & nimis dilatus ille novus Princeps, qui iam erat quæſitus à Deo, & iuſſus regnare ſuper Iſrael: ergo de primo ad vltimum quadraginta illi anni qui ex bona Chronologia diſtribuendi ſunt inter Samuelem, & Saulem, congruè, & ſolidè ſic diſtribuuntur, vt Samuel rexerit 38. priores; Saul verò regnaverit poſteriores dumtaxat duos.

10 Contra hanc concluſionem,

obijcies primo. Quod Samuel imperaverit triginta, & octo annis non quadrat contextui: ergo Saul non regnavit dumtaxàt duos. Probatur antecedens. Samuel propter senectutem se abdicavit regimine, vt supra constitit, & puer illud obivit; atqui si 38. annos iudicavit; res non componitur: ergo, &c. Probatur min. Vt propter senium gubernare desineret, debebat esse adminus plusquam sexagenarius. Sed 38. & 18. ad summum pueritiæ, vel adolescentiæ non pertingunt ad sexaginta: ergo, &c. Ad hoc argumentum resp. neg. antecedens, ad cuius probationem, neg. min. & ad eius probationem, dist. maior. Vt desineret gubernare propter ineptitudinem ortam ex senectute. Concedo maior. propterea quod iam alius successor à populo sibi electus adesset. Neg. maior. & concessa min. neg. conseq. Itaque Samuel se abdicavit imperio, non tàm propter senectutem, quàm quia habebat successores primo filios suos, quos repulit populus *cap.* 8. & de in secundò, quia populus petiverat, & constituerat iam sibi Regem, vt constat ex textu 1. *Reg.* 12. 20. *Et nunc Rex graditur ante vos: Ego autem senui, & incanui: porro filij mei vobiscum sunt: itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce præsto sum.* Quasi dixisset. *Iam nunc Regem habetis; ego vero iam consenesco, & iam dedi vobis filios meos: paratus autem sum reddere rationem muneris mei,* &c. Et ex inde prosequitur apud populum se coram Deo, & Rege iam electo iustificans. Quod vero Samuel ad ætatem devexam non incanuisset, sed quasi inter quinquaginta, & sexaginta annos versaretur, patet ex eo, quod satis expeditus postea iam ascendebat in Gabaa de Galgalis, iam rursus de nocte surgens ibat in Galgala. Iam ibi concidit infrustra Regem Agag, *ex* 1. *Reg. cap.* 15. *vers.* 33. *Et in frustra concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.* Patet ergo quod ætas ipsi à nobis superius adscripta est ea, quæ debet, vt cuncta concordent.

11 Obijcies secundo. Si Saul duodus tantum annis regnasset; in exordio sui Regni habuisset David 28. annos; sed hoc dici nequit: ergo nec primum. Mai. constat, quia *erat triginta annorum*, quando post duos annos Saulis fuit vnctus in Regem. Min. probatur. Quia quando ita fuit unctus in Regem vocatur parvulus. 1. *Reg.* 16. anno antequam regnaret. Sed non erat parvulus, si habebat viginti, & novem annos: ergo, &c. Confirmatur. Quia si duobus annis solum regnasset Saul, incredibile est quod in primo anno habuerit Davidem psaltem, & armigerum suum, & paulò post *cap.* 17. in prælio cum Goliat Saul eum non cognovisset: ergo quia plures anni Regni Saulis inter vtrumque factum interceserunt, & sic David initio Regni esset parvulus, & postea esset robustus, & grandior ad sic dimicandum. Ad hoc argum. resp. concef. maior. neg. minor. & ad eius probationem, dist. minor. Parvulus qui cum omni proprietate esset talis. Neg. minor. Qui verè sic diceretur in coniuncto circunstantiarum, concedo minor. & neg. conseq. Non enim omni proprietate dici poterat parvulus, qui in eodem capite dicitur fortissimus robore, & vir bellicosus, & prudens in verbis; atque cui statim *cap.* 17. serio tradebantur arma Saulis, cum quibus, non ex defectu virium, sed vsus, non valebat incedere: itemque cui vestes Ionathę grandis ætate decorè indui poterant. Dicitur ergo ibi parvulus non secus ac Beniamin, *Genes.* 42. ita dicitur respectivè ad fratres: nam ipse ex Sancio *hic* habebat 34. annos, & decem susceperat filios, *Genes.* 46. & sicut Paulus *Act.* 7. vocatur adolescens in lapidatione Stephani, & tamen vno anno post appellatur vir, & magna est ei tradita potestas, & authoritas ducendi vinctos in Ierusalem. Etiam Christus Apostolos vocabat

pue-

pueros. *Pueri numquid pulmentarium habetis?* Igitur cùm ex Hebræo vox *Katon* significet etiam parvulum comparativè, & vox *adolescens* etiam pro iuvenili ardore supponat; non obest quod tunc vocaretur parvulus, & adolescens, quominus ageret vigesimum nonum annum. Ad confirmationem Resp. negando antecedens, cum D. Augustino, & Abulensi 1. *Reg.* 17. *quæst.* 40. Quia videlicèt magna in Davide facta fuerat immutatio: quia prius erat aulicus, & Aulæ more induebatur; posteà verò contra Goliat venit cum habitu pastoritio cum baculo, & pera, & promissa barba, vt tradit Aug. Quis ergo eum agnosceret; si modo quempiam de sæculo, familiarem sibi, nemo cognoscit, si de mane ad vesperum eum cernat detonsum, ac cucullatum? Vbi nota ex Sanchez probabile esse, Saulem non dubitasse de persona Davidis, sed de eius genere, vt ei daret filiam suam. Itaque interrogavit *de qua stirpe descendit hic adolescens, Abner?* Si autem Abner quoque eum non novit, fuit, quia ipse versabatur in castris, quando David in Aula.

12 Obijcies 3. Argumentum præcipuum quo impetitur nostra conclusio. Incredibile prorsus est quod Saul tot, & tanta gesserit, si solum regnaverit duobus annis: ergo regnavit plures. Probatur assumptum ex fere integro *lib.* 1. *Regum à cap.* 10. *vsque ad* 31. Vbi describuntur prælia facinora, & casus Saulis Regnantis. Tùm brevius apud Mascarel. loco citato, qui pulchrè, & præsè ea per singula capita summatim perstringit, quæ tam multa sunt, vt vix quisquam credat, tàm brevi spatio temporis peragi cuncta potuisse. Ad hoc Argum. Resp. negando antecedens, & assumptum. Aliud enim est multa esse, quæ patrata sunt, & quæ recitantur, & capita in quibus leguntur. Aliud autem hæc omnia in solo biennio nō evenisse. Nam multa facinora, & casus solent esse in tempore simultanea; at in codice aut relatione nequeunt esse nisi successiva: & sic apparet vnumquodque sibi habere distinctum tempus ab altero. *Sed qui expenderit*, (ait P. Sanchez) *proximum esse hostem, prompta Israelitarum studia, & bellum comparari cum hoste vicino facile posse; non sanè vltra biennale spatium longiorem moram desiderabit. Huius rei argumentum erit bellum primum, quo superatus est Naas Ammonites, quod vno, & altero die comparatum est, & illatum cum insigni Ammonitarum cæde. Sic ergo reliqua peragi potuerunt multo facilius, cum iam essent habiti delectus, expedita arma, & res Militaris suis Ordinibus præfectisque digesta, & miles ex victoria alacrior, Imperator antea rudis, iam vsu doctior, iniectus hostibus timor, & aditus iam apertus victorijs.* In quibus verbis non minus eleganter loquitur, quàm prudenter considerat. Vnde si viro, tàm prudenti cum Mariana 2. *Reg.* 15. Adricomio, Arias Montano, Tirino, & alijs facile apparet cuncta ea bienio expediri; creditu non erit difficile: siquidem longe plura tempus consuit, quàm nostra mens, & imaginatio. Quod si quis singillatim velit illa omnia vno obtutu cognoscere, & accommodare ad biennium legere potest nostrum Tirinum, qui brevissimè circumscribit gesta vtriusque anni *cap.* 27. in Chronico ibi distinguens quæ spectant ad annum alterutrum. Porro si de Philippo V. nostro (quem Deus servet incolumem) in Hispania Regnante, narranda essent cuncta, quæ vno anno 1706. quoad casus, fugas, prælia, rebelliones, &c. contigerunt; vix volumen sufficeret. Immo de solo itinere in Italiam brevi tempore confecto prostat volumen. Quamobrem hanc rem nostram profunde dijudicando; si bene observetur tùm quod in omnibus illis captibus non multa fuerunt prælia; tum quod erant cum copijs paratissimis ad bellandum assuetis, & cum hostibus vicinis: tum quod variæ mutationis, quæ vt plurimum referuntur, erant quidem Davidis fugientis, &

per-

perſequentis Saulis; & quod fugitivus à Rege perſequente mille loca mutat in die ; non eſt tam difficile credere cuncta quæ de Saule Regnante referuntur, ſolo biennio potuiſſe contingere.

13 Obijcies 4. Si Saul Regnaſſet duobus tantum annis, prope ſexagenarius veniſſet ad Regnum , ſed id nedum eſt contra communem aprehenſionem, & Authores plures; ſed contra rem ipſam : ergo plures annos regnavit. Probatur mai. Ex 2. *Reg. cap.* 2. *Quia quadraginta annorum erat Isboſeth filius Saul cum regnare cœpiſſet ſuper Iſrael.* Vnde Saul dum Regnare cœpit habebat filium triginta & octo annorum. Sed hunc demus genuiſſe , dum haberet annos 21. Ergo computato anno geſtationis in vltero Isboſethi evadit Saul ſexagenarius dum regnare incæpit. Probatur min. Tùm quia ſenex non erat aptus ad Regnum : tùm quia dum creatus eſt Rex adhuc erat ſubiectus Patri in domo Paterna : vnde ad quærendas aſinas miſſus fuit. Ad hoc argumentum reſp. conceſ. maior. cum aliqua limitatione, vt ſcilicèt ageret Saul circumcirca 55. annos. Neg. minor. cuius prima probatio non eſt tam fortis. Nam vbi Princeps Reipublicæ fit per electionem , congruum eſt , neque in ſolitum , eligi viros ætate grandes, qui polleant prudentia, authoritate , & conſilio magis quam viribus , præſertim in prima electione à populo inquieto , & in primo Rege, cui cuncti etiam ſenes reverentiam exhiberent ; & rurſus præſertim in ſortitione facta per omnes Tribus Iſrael, & à Domino temperata, qui ſicuti novit, Saulem Domino non placiturum, prænoverat quoque brevi regnaturum. Atque ſicut propter primum eligere non deſtitit, ita propter ſecundum ſatis commodè eligere poterat eum, qui iam ferè vergeret ad ſexagenarium. Cui præterea non obſtat quod adhuc eſſet in domo paterna. Nam teſte P. Gaſpare Sanchez , qui vbertim rem hanc locupletat , mos erat Hebræorum filios poſt nuptias , domi cum vxoribus retinere ; filias vero ad ſoceros dimittere , vt conſtat *Iudicum* 15. *v.* 8. Quod , & apud Græcos: & apud Romanos ait fieri conſueviſſe. Iacob autem , & Eſau adhuc ſeptuagenarij erant in domo Paterna: & grandævi filij Iacob frumentatum miſſi ſunt ab eo in Ægyptum, vt inibi expendit : quare tandem conficitur quod illa ætas , qua nos ponimus Saulem anno decimoſeptimo genuiſſe Iſboſethum , & propterea habuiſſe in exordio Regni 56. annos (vel fortè duos aut tres minus, ſi Scriptura de more ponit in Isboſeth numerum completum pro incompleto) non obſtet quominus poſſet eſſet in domo paterna, & poſſet etiam in fine Regni ſui poſt biennium fortiter in bello pugnare, & procumbere.

14 Obijcies quinto. Saul regnavit totos quadraginta annos, quos memorat Paulus *Act.* 13. per hæc verba: *Et deſtruens gentes ſeptem in terra Canaam ſorte diſtribuit eis terram eorum , quaſi poſt quadrigentos , & quinquaginta annos : & poſt hæc dedit Iudices vſque ad Samuel Prophetam , & exinde poſtulaverunt Regem : & dedit illis Deus Saul filium Cis virum de Tribu Beniamin annis quadraginta* : ergo non regnavit duobus annis dumtaxat. Probatur antecedens. Ideo ita non eſſet, vt ſtaret Chronologia , 3. *Reg.* 6. 480. annorum ab exitu Iſrael ad fabricam ; ſed ex hoc loco Pauli conſtat eam, ſic ſumptam, retinendam non eſſe : ergo , &c. Probatur min. Quia ex Verſione Græca conſtat , quod tales 450. anni inchoandi ſunt ab ipſa ſortitione terræ Sanctæ ; ſed ita manifeſtè ſtare non poteſt ille numerus 480. annorum vt expendit Tyrinus , & ponderat Canus *lib.* 11. *cap.* 12. ergo, &c. Probatur ſecundo. Quia etiam aliunde ex *lib. Iudicum cap.* 11. *v.* 26. dicitur. Tempus poſſeſsionis terræ Galaad fuiſſe per 300. annos ; ſed tamen non reſultant niſi 267. ergo, &c. Hoc argu-

gu-

gumentum iuxta ſupoſitionem 2. poterat reſecari ; ſed quia Authores graves movent id argumentum , favente Aug. *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 20. & 17. *cap.* 7. Serario 3. *Reg. cap.* 7. *poſitione ſecunda* Salmer. *vt citatur Prolegom.* 14. *form.* 17. (Sed ni fallor, ibi non adeſt.) Et deinde quia res eſt implexa, præſertim ſi alicui repente obtruditur; idcirco , Reſp. cum Choro Interpretum ſubſtinendo firmiorem vulgatæ Chronologiam 480. annorum quartæ ætatis mundi , & retorquendo contra obijcientes ipſum Textum Græcum, qui etiam 3. *Reg.* 6. *affert* 480. annos. Vnde iam ad Argum. Dico : nixum eſſe interpratatione Eraſmi , & Pagnini , qui tales 450. annos computant à ſortitione tanquàm à termino *à quo*; cùm ex Vulgata , & legitima verſione debeat eſſe talis ſortitio terminus *ad quem* illorum annorum , & terminus *à quo* Nativitas Iſaac , vt tradunt Lira , Salianus apud , & cum Tirino in Chronico , & conſtat in Textu *Act.* 13. quia ibi incipit à primo incolatu Patrum in Ægipto : quod in Abraham , & Iſaac naſcente verificatur , & exinde currunt quadrigenti , & quinquaginta anni cum ſuo *quaſi* prout exponit Apoſtolus , & tradit Tirinus : quare cum res ita cohæreat cum Vulgata , Argumentum ceſſat. Quoad Auguſtinum autem ſemper ſequentem Euſebium in Chronico , vbi dividuntur quadraginta anni inter Samuelem , & Saulem , crediderim (vti de Freculpho Chriſoſtomo , & alijs , iàm totos Samueli ; iàm totos Sauli tribuentibus) accepiſſe eos pro indiviſo ; vel ex dicto Pauli pro Saule ; vel ex modico reſiduo Saulis, quando tribuuntur omnes Samueli. Quidquid autem de hac re ſit , nullam Chronologiam Catholicam evertere intendimus , ſed tamen nos vulgatam retinuiſſe malumus. Sed vero quod ſuper hac re ait Torniellus benigne excipiens hanc obiectionem , ſcilicèt. *Aliud eſt dicere prædictum numerum non eſſe verum , & aliud ab aliquibus non rite fuiſſe ſubductum* mirifice mihi placet , & quadrat cum doctrina de Chronologia ſupra expoſita in probatione ſecunda. Vbi poteris eam luſtrare. Ad ſecundam probationem ex Textu Iudicum *cap.* 11. Reſp. 1. cum Tirino, ibi talem numerum potius fuiſſe traditum Hiſtoricè , quàm Arithmeticè. Vnde verus numerus eſt 267. annorum, accedens ad 300. & in tertio centenario, iàm verſans, & cadens. Quæ ſufficiunt pro computatione Hiſtorica , licet non pro Arithmetica: idque confirmat Torniellus anno 2591. Reſp. 2. ex eodem , quod ſi computentur 300. anni à tempore quo Deus iuſsit Populo, eam terram invadere , & miſerunt Exploratores *num.* 13. 3. ſcilicèt anno 2. egreſsionis ab Ægipto ; poterit confici illa ſumma trecentorum annorum , vt in eius Chronico poteſt expendi.

15 Ad calcem huius quæſtionis obſerva doctrinam; tum pro hac quæſtione , vbi ſecunda probatio aliquid ſpeciatim dicit de Chronologia; tum pro alijs Chronologijs notatu digniſsimam , ſcilicèt , quandoque nobis viſum fuiſſe , homines nimis criticos ſuper concordia Chonologica Scripturarum, non nihil ſapere illam fidem , quæ homines Heterodoxi dicunt , ſe recipere Scripturas , quas non tam ſcrutantur , vt concordent , quàm vt mille difficultatibus eas difficiliores eſſe prætendant : quod cùm aliquando confuſo modo mihi veniſſet in mentem; inveni verba vetuſtiſsimi Patris Eccleſiæ , S. Cyrilli Hieroſ. quæ hanc cogitationem confirmarunt. Hic enim Chatecheſ. 12. loquuturus de computatione Hebdomadum Danielis ſic ait. *Infidelis enim homo , niſi , & annos ad calculum enumeratos accipiat , dictis non credit.* Notans ſapientiſsime minus integram eſſe illam fidem , quæ circa facta credenda nimis inſiſtit in calculo temporum ſubducendo : quamvis enim pij Doctores in eo negotio vtiliter collaborent , vt huiuſmodi ingenia , quæ

humanæ menti adhuc indulgent, facilius revincant; tamen semper ante oculos habendum est id, quod notavimus in probatione secunda, scilicèt, quòd quamvis aliquis numerus temporis expresse positus in textu habeatur de fide; nihilo minus dicta, & facta intendere discrepantia propter has vel illas subductas calculationes; est non solum rem transigere, & quasi eam velle comprehendere humanitus, tanquam si ea in se esse non possit, nisi à nobis intelligatur; & rem, simplici historia enarratam, involvere, obtenebrare, & confundere ex toto densissimo paralello historiæ prophanæ; quæ, quantus sit Protheus, & Labyrinthus, nemo nescit. Habemus enim nos firmiorem non solum propheticum sed & historicum sermonem: quem si alicunde possit Adversarius Scripturarum turbare; operæ ipsum non penitebit. Hinc ex eodem Cyril. in eodem loco.

16 Observo secundo. Illa verba, vbi ait: *Darius igitur Medus ædificavit Ierusalem octavo Regni sui anno.* Quæ verba ideo mihi visa sunt digna notatu, quia vt receptissimum video inter Chronologos, qui ex Historia profana rem condiunt; aiunt; incipiente Monarchia Cyri multò antequã reædificaretur Ierusalẽ, Darium Medum mortuum fuisse: quare, & posteriora in Scripturis iam cum Dario Hystaspide, iam cum Dario Notho coordinare contendunt; neutrum autem in Sacra pagina invenio. Quod, & me tetigisse iam memini in quæstione de Babilonica captivitate *tom. 2. Dec. 2. quæst. 8. num. 18.* Quam obrem pace doctiorum suspicor, in his subducendis Chronologijs præsertim ad historiam Profanam, magnam inesse scaturiginem confusionis, & fortè synceræ fidei plus inde damni enasci quam emolumenti. Quamvis enim video, Infideles ex hoc capite nobis multa velle infirmare. At primo pronum est ipsis reponere, in eiusmodi argumentis plus debilia, & infirmiora esse iacula, quæ ipsi parant, quam simplicem ac synceram ennuntiationem Bibliorum. Hæc enim omnia volumina per omnia retro sæcula probatæ fidei sunt; contrà verò tùm apud Chaldæos, tùm apud Persas, tùm apud Græcos in historia est magna confusio. Quæ quidem confusio potest ipsis illico retorqueri, eos remittendo ad tales Historiographos, vbi tota res est planissima, & in prospectu. Satius ergo est Chronologiam Sacram ex libris Sacris coordinare, & diducere, vt & nos in apparatu etiam dedimus: &, si inter ipsos Canonicos Scriptores apparet aliqua discrepantia; deducenda est concordia calculo moderato, & discursu, tùm ex mille regulis Patrum, quas iecimus; tùm ex computatione non arithmetica, sed vulgari, & humano modo tradita. Sicut enim in Sacra pagina circa sententias nobis eumdem non est per apices metaphisicos, & Scholasticos; ita neque quoad numeros per subductiones, summas, & fracturas exactas. Tùm saniori fide, vbi aliquid minus ex toto clauditur, dicendo, talem rem, v. g. seu talem calculum omnino non confici, non quidem ex defectu ipsius rei, sed ex defectu plenæ notitiæ, quoad personas, tempora, historias, & loca, ad rite subducendum, & computandum.

17 Quod, licèt prima fronte videatur non nisi frigidum ac ieiunum esse responsum; nihilominus præterquamquod pium, & Catholicum est, cordatissimum apparebit cuivis consideranti vicissitudines rerum, temporum, personarum, atque verborum. Rogoque, explicationis gratia: quænam gravior, vestustior, & operosior difficultas Chronologiç, quã ingens illa discrepantia Vulgatæ cum Septuaginta Interpretibus in prima ætate mundi ad plusquam mille annos? En demus, quòd subsistineo numerum vtrimque verum. Si autem dicis, quomodo? Ex diversa ratione supputandi. Nam nemo ignorat, diversas olim mensuras

an-

anni, vt diximus in elementis Chronologiæ, & quadrimestres annos retulit Xenophon. Et præterea negari non potest ex multigena eruditione, quam congerit Doctus Leiva in sua Chronologia vniversali, Ægyptios olim habuisse annos, quos vocabant expansos, & magnos; alios vero parvos atque contractos; necnon constare ex D. Augustino, id obseruante, textum Græcum non impariliter, & confuse, sed seruata proportione, & tenore annos addidisse Patriarchis, licet prædictus Leiva propter has vel illas difficultates, quas ei doctissimè obijcit noster Mascarell supra in apparatu de Chronologia, calculum, & concordiam omninò non quadret. Quapropter quis negabit, esse cordatissimum, & fundatissimum hunc discursum.* Septuaginta Interpretes tractantes versionem de suis oraculis sanctissimis, & non sine multo numine Sancti Spiritus delati sunt ad Ægyptum, vt inibi pro Natione facerent versionem Græcam. Illos falsò vertisse, credi non potest propter dicta, & propter versionem cunctis patentem. Deinde, ipsos ibi voluisse mysterium aliquod significare, etiam non est verisimile; tùm quia quod mysterium in annis vitæ cuiusquam? Tùm quia semper ab alijs doctis illa discrepantia putaretur absurda. Errorem codicis fuisse, credi non potest propter constantiam augmenti ordinati. Si ergo ex vna parte tenor augmenti pergit cum proportione, & ordine, & ex alia vetus historia Ægyptiorum, vt ibi constat, vsurpavit aliquando annos magnos, & annos breves; cur in instrumentis sanctis, vbi est reposita tota fides sæculorum, scilicèt in Versione Septuaginta, & Vulgata non debebit credi positiva cohærentia, quatenus Vulgata, quæ cepit post exitum Israel de Ægypto, annos sub vno, & eodem tenore perpetuo numeraverit; Septuaginta vero, vt in Ægypto, iam per annos breves primam ætatem mundi, iam per longiores postea processerint; quin opus sit quemquam ligari, & obligari ad calculum istiusmodi subducendum? Si enim in genere vtriusque instrumenti concordantia deprehenditur; sane mens prudens postulat, vt magis individualis, & minuta subductio tantæ vetustati relinquatur. Si verò ais: cur in prima, & secunda ætate solùm illa varietas? Resp. fortè, quia solum de annis illis esset apud Ægyptios ille mos, & modus computandi. Replicabis: ergo non concordant; sed licet versio Græca computet more Ægyptio; tamen variat in annis. Resp. dist. vltimum conseq. quoad diversam suputationem anni intra eosdem dies vitæ cuiuslibet ex Patriarchis, conced. Addendo vel minuendo menses, aut dies, neg. conseq. Vnde eadem vtrobique in quovis Patriarcha vitæ diuturnitas perseverat; licet vtrobique anni diversimode computentur.

JHS.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ANNO XXVI. ASA REGIS REGNAVIT ELA, FILIUS BAASA ſuper Iſrael. 3. *Reg. cap.* 16. *verſ.* 8.

ARTICULUS.

QUOMODO ANNI REGIS ASA SINT LEGITIME COMPUTANDI?

1 SUppono 1. Ab initio Regum Iſrael vſque ad Regem Asà præceſiſſe quinque alios Reges in quibus communiter diſtributum eſt tempus regnandi vſque ad Asà, ſcilicèt, Saulem, Davidem, Salomonem, Roboamum, & Abiam: poſt quos tàm in Asà, quàm in aliquibus regibus ſuccedentibus aliquæ quæſtiones Chronologicæ ſunt non contemnendæ. Verum vt eas poſſimus expeditiùs attingere, non erit inutile parumper præloqui de primis regibus vſque ad Asà; atque in primis de illis tribus, qui regnarunt ſuper integrum, & totum Iſraelem. Quorum, cum omittam modo Saulem, de quo in antecedentibus latè, primus ſit Rex David, qui ex ſupputatione conſtanti 2. *Reg. cap.* 5. regnavit totis quadraginta annis: in quibus licèt additi recenſeantur ſex menſes, nihil inde debebit rotundus ille numerus claudicare: ſive quia, vt putat Cornelius in talibus computationibus fracti numeri, vt ego etiam iudico, non debent negotium facceſſere; ſive quia Salianus ſubtiliter anno 2979. eos ſex menſes reijcit, & accommodat ad tempora præcedentia. Secundus etiam Salomon 3. *Reg.* 11. quadragenarium Regni ſui numerum annorum explevit, ita conſtanter in Sacro textu, & verſionibus, vt propterea non benè audiat Ioſephus, qui *lib.* 8. *Antiquit. cap.* 2. ait Salomonem 80. annos regnaſſe, & ſuprà 90. vixiſſe: cuius tamen vitæ periodus ad 60. annos excurrit ex Lira, Abulenſ. Pined. Salian. & Torniel. qui inſuper quator annos adiecit. Id autem de Salomone verti ſolet in dubium: an ſcilicèt adhuc vivente, & conſentiente Davide regnare cæpiſſet? Quod refragante Toſtato 3. *Reg.* 1. *quæſt.* 40. affirmant D. Ambroſius 3. *in Luc.* Hieronymus *Epiſt.* 132. Auguſtinus 17. *de Civit. cap.* 8. Sulpitius, Cornelius, Petavius, Rupertus 3. *Reg. cap.* 4, cum Pineda *lib.* 2. *de Salomone cap.* 10. & Saliano anno 3020. Videturque verius ex toto *cap.* 1. *Reg. lib.* 3.

2 Suppono 2. Poſt Salomonem ſciſum fuiſſe regnum in duas partes, quarum altera vocata eſt Regnum Iſrael compoſita ex decem Tribubus, quas ſecum tulit Ieroboam filius Nabat à Salomone deficiens. Altera fuit

reg-

Regnum Iuda composita ex Tribu Iuda, & præter plures Levitas, ex Tribu Beniamin, quæ propter ſtuprum vxoris Levitæ pęnè erat conſumpta, & ad ſexcentos viros redacta: in qua regnavit Roboam filius Salomonis. 3. *Reg.* 11. & ingreſſus Regnum quadragenarius, & vltrà, regnavit annis 17. vt conſtat *cap.* 14. & poſt eum filius Abia tribus annis ex Toſtato, Saliano, & Cornelio. Igitur de hoc Abia Rege Iuda (non de alio filio Ieroboami Regis Iſrael mortuo immaturè) non modica conſurgit implexitas circa matrem eius Maacha, & huius patrem: nam 2. *Paralipom.* 11. dicitur quod erat filia Abſalon, & ibidem *cap.* 13. videtur eadem dici filia Uriel de Gabaa. In qua difficultate, quæ ſatis premit, duplex eſt via evidendi, quam vtramque ſequitur Abulenſis ibi *quæſt.* 5. & 6. nimirum, vel dici filiam alterutrius, id eſt neptem: non ſecus ac in libro Ruth dicitur, naſcente Obed, quod natus eſt Noemi filius, qui tamen erat nepos. Vel quatenus Uriel, & Abeſalon, prout legi debet ex ipſo, & ex Septuaginta, erant duo nomina eiuſdem perſonæ, quod multoties in Scriptura contingit: teneri autem debet propter argumenta Abulenſis cum D. Hieronimo contra Ioſephum, Sanctium, Cornelium, & alios non fuiſſe Davidicum Abſalonem de quo fit ibi fit mentio; neque Maacham eandem cũ 2. *Reg.* 14. ab eo progenitam. Interea tamen non deſinam adnotare ſcrupulum, quem mihi à me hic locus obſervatus iniecit, quod in Originali Hebręo, quãdo dicitur Maacha filia Abſalonis, ſatis diſcrepat in Hebraico charactere à nomine poſito *in c.* 13. hic enim, vbi dicitur filia Vrielis, dicitur *Michaias* ſine vlla littera radicali interiecta, ibi autẽ vbi dicitur filia Abſalon, apponitur in Hebraico littera illa radicalis, & multum characteriſtica vocata *Aghin*, vnde apparet non eſſe eadẽ etiã illa ipſa mulier, quę dicitur mater Abiæ. In hac ergo difficultate quæ ex diſcrepantia in Hebræo longè mihi gravior eſt præcedenti. Reſpondeo primo: Quod licèt talis littera verè ſit in eo idiomate multùm characteriſtica; nihilominus, cùm ea ſola ſit aſpiratio potuit idem nomen iam cùm illa denſius, iam ſine illa ſuavius efferri. Verùm quia inter vtrumque caput modica diſtantia intereſt, vt diverſus ſit tenor pronuntiationum longè aliud reſpondeo ſecundo pro vtraque ſimul difficultate ſolvenda. Id eſt. Quod in *cap.* 21. ponitur nomen proprium ipſius, & proprium etiam patris ſui, quando nimirum dicitur *filia Abſalon*; poſtea verò *cap.* 13. ſequenti cùm iam nomen proprium dictum fuerit patris, & filiæ; tàm pater, quàm filia explicantur nomine non tàm proprio, quàm demonſtrativo, & allufsivo: vndè filia nominatur Michaihu, quæ in Hebræo poteſt ſic conſtrui *quis ſicut ipſe*; & pater vocatur *Uriel* id eſt *ignis Dei*: & adhuc ſignatur magis dicendo *de Gabaa*, vt appareat ibi etiam ex loco indigitari. Quamobrem, quemadmodum ſi quis noſter Hiſtoricus prius dixiſſet *Maria filia Michaelis data fuit Petro in matrimonium*: poſtea repetens tale matrimonium cùm modica diſtantia diceret: *Data ergo fuit Petro in matrimonium perpulchra illa filia valentiſsimi Toletani*; ita ſimiliter in noſtro caſu. Et quidem in tali exemplo, ſi poſt multa ſæcula, & in diverſo idiomate legeretur; nemo ambiget, difficultatem exoriturum. Ubi, vt vides, cùm ſecunda difficultate primam diſſolvimus.

3 Suppono 3. Gravem noſtram ſivè antilogiam, ſivè difficultatem præſentem circa annos Regni Asà ortum ducere ex duplici textu, quorum alter eſt 2. Paral. *cap.* 2. dicens: *Anno autem 36. Regni eius* (ſcilicet Asà) *aſcendit Baaſa Rex Iſrael in Iudam, & muro circundabat Ramà.* Alter autem textus eſt 3. *Reg.* 16. dicens: Anno 26. *Asà Regis Regnavit Ælà filius Baaſa ſuper Iſrael*; de quibus videtur colligi circa 10. annos æquivocatio: nam ſi anno 26. Asà Regis Iuda Regnavit Ælà, mortuo Baaſa

patre ſuo in Iſrael; quomodo hic idem Baaſa poterat Regnare in Iſraël anno 36. Regis Asà : præſertim cùm ex eodem capite iam Regnaret in Iſrael Amri anno 31. Asà Regis Iuda, quando non ſolùm præceſſerat in Iſrael Rex Baaſa, ſed etiam Elià, & Zambri. Videtur ergo hic nodus non facile extricandus.

4 His poſitis multiplex eſt ſententia ſeu via emergendi ex hac difficultate. Prima: Pergit potius nodum ſcindendo, quam diſſolvendo : quatenus dicit, in hoc loco mendum aliquod irrepſiſſe ex ijs videlicet, quæ librariorum, vel amanuenſium incuria ſolent obrepere. Hanc defendunt Caietanus in hunc locum, Ioannes Lucidus, *lib. 2. de Emmendatione temporum, cap. 9.* Melchior Canus, *lib. 12. de loc. cap. 5. in ſolut. ad 12. argument.* Adricomius in Chronolog. Annius, in ſuo Philone, & P. Turſelinus, in ſua Chronolog. *cap. 5. quæſt. 9.* Secunda ſententia aſſerit rem componi quatenus anni Aſæ computandi ſunt non tàm ab initio regnandi, quàm à circiter 10. anno, quo poſt bellum felix Æthiopicum glorioſus Regnavit. Et ita ſentiunt Lyra, *lib. 2. Paralipom. cap. 16.* Vatablus, 3. *Reg. 16.* & Genebrardus. Tertia ſententia, quam tuentur alij, quos recenſet nomine ſuppreſſo Cornelius, ponit annum 36. Aſæ non tàm eſſe Regni ſui, quàm ætatis. Quarta verò ſententia defendit per contrariam viam potius talem annum 36. Asà computandum eſſe non ſolum quoad Regnum; ſed quoad Regnum Iuda. Hæc ſententia eſt valdè communis, eamque tenet Seder Olam, ſivè Chronologia maior Hebræorum Torniellus, Salianus, & Santius in hunc locum. Azor *tom. 1. Inſtitut. lib. 6. cap. 55. quæſt. 5.* Gordonus Petavius, *tom. 2. de Doctrin. tempor.* periodi Iulianæ, anno 3661. Cornelius *lib. 2.* Paralipom. 16. P. Maſcarellus, *tom. 2. diſſert. 6. ſect. 5.*

5 Sit noſtra concluſio, cùm hac poſtrema ſententia, cùm qua dicimus, *annum 36. Asà memoratum in Paralipomenon computari debere, non ab initio Regnantis perſonæ; ſed ab initio Regni Iudæ.* Probatur concluſio 1. Quoties aliqua occurrit in ſacra Pagina diſcrepantia numerorum circa aliquam perſonam individuam, debet fieri diverſa computatio ex diverſo fine, & principio, præſertim, ſi ea ipſa indicatur in Sacro Textu; ſed in difficultate noſtra præſenti invenitur magna diſcrepantia circa annos Regni Asa : Et ipſa ſacra Pagina oſtendit, quòd textus Paralipomenon computari debet de annis Regni; & textus, *lib. Reg.* de annis Asà Regnantis : ergo triceſimus ſextus annus memoratus in Paralipomenon debet intelligi de annis Regni Iuda, in quo Regnabat Asà. Mai. patet, tùm ex ipſo lumine naturæ, quo conſtat in quavis Scriptura, minus authentica, quamvis diſcrepantem Chronologiam ſic debere componi : tùm quia ſi ipſe ſacer textus indicat vtrumque computum; ita profectò debebit vterque vſur pari, & intelligi. Prob. min. quoad prim. part. Quia ſi annus 36. Regni Asà ſummitur ab exordio Regni Iudæ, quadrat optimè numerus in eo, quod decimo-ſexto anno Asà, iam Regnantis, veniret Baasà contra Ramà : quia adventus eo tempore eſt valdè credibilis : Ergo, &c. Probatur antecedens : quia Roboam Regnavit ab exordio Regni Iuda decem, & ſeptem annis. 2. *Paralypom.* 12. Abias Regnavit 3. annos ibi, *cap.* 13. Sed hi viginti cum 16. Asà Regnantis faciunt 36. Ergo, &c. Deinde patet, quod adventus Baaſa tali anno 16. Asa ſit veriſimilis. Nam 2. Paralipom. *cap.* 15. dicitur quod Asà anno 15. Regni ſui implevit in Ieruſalem oblationes, & vota patris ſui : & poſtea *cap.* 16. in initio ponit talem adventum Baaſa Regis Iſrael. *Confirmatur.* Quia *lib. 2. Reg. cap. 2. verſ.* 7. dicitur: *poſt quadraginta autem annos dixit Abſalon ad Regem David: Vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* Ex quo ſic argumen-

mentor. Ex prædicto capite, & multis sequentibus constat, quod David post tempus talis petitionis Absalon, vixit plures annos; & non Regnavit omninò nisi 40. Ergo ille numerus 40. supra relatus in textu, non debet computari ab initio Regni David, sed à prima vnctione Davidis, quæ facta est toto decennio, antequam inciperet Regnare, vt fusè probat Salianus anno 3009. *num.* 4. Ergo similiter annus 36. Regni Asà, quando venit Baasa non erit computandus à Regno personali ipsius Asà, siquidem anno 36. ipsius Asà personalitèr Regnantis Baasa mortuus fuerat; sed computandus est ab exordio Regni Iudæ.

6 Probatur 2. conclusio. Nisi talis annus 36. Asà intelligatur ab exordio Regni Iudæ; multa sequetur absurditas, & implexitas in concordando Textu Sacro. Sed ab hoc semper talia sunt releganda: ergo debet intelligi de exordio Regni Iudæ. Probat. mai. nam imprimis sequetur absurditas, scilicet, quod Baasa decennio postquam mortuus fuisset, venerit ad ædificandum Ramà, tali anno 36. Asà: siquidem vt traditur 3. *Reg.* 13. iam in anno 26. Asà, mortuus fuerat Baasa, & Regnavit Ela filius eius. Deinde probatur, quod multa sequeretur implexitas: quia si vsque ad 36. annum Regnantis Asà non venisset Baasa adversus illum, non posset esse verum id, quod dicit Textus 3. *Reg.* 15. scilicet fuisse bellum inter Asam, & Baasam omnibus diebus vitæ eorum; si nimirum Baasa mortus iam fuerat: ergo de primo ad vltimum talis annus debet intelligi de exordio Regni Iudæ, in quo Regnabat Asà. *Confirmatur.* Si talis annus 36. intelligitur ab exordio Regni Iudæ, quando venit Baasa ad ædificandum Ramà, facilè poterit conciliari versio Septuaginta ponens annum 38. Et è contra, si de Asà Regnante intelligeretur; crescit difficultas. Sed hæc concordia versionum gravissimum fundamentum est ad interpretandum: ergo talis interpretatio ritè facta est. Mai. probatur ex Torniello anno 3095. Nam talis ascensus Baasa potest considerari in initio ex Vulgata anno 16. Asà, & potest considerari in fine quando coactus est ab exercitu Syro intermittere ædificationem Ramà, scilicèt anno 18. Asà iuxta Septuaginta: ergo post 20. de Roboam, & Abia, iam possunt confici 36. iam 38. Si verò computus foret de Asà Regnante augeretur ad duos annos difficultas.

7 Obijcies 1. Talis interpretatio de eo quod annus 36. Regni Asà, quando venit Baasæ, debebat intelligi de annis ab exordio Regni Iudæ, est violenta, ergo non legitima: Probat. anteced. Omninò violentuum est, quod incipiat sacra Pagina computare annos Regni Asà, ab exordio ipsius personaliter Regnantis; & quod eodem modò concludat annos ipsius, & tamen in medio relationis, quando pergit ascendendo in supputatione annorum Asà, turbet Æram, vel Epocham computandi, & deflectat ad aliud initium supputationis; sed ita se habet interpretatio nostra: ergo violenta est. Mai. videtur constare ex terminis: Siquidem id non foret historiam, & chronologiam texere; sed evertere. Probatur min. Nostra interpretatio est, quòd in eodem *lib.* 2. Paralipom. *cap.* 15. vbi sermo est de anno 15. Asà intelligitur de Regno eius personali: & rursus, quòd *in cap.* 16. initio vbi agitur de anno 36. Asà, fit computus ab exordio Regni Iuda. Sed insuper ad finem capitis redit sermo de postremis annis Asà, vt personalitèr Regnantis: ergo, &c. Min. patet quia ibi memoratur: Quomodò anno 39. graviter ægrotavit, & paulò post mortuus fuit; sed iuxta omnes omninò Regnavit annos 41. in sua persona: ergo, &c. Ad hoc argum. Resp. neg. anteced. Ad cuius probationem, disting. maior. Si factum quod recensetur postulat aliud initium, & aliam

viam

viam ſupputationis. Neg. mai. Si non poſtulet, conc. mai. & diſt. reſpectivè, min. neg. conſeq. Itaque pro temperanda hac difficultate, quæ verè eſt ingens, & cui ſuccubuit non minus quàm ſtupenda, & potens illa manus Epiſcopi Abulenſis in hunc locum *quæſt.* 3. non erit inutile conſiderare genus duplex geſtorum, quæ à regibus fieri conſueſcunt: alia, ſcilicèt, quæ concernunt ſuas perſonas; alia verò, quæ concernunt ſua regna, & reſpublicas: quorum prima proculdubio non aliam poſſunt ſibi aſſumere annorum Epocham, & menſuram, quàm eam, quæ correſpondet perſonæ, vel viventi, vel maximis aliquod obeunti. Secunda verò geſta, quæ concernunt totam rempublicam, dum ſupputanda veniunt, potius amare ſibi videntur Epocham, & initium talis reipublicæ, quaſi nimirum ipſa civiliter habeat ſuos annos, quos vivat, donec occumbat, & cuius motus, & actus, iam facti per vnum membrum, & caput ipſius; iam facti per aliud oſtendant quandiu, & quomodo talis reſpublica vixerit, vt eius ætas in hiſtorias, & Annales referri queat. Qua meditatione poſita non incongruenter fluit inde ſolutio: ſiquidem quando dicitur *cap.* 13. annus decimus quintus Regni Asà, eſt, quando perſonaliter in Regno ſuo venit in templum menſe tertio, & explevit immolationes, & vota Patris ſui: rurſuſque quando ad finem capitis decimiſexti redit ſermo de anno 39. Asà, eſt loquendo de morbo, & morte etiam perſonali Regis Asà: quare inibi nihil mirum eſt quod annorum ſupputatio facienda ſit de Asà perſonaliter regnante. Quando vero initio *cap.* 16. ponitur annus 36. Asà, eſt quando contigit illud facinus publicum, & magni momenti in toto Regno Iuda, quando nimirum Baaſa Rex Iſrael venit cum multa potentia ad intercludendum Iudæ introitum, & exitum in Rama: & quando Regnum Iuda inivit fœdus cum Rege Syriæ ad avocandas copias Regis Baaſa prout re ipſa feliciter actum eſt. Cumque hæc eiuſmodi eſſent, vt reſpectu totius Regni Iuda eſſent ſummi momenti, & quidem in primis celebrioribus congreſsibus vtriuſque Regni diviſi; videbatur poſtulari ad ſupputationem potius Epocha Regni, quam Regis; vt nimirum tale Regnum Iuda tunc adoleſcens, ſibi ſua facta, & ſua tempora conſervaret: atque adeo cum eo vſque nullum aliud bellum interceſſiſſet ſolemnius inter Regnum Iuda, & Iſrael; id circo forſitan in antecedentibus verbis dictum fuit. *Bellum verò non fuit vſque ad trigeſimumquintum annum Regis Asà.*

6 Quæ ſolutio deſervire poterit intereadùm alia meliora quiſque non cogitat. Æquum enim non eſt vt vbi Toſtatus ipſe concidit, nos geſtiamus probatiſsima pollicèri. Quæ poſſunt confirmari quodammodo ex ſententia, quam ſuper hac re defendit Genebrardus in ſua Chronologia: ait enim, talem annum 36. debere computari ab initio regnandi Asà perſonaliter; ſed tamen, quando dicitur, anno 26. Asà incæpiſſe regnare Elà, Baaſa iam defuncto, prout habetur 3. *Reg.* 15. ita debere intelligi vt talis annus 26. Asà computetur ab initio, quod Asà habuit belligerandi: ſiquidem, vt dicitur 2. *Paralyp. cap.* 14. multo tempore regnavit tranquillus: quod ad decem annos protrahitur ab ipſo Genebrardo: Vnde, quando 3. anno Asà, dicitur incæpiſſe regnare Baaſa Rex Iſrael, ita debet intelligi, vt reſpectu Asà Regis Iuda talis annus eſſet 13. à ſuo Throno occupato, & 3. à tempore, quo cæpit gerere bella. Rurſuſque cum dicatur 3. *Reg.* 16. quod Baaſa, & Asà traxere bella toto tempore ſuo; & aliunde 2. *Paralyp.* quod Baaſa regnavit 24. annis; planè conficitur; quod moriente Baaſa iam numerabatur viceſsimus ſextus annus Regis Asà computatus ab initio belligerandi: vnde videntur omnia magis in offen-

offensè procurrere. Ex quibus confirmatio hic noſtra non tàm elicitur pro noſtra concluſione de computando annum 36. ab exordio Regni Iuda, quàm pro confirmanda doctrina præcedentis ſolutionis : quatenus vſitatum ſit in Sacra pagina computare annos alicuius Regis, non tàm à perſonali occupatione Throni , quàm à factis , vel geſtis publicis potius concernentibus Regnum ipſum , quam perſonam Regis. In quibus etiam mihi videtur , quoad difficultatem temperandam, minus aſperam viam parari, licèt videam, ita protrahi debere Chronologiam Regum Iuda ad decennium ita vt Asà vixiſſet 51. annos. Cæterum cum res ea ſit, quæ vndique mordeat , & in qua , & Abulenſis ſuccumbat, & Ricardus de Sancto Victore, qui de annis regum Iuda , & Iſrael componendis egit ſigillatim, id certè non dirimat ; videtur hæc via etiam emergendi non debere contemni.

9 Obijcies 2. Sacra Scriptura computat annos regum Iuda, & Iſrael ab initio Throni perſonalis vniuſcuiuſque. Sed noſtra interpretatio de triceſimoſexto illo anno longè aliter computat: ergo non niſi perperam, & illegitimè. Conſequent. tenet min. eſt noſtra , & mai. evidens, tùm ex textu Sacro Regum , & Paralypom. tùm ex omnibus tabulis Chronologorum. Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinguendo mai. *Ordinariè loquendo*. Conc. mai. *perpetuo* , *& conſtanter* , neg. mai. & conceſ. min. neg. conſequentiam. Itaque huius argumentum futura ſunt plena reſponſio verba Tornielli anno „ 3095. *num.* 3. vbi ait. Dicimus, non „ eſſe hoc novum in Sacris libris: quan„ doquidem tametſi ordinariè annos „ regum ab eo tempore , quo quiſque „ regnare cæperat , dinumerare con„ ſueverit ; ſolent nihilominus , etiam „ quandoque obiter , & præter cæp„ tum ordinem eos computare ab ali„ qua inſigni actione , quæ ante vel „ poſt inchoatum regnum præceſſerit. „ Ponam hic aliquot huius rei exem„ pla , vt res planior fiat. In 2. *Reg.* „ *lib.* tempora rerum ibidem deſcrip„ tarum notantur per annos Regni „ Davidis : ſed tamen *cap.* 15. *verſ.* 7. „ defectio Abſalon à patre ſuo Davi„ de dicitur contigiſſe poſt quadragin„ ta annos , non vtique ab anno ibi „ proximè antè notato , neque à pri„ mo Regni Davidis numerandos ; ſed „ à prima vnctione eius facta per Sa„ muelem multis annis antequam reg„ nare incæperit , quemadmodum la„ tè ſub anno mundi 3004. *num.* 2. „ probavimus. Item 4. *Reg. cap.* 8. *v.* „ 16. dicitur Ioram regnaſſe ſuper Iu„ da anno 5. Ioſaphat patris ſui ; qui „ tamen annus non erat quintus ab „ initio regni eius, à quo reliqui ſup„ putari ſolent ; ſed à ſpeciali eius „ præſervatione de mortis periculo, „ cum dimicaret contra Syros , vt ſub „ annis mundi 3138. *num.* 3. & 3143. „ *num.* 2. dicemus. Legimus etiam Ie„ remiæ *cap.* 28. *verſ.* 1. annum quar„ tum Regni Sedeciæ appellari princi„ pium regni eius , nimirum, quia cùm „ tunc iterum à Nabuchodonoſor con„ firmatus fuiſſet in regno ; volebat, „ inde numerari annos regni ſui , vt „ nos ſub anno mundi 3439. *num.* 4. „ declarabimus. Exod. quoque 12. „ *verſ.* 40. ponitur ſumma 430. an„ norum , quæ prima facie videtur eſ„ ſe computanda ab introitu Iſraelis in „ Ægyptum ; & tamen revera ſuppu„ tari debet à divinis promiſsionibus „ Abrahæ factis, vt nos ſub anno mun„ di 2329. *num.* 15. ex eiſdem Apoſ„ toli verbis probabimus. Præterea „ etiam Daniel *cap.* 1. *verſ.* 1. legimus „ quod Nabuchodonoſor vidit quod„ dam ſomnium anno regni eius 2. & „ tamen ille annus non eſt accipiendus „ fuiſſe ſecundus ab initio regni ſui; „ ſed à depopulata Ægypto , Moabi„ tis quoque devaſtatis , quo tempore „ ſibi monarchæ nomen vendicavit, „ atque deinceps ab eo regni ſui annos „ dinumerari voluit : quemadmodum

„ſub anno mundi 3452. *num.* 1. oſten-
„demus. His addere poſſumus quod
„in textu Septuaginta Interpretum
„Danielis 13. *cap.* 1. traditur, nimi-
„rum, Nabuchodonoſor anno 18.
„feciſſe ſibi imaginem auream, eam-
„que ab omnibus adorari iuſſiſſe; quem
„annum non ab initio regni, monar-
„chiæve eius numerari poſſe, ſed ab
„anno, quo ipſe poſtremam Ieroſoli-
„mæ oppugnationem aggreſſus fuerat,
„ſupputari debere; nos ſub anno mun-
„di 3462. *num.* 6. oſtendemus. Hæc
„autem quandoque in Sacro Eloquio
„extraordinariè fieri nemo miretur,
„abſurdumve aut ſine myſterio eſſe
„putet; quandoque etiam in hoc
„vniverſo conſpicimus multa non ſine
„ſpeciali nutu ac voluntate divina fie-
„ri præter conſuetum curſum ordi-
„nemque naturæ. Ita Torniellus Se-
„lectus Chronologus, & cum eo nos
„ipſi.

10 Obijcies 3. Hæc interpretatio non benè ſalvat Scripturam 3. *Reg.* 15. & 2. *Paralypom.* 14. vbi dicitur: tùm, quòd bellum fuit inter Baaſa, & Aſa cunctis diebus eorum: tùm, quòd bellum non fuit vſque ad 35. annum regni Asà: ergo non eſt legitima. Probatur antecedens. Iuxta eam non ponitur bellum cum Baaſa niſi ad 36. annum Asà, Atqui ex Sacro textu 3. *Reg.* 15. *v.* 33. anno 3. Asà Regis Iuda regnavit Baaſa filius Ahiæ ſuper omnem Iſrael in Therſa 24. annis. Ergo vt ſalveretur Scriptura debuiſſet eſſe bellum longè ante annum 36. Asà. Ad hoc argumentum reſpondeo, negando antec. ad cuius probationem, conced. mai. & min. diſting. conſequens bellum vt cumque ſumptum *pro inimicitia* inter Baaſa, & Asà, conc. conſeq. *bellum famoſum*, & dignum ſpeciali commemoratione, & hiſtoria, nego conſequent. Itaque obſervandum eſt, verba 2. *Paralypom.* 15. de eo quòd non eſſet bellum vſque ad 35. annum regis Asà ait Serarius 3. *Reg. cap.* 20. intelligenda eſſe de bello Ægyptiaco: & reapſe benè cohæret; ſiquidem id dicitur ſtatim ac abſolvitur narratio belli Ægyptiaci, quod habuit Asà, & poſt immolata, & oblata ſpolia eiuſdem, quare ex hac parte ceſſat omnino difficultas pro bello Asà cum Baaſa rege Iſrael. Quod autem hi ambo reges ab initio ſibi invicem inimicati ſint non in prælijs famoſis, ſed tamen animo, & rebus minoris momenti, voluit explicare ſcriptura dicens: *Bellum fuiſſe inter Asà, & Baaſa cunctis diebus eorum*: & quidem ab anno 16. Asà qui erat 36. regni Iudæ, aliqua etiam prælia forſitan interceſſerunt: quæ propterea non recenſeantur, quia non fuerint doctrinalia ſicuti fuit hoc bellum Baaſa, contra quod advocatus fuit Rex Syriæ; & cuius advocatio à Deo fuit Regi Iuda increpata: vnde hoc vtpotè magis famoſum, & doctrinale recenſeri oportuit à Sacra pagina. Quæ ſolutio colligitur ex Toſtato 2. *Paralypom.* 15. *quæſt.* 14. *in fine.* Vbi licèt concedat ex textu ibi, *cap.* 14. quod Asà quieverit primis decem annis à bellis; id non tollit privatas inimicitias, & leviores rixas cum Baaſa Rege Iſrael.

11 Ad calcem obſerva 1. quod licèt in textu Paralypomenon dicatur *anno 36. regni eius*, vbi apparet eſſe Asà regnantis; nihilominus prout latè tetigit Maſcarellus ex vtroque iure, intelligi debet iuxta materiam ibi ſubiectam, quatenus regnum Asà dicatur non quia Asà à tali tempore occupaverat regnum; ſed quia regnum in tali, & tanto tempore vigens, tunc ſerviebat Asà. Obſerva 2. ex Ricardo de S. Victore *tract. de Cohærentia* annorum regum Iuda, & Iſrael, ad Div. Bernardum verba illa quæ habet fortè
„ſervitura. In ijs (inquit) quæ *in lib.*
„*Reg.* de diuturnitate vel varia ſuc-
„ceſſione regnantium dicuntur; mul-
„ta, vt dicis, contrarietas ineſſe vi-
„detur: vnde, & numerorum com-
„putatio vitio Scriptorum corrupta
„putatur. Vnde, & antequam de his

„ad

„ ad petitionem tuam aliquid scri-
„ berem per Iudæos, Iudæorum
„ scripta consului; & tàm eorum
„ scripta, quàm nostra in vnam sen-
„ tentiam concurrere didici. Constat
„ itaque apud me quod in his nulla
„ contrarietas sit: quamvis, & ipsis
„ hucusque veritas ipsa latuerit. Ab-
„ sit ergo, vt credam, quòd in divi-
„ nis Scripturis veritas vspiam adeò
„ aberraverit, vt omninò recuperari
„ non possit.

JHS.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

ANNO QUINTO IORAM FILIJ ACHAB REGIS ISRAEL, & Iosaphat Regis Iuda, regnavit Ioram filius Iosaphat Rex Iuda. 4. *Reg.* 8. *v.* 16.

ARTICULUS.

QUOMODO STARE POSSIT, QUOD IORAM REX IUDA regnare cæpisset anno 5. Ioram Regis Israel?

1 SUppono 1. Quod in hac quæstione, & alijs Chronologicis de libris Regum, & Paralyp. multum intererit ante quæstionem legendam lustrare Chronotaxim, & Chronicon Regum Iuda, & Israel quod in hoc tomo 1. *part. Apparatus, pag.* 48. & 49. præmisimus: (vbi notandum, quod in Rege Baasa pro *num.* 23. Regni sui irrepit per errorem numerus 25.) Atque cùm non solùm ex textu, sed ex ipso parallelo Regum discrepantia aliqua ex minoribus apparere soleat; veniunt non importuna quædam verba Richardi de Sancto Victore *in tract. de Coherentia Temporum* inter Reges Iuda, & Israel: vbi postquam ex consultatione Iudæorum Codicum facta ait, nullatenus sibi esse verisimilem aliquam corruptionem in „ numeris; pergit sic. In primis ita- „ que sciendum, quod cum legitur „ Rex aliquis tot vel tot annos reg- „ nasse; non sic semper oportet intel- „ ligere, quasi vltimum regni sui an- „ num quisque ita compleverit, vt ad „ eius completionem nulla diminutio „ superfluerit. Sed si ille annus, qui in- „ ter successorem, & predecessorem „ dividebatur, neutri illorum adscribe- „ retur; recollectionis summà pars „ magna veritati detraheretur. Satis „ itaque congruè, & compendiosè ad „ evitandas minutias, annum duobus „ communem Scriptura illi attribuit „ qui maiorem illius anni partem obti- „ nuit. Item si diligenter attendimus; „ inveniemus pro certo frequens fuisse „ illis temporibus, quod in nostris sæ- „ pè actitari videmus. Videmus sæpè „ quod reges filios suos, dum adhuc „ vivunt, coronant, vt subditorum

„ con-

„ contradictionem, & rebellionem „ præveniant. Hoc apud reges Israel „ frequens erat, timentes, ne per ali- „ quam rebellionem regnum eorum „ ad domum David rediret. Et hoc „ quidem in Scriptura quamvis vbi- „ que aperte non dicatur; invenitur „ tamen in ea, vnde suis in locis facilè „ convincatur. Et notandum, quod „ tempora conregnantium, quando- „ que attribuuntur soli patri: quando- „ que filio soli, quandoque tàm filio, „ quàm patri. Sunt enim qui quamvis „ filios suos iam coronaverint, nullo „ modo, dum vivent, regiam potes- „ tatem eos exercere velint. Meritò „ ergo eiusmodi tempus regnandi at- „ tribuitur soli patri. Sunt qui post fi- „ liorum coronationem, modò propter „ corporis, modò per mentis infirmita- „ tem otio vacant, luxui deserviunt, „ & negotia regni per omnia filijs „ committunt. Nonnè hæc tempora „ rectius adscribuntur filio, quàm pa- „ tri? Sed quando regni negotia com- „ muniter tractabant, & contra rebel- „ les modò simul, modò separatim reg- „ num defensabāt (sicut & Romani Im- „ peratores suis temporibus fecisse le- „ guntur) nonnè hæc regnandi tempo- „ ra vtriusque merito adscribuntur? Hactenus ille qui postmodum exempla subiungit.

2 Suppono 3. Rationem dubitandi in hac quæstione esse fortissimam, & implexam valde, si quam vidi in sacris litteris. Nam in primis *lib.* 4. *Reg. cap.* 8. dicitur: *Anno quinto Ioram filij Achab Regis Israel, & Iosaphat Regis Iuda regnavit Ioram filius Iosaphat Rex Iuda.* Vnde statim enascitur dubium quomodo id stare possit, atque cohærere cum eo quod traditur *lib.* 3. *Reg. cap.* 22. scilicèt quòd mortuo Iosaphat Rege Iuda, regnaret Ioram filius eius pro eo; mortuus est autem Iosaphat postquam regnavit viginti quinque annis, & mors eius ex Sacra pagina, & Chronologis fuit anno septimo alterius Ioram Regis Israel. Quomodo ergo Ioram de Iuda regnans post Patrem suum mortuum anno 7. Ioram de Israel, dici potest, quod regnaverit anno quinto talis Ioram de Israel? Deinde ex alia parte insurgit difficultas adhuc vehementius. Nam *lib.* 4. *Reg. cap.* 1. *vers.* 17. dicitur sic loquendo de Ioram rege Israel. *Regnavit Ioram frater eius* (videlicèt Ochoziæ) *pro eo anno* 2. *Ioram filij Iosaphat regis Iudæ, non enim habebat filium.* In quibus verbis statim apparet pronitas ad æquivocationem, impedimentumque differendi ex eo, quod non solum datur duplex Ioram, alter Iudaicus, alter Israeliticus; sed tempus regnandi vniuscuiusque designatur correlativè per alterum: & quod plus est, multùm discrepantèr; siquidem supra in primo textu dicebatur, quòd *Ioram Iudaicus regnavit anno* 5. *Iorami Israelitici.* Et in hoc textu dicitur, quòd *Ioram Israeliticus regnavit anno* 2. *Iorami Iudaici.* Quomodo ergo hæc stare pōterunt? Atque vt etiam circumcirca possit etiam manare aliqua æquivocatio, observandum est, quòd etiam datus fuit duplex Ochozias. Alter videlicèt Iudaicus qui regnavit postea loco Ioram patris sui. Et alter Ochozias Israeliticus frater Iorami Israelici, qui Ioram pro suo fratre, brevi defuncto, regnavit. Quæritur ergo quomodo cuncta hæc poterunt venire in concordiam?

3 Suppono 3. Id quod suprà constitit ex Richardo de S. Victore, scilicèt moris fuisse Regum Israel collocare filios in throno, antequam de vita excederent, ne fortè aliqua seditio, & commotio eos impediret à throno, & ad regnum David, & Iuda revocarentur: vnde id ipsum valde credibile est fecisse reges Iuda, licèt non ex timore desciscendi ad regnum Israel; tamen quando vel senectute, vel luxu, vel imminente periculo vitæ id appareret non importunum. Atque ita contigisse tradunt nobiles interpretes, quando, nimirum 3. *Reg.* 22. inierunt fœdus

rex

rex Iuda Ioſaphat, & Achab rex Iſrael contra regem Syriæ anno 17. regni Ioſaphat: hic enim imitatus regem Achab, qui collocavit in regno Iſrael Ochoziam filium ſuum, veritus ne occumberet in bello, prout re ipſa contigit; ſimiliter collocavit ipſe in regno Iuda Ioram filium ſuum. Cum tamen Ioſaphat in bello non cecidiſſet; ſed incolumis redijſſet ad regnum; neque erat facilè, neque expediens iure regio dicto ſpoliari Ioramum; licèt cum eo quoque regnaſſet: quouſque Ioſaphat tandem ferè ſexagenarius totam regni curam tranſtulit in Ioram filium ſuum, vt probat Torniellus anno mundi 3137. *num.* 1. & 3143. *num.* 3. ita vt Ioram, vivo patre, bis fuerit rex declaratus.

4 His poſitis in hac preſſura difficultatis non deſinit eſſe varietas ſententiarum. Quarum prima aſſerit, quòd Ioram Iſraeliticus per biennium regnavit durante ægritudine Ochoziæ fratris ſui: vnde componitur, quòd Ioram Iudaicus, regnans poſt patrem ſuum Ioſaphat, regnaverit anno 5. Ioramı Iſraelitici, ſcilicèt, poſtquam hic adijt regnum mortuo fratre; & tunc erat annus 7. talis Iorami Iſraelitici, ſi includitur illud biennium ægritudinis Ochoziæ. Ita rem componit Nicolaus de Lira, cui favere videntur Petrus Comeſtor in ſua Hiſtoria Scholaſtica, & Caietanus. Secunda ſententia aſſerit, talem annum 5. Ioram Iſraelitici, quo cæpit Ioram Iudaicus debere intelligi de anno 5. enumerando ab anno 1. quo Ioram Iſraelita cæpit regnum adminiſtrare pro fratre ſuo Ochoziæ. Nam hic (inquiunt) regnavit vſque ad annum 2. Ioram regis Iuda per 11. annos videlicèt. Hæc ſententia eſt Petri Comeſtoris ſeu Magiſt. Hiſtoriæ Scholaſticæ. Tertia ſententia rem componit quatenus Ochozias ſolum regnaverit 2. annis; & quando dicitur quod anno 18. Ioſaphat regnavit Ioram rex Iſrael non ſolum erat 18. completus, ſed magna pars 19. anni: & inſuper, quòd Ioſaphat non regnaverit 25. annis integris: ex quo reſultat quod quando Ioram Iudaicus, mortuo Ioſaphat, regnare cæpit; non erat pluſquam 5. annus regni Ioram Iſraeliti plus minuſve. Ita Toſtatus 4. *Reg.* 8. *quæſt.* 29. & inclinat Cornelius, licèt eam non ſequitur. Quarta ſententia aſſerit omnia ritè componi quatenus Ioram Iudaicus bis fuerit, vivo patre, renuntiatus rex, & ex vtroque caſu tempora computata. Ita Richardus de S. Victore *in tractatu de Tempore* regum Iuda, & Iſrael. Torniellus anno 121. quintæ ætatis, & anno 3143. *num.* 1. & 2. Cornelius, Serarius, Gaſpar Sanchez *in lib.* 4. *Reg. cap.* 8. P. Maſcarellus *in ſuis Diſſertationibus Sacris tom.* 2. *diſſert.* 7. *ſect.* 5.

5 Sit noſtra concluſio cum hac ſecunda ſententia cum qua dicimus, *omnes textus relatos rectè ſtare poſſe ex eo quod Ioram rex Iuda bis patre vivo, regnaverit.* Prob. primo concluſio. Poſito quòd Ioram Iudæus bis regnaverit patre vivente, occaſionibus ſupra relatis tota textuum diſparet implexitas, & antilogia. Sed re ipſa bis, patre vivo regnavit. Ergo omnia ita componuntur. Probo prius mai. poſteà probaturus min. Illa omnia, quæ ex ſuperioribus textibus concilianda reſultant, ſunt hæc. Primo. Quod Ioram Iudaicus regnavit anno 5. Ioram Iſraeliti, & 5. etiam patris ſui Ioſaphat. Secundo. Quod Ioſaphat regnans per 25. annos mortuus fuerit anno 7. Ioram Iſraelitici. Tertio. Quod hic Ioram Iſraeliticus regnare cœpiſſet anno 2. Ioram Iudaici. Sed hæc omnia benè concordant, ſi bis acclamatus fuit Rex Iuda Ioram, patre vivente: ergo, &c. Probatur min. Nam primò ſalvatur primum: quia Ioram Iſraeliticus frater Ochoziæ, 4. *Reg.* 1. incæpit regnare pro fratre ſuo anno 2. Ioram Iudaici, illo ſcilicèt, qui erat 18. completus Ioſaphat, & 2. Ioram filij ſui à prima inthronatione, quando ille perrexit ad bellum Syriæ. Sed quando Ioram Iudaicus cœpit regna-

re absolutiùs vivente patre, fuit anno 23. Iosaphat, scilicèt, quinque post annum illum primum suæ inthronationis, qui erat 17. Iosaphat: ergo clarè resultat, quòd Ioram Iudaicus verè regnare cœpisset anno 5. Ioram Israelitici. Nunc sic, sed hic etiam erat 5. Iosaphat: ergo salvatur, quod Ioram Iudaicus vere regnare cœpisset anno 5. Ioram Israelitici, & quinto patris sui. Min. patet, quia, vt clarè patet ex Torniello anno 3138. *num.* 3. *ex* 4. *Reg.* 8. 16. Iosaphat correptus à Propheta de fœdere cum Achab contra Syros, & nihilominus redux vivus de bello favente Domino, voluit se ex tunc denuo Regem haberi, & inde Regni sui tempora computari. Deindè probatur secundùm: quòd, scilicèt, Ioram Iudaicus, mortuo patre post 25. annos Regni, cœpisset regnare, & quidem anno iam 7. Ioram Israelitici. Computatio est clara: quia quando sic cœpit regnare Ioram Iudaicus cucurrerant anni 7. ab anno 18. finiente Iosaphat, in quo cœpit regnare Ioram Israeliticus. Postremò tertium salvatur, scilicèt, quòd Ioram Israeliticus regnare cœpisset anno secundo Ioramí Iudaici. Nam secundus Ioramí Iudaici erat decimus octavus finiens Iosaphat, qui eum biennio antè proficiscens ad bellum, Regem dixerat: ergo cuncta concordant, si Ioram Iudaicus cœpit regnare semel vivo patre pergente ad bellum; & rursus vivo patre, quando plena, & absoluta fuit ei Regni cura commissa; & tertio, quando mortuo patre regnavit.

6 Probo iam min. Primam totius probationis, quam promisi probare. Tùm, quia vt constat ex notabili 3. valdè verisimile fuit Ioram Iudaicum primò regia potestate ornatum fuisse à patre suo, vt habenas Regni moderaretur, interea dum pater eius personaliter se committebat in varios eventus belli. Itemque cum ex Saliano anno 3143. ipse Iosaphat anno 23. Regni sui bellum grande, & periculosum susciperet contra Ammonitas, Moabitas, & Idumæos, iam ipse senescens filio suo omne ius Regni plenius dispensaret, & largiretur, vt omni eventui prospiceret. Tùm ex verbis Torniello anno 3143. *num.* 2. ibi: „ Vbi „ advertere oportet, necessariò suppo„ nendum esse, quòd iste Ioram bis „ adhuc vivente patre Iosaphat, de„ claratus fuerit Rex, cœperitque con„ regnare patri: siquidem sub anno „ mundi proximè adducto, *num.* 7. di„ ximus, Ioram filium Achab cœpisse „ regnare super Israel anno 18. Regni „ Iosaphat Regis Iuda, qui pariter „ erat annus secundus Regni Ioram fi„ lij ipsius Iosaphat: ergo necesse est, „ quod iste Ioram filius Iosaphat reg„ nare cœperit cum patre anno Regni „ patris sui 17. quemadmodum nos „ sub anno mundi 3137. *num.* 1. iam „ diximus. Hic autem Sacer textus „ iterum dicit Ioram filium Iosaphat „ regnasse anno 5. Regni Ioram filij „ Achab, & pariter anno ipsius Iosa„ phat 5. nimirum, vt diximus à præ„ servatione eius de evidenti mortis „ periculo, qui revera erat Regni Io„ saphat annus 23. vt paulò ante de„ claratum est. Igitur pro certo sup„ ponere debemus ipsum Iosaphat „ prima quidem vice tradidisse filio „ suo Ioram Regis titulum, regnique „ administrationem; idque tantum „ donec ipse de Samaria rediret in „ Ierusalem. Nunc autem cum iam „ senex esset; & forte etiam præ cor„ poris debilitate iam non posset so„ lus omnia Regni negotia sustinere; „ probabiliterque crederet, se non „ valde diu superstitem fore; testa„ mentum suum condidisse; & cæteris „ quidem filijs suis largitum esse mu„ nera, & pensitationes, necnon, & „ aliquot Civitates in Iuda: Regnum „ autem tradidisse ipsi Ioram, eo quod „ esset primogenitus, quemadmodum „ distinctè narratur, 2. *Paralypom.* 21. „ vbi etiam nomina ipsa fratrum dicti „ Ioram recensentur; voluisseque insuper,

„ per, vt ex tunc Ioram poſſeſsionem „ Regni acciperet, ac ſecum actuali- „ ter regnaret. Regnarunt itaque poſt „ hæc pater, & filius tribus annis, vt „ aſſerit Richardus, vbi ſupra, id eſt, „ vſque ad annum Regni Ioſaphat 25. „ expletum, qui fuit poſtremus Reg- „ ni pariter & vitæ ſuæ. Ita luculen- ter Torniellus. *Confirmatur.* Ex 4. *Reg.* 8. *&* 2. *Paralypom.* 21. conſtat, quòd Ioram Iudaicus regnavit 8. annis in Ieruſalem, & mortuus fuit anno 12. Ioram Iſraelitici. Sed hæc in noſtra interpretatione bene cohærent; &, ſi numerantur à morte Ioſaphat, locum non habent: ergo, &c. Min. quoad primam partem patet: quia quando Ioſaphat anno ſuo 23. detulit Regnum Ioramo filio; Ioramus Iſraeliticus habebat 5. annos in Regno ſuo. Sed Ioram Iudaicus regnavit poſteà duos vivo patre, & quinque ſolus, nempè vſque ad 8. incompletos ex Tornello anno 3150. *num.* 5. & illi ſeptem cum quinque Iorami Iſraelitici faciunt 12. ergo, &c. Quoad ſecundam partem patet: quia Ioram Iſraeliticus fuit incipiens regnare anno 18. Ioſaphat, 4. *Reg.* 3. & cum deinceps hic regnaverit vſque ad 25. iam lapſi erant de Ioram Iſraelitico 7. anni, quando mortuus eſt Ioſaphat: ergo non poſſunt currere à morte Ioſaphat vſque ad mortem Ioram filij ſui, niſi 5. vel 6. anni; ſi nimirum Ioram Iudaicus mortuus fuit anno 12. Ioram Iſraelitici.

7 Obijcies 1. Si ita omnia benè componerentur eo eſſet, quia Ioram Iudaicus vitam finiſſet anno duodecimo Iorami Iſraelitici; ſed id videtur non benè componi: ergo omnia non cohærent. Maior noſtra eſt. Prob. min. *lib.* 4. *Reg. cap.* 9. *verſ.* 29. dicitur ſic: *Anno vndecimo Ioram filij Achab, regnavit Ochozias ſuper Iudam.* Ex quo ſic argumentor. Ochozias hic Iudaicus erat filius Iorami Iudaici, & regnavit poſt eum. Atqui regnavit anno vndecimo Ioram Iſraelitici: ergo non pon potuit Ioram Iudaicus mori anno 12. Iorami Iſraelitici. Ad hoc argumentum reſp. negand. min. ad cuius probationem diſting. maior. regnavit præcisè poſt eum, neg. mai. cum eo, & poſt eum, conc. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Itaque, & veriſsimus eſt textus ſuprà tactus, & veriſsimi textus 2. *Paralypom.* 22. *&* 4. *Reg.* 8. *v.* 25. vbi dicitur: *Anno duodecimo Ioram filij Achab, Regis Iſrael, regnavit Ochozias filius Ionam Regis Iuda.* Confirmatur tamen clarè: quatenus Ioram Iudaicus videns ſe vno anno antequàm moreretur morbo valde conflictatum ex prophetia Eliæ 2. *Paralyp.* 21. ſociavit ſecum in Regno Ochoziam filium ſuum, prout ſignificatur 4. *Reg.* 9. Ipſe autem Ochozias Iudaicus regnavit cum Patre ſuo tàm illo anno vndecimo, quàm eo quoque duodecimo, quo pater eius Ioram obijt, qui erat 12. Ioram Iſraelitici. Ex quo fit, quod hi duo anni Ochoziæ, vivo Ioramo, regnantis Chronologiam Regum Iuda nhil ad augeant; & cuncta hactenus recenſita concordent.

8 Obijcies 2. Illa eſt planior, & melior interpretatio, quæ ſimplicius componit, annum quintum Ioram Iſraelitici potuiſſe commodè etiam vocari ſeptimum, quando, videlicèt, mortuus fuit Ioſaphat, & cæpit regnare Ioram filius eius. Sed ita rem exponit Magiſter rei peritiſsimus, vt Abulenſis: ergo hæc interpretatio eligenda eſt. Maior probatur: tùm quia latitudo vnius vel alterius anni ſurſùm vel deorſum præſertim completi, vel incompleti eſt modus ſupputandi valde claſsicus in Sacra pagina, vt eſt notum. Tùm quia etiam veriſimilius, & frequentius eſt appellare initium alicuius Regis regnantis, quando mortuus iam fuit huius Rex prædeceſſor: ergo, &c. Ad hoc argum. reſp. diſt. maior. Si textus vndique ſervat, permitto maior. Si alicubi offendit in eis, neg. maior. & conceſſa min. neg. conſeq. Itaque interpretatio Toſtati ponit Ioram Iſraeliticum cæpiſſe regnare

anno

anno decimonono in fine regni Iosaphat; & sic componere conatur anno quinto Ioram Israelitici regnasse Ioramum Iudæum. Huic tamen obstat textus 4. *Reg.* 3. 1. vbi dicitur: *Ioram filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimooctavo Iosaphat Regis Iuda.* Non ergo potest annus 19. Iosaphat non ingredi tempus regni Ioram Israelitici: quare licèt annum 25. Iosaphat faciat non integrum; semper tamen resultaret, quòd Ioram Iudaicus regnans post Patrem, qui regnaverat annis 25. inciperet regnum suum anno sexto Ioramì Israelitici contra 4. *Reg.* 8. Vnde tali computationi locus non remanet; præterquamquod non benè salvat textum 4. *Reg.* 1. 17. vbi dicitur quod Ioram Israeliticus regnavit anno secundo Ioram filij Iosaphat.

9 Obijcies 3. Tota hæc coordinatio interpretationis caret fundamento, & est inverisimilis: ergo reijcienda: Probatur antecedens quoad primam partem. Nullum datur fundamentum ad asserendum, quòd Ioram Iudaicus elevatus fuerit in Thronum anno 17. Patris sui, dum videlicèt proficiscerctur in Syriam; sed id merè arbitrariè, & accommodatitiè inducitur: ergo, &c. Probo antecedens quoad secundam partem. Quia ponere in vno, & eodem Rege tria initia regnandi, & bis vivo Patre, insolitum, & minus credibile videtur. Ad hoc argum. respondeo neg. antecedens quoad vtramque partem: & in primis ad probationem primæ nego assumptum: datur enim præter morem illius temporis inthronandi filios, vivis adhuc Parentibus, speciale argumentum ex Sacro textu, nempe. Quod ex vna parte 4. *Reg.* 1. constat, quòd Ioram Israeliticus cæpit regnare anno secundo Ioram Iudaici. Et ex alia idem ille Ioram Israeliticus, vt constat 4. *Reg.* 3. cæpit regnare anno decimooctavo Iosaphat ad summum exeunte: ergo, si hic erat secundo Regni Ioramì Iudaici; clarè evincitur, quod anno sui 17. Iosaphat inthronaverat filium suum Ioram, eo nempe tempore, quo in Syriam proficiscebatur. Datur ergo fundamentum, & grave. Ad secundam probationem respondeo, non esse idem aliquid esse rarius, & minus solitum; ac esse inverisimile: quando enim circunstantiæ facilè inducunt, vt id contigisse credatur, verisimile est; licèt id esset ex ijs, quę minus frequenter solent evenire: & ita fuit, semel, & iterum declaratum fuisse Ioram Regem Iuda vivente Patre, licèt tàm Historia, quàm Chronologia verè id ita evenisse convincat.

10 Ad calcem nota duo: alterum ex Cornelio videlicèt, Ochoziam solere diversimodè nominari, scilicèt iam Ioachaz iam Achazias, iam Ochozias. Alterum est ex Tostato videlicèt quod nil cogit ille textus: *Anno quinto Ioram filij Achab Regis Israel, & Iosaphat Regis Iuda*, intelligere annum quintum etiam Iosaphat, vt nos etiam admisimus, & coordinavimus; sed posse intelligi vtrumque Regem solùm corregnando tunc; non vero in anno determinatè *quinto* respectu vtriusque. Et id satis probabile est.

***

QUÆS-

JHS.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

VIGINTI DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS cum regnare cæpiſſet, & vno anno regnavit in Ieruſalem. 4. *Regum* 8.

ARTICULUS.

QUOTO ANNO VITÆ SUÆ REGNARE CÆPERIT OCHOZIAS Rex Iudæ?

SUppono 1. Hunc locum eſſe ex difficilioribus Sacræ Scripturæ, & vbi inter libros Regum & Paralypomenon deprehenditur vna ex celebrioribus antilogijs, quæ ſolent Interpretes multum vexare. Siquidem in textu libri Regum ſuperius allato dicitur: *Viginti annorum erat Ochozias, cum regnare cæpiſſet, & vno anno regnavit in Ieruſalem.* Præterea 2. lib. Paralymop. cap. 22. dicitur: *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cæpiſſet, & vno anno regnavit in Ieruſalem.* In quibus verbis ſtatim ſe prodit implexitas non facilis extricatu, dum alibi elicitur, quòd viginti duorum annorum erat; & alibi quòd erat quadraginta duorum cum regnare cæpiſſet. Præter quæ alia inſurgit difficultas non contemnenda ex numero quadraginta duorum: ſiquidem in eodem *lib. 2. Paralypom. cap.* 21. dicitur quod triginta duorum annorum erat Ioram Iudaicus cùm regnare cæpiſſet, & octo annis regnavit in Ieruſalem. Si ergo Ioram pater Ochoziæ non vixit niſi quadraginta annos ibi dictos; & Ochozias ſtatim regnavit pro eo, quomodo potuit habere quadraginta, & duos annos Ochozias cum regnare cæpiſſet? Hic ergo nodus eſt in preſenti ſolvendus.

2 Suppono 2. Quòd ſi in aliquo caſu liceret in expoſitione locorum pugnantium confugere ad aliquem Typographorum lapſum; poſſet hic fieri aliquantulò liberius: tùm quia locorum pugna manifeſtiſsima eſt, & via conciliacionis acclivis rara, & aſperrima: tùm quia Authores, totius litteræ integræ multùm tenaces, hic ſuccumbere non erubeſcunt, vt D. Hieronymus 2. *Paralypom.* 22. Cornelius, Tyrinus, Caietanus, Mariana, Bellarminus in manuſcripta concordia annorum regum Iſrael, & Iuda, quam citat Cornelius, Torniellus anno 3108. Salianus anno 3150. Turſelinus *cap.* 5. Chronologiæ *quæſt.* 13. Verumtamen non placet eam viam perſequi, etiam propter plura. Nam in primis maior eſt numerus eorum, qui vtramque lectionem ſervari malunt. Deinde quia con-

cordant exemplaria Vulgata Hebræa, & Septuaginta Regia, & Complutenſia. Poſtremò quia numeri in Originali Hebræo appoſiti non ſunt dumtaxat per elementa arithmetica deſignati, in quibus potuiſſet facilius lapſus irrepere : ſed per integras voces exarati. Quare aliunde nobis eſt ad facilem exitum via carpenda.

3 Suppono 3. Ochoziam Iudaicum, licèt verè eſſet rex Iuda, tamen magna ex parte ad regnum Iſraelicum pertinuiſſe, ſiquidem erat filius Athaliæ, & verus nepos Amri regis Iſrael: vnde dum in prædictis locis tenor vitæ ipſius deſcribitur; potius exponitur per lineam regis Iſrael, quàm per lineam regum Iuda, & licèt Ioram Iudaicus pater eius, fuerit malus; tamen malitia Ochoziæ potius explicatur, dicendo 4. *Reg.* 8. 27. *Et ambulavit in viis domus Achab: & fecit quod malum eſt coram Domino, ſicut domus Achab: gener enim domus Achab fuit.* Vnde licèt verum ſit, & planè conſtet, tùm Ioram Iudaicum, tùm filium eius Ochoziam cum ſtyrpe Iſraelitica iam coniunctos media Athalia vxore Ioram, & Matre Ochoziæ, ad regnum Iſraeliticum acceſiſſe vita, & moribus; dubium tamen eſſet ſolet; an talis Athalia fuerit filia Amri, vt vocatur 4. *Reg.* 8. 26. 2. *Paralypom.* 22. vel filia Achab, vt vocatur 4. *Reg.* 8. 18. & 2. *Paralypom.* 21. D. Hieronymus cenſet eam fuiſſe filiam Amri, & immitatione dictam filiam Achab; cæterum communius eſt teſte Maſcarello noſtro, eam fuiſſe filiam Achab, & neptem Amri, quo nomine non eſt infrequens filias appellari.

4 Suppono 4. Regnum Iſrael communiter explicari ſolere in Sacra pagina per Samariam, quare viciſsim eſt pervium per Samariam Regnum Iſrael à nobis computari : eo enim modo à nobis accipienda eſt Sacra Scriptura, prout ipſa ſe explicare conſueſcit. Ex quo oritur, vt ſicut in Romano Imperio vſitatum eſt ab vrbe Roma eius capitali Epocham figere, & annos ab vrbe condita recenſere; ſic ſimiliter nil videtur eſſe proclivius, quam Regnum Iſraeliticum computare ab vrbe eius capitali Samaria condita, ita vt ex quo ea condi cæpit; Regnum Iſraeliticum ritè poſsit computari. Nunc verò à quo Rege Iſrael ipſa condita fuiſſet liquet ex Sacro textu 3. *Reg.* 16. *v.* 24. vbi dicitur de Amri: *Emit quoque Montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti, & ædificavit eum, & vocavit nomen Civitatis, quam extruxerat nomini Somer Domini Montis, Samariam.* Ex quibus apparet, quòd ab eo anno, quo Amri condidit Samariam, Regnum Iſraeliticum legitimè computabitur. Poſt Amri autem regnavit filius eius Achab, & poſt hunc Ochozias ex parte Patris de ſtirpe Iſraelitica, qui citò mortuus regnum reliquit fratri ſuo Ioramo Iſraelitico: Iam ergo ex hiſce filis hac, & illac pendentibus reliquum eſt prædictæ antilogiæ ſtabilire concordiam.

5 His poſitis prima ſententia aſſerit, Ioram ab anno 5. Ioſaphat Patris ſui regnaviſſe cum eo 20. annos, & totidem cum eo filium ſuum Ochoziam ab ætate 22. annorum; quando vero hic ſolus regnavit fuiſſe 24. annorum : ponunt tamen talem Ioram cæpiſſe regnare cum Patre dum eſſet 25. annorum, & ad 60. annos vixiſſe; necnon tres corregnantes inducunt Ioſaphat, Ioram, & Ochoziam. Ita Hieronym. *in Traditionibus* Gloſſa, Lyra, Hugo, Dioniſius, Gordonus, Mendoza, Vatablus, P. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. d.* 6. *ſect.* 1. Secunda ſententia eſt eorum, qui mendum irrepſiſſe arbitrantur, & librum Paralypomenon à libro Regum correctum iri. Ita Cajetan. Bellarminus vbi ſuprà, Mariana, Torniellus, Salianus, Cornelius. Tertia ſententia aſſerit, Ioram cum Patre ſuo ſolum regnaſſe 8. annis, & eo mortuo 20. ſed tam infeliciter ex morbo, vt totos 20. annos cum eo regnaverit Ochozias, incipiens 22. anno-

annorum : quare mortuo Patre ſuo Ioram cæpit regnare ſolus, cum eſſet 42. annorum. Ita Gaſpar Sanchez cum alijs. Quarta ſententia tenet numerum 22. poſitum pro Ochozia cum regnare cæpit, fuiſſe numerum ætatis ; numerum verò 42. appoſitum in *lib. Paralypom.* fuiſſe numerum, & computum regni Iſraelitici. Ita Chronologia maior Hebræorum, Genebrardus in Chronologia, Serarius in Reg. Maſcarellus *tom. 2. diſſert. 8. ſect. 7.*

6 Si noſtra concluſio : *Quod in libris Regum traditur numerus 22. annorum loquendo de ætate Ochoziæ, dum regnare cæpit ; & in lib. Paralypom. numerus 42. loquendo de annis regni Iſraelitici.* Prima pars facilè probatur ſic. Tex-
„ tus *lib. 4. Reg. cap. 8.* ait clarè. Viginti
„ duorum annorum erat Ochocias cum
„ regnare cæpiſſet. Sed hic numerus nihil habet impedimenti, vt ſumatur pro ætate Regis introeuntis, quemadmodum alias fieri conſuevit : Ergo de ætate ſumendus eſt. Min. patet ex eodem *cap. 8.* conſtat quod pater eius Ioram Iudaicus erat 32. annorum cum regnare cæpit, & 8. annis regnavit in Ieruſalem. Sed ſi Ioram genuit filium ſuum Ochoziam anno ſuo 18. qui erat aptiſsimus, reſtant 22. Ochoziæ vſque ad mortem patris : ergo, &c. Probo ſecundam partem concluſionis difficiliorem primo ſic. Nihil magis congruum eſt, quàm, vt in eo regno recenſeatur aliquis rex, ad quod ſub aliqua ſucceſſione directa verè pertinet ; & qui cum regibus talis regni convivit atque moribus, & vita etiam cohæret. Sed Ochozias directa ſucceſsione ex parte matris Athaliæ veniebat ex regibus Iſrael ; & cum eis convivebat, & moribus concordabat : Ergo iure merito credi debebit, per Epocham regum Iſrael recenſeri : præſertim, ſi appoſita numeratio ritè quadrat ſic intellecta ; & ſecus inconciliabilis eſt. Nunc ſic. Sed res ita ſe habet : ergo talis numerus 42. annorum potius ad regnum Iſrael accenſendus eſt. Min. ſubſumpta quoad 2. partem eſt clara : ſiquidem multi, & nobiles Authores ab huius antilogiæ concordia deſperant, non quatenus in re illa non detur ; ſed quatenus ipſam non ſint aſſequuti. Probatur quoad primam partem. Regnum Iſraeliticum poteſt, & debet legitimè computari ab anno 4. regis Amri. Sed à tali anno procurrunt facilè 42. anni in Chronologia, quouſque regnare cæperit Ochozias : ergo, &c. Minor patet. Quia Amri regnavit 12. annis *ex 3. Reg. 16.* Et Achab regnavit 22. vt in fine quæſtionis oſtenditur, deinde Ioram filius Achab regnavit 12. annis, vt conſtat ex textu 4. *Reg. 8. 25.* & Chronologijs. Sed facta computatione ab anno 4. Amri, de quo reſtant 8. anni ſimul cum reliquis relatis faciunt 42. ergo talis numerus quadrat cum initio regni Ochoziæ. Probo iam maiorem illam, quòd ſcilicèt regnum Iſraeliticum computari poſsit ac debeat ab anno 4. regis Amri. Nam hic condidit Civitatem capitalem Samariam anno ſcilicèt 4. regni ipſius. Sed à condita Samaria potuit ac debuit regnum Iſraeliticum computari : ergo, &c. Minor conſtat ex notabili 4. Maior probatur. Amri condidit, & ædificavit Samariam anno 31. Asà quando videlicèt mortuo ſuo æmulo Tebni regnavit pacificè *ex 3. Reg. 16. v. 23.* Et vt conſtat ibidem *verſ. 15.* anno 27. Asà Regis Iuda factus eſt Amri rex Iſrael licèt æmulum haberet Tebni, qui diviſum habebat populum ; ſed ab anno 27. Asà regis Iuda vſque ad 31. currunt omnino 4. anni : ergo anno 4. Amri pacificè regnantis ædificata fuit Samaria.

7 Probatur 2. pars illa ſecunda principalis noſtræ concluſionis. Optimus modus intelligendi, & accomodandi talem numerum 42. eſt, ſi id fiat concorditer cum textu alio de re loquente, iuxta ſtylum recenſendi annos in libris Regum, & Paralypomenon, & iuxta rigorem litteræ originalis. Sed his omnibus modis confici

ficitur noſtra interpretatio dum eos 42. annos adſcribit Regno Iſraelitico potius, quàm perſonali ætati Ochoziæ: ergo ea tenenda eſt. Probo min. per partes. Et in primis patet prima: quia ſub iſta conſideratione illæſus manet ille numerus 22. annorum, quos habuiſſe dicitur Ochozias, (ſivè Ioachaz, vt appellari ſolet in Paralypom.) quando regnare cœpit. Probatur 2. pars in hunc modum. Stylus recenſendi annos in libris Regum, & Paralypomenon talis eſt, vt viciſſim indicentur anni Regum Iuda per annos Regum Iſrael, & anni Regum Iſrael per annos Regum Iuda: & quidem aliquando indicatur potius annus Regni, quàm annus perſonæ. Sed id eſt, quod aſſumimus, quando, videlicet, exponimus Ochoziam Regem Iuda cœpiſſe regnare, quando Regnum Iſrael ab vrbe ſua condita agebat annum 42. ergo, &c. Mai. quoad principale aſſertum conſtat paſsim: quia anni Regum Iſrael notantur per annos Regum Iuda, v.g. 3. *Reg. cap.* 15. *verſ.* 15. vbi de Nadab, dicitur: *Regnavit ſuper Iſrael anno ſecundo Asà Regis Iuda.* Et ſimiliter *verſ.* 33. *& cap.* 16. *verſ.* 8. *& lib.* 4. *Reg. cap.* 16. *verſ.* 23. Itemque anni Regum Iuda per annos Regum Iſrael 3. *Reg.* 15. *verſ.* 1. ibi: *In octavo decimo anno Regni Ieroboam filij Nabath regnavit Abiam ſuper Iuda.* Et ſimiliter *verſ.* 9. *& cap.* 22. *verſ.* 41. Deinde quoad ſecundarium aſſertum conſtat *ex* 1. *Reg.* 13. vbi dicitur, quod *filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet*: vbi nos paulò ante cum præclaris Doctoribus ſuſtinuimus, ibi non ætatem Saulis deſignari, ſed tempus Regni, & Epocham Regum, quam inde ſigi oporteret: ergo, &c. Probatur 3. pars, quod, ſcilicèt, id ritè ferat littera originalis Hebraica. Nam hæc ad litteram, ſic habet: *Et quadraginta duo anni Ochozias in regnare ſuum.* Sed hæc verba benè admittunt, quòd ſit tempus Regni, non perſonæ: ergo, &c. Mai. patet ex Grammatica Hebraica, vbi cum infinitivo adiungitur vna ex litteris *Beclam* ad formanda gerundia cum modis amplis ſignificandi: quare, licèt ad modum ſubiunctivum, quo carent Hebræi, trahi poſſint; tamen non eſt ita neceſſe; ſed exprimi poteſt ſignificatio correſpondens genitivo, & gerundio limitato ad litteram præpoſitam. Min. etiam conſtat: quia illa verba *quadraginta duo anni Ochozias in regnare ſuum* facilè æquivalent his *Regnum Ochoziæ quadraginta duorum annorum erat; & anno vno regnavit ipſe in Ieruſalem.* Vel ſic: *Filius aut deſcendens quadraginta duorum annorum in regnare ſuum erat Ochozias.* Siquidem Ochozias Rex Iuda etiam ex parte matris trahebat ius Regni Iſraeliticì. Ergo de primo ad vltimum ſolida, & legitima videtur noſtra interpretatio.

8 Obijcies 1. Hæc interpretatio violenta eſt, & non cohærens cum ſtylo Sacræ Hiſtoriæ Regum Iſrael, & Iuda: ergo reijcienda eſt. Probatur antecedens. Licèt talis ſtylus ferat indicare annos Regum Iuda per Reges Iſrael, & è contrà; atque nonnumquam ſignet potius tempus Regni, quàm ætatem Regis regnare incipientis; nuſquam invenitur, quod notetur tempus, & Epocha Regni pro aliquo Rege, qui non fuit Rex talis Regni. Sed id eſt, quod nos dicimus: ergo non niſi perperam, & violentè. Mai. eſt evidens in textu Sacro. Min. eſt manifeſta: quia nos dicimus, quòd tempus Ochoziæ deſignatum quagraginta duorum annorum, fuit tempus, & Epocha Regni Iſraelitici. Sed Ochozias de quo eſt ſermo, filius Ioram fuit Rex Iuda, & non Iſrael: ergo, &c. Ad hoc argumentum verè difficilè, & premens, reſpondeo: diſtinguendo mai. Si neque Rex fuit *in re neque in iure*, & *contubernio*, concedo mai. Si licet *non in re*; *fuerit in iure*, & *contubernio*, neg. mai. & reſpectivè diſtincta min. nego conſequentiam. Itaque præ oculis habendum eſt, quòd cum Ioram Rex Iu-

da

da duxerit Athaliam de ſtirpe Achab, & moribus, & vita conviverent; Ochozias ex Athalia genitus tàm iure ex parte matris, quàm ipſo contubernio moribus, & amore in familia ſtirpis Iſraeliticæ computari poſſet ac deberet: præſertim cum quaſi religioſum eſſet, & appareret ſcribenti Hiſtoriam de ſtirpe Achab, & propagine non computare inter Iſraeliticum ſemen Ochoziam, licèt alioqui regnantem in Iuda. Ea propter Epocha regni Iſraelitici tàm attinebat *ex parte matris* ad Ochoziam regem Iuda, quàm *ex patre patris* Epocha, & Chronologia regni Iudaici: cumque ad hanc vtramque lineam ſpectaſſet Scriptor Paralypomenon, qui fecit duos libros de *prætermiſſis* in Hiſtoria Sacra; vt vidit circa Ochoziam per ætatem eius 22. annorum ſignatam fuiſſe Chronologiam Iudaicam; voluit ipſe ſignare quoto anno ſuæ ſtirpis Iſraeliticæ ipſe regnaſſet: ſicut Lucas ad genealogiam naturalem Matthæi, legalem adiecit.

9 Obijcies 2. Noſtra interpretatio fundatur in eo, quod Amri fundaverit Samariam. Sed id eſt falſum: ergo interpretatio non eſt recta. Probatur min. Temporibus Ieroboam multo tempore ante Amri invenitur condita Samaria: ergo, &c. patet antecedens. Quia 3. *Reg.* 13. *v.* 32. habetur ſic: *Profectò enim veniet ſermo, quem prædixit Dominus contra altare, quod eſt in Bethel, & contra omnia fana excelſorum, quæ ſunt in vrbibus Samariæ, &c.* ergo ante Amri fit mentio Samariæ. Ad hoc argumentum reſp. 1. Ex Cornelio, & Tyrino, negando min. & ad eius probationem, diſt. antecedens. Condita Samaria, id eſt *relata per anticipationem.* Conced. anteced. *verè primitus Condita,* neg. antecedens. Et ad textum probativum dico, quod cum tempore, quo ſcribebatur liber tertius Regum iam eſſet condita vrbs, & appellata Regio Samaria, potuit optimè capite 13. nominare Samariam, quam poſtea conditam ab Amri eſſet relaturus, *cap.* 16. Non ſecus ac dicitur in Evangelio tempore electionis Apoſtolorum de Iuda, qui *& tradidit eum*; cum necdum Dominum tradidiſſet; eo videlicèt, quod quando Evangeliſta ſcribebat verè ipſe iam tradiderat. Hæc ſolutio claſsica quidem eſt, & quaſi via regia in locis Biblicis. Neſcio autem an futura ſit germanior hæc ſolutio ſecunda ſubſequutura. Ex ea pergendum eſt negativè vſque ad verba textus, quæ ad probationem inducuntur, ijſque conceſsis, nego conſequentiam. Quia ibi non eſt ſermo de Civitate; ſed de Regione aut Provinciè dicta Samaria: quæ fortè erat ditio illius Reguli, vel Optimatis appellati *Somer* ab eo dicta *Samaria*; quin id obſtaret quominus poſtea vrbs ſic vocata ædificaretur. Non ſecus ac ſi in ditione aut Ducatu Vulgo *del Infantado*, qui Antonomaſticè ſic nominatur modo quis partem emeret, & inibi ædificaret Civitatem appellandam *el Infantado.* Cum ergo *Somer* hebraicè, idem ſit ac *cuſtodiens*; poterit quidquid cub eius manu erat appellari Samaria, vel Cuſtodia: atque reapſe inter præclaros FF. Minores Cuſtodia, & Guardiania quaſi ditionem quandam locorum includunt.

10 Obijcies 3. Supputatio adhuc ita facta claudicat: ergo tenenda non eſt. Probo antecedens, ponit regnum Iſraeliticum à Condita Samaria per Amri, ſumendo huius Regis octo annos. Sed totidem annos in Regno Samaritano habere non potuit: ergo ſupputatio claudicat. Probatur minor. ex 3. *Reg.* 16. 13. ibi: *Regnavit Amri in Iſrael duodecim annis; in Therſa regnavit ſex annis.* Sed ex hoc textu non potuit regnare in Samaria, quò ſe tranſtulit, niſi alios ſex: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſp. neg. ant. ad cuius probationem, diſt. mai. à Condita Samaria, id eſt, *iactis fundamentis, & cæpta fabrica,* conc. mai. *ab abſoluta penitus Samaria,* neg. mai. & diſt. min. *occupata Samaria per Sedem Regiam* per-

mitto min. *deſtinata, & cepta fabrica pro Throno*, neg. mai. & conſeq. Itaque ſicèt regnaverit Amri ſex annis in Therſa (quoquomodo ipſa per Zambri tyrannum vaſtata, & incenſa, permanſiſſet, ſiquidem eius Dominus erat Amri) id non tollit quominus à quarto anno Regni ſui, quando vrbs fuit vaſtata, & Zambri ambuſtus in Palatio ſuo, Amri pro nova ſede conſtruenda ſtatim novæ Samariæ ædificationem inciperet, & ad eam, vbi abſoluta fuiſſet, ſuam ſedem tranferret. Ex quo patet quod poſſunt quamoptime ſumi de Amri, qui regnavit duodecim annis, octo ab vrbe condita Capitali ſui Regni Iſraelitici.

11 Ad calcem obſerva 1. Quanto cum iure hactenus dictum ſit, quod Regnum Ochoziæ poterat ritè per Epocham Iſraeliticam recenſeri: ſiquidem 3. *Reg.* 12. manifeſtè dicitur quod Iehu perſequutus Domum Achab, propterea infectatus quoque fuit Ochoziam, quem ideo interfecit. 2. Quod ſi de Ochozia dicitur 4. *Reg.* 8. quod erat gener Achab; vel debet intelligi lata ſignificatione, quia erat filius generi eius, ſcilicèt, Ioram, qui duxerat Athaliam filiam Achab; vel quia ipſe Ochozias aliam neptem Achab ex alia eius filia duxiſſet. 3. Duplicem Ochoziam tàm Iudaicum, quàm Iſraeliticum non augere Chronologiam vtrorumque Regum. *Non Iudaicus*, quia eodem anno 8. Ioram Patri ſui cæpit cum eo regnare, vt ait Maſcarellus *differt.* 8. *ſect.* 8. & eo mortuo ipſe quoque tàm brevi interijt vt eodem anno regnaret Athalia eius mater: vnde quando vnus ei annus adſcribitur in Chronologia; non integer, & ipſi ſoli adſcribendus eſt. *Non etiam Ochozias Iſraeliticus* eſtò de eo conſtet 3. *Reg.* 22. 52. quòd duobus annis regnavit in Iſrael. Quia ipſe regnavit vivo patre Achab anno 17. Ioſaphat concurrente cum 21. Achab: quare ſi duobus annis dumtaxat regnavit mortuus fuit anno 18. Ioſaphat, qui fuit 22. & vltimus Achab, & primus Ioram Iſraelitici: clauduntur ergo duo illi anni Ochoziæ Iſraelitici in duobus poſtremis Achab patris ſui: Quod autem hic regnaverit 22. annos ſit clarum: tùm quuia cæpit regnare *ex* 3. *Reg.* 16. anno 38. Asà Regis Iuda, qui regnavit 41. & cui ſucceſsit Ioſaphat. Atqui anno 18. Ioſaphat cæpit regnare Ioram Iſraeliticus filius Achab: ergo ex 4. qui ſuperſunt de Asà, & 18. de Ioſaphat ſiunt clarè 22. quos regnavit Achab. Tùm quia *ex* 3. *Reg.* 22. *v.* 41. Ioſaphat Rex Iuda cæpit regnare anno 4. Achab Regis Iſrael. Atqui anno 18. Ioſaphat mortuus fuit Achab, & cæpit regnare Ioram filius eius, vt conſtat *lib.* 3. *Reg. c.* 3. *v.* 1. ergo vndequaque clareſcit, quòd Achab regnavit 22. annos. Obſerva 4. Quod ſi aliquam Theſim ex his, quæ differunt de Regum temporibus ſuſtinere debueris, oportebit habere benè perſpectam Chronologiam, & Chronotaxim Regum, quam *pag.* 48. & 49. exhibuimus, neque ab ea inibi facta computatione quæ ad Sacram paginam accommodata eſt, facilè dimoveri: cùm, enim ea brevis tabella ſit; facilè addiſci poterit, & ſi aloqui res non benè teneatur; poterit fortè obijciens aliquod ordiri, vnde no fæliciter expediaris.

***

QUÆS-

JHS.

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

DECEM ET OCTO ANNORUM ERAT IOACHIN, CUM regnare cœpiſſet, & tribus menſibus regnavit in Ieruſalem. *Lib. 4. Reg. cap. 24. verſ. 18.*

ARTICULUS.

QUOTUM ANNUM AGERET IOACHIN, CUM regnare cœpit?

1 SUppono primo. Priuſquam perveniamus ad difficultatem ſpecificam huius loci, in quo quorumdam Regum Iuda, & Iſrael Chronologias examinare decrevimus; aliam circa hoc nomen *Ioachin* generaliorem difficultatem exſurgere, quæ nos in denſam diſputationem immergit: ſiquidem ex vna parte videmus 4. *Reg.* 24. duos recenſeri Ioachin, ſibi in Regno Iuda proximè ſuccedentes. Ex alia vero parte, inquit Matthæus *cap.* 1. Ioſiam genuiſſe Iechoniam; cumque, vbi recenſentur filij Ioſiæ, nuſpiam inveniatur talis Iechonias, ſed Ioachin; imò & augeatur difficultas, quia vna generatio deeſſe videtur ad complendas teſſeradecadas recenſitas *in cap.* 1. *Math.* videtur oportunum priuſquam ſuperiora hæc puncta multum implexa pœnitùs dirimantur; ſaltim explicita curſim hac controverſia, fixum in primis notumque habere Ioachimum illum, de quo examinanda eſt noſtra Chronologica diſputatio. Itaque interea-dùm, Deo dante, magis ex profeſſo res tota diſcutitur, ſatis erit ex Maldonato noſtro, qui *Math.* 1. *verſ.* 11. rem tradidit luculentius, id aliquatenus explicare. Igitur Ioſias *ex* 1. *Paralypom.* 3. quatuor habuit filios, ſcilicèt Iohanam, qui appellabatur Ioachaz, vt conſtat 4. *Reg.* 23. 30. & 31. Secundum Ioakim, tertium Sedeciam, vel potius Mathaniam, poſtea appellatum Sedeciam 4. *Reg.* 24. & quartum Sellum. Cumque Nechao Rex Ægypti occidiſſet Ioſiam, & Ioachaz primogenitum eius in Ægyptum tranſtuliſſet; conſtituit Regem Ioakim ſic nominando eum, qui antea appellabatur Eliacim *ex* 4. *Reg.* 23. 34. Hic autem Ioakim alium filium genuit Ioachin, qui nullos fratres habuit, & per Nabuchum fuit translatus in Babyloniam, ſuffecto in locum eius Mathania patruo eius, vocatoque Sedecia. Hic igitur Ioachin diſcrepat à parente ſuo in nomine: quia nomen patris eius ſcribitur per *Koph*, & *Mem*, & nomen ſuum per *Caph*, & *Nun*. Et quidem hic poſtremus eſt, de quo quæſtio noſtra procedit,

cedit. Vter verò illorum appellatus sit Iechonias? Hoc opus hic labor est. In quo pœnè vniversorum sententia est, vt se explicat Maldonatus, fuisse illum Ioakim filium Iosiæ, & qui fratres habuit; tametsi non modicum laboretur in componenda vna generatione, quæ videtur ibi deficere. Maldonatus autem noster tenet Ioachin filium Ioakim, & nepotem Iosiæ fuisse Iechoniam ex multis locis Sacræ paginæ, scilicèt, 1. *Paralypom.* 3. 16. *Ieremiæ* 17. 1. 28. & 24. 1. & 27. 20. & 28. 4. & 29. 2. & 31. 1. De quibus, tam multis locis res apparet verosimilior; nisi quod hic nullos fratres habuit. Perdoctus autem Præsul Illust. Siuri rem componit quatenus vox illa bis repetita in Matthæo Iechonias duplicem Iechoniam significat vnde, & nulla deesset generatio, & nomen Iechoniæ ex vtraque parte verificetur. Sed hinc redeuntes ad nostrum articulum, iam de antilogia Chronologica disputamus.

2 Suppono 2. Difficultatem iactam enasci ex duplici loco Reg. & Paralypom. solemniter discrepante in annis, quos habebat Ioachin cum regnare cœpisset. Nam *lib.* 4. *Reg. cap.* 24. dicitur: *Decem & octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpisset; & tribus mensibus regnavit in Ierusalem.* Ex alia verò parte *lib.* 2. *Paralypom. cap.* 36. *v.* 9. dicitur sic: *Octo annorum erat Ioachin, cùm regnare cœpisset; & tribus mensibus, & decem diebus regnavit in Ierusalem.* In quo secundo textu datur duplex discrepantia cum primo, scilicèt, prima quoad excessum annorum, qui apparet *in lib. Reg.* respectu Paralypom. & secunda quoad decem dies appositos in Paralypom. & deficientes in textu Regum. Qui nimirum dies obstant alicui viæ compositionis, quæ fortè parari posset, si diceretur quòd sine vllo defectu, & eiusdem vocibus vtrobique acceptis, res tota cohæreret cum mera transpositione illius vocis *decem*, quæ in textu Regum esset ante ly *octo*; & in textu Paralypomenon, saltu typographico, vt sæpè fit, esset postposita. Quod non esset vitium, aut corruptio; sed solum diversa collocatio: cuius ordo servandus ad Doctores, & Interpretes attineret: non secùs ac ad ipsos attinet, dum dicitur: *Vidit David ex adverso mulierem lavantem se super Solarium suum*, trahere illas voces ex loco vbi repositæ sunt ad situm anteriorem, vbi sic dicant; *Vidit David super Solarium suum, &c.* At hæc subtilitas, quæ non esset fortè invenusta, neque importuna penitùs dissipatur per illam vocem *dies* ibi repertam. Quare pro resolvendo articulo alias semitas vestigabimus.

3 His positis triplicem in hac re invenio sententiam. Prima est illa quæ asserit, rem hanc dumtaxàt componi oportere potiùs correctione alterutrius loci vitiati, & corrupti librariorum incuria, quàm aliqua concordia. Hanc sententiam tuetur Mag. Melchior Canus *de Locis Theologicis*, dum venit ad nostrum textum *lib.* 2. *Paralypom. cap.* 36. *vers.* 7. Secunda sententia asserit rem ita posse componi, vt salvet vtrumque textum, quatenus Ioachin octo esset annorum, quando cœpit regnare cum patre, tanquam legitimus successor ab ipso renuntiatus; esset verò decem & octo annorum, quando cœpit regnare post mortem patris sui. Hanc sententiam, vt communiorem sequuntur Abulensis *in* 4. *Reg. cap.* 24. *quæst.* 8. Gaspar Sanchez 4. *Reg.* 24. Ianssenius *in Concordia cap.* 6. *pag.* 47. *colum.* 2. *littera C.* Salianus anno mundi 3427. *num.* 1. Cornelius 2. *Paralypom.* 36. P. Mascarellus *tom.* 2. *dissertationum dissert.* 9. *sect.* 1. Tertia sententia asserit id debere componi quatenus octavus ille annus memoratus in libro Paralypom. fuerit octavus respectu Regis Babylonis, qui eum Regem constituit; annus verò decimusoctavus memoratus in libris Regum fuit ætatis, quam habebat Ioachin cum regnare cœpit. Hanc sententiam

tiam tenet Genebrardus in ſua Chronographia anno 3569. Eamque putat probabilem Maſcarellus *tom. differt. 9. ſect.* 1.

4 Sit noſtra concluſio cum tertia ſententia, cum qua dicimus: *Octo annos memoratos in lib. Reg. non fuiſſe ætatis; ſed regni Nabuchodonoſoris reſpectu talis Ioachin ſeu Iechoniæ.* Probatur noſtra concluſio primò. Quoties in ipſa Sacra pagina intra idem caput, vbi apparet aliqua àntilogia numerorum reſpectivè ad alium librum Sacri Textus; poteſt res concordari, debet fieri; intra idem caput, ſi intra ipſum caput reperitur accommodatus locus ille, vel numerus vterque qui alioqui inter ſe pugnare videtur. Sed *lib. 4. Reg. cap.* 24. invenitur quod Ioachin cæpit regnare, cùm eſſet decem, & octo annorum, & ibidem invenitur numerus ille *octo annorum* (qui in libro Paralypomenon eſt, & cum eo pugnare videtur) in ſenſu planè accommodo, & concordi; ponendo videlicèt quod tales octo anni non erant ætatis, ſed regni Nabuchi: ergo ita illi octo anni accipiendi ſunt. Maior videtur clara. Nam ſi in præſenti capite circa aliquam perſonam non ſolum ponitur vnus numerus, ſed etiam ille alius, qui alibi apparet vt pugnans; debebit ſumi prout ibi apponitur, eo quòd cohærentia rerum magis ſumenda eſt ex ijs, quæ in eodem tractu, & circumcirca eſſe ſolent, quam longe peti. Minor probatur. Quia *lib. Reg. cap.* 24. poſtquam *verſ.* 6. dicitur: *Et Regnavit Ioachin filius eius pro eo*: id eſt pro Ioakim, ſubditur, *v.* 8. *Decem, & octo annorum erat Ioachin cum regnare cæpiſſet; & tribus menſibus regnavit in Ieruſalem.* Poſtremo, *v.* 10. dicitur: *Et egreſſus eſt Ioachin Rex Iuda ad Regem Babylonis ipſe, & mater eius, & ſervi eius, & principes eius, & Eunuchi eius, & ſuſcepit eum Rex Babilonis anno octavo regni ſui.* Atqui hi octo anni planè erant à Regno Nabuchi: & Ioachino incipienti regnare ritè quadrare poſſunt: ergo, &c, Minor quoad primam partem in primis conſtat ex textu: ſiquidem de tali Ioachino, ita vt totidem annos in regno habuiſſet, intelligi non poterat, quandoquidem regnare incipiebat. Deinde conſtat ex Hiſtoria, & Chronologia: quia anno 4. Ioakim patris huius Ioachin ſeu Iechoniæ incæpit regnare Nabuchodonoſor: & cum talis Ioakim regnaſſet vndecim annis, vt conſtat in noſtra Chronotaxi, *pag.* 48. clarè conficitur quod quando cæpit regnare Ioachin filius eius pro eo; erat octavus annus Nabuchi: qui primo anno regni ſui venit contra Ioakim regem Iuda. Secunda pars etiam conſtat, quia noſter Ioachin non incipiebat regnare tunc niſi beneficio, & permiſſu Nabuchi. Atqui veriſimile eſt quod anni alicuius incipientis regnare attribuantur ei non tàm propter tempus elapſum in perſona ſua regnante, quàm in ipſa poteſtate regnandi ultè, & principaliter ſumpta: ſiquidem illa perſona non regnat niſi ex illa poteſtate: ergo, &c.

5 Confirmatur. Nihil magis veriſimile eſt; quàm, vt anni alicuius regnantis computentur ab aliqua æra ſeu Epocha tunc recenti, & concurrente atque in Sacra pagina vſurpari ſolita. Sed ſic ſe habebat Æra vel Epocha Nabuchi, quando Ioachin incæpit regnare: ergo, &c. Min. patet: Tùm quia æra Nabuchi ſatis nota eſt inter Chronologos licèt inter illas inſigniores quas in apparatu retulimus, non ſit repoſita, niſi confusè cum æra Nabonaſſaris. Et præterea, vt conſtitit, tunc erat recens, & cum Ioachino concurrens. Tùm ex verbis appoſitis Genebrardi in Chronographia anno 3569. ibi: *Tùm regnare cæpit Ioachin quando rerum potiebatur Nabuchodonoſor iam annos octo: vt iam non ſit quæſtio de incundo regno more maiorum, ſed præcario, & alteri obnoxio. Hinc numerat aliquando Scriptura annos à Nabuchodonoſore ſive ab illa prima tranſmigratione, vt Daniel.* Ergo de primo ad vltimum ta-

lis ſupputatio eſt nota, eſt nata eo loci vbi antilogia poſſet oriri, eſt vſitata in Scripturis: ergo retinenda. Confirmatur 2. Littera originalis hebraica apertè permittit quod intelligatur initium regni Ioachin de anno octavo Nabuchi. Sed hoc modo res tota cohæret; & ſi ita cohæret præferenda eſt: ergo talis intelligentia eſt præſtantior. Min. patet: quia ex vna parte tollitur offendiculum; & ex alia quoties originalia declarant Vulgatam; in pretio habenda ſunt. Probatur maior. „ Littera hebraica ſic habet: filius octo „ annorum vel octavi anni Ioachin in „ regnare ſuum. Sed hęc verba permittunt loqui de octavo anno Nabuchi: ergo, &c. Probatur antecedens. Poſſunt ita intelligi *filius Ioachin in regnare ſuum, vel in regno ſuo, &c.* Ideſt. *Natus fuit in regnare ſuum Ioachin anno octavo.* Ergo relinquitur quod talis octavus numeratur ab Epocha currenti. Antecedens conſtat, quia in Scriptura numeri cardinales pro ordinalibus vſurpantur etiam frequenter in primo denario. Ergo de primo ad vltimum illi octo anni, quos de exordio regni Ioachin numerat *lib. 2. Paralyp.* intelligendi ſunt de Nabuchodonoſore regnante.

6 Obijcies 1. Hæc compoſitio, & interpretatio eſt violenta: ergo repellenda eſt. Probatur anteced. Ea inducit in Chronologia Regum ſupputationem gentilicam: ſed id eſt contra tenorem Sacræ Scripturæ: ergo eſt interpretatio violenta. Mai. patet: probatur min. Stylus Scripturæ eſt declarare Chronologiam Regum pœnes duas Ephochas regni Iuda, & regni Iſrael: Ergo tranſilire ad intrudendam computationum gentilicam, eſt contra ſtylum Sacræ Scripturæ. Ad hoc argum. reſpondeo; negando antecedens ad eius probationem, neg. anteced. & ad prob. huius conceſ. anteced. diſting. conſeq. *quando æra gentilica non dominatur regibus Iudæ, & Iſrael,* conc. conſeq. *quando dominatur,* ſubdiſtinguo: *ſi aliunde ſalva manet in ſuis locis eorum Chronologia,* nego conſeq. *Si ea everteretur,* conc. conſequentiam. Itaque hic eſt obſervandum id, quod fortè poteſt afferre non modicum lumen implexis locis, qui ſunt in libris Regum, & Paralypomenon: ſiquidem videtur quod in libris Regum magis ex ordine ſervatur, tùm Chronologia Regum Iuda, tùm Chronologia Regum Iſrael; in libris vero Paralypom. qui propterea appellatur *prætermiſſorum* alia adijciuntur, quæ inſervire poſſunt, vt tota Hiſtoria Sacra magis clareſcat: quare dixit Hieronymus ſine libris Paralypomenon vix Hiſtoriam Sacram poſſe comprehendi. Exinde tamen enaſcitur id, quod proclive eſt contingere, nimirum, vt cum res eadem repeti ſolet, & alijs notis indicari, vt melius retineri queat ex eadem diverſitate dicendi, aut notandi, poſteà currente ſæculorum tractu, appareat, vel non eſſe eadem, vel eſſe ſolemniter diſcrepans in vtroque loco: preſertim, quando adhibentur diverſæ notæ numericæ: quæ ſub diverſis reſpectibus, & Epochis pronuntiatæ, ſicut in temporibus magis proximis ſolent adijcere toti rei claritatem mirificam; ita in temporibus longè remotis denſam ſolent parere confuſionem. Quod monitum eſt accuratiſsimè retinendum pro multis locis ſalebroſis Scripturarum præſertim Chronologicis, & multò magis pro libris Regum, & Paralypom. His poſitis inveniri poteſt in libris Paralypom. varietas in recenſendo annos, vel de Regibus Iuda iuxta Epocham Iſraeliticam, vel iuxta Epocham gentilicam, prout res ipſa ferebat, quæ in narrationem inciderat: vt diximus de quadraginta, & duobus annis Ochoziæ regis Iuda, qui cum ſtirpe Achab ibi erat recenſendus; & hic de octo annis Nabuchi, quia nimirum Ioakim pater, & Ioachin filius non niſi de manu Nabuchi regnabant. Quod tanto innocentius præſtaretur in Paralypomenon quanto in libris Reg.

ma-

magis conſervabatur, & prænarrata iam erat Epocha Iudaica, & Iſraelitica. Vnde conſtat ſolutio.

7 Obijcies 2. Illegitima eſt illa via interpretandi, quæ legitimum, & Biblicum morem ſupputationis amandat, & alium peregrinum cooptat. Sed ita ſe habèt noſtra interpretatio: ergo illegitima eſt. Probatur min. Legitimus, & Biblicus mos componendi difficultates Chronologicas occurrentes in libris Regum, & Paralypomenon eſt attendere duo initia regnandi in vna eademque perſona: alterum quandoque cum Patre: alterum vero ſolitariè: & iuxta hunc modum noſtra præſens rite componitur. Sed hunc morem ſupputandi amandat interpretatio noſtra, vt per aliam ſupputationem Gentilicam peregrinetur: ergo, &c. *Confirmatur.* Exorbitat illa interpretatio, quæ relinquit tritiores, & probationes ſemitas. Atqui ſemita de corregnando filio cum Patre eſt magis trita, & ab Authoribus clariſsimis, vt Torniello, Saliano, Cornelio, Sanctio, Ianſenio, Maſcarellio probatior: ergo noſtra interpretatio ſaltim exorbitat. Ad hoc argum. reſp. diſting. mai. *Sine graviſsimo fundamento, & ſine vtilitate litteræ*, conced. mai. *Cum illis*, neg. mai. Itaque libenter per talem viam incederemus; niſi inveniremus per eam, litteram minime ſtare poſſe: ſiquidem licèt quoad ſpeciem videatur componi, quod Ioachin eſſet 8. annorum dum cœpit regnare cum Patre, & 18. annorum dum cœpit ſolus regnare; attamen non ſalvatur, quod attento vtroque computo ſolum regnaverit tribus menſibus in Ieruſalem; ſiquidem cum Patre regnaret decem annis etiam in Ieruſalem: ergo vt vtrobique ſtet explicatum tempus illud, quod in Ieruſalem dicitur regnaviſſe, opus eſt aliunde componere, quod ipſe à Regno ſuo quovis modo inito in Ieruſalem ſolum regnaverit tribus menſibus, & illis decem diebus additis in lib. Paralypomenon. Fundamentum ergo eſt, & non modica vtilitas litteræ, venire ad interpretatiònem noſtram, quæ vtrumque ſarcit, & nectit: neque præter morem Biblicum, vt conſtitit in ſuperiori argumento. Hinc patet ad confirmationem diſtingui debere eodem modo. Nam licet hi nobiles Authores eam premant viam, abrepti tamen tractu commentarij, vel alijs de cauſis; hanc ſibi nuper factam obiectiunculam, quæ mihi videtur non aſpernanda, nec meminerunt, nec diſolverunt. Libuit ergo ire cum celebri Cronographo Genebrado, necnon cum Doctiſsimo Maſcarello id etiam probante, vbi hic ſcopulus ſalvatur.

8 Obijcies 3. Per noſtram interpretationem adhuc vterque locus non trahitur in concordiam: ergo inſufficiens eſt. Probatur anteced. 4. *Reg.* 24. dicitur quod Ioachin regnavit tribus menſibus; & *lib.* 2. *Paralypom.* 36. dicitur quod regnavit tribus menſibus, & *decem diebus.* Sed ita loci non ſibi reſpondent: ergo non fit plena concordia. *Confirmatur.* Adhuc attenta littera Hebraica hæc interpretatio eſt violenta: ergo etiam exinde defendi non poteſt. Probatur anteced. Vtrobique dicitur, ſic *Filius octodecim annorum erat Ioachin. Filius octo annorum erat Ioachin.* Sed in re tam clarè ſonante tempus nativitatis ſuæ in exordio Regni, violentum eſt in vno loco de ætate, & in alio ſumere de Regno Nabuchi: ergo, &c. Ad hoc argum. reſpond. negando anteced. & eius probationem. Nam nihil eſt frequentius in Sacris litteris, vt fert vnanimis DD. ſenſus, & nos in noſtris regulis, & toto opere paſsim damus, quam numeros fractos præſertim minutiſsimos præterire; & ſub maioribus implicite recenſere: vnde, & ſic modo actum eſt valde legitime: dum liber Paralypomenon, qui de *prætermiſsis* agere in ſe ſuſcepit, adiecit ſuæ narrationi *decem* illos dies, quos liber Regum, vt fractos reticuerat. Vide Auguſt. *lib.* 1.

quæſt

quæſt. in Exod. quæſt. 27. *& de Civitat. lib.* 16. *cap.* 14. *& lib.* 7. *loquutionum in Levit. & lib.* 1. *loquut. in Geneſim.* Epiphan. 3. *contra Hæreſ. cap. vltim. & in Anchorato ad finem.* Eucherium 3. *in Gen. cap.* 14. *& lib.* 1. *cap.* 37. Cornel. 2. *Reg.* 5. *& alios.* Ad confirm. reſpond. negando anteced. Ad probationem conceſſa maiori, neg. min. vel ſuppoſitum de eo quod *filius* ſolum tempus nativitatis ſignificet: nam ſi quæ vox eſt in Scripturis ampla ſignificatu eſt hæc *filius*, prout in quæſtione prima de Saule diximus, ita vt triticum dicatur *filius areæ*, & inſula *filia maris.* Quando ergo hæc vox accipit duplicem ſignificationem; non ſolum melius, ſed neceſſarium eſt, dum ſermo eſt de eadem perſona vtrobique, non de diverſa, alibi ſumere de ætate, alibi ſecùs; nam alioqui foret pugna veritatis, quæ ibi reperiri non poteſt. Quo ergo modo vox filius in altero ex locis accipienda ſit præter ſignificationem ætatis iam ſupra à nobis datum eſt.



DE-

JHS.

DECAS II.

QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

IOSIAS AUTEM GENUIT IECHONIAM IN TRANSMIgratione Babylonis. *Math.* 1.

ARTICULUS.

QUOMODO STARE POSSIT, QUOD IOSIAS GENUIT Iechoniam?

1 SUppono 1. Rationem dubitandi hic esse gravissimam, & vnde, vt observat Maldonatus, oritur difficultas, quæ olim à Porphirio, teste Hieronymo Danielis 1. velut inextricabilis obijciebatur. Nascitur ergo ex eo, quòd nullibi legitur, quòd Iosias genuerit Iechoniam, etiam ibi, vbi filij eius recensentur: vti fit 1. *Paralyp.* 3. vbi sic habetur, *vers.* 45. *Filij autem Iosiæ fuent primogenitus Iohanam, secundus IoaKim, tertius Sedecias, quartus Sellùm*: in quibus, vt patet, non est Iechonias. Notandum verò est, quòd talis Iohanam primogenitus, vt observat Maldonatus, proculdubio idem est cum Ioachaz memorato *lib.* 4. *Reg. cap* 23. *v.* 30. qui mortuo patre Iosia, factus est rex, cùm esset 23. annorum: & post tres menses captivus ductus est in Ægyptum à Pharaone Nechao, & substitutus pro eo secundus Iosiæ filius tunc appellatus Ioakim: qui tamen antea vocabatur Eliacim. Cùm autem expressè ponatur in Evangelio, Matth. quòd Iosias genuit Iechoniam in transmigratione Babylonis; illico apparet implicatus nodus satis difficilis. Qui tamen exinde plus vrgetur, si, nimirum, examinatur quisnam fuerit appellatus Iechonias? Nam multi censent, vt salvent immediatam generationem Iosiæ, fuisse quidem Iechoniam illum Ioakim secundum filium Iosiæ; sed vt ego arbitror, id est valdè difficile: siquidem clarè constat, Iechoniam ductum in Babylonem, fuisse filium talis Ioakim 1. *Paralypom.* 3. 16. *De IoaKim natus est Iechonias.* Ierem. 37. 1. *Et regnavit rex Sedecias filius Iosiæ pro Iechonia filio IoaKim*, & similiter in capitib. 27. 28. & 29. Igitur si Iechonias idem est cum Ioachin non filio, sed nepote Iosiæ; quomodo hic dicitur genuisse Iechoniam?

2 Suppono 2. Hanc difficultatem non posse temperari solutione communi, & satis classica in Scripturis, in quibus nepotes solent filij nuncupari,

pari, vt in Balthaſare reſpectu Nabuchi; & in Obed reſpectu Nohemi: ſiquidem aliunde debent ſervari quatuordecim generationes, prout eas expreſsè poſuiſſe, ait Matthæus: quare, ſi aliqua reticetur, & ſubtrahitur; non conſtabit numerus. Propterea hic difficultas augetur; vel potius triplex coit in vnam. Nam primò dubitatur: *Quiſnam fuerit Iechonias?* Secundò ſuppoſito, illum fuiſſe filium Ioakim, & nepotem Ioſiæ, quæ ritur: *Quomodo hic illum genuiſſe dicatur?* Tertiò adhuc admiſſo verè ſalvari talem generationem Ioſiæ reſpectu Iechoniæ, quæritur: *Quomodo vlterius ſalvari oporteat revera interceſiſſe quatuordecim illas generationes, quas per ſuas teſſeradecadas teſtatus eſt ipſe Matthæus ſe recenſuiſſe?* Quos omnes articulos Deo dante hac vnica concluſione expedire conabimur.

3 Suppono 3. Eas doctrinas alibi in opere noſtro traditas *tom.* 2. *De ead.* 5. *quæſt.* 1. & 2. huc tamen valde oportunas; dum alia difficultas præter modò relatas etiam aſſurgit. Nam ſtatim inquirendum venit: qua de cauſa in tota genealogia Chriſti, quam recenſuit Evangeliſta Matthæus, in ſolo progenitore Iechonia *fratres eius* memorentur; ſecus verò in alijs? Itaque doctrinæ à nobis traditæ, & in Scriptura ſatis frequentes ſunt de legitima acceptione harum vocum *frater*, & *ſoror*, & harum etiam Græcarum *Adelphos*, *Adelpha*, *Adelphixies*, id eſt, *frater*, *ſoror*, *fraternitas*. Siquidem tàm Latina, quàm Græca origine ſedulò inveſtigata, conſtat non præciſsè per tales voces *fratres germanos* ſignificari: quod, & adijcere conſuevit qui latinè peritus eſt, quoties id velit intelligi; ſed ſolùm ſignificari adhuc in propria ſignificatione quemvis convictum, communicationem, affinitatem, & cognationem inter eos, qui fratres, & ſorores dici conſueſcunt. Quod, præterquamquòd religio iubet ſic intelligi, dum de *fratribus Domini*, & (vt eſt communis iam opinio) dum de ſororibus Matris eius agitur in Scriptura; clarè conſtat, ſivè ex voce *Adelphos* græca, ſivè ex alia item græca *frateras*, & *fratria*, quas de græco ſumpſit Ambroſius Calepinus: & ſignificant *coniunctos*, & *contubernium* ſicuti *adelphixies* ab Hipoc. vertitur *affinitas*, *communicatio*, *conſpiratio partium inter ſe*.

4 His poſitis, cùm totidem ſint articuli permixiti; non facilè eſt, imò neque vtile, omnium ſigillatim afferre ſententias. Eas tamen adducam, quę circa præcipuum quæſitum verſantur vbi cœtera colliguntur. Itaque 1. ſententia eſt, Iechoniam fuiſſe eumdem cum Ioakim filio immediato Ioſiæ, quam tenent Ambroſius *lib.* 3. *in Luc.* Epiphan. *lib.* 1. *de Hæreſib. in ſecta Epicureor.* Auguſt. *lib.* 2. *de Conſenſ. Evangeliſt. cap.* 4. Euthim. *Matthæi* 1. & eſt communiſsima inter Interpretes; ſed quæ non poterit non pati preſſuras: tùm quia vnam generationem ſubducit de quatuordecim: tùm quia cogitur reſpondere ad plures textus vocantes Iechoniam de quo eſt tranſmigratio *filium IoaKim* filij Ioſiæ. 2. Sentētia tenet aliquod vitium in hunc locum irrepſiſſe. Ita tenet Maldonatus, *Matth.* 1. *v.* 11. & P. Gaſpar Sanchez apud Illuſtriſsim. Suiri *tom.* 1. *tract. Evang. tractatu* 3. Tertia vero ſententia eſt ſingularis, quatenus ait, Ioſiam verè genuiſſe immediatè Iechoniam, & hunc etiam genuiſſe alterum Iechoniam, atque vtrumque in evangelio numeratum fuiſſe: nam ibi bis nominatur Iechonias, vt patet: proindeque in prima primum Iechoniam, & filium Ioſiæ deſignari, in ſecunda vero Iechoniam ſecundum Patrem Salathielis, & à primo in perſona diſtinctum. Hanc tenet Ill. D. D. Marcellinus Suiri *tom.* 1. *tract.* adducens pro ſe Epiphanium.

5 Sit mea concluſio: *Ioſias genuit mediatè Iechoniam; ſed ita vt generatio medians etiam referatur in textu.* Probo concluſionem quoad primam partem poſtea probaturus ſecundam. Ioſias ſolum

lum genuit Ioakim patrem Iechoniæ: ergo ſolum genuit Iechoniam generatione mediata. Probatur antecendens. Ioſias 1. *Paralypom.* 3. 15. genuit Ioakim. Sed hic non potuit eſſe ille Iechonias, qui à Matthæo dicitur genitus in tranſmigratione Babylonis, ſed pater eius: ergo, &c. Probatur min. 1. Nam Ioachin qui dicitur genitus in traſmigratione Babylonis dicitur filius Ioakim multis locis vt ſuprà conſtitit expreſsè 1. *Paralypom.* 3. 16. *Ierem.* 37. 1. & in eodem Propheta *cap.* 27. *cap.* 28. & *cap.* 29. Probatur ſecundo, eadem minor. Nam Iechonias numeratus in tranſmigratione Babylonica fuit ille, qui cum Domina ſeu Matre ſua principibus, & Eunuchis illuc ſe contulit. Sed hic fuit Ioachin, ſeu Iechonias, qui regnavit pro Ioakim patre ſuo, & filio Ioſiæ; ergo, &c. Maior conſtat *Ierem.* 27. 20. & 28. 4. & 29. 2. vbi ſic habetur: *Poſtquam egreſſus eſt Iechonias Rex, & Domina, & Eunuchi, & Principes Iuda, & Ieruſalem*, &c. Minor etiam conſtat 4. *Reg.* 24. ibi, *v.* 15. *Tranſtulit quoque Ioachin in Babylonem, & Matrem Regis, & vxores Regis, & Eunuchos eius, & Iudices terræ duxit in captivitatem de Ieruſalem in Babylonem*: ergo. Et confirmatur: quia vtrobique adijcitur aliquid magis notum ſcilicèt, quod tulit in captivitatem artifices, & cluſores, &c. ergo hic Iechonias alius non eſt quàm ille Ioachin, qui regnavit pro Ioakim patre ſuo: ergo erat Nepos Ioſiæ. Probo iam ſecundam partem concluſionis ſic. In textu dicitur apud Matthæum, quòd *Ioſias genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis.* Sed in his verbis poſtremis ſatis clarè datur intelligi generatio medians: ergo ita eſt. Probatur min. Memorare ibi fratres Iechoniæ in recenſendo generationes; & non alibi in alio progenitore, eſt dicere, inter prædictos fratres aliquem eſſe de progenitoribus Chriſti, diſtinctum à reliquis. Sed id eſt denotare generationem intermediam inter Ioſiam, & Iechoniam: ergo, &c. Minor videtur clara, quia cum 1. *Paralypom.* 3. conſtet Ioakim fuiſſe filium Ioſiæ, & tot locis Ieremiæ, & 4. *Reg.* 24. conſtet Ioachim ſeu Iechoniam fuiſſe filium Ioakim; confeſtim concluditur quod, ſi Mathæus vult in illis tribus aliam generationem Chriſti ibi tangere; ſub ea expreſsione tunc oportuna nulla alia venit intelligenda niſi generatio Ioakim intermedia. Probo iam mai. Quando vox *fratres* verè, & propriè poteſt, licèt in confuſo, ſignificare aliquem progenitorem Chriſti: & id ita exprimit eſt oportunum, nullibique alias invenitur; & ſi ibi non intelligatur talis progenitor, deſideratur ad complendum numerum ibi ab Evangeliſta clarè poſitum, & ſignatè recenſitum; debet per talem vocem, & explicationem intelligi tactus, & poſitus alius Chriſti progenitor diſtinctus à reliquis. Sed res ita ſe habent: ergo debet intelligi. Minor per partes cito, & liquido patefiet. Nam primo ſi vox *frater* propriè ſignificat *cognatum*, vox *fratres* ſignificabit ſimul omnes filios Ioſiæ, ſcilicèt, Ioakim patrem Iechoniæ, ſimul cum patruis ſuis Ioachaz, Sedecia, & Sellum. Secundo. Illa expreſsio *fratrum* nullibi apparet in alio progenitore, vt patet. Tertio. Eſt oportunum, & congruum, vt ſic fiat in recenſendo Iechonia, quod probo ſic. Nam Evangeliſta, vt conſtaret, adhuc interveniente Babylonica captivitate, notam eſſe, & compertam genealogiam Chriſti de domo David; ſtatuit recenſere, de quo progenitore prædictæ captivitatis venerit Chriſtus. Sed eo poſito oportebat, ſic rem tradidiſſe, dum veniebat ad Iechoniam: ergo, &c. Probo min. Dum proceſſurus eſſet Mathæus ex Ioſia iam neceſſario ad progenitorem, quem Babylonica captivitas tetigiſſet, oportebat facere duo: alterum erat commemorare varios de prole Ioſiæ, ſcilicèt Ioakim, & Sedeciam in Babylonicam captivitatem

in

incidiſſe; ne putaretur id neſciſſe; alterum vero ſignare illum, de quo in Babylonia Captivo per ſucceſſores venit Chriſtus. Sed ad id vix poterat ſe explicare congruentius, quam attingere per ſaltum illos alios ſucceſſores Ioſiæ, quos tetigerat Captivitas Babilonica, dicendo: *Et fratres eius in tranſmigratione Babylonis*: (quia etiam in ea re verè fratres fuerunt) & poſtea tradere ſignatiſsimè *Iechoniam*, de quo in ipſa captivitate continuata eſt genealogia Chriſti: ergo, &c. Minor patet: quia ſi non per ſaltum eos attingeret; cogeretur ad rem, & genealogiam turbandam, cum haberet Ioakim captivatum ante Iechoniam; & Sedeciam captivatum poſt, quorum neuter in Babylone (quod volebat Evangeliſta expediri) genealogiam Chriſti continuabat: ergo, &c. Quarto demum conſtat aperte, quod niſi ibi talis Progenitor attingatur; deſideratur ab interpretibus, vt conſtat ex textu, & ex Maldonat. Math. 1. *v.* 14. *quæſt.* 2. ergo de primo ad vltimum Ioſias mediatè mediatione ſibi attacta genuit Iechoniam. *Confirmatur.* Sub hoc tenore compoſitionis quatuor illæ difficultates graves in Notabilibus inſinuatæ non difficulter, & more ſolito ſcripturarum, & per eius vias reſolvuntur. Atqui ea interpretatio eſt magis legitima, & retinenda, quæ litteram magis ſolvit, explicat, & complanat: ergo noſtra intelligentia eſt legitima, & vera concluſio.

6 Obijcies 1. contra hanc concluſionem, quæ vix ita præſtabilita, relinquit argumentum implexum. Nihilominus argumentor ſic. Hæc concluſio, & interpretatio nectit poſitionem falſam: ergò, & tota compoſitio falſa eſt. Probatur antecedens. Hæc ponit, quod in filijs Ioſiæ idem eſt ille Iohanan primogenitus *lib.* 1. *Paralyp.* 3. ac Ioachaz filius Ioſiæ numeratus 4. *Reg.* 23. ſed hoc ſine fundamento aſſeritur: ergo poſitio falſa eſt. Probatur minor. Quando vterque liber certò diſcrepat in deſignandis filijs Ioſiæ, & duo nomina leguntur, alterum in vno loco, alterum in alio, longe diverſa; non debent adſcribi eidem perſonæ. Sed vterque liber ſic diſcrepat: quia liber Regum non meminit neque Iohanan, neque Sellum, & Paralypomenon non meminit Ioachaz; & aliunde nomina Ioachaz, & Iohanan longe diverſa ſunt: ergo non debent adſcribi eidem perſonæ. Adhoc argumentum reſpond. negando antec. & min. & ad eius probationem diſt. mai. Si ipſe contextus litteræ identitatem oſtendat, nego maiorem; ſi ſecùs, concedo mai. & reſpective diſtincta min. nego conſeq. Itaque ſi res benè perpenditur, ea duo loca ſibi collata potiùs ſuadent identitatem, quàm diſcrepantiam in ordine ad Ioachaz, & Iohanan; quia pro identitate datur argumentum de re; pro diſcrepantia vero ſolum argumentum de nomine, & quidem non valde diſtanti, cum in litteris, & Hebraica prolatione facile fuerit ex tempore, & ex Regione eundem iam dici Ioachaz, iam Iohanan, vt peritus ſcripturarum non diffitebitur. Argumentum verò de identitate eſt de re: quia ille Ioachaz 4. *Reg.* 23. dicitur ſtatim à morte Ioſiæ collocatus in Regno tanquam filius eius: *& in* 1. *Paralypom.* 3. dicitur Iohanan primogenitus Ioſiæ. Cum autem tunc eſſet primogeniti ſuffici in Regnum Patris decedentis; non obſcura fit illatio de identitate. Vterque vero liber in recenſenda prole Ioſiæ ſubſtantialiter minimè diſcrepat; ſed vterlibet eorum explet officium ſuum. Nam liber Regum, cuius eſt geſta, & caſus Regni Iuda, & Iſrael, Regeſque recenſere, ſolum nominat ibi eos filios Ioſiæ, qui regnarunt, nempe Ioachaz, Ioakim (prius Eliacin) & Sedeciam anteà *Mathaniam*. At liber Paralypomenon, cuius eſt addere *prætermiſſa*, vt vox ipſa ſignificat, & plura nectit, quibus Regum hiſtoria clareſcat, addidit Sellum, & non prætermiſit Ioachaz, ſed ipſum Iohanan

no-

nominavit. Exinde ergo nullum conficitur validum argumentum.

7 Obijcies 2. difficilius. Hæc concluſio, & meditatio, dum vult ſubſtinere Ioachaz primogenitum Ioſiæ, nequit ſubſiſtere: ergo falſa eſt. Probatur antecedens: 4. *Reg. cap.* 23. dicitur quod poſt Ioſiam mortuum cœpit regnare filius eius Ioachaz, & tunc eſſe 23. annorum, ſed ſolis tribus menſibus regnaſſe; & poſtea per Pharaonem Necheo cæpiſſe regnare Ioakim cum eſt 25. annorum. Sed hæc ſibi non cohærent: ergo, &c. Probatur min. Nam ſi Ioakim erat ſecundò genitus; habebat 22. annos, quandò cœpit regnare Ioachaz frater ſuus: & poſt tres menſes, quibus ipſe regnavit non poterat habere 25. annos talis Ioakim: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo, quòd licet directè non offendat noſtram concluſionem; tamen quia nihil eius ſtructuræ patimur everti; reſpondemus negando antecedens, & probationis min. Ad huius probationem diſting. mai. poſt tres menſes *immediatè*, conced. ant. *mediatè*, neg. antecedens, & conſeq. Itaque bene perpendenda eſt hiſtoria *lib. 4. cap.* 23. Nam, licèt ibi in relatione iuxtà, & proximè ſint abductio Ioachaz, & conſtitutio Ioakim; non tamen ſic cenſendum eſt eveniſſe; & multo magis quando plura reclamant, ſcilicèt; primo, quod Mos Regum erat, ſuffici priores filios in Regnum, & ſine cauſa, ibi expreſſa, non elevatus fuiſſet minor prius in Thronum. 2. Quod conſtat ex *text.* 1. *Paralypom.* 3. Ioakim fuiſſe filium ſecundum 3. quod ipſa narratio dat locum, vt tempus ſufficiens intercedat ab ablatione vnius, ad veram regiam poteſtatẽ alterius. Ait enim textus tam hic 4. *Reg.* 23. quam 2. *Paralypom.* 36. de Ioachaz ſic: *Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ eſt in terra Emath, ne regnaret in Ieruſalem: & impoſuit mulctam terræ centum talentis argenti; & talento auri, Regemque conſtituit Pharao Nechao Eliacim filium Ioſiæ pro Ioſia patre eius, vertitque nomen eius IoaKim. Porro Ioachaz tulit, & duxit in Ægyptum; & mortuus eſt ibi.* Vbi in primis conſiderari poteſt, quod hæ Regum captivitates, & mutationes, & adventus perſonales finitimorum Regum ad depoſitiones, & inthronationes faciendas, non fiunt tam brevi, & præcipitanter; maximè quando erant varij, qui ſuccedere poterant. Vnde, & credi poſſet, quòd tempus anni cum dimidio, quod eſſet ſatis, vt Ioakim regnaret 25. annis incæptis, & Ioachaz 23. benè completis, in ijs omnibus elapſum fuiſſet. Sed deinde aliud dico plus probativum, ſcilicèt, quòd Sacra pagina fortè non recenſet alterum verè regnantem in Iuda quouſque legitimus occubiſſet: ſiquidem Ioachaz erat legitimus ſucceſſor Ioſię, & Pharao non habebat ius deponendi. Ea propter licèt Pharao ſtatim conſtituiſſet Ioakim loco Ioachaz; tamen, donec hic intra biennium mortuus eſt in Ægypto, non recenſetur legitimus Thronus Ioakim, niſi quando iam fratre mortuo habebat 25. annos Ioakim: & ſic omnia cohærent.

8 Obijcies 3. Iechonias fuit Ioakim filius immediatus Ioſiæ: ergo non fuit nepos Ioſiæ. Probatur antecedens, *ex lib. 3. Eſdræ cap.* 1. *v.* 34. vbi dicitur, quòd, mortuo Ioſia, populus conſtituit Iechoniam filium ſuum pro eo Regem. Sed ſemel ac invenitur Iechonias immediatè genitus à Ioſia non poteſt eſſe niſi Ioakim pater illius, quem nos facimus Iechoniam: ergo, &c. Ad hoc argum. reſp. neg. ant. & ad eius probationem reſpondeo 1. quod liber tertius Eſdræ nullam habet authoritatem Canonicam: vnde non eſt ei ſtandum: præſertim ſi ibi inveniuntur diſcrepantiæ, vt ſunt 1. facere talem Iechoniam triginta annorum cum regnare cæpiſſet. 2. Non poni ab eo illud regnum Ioakim, quod fuit ad 11. annos *ex* 4. *Reg.* 23. Deinde reſpondeo 2. Negando quod talis liber intelligat ibi Iechoniam, licèt ita

ſit in Latino; quia vt obſervat Franciſcus Lucas in Græco ibi dicitur *Ioachaz*: & id eſt quod magis conſentit, cum tribus regni menſibus ipſi aſsignatis. Non ergo ex hoc libro Eſdræ quidpiam à nobis æſtimandum eſt, ſi aliunde iactam à nobis concordiam locorum Sacri textus deturbat.

9 Obijcies 4. cum replica ad ſuperiora. Si noſtra concluſio, & interpretatio vult omnino retinere, quòd Ioachaz, & Iohanam fuerit vnus, & idem; ſaltem evertetur probata, & recepta Chronologia Regum. Sed hoc non deſinit eſſe inconveniens: ergo concluſio adhuc non conſtat. Probatur mai. vt retineatur idemtitas Iohanan, & Ioachaz, ponitur à nobis quod vſque ad biennium poſt ſpoliationem regni Iuda factam in Ioachaz, non cæpit legitimè regnare Ioakim, ſcilicèt donec Ioachaz mortuus fuit in Ægypto. Sed hæc meditatio intrudit duos annos plus in Chronologiam Regum: ergo ipſam diſturbat, proindeque evertit. Min. probatur. 4. *Reg.* 23. dicitur ſic: *Vigintiquinque annorum erat IoaKim cum regnare cæpiſſet, & vndecim annis regnavit in Ieruſalem.* Ex quo ſic argumentor. Chronologia etiam à nobis probata, & recepta ſtatim à Ioachaz regnante tres menſes, ponit vndecim annos Regni Ioakim. Sed iuxta noſtram interpretationem deberent addi duo anni, quibus Ioachaz Rex legitimus vixit in Ægypto, antequam Ioakim inciperet regnare, & complere annos vndecim Regni, quos ipſi tribuunt verba ſuperiora: ergo, &c. Ad hoc argumentum, reſpondeo primo negando anteced. ad cuius probation. diſting. mai. ſolutione neceſſaria, & præciſa, neg. mai. ſuperabundanti, conc. mai. & permiſſa min. neg. conſequent. Alia enim via perreximus in argumento etiam dicentes, quòd ponendo Ioachaz incipientem regnare 23. annis longè completis, & Ioakim 25. inceptis, potuit in re tam gravi, qualis erat ſucceſsio Regni, cogitanda, conſulenda, peragenda tantum temporis inſumi, quod ſatis eſſet, vt quando, re tota confecta, inciperet regnare Ioakim ritu vndequaque ſolemni, pacifico, & in hiſtorijs recenſendo, foret 25. annorum incœptorum: ita vt poſſet Ioachaz quando ſpoliatus fuit habere 23. annos completos, & inſuper 10. menſes, & cum regnaſſet tres menſes ſpoliari Regno, iam currente per vnum menſem anno ſuo 25. Nunc ſic: quando currebat vno menſe annus 25. Ioachaz poterat currere etiam duobus, vel tribus menſibus annus 24. Ioakim: ſi ergo hic cæpit regnare anno ſuo 25. incipiente; conficitur, quod vnus annus tantum cucurrerit ab ſpoliatione Ioachaz vſque ad publicam inthronationem Ioakim dignam Sacra hiſtoria: quod tempus elapſum, pro re tanta conficienda ſatis credi poteſt. Reſpondeo ſecundo neg. anteced. & diſting. min. probationis: duos annos extra vndecim Ioakim, neg. min. incluſos in vndecim Ioakim, conc. min. & neg. conſequentiam. Itaque ſtat optimè, quod licet Ioakim non fuerit habitus, ac relatus quoad exordium Regni, & ætatem quam habebat, niſi quando legitimus fuit; tamen quoad annos Regni Iuda etiam ſub ipſo comprehendantur illi, quos habuit tanquam vicarius Regni, & adminiſtrator. Ratio eſt: quia anni totius Regni Iuda potius pendent ex tota duratione Regni, ſeu legitimè poſſeſsi, ſeu adminiſtrati, quàm ex diſtributione annorum inter veros Reges, & veros adminiſtratores: cumque tam duo illi anni, quos vivente Ioachaz fuit Ioakim adminiſtrator, quàm reliqui novem, quos fuit Rex, fuerint anni Regni Iudaici ſub regimine eiuſdem Ioakim; potuit optimè dici: *Vigintiquinque annorum erat IoaKim cum regnare cæpiſſet, & vndecim annis regnavit in Ieruſalem*, licet priores duos adhuc eſſet vivus Ioachaz. Do exemplum. Canonicus biennio ante mortem ſibi coad-

coadiutorem assumit, qui vivit 11. annos, ac moritur. De hoc ergo verum foret dicere 20. *annorum erat Petrus Coadiutor cum cæpit esse Canonicus*, & 11. *annis Sede in sua Ecclesia Cathedrali potitus est*: licet de Canonicatu legitimo, & absoluto dumtaxàt habuerit novem annos, nempè ex quo proprietarius defunctus est. Ratio est: quia incipere esse Canonicus; dum solemniter dicitur, potius sonat absolutam proprietatem Canonicatus; fungi autem sede, & redditibus potius taxatur per annos totidem arithmeticè, quos talia lucratus est. Respondeo tertio permittendo totum assumptum iuxta nostras doctrinas suprà tactas de re Chronologica: præsertim quando optima conciliatio fundat duos annos adijci: quod ita modicum est, vt in re Chronologica alicuius momenti Pererius, & alij duos vel tres annos sursum, ac deorsum non curandos putent. Ad calcem nota quod de sellum quia nunquam regnavit, in libris Regum nulla fit mentio. De Sedecia verò post regnante dubitari posset an fuerit filius Iosiæ; an nepos, & frater Iechoniæ 1. *Paralypom.* 3.

)(JHS.)(

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ECCE MAGI AB ORIENTE VENERUNT HIEROSOlymam. *Math.* 2. *vers.* 1.

ARTICULUS.

UTRUM VERI REGES FUERINT MAGI, QUI DOMINUM adorarunt?

1 SUppono 1. Circa Sanctam Historiam Magorum multa quæri solere, quæ per se non sunt digna disputatione, & potius curiositati, quàm Ecclesiæ vtilitati sint servitura, nisi forte ad quempiam alium articulum disputandum, in quo vel offendiculum posuerunt hæretici, vel fructum inde carpere Catholici pertentarunt. Vnde nos circa Magos quæsitum gravius vnum, vel alterum proponemus, atque hinc inde quæ minus negotij sint interea dabimus resoluta. Tria ergo sunt, me iudice, quæ hic videntur disputatu magis digna, & principaliora, scilicèt, de stella, de dignitate regia, & de Patria. Quoad primum iam dedimus primo tomo duplici disputatione expeditum quidquid circa stellam poterit disputari, tàm circa eius essentiam, quàm circa eius officium, & ministerium.

Sup-

2 Suppono 2. Quod licèt ſacer Textus dicat, Magos fuiſſe in numero plurali, & non ſolum duali; non tamen videtur propterea plures quam tres eſſe ponendos. Itaque quamquam Interpres hæreticus, cuius meminit Maldonatus dicat, fuiſſe quatuordecim, hos tamen vnde ipſe multiplicaverit ignoramus: & licèt Author operis imperfecti apud Chriſoſtomum longam explicet ſcripturam, quaſi nomine Seth propheticam, de Stella apparitura, & muneribus offerendis. Quam quidem ſtellam duodeni per generationes præſtolabantur, quouſque ipſa inſtar pueri parvuli apparuit; tamen hæc nullo in pretio habentur à cordatis Interpretibus vt Azorio, Baronio, Maldonato, Siurio, & ex Epiphanio hæreſi 26. & 39. Hæreticos Sethianos recenſente, apparet eſſe magis ſuſpecta. Quo circa ſupponi debet tres fuiſſe hos Magos propter plura. 1. Ex traditione antiquiſsima SS. PP. Auguſtini *ſerm.* 29. & 33. *de Tempore.* Maximi Taurinenſis *homil.* 3. *de Epiphan.* S. Leonis *in Sermonib. de Epiphan.* Hillarij Arelatenſis *homil.* 1. *de Eodem.* S. Bernardi *ſerm.* 6. *in Vigil. Nativit.* Bedæ, Ruperti, Anſelmi, Paſchaſij, Haymonis *ad cap.* 2. *Matth.* 2. Eſt Pervetuſta traditio in ore fidelium, & picturis ad monimentum poſteritatis. 3. Ex nominibus quæ etiam vetuſta traditione ſervantur, ſcilicèt *Balthaſar*, *Gaſpar*, & *Melchior*, ex Beda *in Collectaneis*, Petro Comeſtore *cap.* 8. & Flavio Lucio Dextro anno Chriſti 70. & Actis SS. Bollandi die 1. 6. 11. Ianuarij. (Quod ſi critici ad nomen Flavij Lucij ſtriduli ſint; videant, ſe, dum data opera, & opere non reſpondent Bivarlo, ipſos agere nimis ſiniſtrè cum Dextro.) Item apud Zachariam Chriſopolitanum alia nomina circumferuntur ſcilicèt *Apelius. Amerus Damaſcus* quę Græciſmum ſapiunt, & *Magalath*, *Galgalath*, & *Sarazin*, quæ ex Hebraico fontè prognata, fortè variant dialecto. Quæ tamen, vtut in ſe ſint; tamen ternarium numerum firmant, & neque in hoc ternario tricę deſunt fortaſsis hæreticorum: quidam enim prodijt libellus, cuius argumentum eſt, tres Magos fuiſſe Æliam, Euochum, & Melchiſedechum. Profectò ſolent hæretici vel Athei circa pias hiſtorias, ad quas venerabunda opinione, & reverenti intellectu accedunt Catholici; ipſi naſo geſticulante, & reſolutorio condire ad guſtum ſibi fabellas, vt omnem veram pietatem exarment. 4. Quia vt conſtat ex Azor, Morales, Petro de Palude, apud Siurium tria Magorum corpora primum ex Oriente Conſtantinopolim translata ſunt ad Templum S. Sophiæ, exinde per notas manus S. Euſtorgij Mediolanum, tandem per Rinaldum Archiepiſcopum Colonienſem advecta ſunt Coloniam, vbi coluntur.

3 Suppono 3. Hanc vocem *Magus* cuius plurale Græcum vſurpavit Evangeliſta, magnam apud omnes eruditos ideo parere confuſionem; quia multiplici ſubiacet acceptioni, & quidem tam per omnia retro ſæcula, & gentes, vt Hebræos, Ægyptios, Arabes; Syros, Perſas, Græcos, vt vix quidquam liquidò excerpi poſsit, ex quo ad reſolvendum articulum deſcendamus. Magi enim iam pro maleficis, ſive incantatoribus, iam pro Pythonibus, & Divinis, iam pro nomine gentis, & nationis cuiuſpiam determinatæ, iam pro Gentiliſmo vniverſo, iam pro hominum qualitate excellenti, & ſapientia vſurpari ſolent. Vnde cum Scriptura Sacra pluribus ex his modis Magos vſurpet, vt cernere eſt *Levit.* 19. & 20. 1. *Reg.* 28. *Paralypom.* 33. *Daniel.* 1. 2. 4. & 5. *Matth.* 2. *Actor.* 8. & 13. valde dubium apparet, quo ſenſu in hoc noſtro loco hæc vox *Magi* accipi debeat. Sed prætermiſſa acceptione cuiuslibet maleficij, & incantationis, divinationiſque phyſicæ aut diabolicæ, quæ ab hoc loco maximè exulare debent (tùm quia ſi quæ vox hebraica huiuſmodi ineſt hebrai-

co

co textui Matthæi; illa non ex originali sed ex Munstero hæretico est; tùm quia divinatio naturalis ex Horoscopo, aut diabolica præsagire non poterant Domini Natalitium) supponendo insuper quod vox *Magus* Latina multas, & diversas sub se habet radices Hebraicas, vt videre est apud Valentinum Schilderum; triplex restat acceptio longè purior, & ad nostrum quæsitum accommodartior. Prima est vocem *Magos* nomen fuisse Nationis quæ Mediam incolebat ex Hetodoto *lib.* 3. & Strabone *lib.* 15. Item ex Epiphanio in Epitome Fidei Catholicę, qui ex Magodia Arabicæ regione eos dicit oriundos. Secunda acceptio est valdè nota, & communis Historijs, & Lexicis, vt nimirum apud Persas, idem valet *Magi* ac sapientes, non secus ac *Philosophus* nomen sapientiæ est inter Græcos, Gymnosophista inter Indos, & Propheta inter Hebræos, &c. Magi verò inter Persas inde præcipuè suam sapientiam commendabant, quòd Astronomi essent peritissimi, prius syncerè quidem per puram observationem structuræ cœlestis, sivè traditione, sivè studio comparatam; postea verò, vt in eo genere philosophandi nimis est proclive, declinando atque deflectendo à legitima notione naturæ ad divinationes, & præstigias diabolicas, maleficas, & incantatrices. Quare solemnis est divisio illa artis Magicæ in licitam, & illicitam de qua præter nostrum Delrium, Pererium, Ioannem Picum Mirandulanum, disserit pereruditè, tùm P. Gaspar Schotus cum suo Magistro Athanasio, Kircherio. Tùm noster Iulius Cæsar, Bullengerus copiosissimè de omni divinatione, & Magia cum multis alijs. Hæc ergo acceptio secunda quæ ex vna parte constantissima est apud Historias Sacras, & Prophanas, & ex alia habet sibi in Domini Natalitio stellam adstipulantem, quæ obiectum est astronomicum, catervatim sibi corrogavit cordatissima ferè omnium PP. Doctorumque testimonia; & suffragia.

4 Tertia verò acceptio, nisi egregiè admodum fallor; notatu valde digna est, ac plurimum commendanda vt patet quæ ad imi vsque fundamenta descendit. Cum enim S. Matthæus ex concordi placito hebraicè scripserit, atque insuper tempore adorationis Magorum in ea regione Syrus sermo invalescceret; nihil rationi consentaneum magis, quàm si Græcam vocem originalem *Magi* cui Maldonatus contentus fuit inhærere, vestigemus profundius ad has primitivas linguas appropinquantes; si fortè in ijs aliquid textui simul, & voci respondens adinveniamus. Profectò mihi omnino videtur quod sic. Invenio enim apud Schilderum in radicè *Magas* hanc vocem *Magos* tàm Hebraicè, quàm Arabicè, & Syriacè (quam etiam vocem in Syriaco textu legi) significare idem prorsus atque *Gentilis* quæ significatio idoneam sibi Ethimologiam parat, quasi dixerit quispiam, *qui de Gentibus est*, nam littera *Mem* est præpositio *De*, littera *Sein* quamvis postposita, relativa est; & litteræ *Go*, quæ interiacent sunt præcipuæ de voce *Goi*, quæ significat Gentilismũ. Quos quidem Gentiles media Stella ad Christum adorandum fuisse vocatos, nemo est qui dubitet. Quapropter cum significatio sit tam apta; cumque vlterius vox *Magi* vsurpata in Græco, tàm plenam habeat correspondentiam cum linguis Orientalibus Arabica, Syriaca, & Hebræa videtur ex parte rei vix aliter sentiendi arbitrium cuiquam iam esse relictum. Atque in id si fortè veteres incidissent facilè crederem, plures ita esse sensuros. Ego quidem interea huic postremæ acceptioni adhæresco quam plurimùm. His positis circa nostrum quæsitum: *An Magi fuerint Reges, necne?* Duplex datur sententia quarum prima asserit eos Reges non fuisse, quam tenent ex Catholicis Cornelius Iansenius *cap.* 9. concordiæ, Ioannes Baptista Mantuanus *lib.* 1.

Fastorum in Ianuario, titulo de Epiphania, Lamy, Guillelmus Æstius *Math.* 2. & alij plures Catholici, quos Maldonatus supresso nomine sic recenset. *Licuit multis nostro tempore Catholicis, & eruditis Theologis idem scribere, suamque opinionem magnis argumentis confirmare.* Id tamen interea minus gratum hæc habet opinio, quòd eam quasi saltantium, & plaudentium choro sequantur Heretici, Lutherus, Calvinus, Theodorus Beza, Centuriatores, & alij, qui suo risu insolenti contrarias partes excipiunt; neque detrectant inter se fœdus, alioquin ipsis tam malefidum, vt Christi Domini cultui, & adorationi detrahant in quantum possint. Secunda sententia tenet eos verè, & propriè Reges fuisse, quam tenent plurimi ex PP. vt sunt Cyprianus, Basilius, Tertullianus, Athanasius, Nazianzenus, Hilarius, Augustinus, Prosperus, Chrisostomus, Maximus, Arnoldus Carnotensis, apud Illust. Siurium qui *tom. 1. tract. 17. cap. 5.* idem sustinet cum Azorio, Barradas, Suario *tom. 2. in 3. part.* Maldonato, *Math. 2.* & alijs.

5 Sit mea conclusio. *Magi fuerunt Reges in sensu verò proprio, & legitimo; secus verò in sensu politico universali.* Duas partes habet conclusio, & à secunda me expedio facilius, vt ad primam posteà descendam. Probo igitur eam sic: eos fuisse Reges in sensu politico vniversali staret in eo, quòd ipsi fuissent Reges à tempore, loco, nomine, & ditione notissimi, qui in Catalogis Regnorum memorabilium paterent, & quorum bella, & fœdera cum alijs Regibus constarent, & quorum stirps, & origo regnandi non esset obscura; non secus ac in quibuslibet nationibus suorum Regum tabulæ semper sunt honori, & memoriæ. Sed tales Magi non fuerunt Reges huiusmodi: ergo, &c. Probatur min. primo. Quia si ita fuissent, eos Evangelista non reticuisset, atque alicubi terrarum, quas Christianismus incoluit, aliquis eos Catalogus recensseret. Sed nusquam tale invenitur: ergo, &c. Secundo. Quia si ita fuissent; eos Herodes longè maiori apparatu excepisset, neque sine comitatu eos in Bethlehem dimisisset; sed nullus legitur in textu: ergo, &c. Tertio. Quia si ita fuisset, nullatenus ausi essent indicere, & intimare Herodi, alium forè in Iudæa præter suam sobolem regnaturum: ergo, &c. Quarto. Quia tres Reges, si fuissent eiusmodi; talem strepitum fecissent in toto terrarum orbe Gentilico, vt nedum apud Christianos, sed apud Gentiles etiam supersessent plurima monimenta, ita vt ferè ex toto non potuerint aboleri: ergo de primo ad vltimum illi non fuerunt Reges, cuiusmodi modo vocamus Gallos, Hispanos, Britannos, Danos, Suevos, &c. Pergo iam ad probationem primæ partis. Tales Magos in sensu proprio, & legitimo fuisse Reges constat vetusta traditione Ecclesiæ, & SS. PP. Deducitur solidissimè ex Historia prophana: roboratur irrefragabiliter ex Sacra pagina, & prophetia: firmatur etymologia, & ratione: ergo negari non potest. Probo primam partem antecedentis posteà reliquas probaturus. Et in primis de traditione Ecclesiæ, eam canunt Catholici passim in Officio de Epiphania, & eam maleferiati Hæretici incusant quidem, sed non diffitentur. Quo ad PP. verò probatur. Primò ex Tertulliano *lib. 3. contra Marcionem, & lib. 3. contra Iudæos cap. 9.* ibi: *Nam & Magos Reges ferè habuit Oriens. Et Damascus Arabię retrò deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum.* Quæ omnia dicit de Magis adorantibus Christum. 2. Ex D. Augustino *serm. 43. ad Fratres in Eremo. Auditis Fratres mei charissimi sanctissimos Reges Dominum diligenter quæsiviſſe.* 3. Ex Hilario 4. *de Trinit.* ibi: *Recordemur Orientis Magos adorantes Dominum, & munerantes, & laborem veniendi vsque in Bethlehem Iudæ tanti itineris metiamur. In principum enim labo-*

labore totius Ægypti labor demonſtratus eſt. 4. Ex Cyprianus *de Baptiſmo Chriſti. Initio*, ibi. *Non eſt ſatis quod Angeli loquuti ſunt Paſtoribus, quod apparuit Stella Regibus.* Denique generatim ex Iſidoro, & Beda apud Maldonatum. Ex Chriſoſtomo, Theophilacto, Arnoldo Carnotenſi. Sed relati PP. ſunt vetuſtiſsimi: ergo, &c.

6 Probo iam ſecundam partem de Hiſtoria Prophana. Ex hac conſtat plures Reges fuiſſe Magos, Magoſque itidem fuiſſe Reges in Regionibus illis de quibus traditio eſt huius adventus, ſcilicèt Meſopotamia, Perſia, &: ergo, &c. Antecedens probatur ex variis Authoribus. Primo. Ex Philone Iudæo *lib. de Specialibus Legibus*: *Sed etiam Reges, & Regum maximi, & maximè Perſarum Magicam artem exercent, vt nemo in Regem eligatur niſi qui prius Magorum conſuetudine ſit vſus.* Secundo. Ex Cicerone 1. *de Divinatione*, ibi: *Nec quiſquam Rex Perſarum eſſe poteſt qui non ante Magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit.* Tertio. Ex Plinio *lib.* 30. *cap.* 1. ait: *In Oriente Magiam Regum Regibus imperaſſe.* Quarto. Ex Dione Chriſoſtomo: *Vnde anſa data Magis, eo mortuo Imperium invadendi.* Quinto. Ex Iulio Cæſare Bullengero *lib.* 1. *de Magia cap.* 2. ibi: *Fuit igitur Magorum appellatio honorifica vſque adeo vt Darius Hyſtaſpis Filius inter cæteros titulos hunc in monumento inciderit, ſe Magicæ ſcientiæ Doctorem fuiſſe.* Deinde apud Chaldæos; quia penè in eodem gradu in quo erant Magi apud Perſas, erant apud Aſſyrios, & Babilonios, Chaldæi (Chaldæus enim ab origine potius eſt nomen ſapientiæ, quam gentis) vt conſtat ex Bullengero *cap.* 3. Sed Chaldæi erant viri Principes inter Babilonicos: ergo licèt Magi veniſſent de Meſopotamia, & Chaldæa; iure meritoReges fuiſſe credi poſſunt, ſi non Regno notiſsimo dominantes; tamen qui verè poſſent *Reguli* nuncupari, & qui abſolutè Reges nunc appellentur, eò quòd ſupremo, & abſoluto fungerentur dominio. Maior conſtat apud Bullengerum: tùm quia Septuaginta Interpretes *Daniel.* 3. ponunt Magos ante Perſarum imperium Babylone; tùm ex Quinto Curtio *lib.* 7. qui Babylone etiam Magos conſtituit; tùm ex ipſa Iulio Cæſare Bullengero *cap.* 3. aiente cum Claudiano: *Chaldæi iſti ſæpè apud Authores ob artes, & ſcientiæ ſimilitudinem pro Magis accipiuntur.* Minor conſtat ex D. Hieronymo *Iſaiæ* 47. vbi ait: *Ex Chaldæorum conſilio cuncta Reges Babyloniæ feciſſe.* Itemque ex Bullengero: *Rex Babyloniorum Rex Chaldæorum dicitur Danieli, & Iſaiæ.* Denique ex Ammiano *lib.* 23. conſtat: *Quod Antigonus admonitus à Sapientiſsimis Chaldæis, admiratus eſt hominum maieſtatem, & nomen.* Atque ex Diodoro Siculo *lib.* 19. conſtat: *Chaldæos in aſtrorum cognitione ita fuiſſe perſpicaces, vt propter Solis retroceſſum tempore Ezechiæ ſuum Regem Merodach hortati ſint, vt cum Iudæis amicitiam iniret*: ergo de primo ad vltimum, ſivè de Perſia, ſivè de Meſopotamia adveniſſent; Reges in vero ſenſu ſunt reputandi.

7 Probo iam tertiam partem, ſcilicèt, roborari ex Sacra pagina, & prophetia fuiſſe Reges Magos illos, qui Dominum adorarunt. Apud David *Pſalm.* 71. *de Magis adorantibus Chriſtum*, dicitur: *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent.* Et *Iſaiæ* 60. *verſ.* 3. dicitur: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui*: ergo ex Sacra pagina, & prophetia ſatis clarè roboratur noſtra concluſio. Probatur antecedens. Vtraque illa verba vtriuſque Scriptoris Canonici, & Prophetici loquuntur de Epiphania Domini in ſenſu litterali primario, & etiam in ſecundario: ergo abſolutè intelligenda ſunt de Magis adorantibus Chriſtum. Probo antecedens. In primis, quoad textum Davidis in ſenſu litterali primario ſub hac forma. Totus ille Pſalmus nulli alteri perſonæ convenit, quàm Chriſto Domino. Sed

ver-

verba ipsius ad mysterium Epiphaniæ quadrant mirificè: ergo, &c. Maior probatur primo. Quia id tenet vnanimis consensio Catholicorum ex eò quod de Salomone, qui est in titulo Psalmi, verificari nequeunt ea, quæ in Psalmo illo includuntur, scilicèt, ipsum permanere cum Sole, neque fuisse ante Solem, & Lunam, neque dominatum fuisse omnibus finibus terræ; neque ei servitum fuisse ab omnibus gentibus; neque in eo benedictas esse omnes tribus terræ; neque descendisse sicut pluviam in vellus; neque fructum eius exaltatum fuisse super Libanum. Atqui multò minus cuipiam alij prædicta adaptantur: ergo, &c.

8 Probatur secundo. Ex vnanimi consensu PP. Ecclesiæ, atque Synagogæ. Ex Ecclesia, quia sic passim prædicat. Ex PP. quia Iustinus, Basilius, Theodoretus, Athanasius, Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Isidorus apud Lorinum hic, ita rem dicunt esse claram atque perspicuam, vt non nisi ex imperitia, aut delirio aliter sentiri possit. De *Synagoga*, quia plures Rabbini apud Lorin. eumdem Psalmum de Messia exponunt. Tertio. Ex ratiocinio mihi fortissimo sic producto. Negari non potest nisi obstinatè de Propheta, qui in suis sermonibus certò, & evidenter multoties prophetavit de rebus, & gestis alicuius personæ directè, & primario de ipsa loquendo; quòd si alicubi inveniuntur in eius sermonibus verba, quæ characteristicè conveniunt cum aliqua re, vel facto illius personæ, de qua sæpè prophetaverat, sit etiam prophetia in primario sensu de tali persona. Sed res ita se habet in Davide respectu Christi: ergo, &c. Maior ipso lumine naturæ patescit: siquidem quando cognoscitur certò aliquod obiectum loquentis, ei debent accomodari verba, quæ aliud sibi obiectum non parant. Minor probatur. Nam quod David sæpè fuerit de Christo Domino prophetatus constat de fide ex illis locis Novi Testamenti: *Dixit Dominus Domino meo. Filius meus es tu ego hodie genui te. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, &c. quæ de Christo citant Apostoli. Deinde ex alijs prophetijs singularibus in Christo, v. g. *Foderunt manus meas, & pedes meos; diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et in siti mea potaverunt me aceto*; & mille huiusmodi, quæ singulariter in Christo completa fuisse cognoscimus: ergo, &c. Minor verò illa prima, scilicèt, quod textus Davidis Epiphaniam clarissimè representet, liquet ex verbis ipsius, ibi: *Coram illo procident Æthyopes, Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent*; sed in his verbis stylo prophetico apertè dicitur Epiphania D. quoad munera, personas, & patriam, prout Doctores, & PP. explicare consueuerunt: ergo, &c. Probo iam similiter de prophetia Isaiæ in sensu etiam litterali primario. Quia Propheta Isaias in tota sua prophetia ex vnanimi consensu PP. & Ecclesiæ tam graphicè describit Christi mysteria, vt Propheta *Evangelicus* appelletur: quia nimirum more prophetico iam hic, iam illic Christum signat, & eius gesta declarat. Sed verba ipsius in *cap.* 60. pro Epiphania Domini sunt certè clarissima: ergo, &c. Minor constat ex textu sic loquente: *Surge illuminare Ierusalem quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leva in circuito oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surrgent. Tunc videbis, & affluens, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio Camelorum operiet te, Dromedæ-*

darij Madian, & Epha; omnes de Saba venient aurum, & Thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. In quibus verbis prodigiosè pingitur, tùm ortus Stellæ ex Iacob, tùm Gentiles ambulantes in splendore huius Stellæ, tùm Dromedarij & Cameli: quod vecturæ genus est regionis Magorum, tùm ipsa adoratio, & ipsamet munera oblata: ergo, &c.

9 Probatur iam roboratio prophetica in sensu secundo litterali in hunc modum. Sensus verè litteralis, licèt secundus, est, quando verba verè habent significationem talis rei, licèt primo obtutu, & intellectu aliam rem prius significent; sed licèt verba Davidis, & Isaiæ primo obtutu, & intellectu, & sensu aliquo priori, & etiam intento ab Scriptore Canonico conveniant alij à Christo, tamen in sensu vero taliùm verborum, & intento à Spiritu Sancto significant Christi Domini Epiphaniam: ergo hanc ex eis explicare debemus. Maior est clara: quia sensus allegoricus sive mysticus in eo differt à litterali; quod hic immediatè significatur per voces, & verba; ille verò mediatè per voces, & immediatè per res, v. g. Agnus Paschalis allegoricè significat Christum, quia verba immediatè significant agnum sacrificandum apud Iudæos, & hic Christum figurabat. Minoris verò probatio colligenda est ex multis, & fusis doctrinis, quas dedimus *tom. 1. pag. 181. & sequentibus, & tom. 2. pag. 42. 44. & 108.* Quarum summa est (præeunte D. Augustino, mille modis id explicante) quod quoties verba textus rei significationem admittunt, & tempore procedente à primis sæculis ea sic intelligit cœtus PP. pia traditione subnixus; sic vsurpat Ecclesia; sic manent fideles alta mente persuasi, ita vt pium horrorem concipiant in contrà sentientes; tunc sensus secundus litteralis est, si non intentus ab Authore Canonico, intentus quidem ab Spiritu Sancto suis temporibus explicandus, & postea declaratus ab eodem Spiritu Sancto, Ecclesiam eiusque Doctores gubernante. Nam proculdubio velint nolint hæretici non spiritus privatus humanus, sed ille idem ipse Spiritus Sanctus qui scripturas dictavit, cum æternus sit, eas explicare debebit, & quid in vnoque verbo prædixerit infallibiliter aperire. Ergo de primo ad vltimum Magi qui Christum D. adorarunt ex Sacra pagina Reges fuisse censendi sunt.

10 Probo denique quartam partem scilicèt quod ratione etiam constet, fuisse Reges in aliquo vero sensu. Significatum huius vocis *Rex* legitimè vsurpatum; mirificè quadrat cum ijs, quæ in Evangelio narrantur de Magis: ergo ij Reges fuerunt. Antecedens probatur. Tùm *ex Gen. 14.* vbi in Provincia Pentapolis quinque Reges dicuntur, & quisque erat vnius Civitatis tantum earum, quæ inter se erant propè; tùm ex Ambrosio Calepino, sic dicente: *Regiones à Rege dictæ videntur quòd singulæ singulis parerent regibus: à quibus, & regna appellantur. Dici tamen, & reges possunt qui vnius tantum vrbis Imperium habeant. Sic principio reges Romanorum dicti sunt quibus Imperium Vrbis permittebatur. Cicero 2. Offic. Mihi quidem non apud Medos solum, vt ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros Iustitiæ fruendæ causa videntur olim benè morati reges constituti... Reges item à tenuioribus appellabantur potentiores, ditioresque.* Et verbo *Regulus* addit cum Salustio in Iugurtha *illos fuisse eosdem ac nostros Duces, Comites, & Optimates.* Nunc sic. Vera nomenclatura Reges dicuntur, qui etiam vni Civitati imperarent; & qui optimates essent, imò & aliqui ditiores, & potentiores, quos assentationis causa reliqui appellarent *Reges.* Sed quæ narrantur de Magis in Historia Evangelica sunt satis, vt huiusmodi fuisse Reges Magos facilè credi queat: ergo, &c. Minor probatur. Quia constat primo. Tanti animi fuisse vt longum iter ad Nationē exteram susciperent; & curiam audac-

ter ingredi, atque in ea loquentes de novo Rege versari imperterritos non pertimescerent. Secundo. Eos tales fuisse, vt inde turbationem habuisset Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo. Tertio. Propter eos indictum fuisse Magnum Concilium, & Synagogam. Quarto. Eos secum portavisse Thesauros. Quinto. Eos putasse sui muneris esse Novum Regem salutare, & adorare: quę clarè probant, eos fuisse Reges appellatos, & iure merito tales exinde habitos, vel, vt etiam nunc tales habentur illi, qui olim in Italia soli Vrbi cæperunt imperitare; vel aliquo ex modis supra relatis (vt firma, & vera traditio Ecclesiæ procurrat, & obturentur ora impudentissima hæreticorum: qui si omninò excerebrati non sunt, debent rem non ex vna vel altera Vulgi additione, aut pictura; sed ex serio calculo Doctorum rem appendere.) Confirmatur 1. Quia, vt suprà Cicero. Inter Medos vbi Magodia, & vnde Magi venisse censentur ab Epiphanio, tales videntur Reges vsurpati. Confirmatur 2. Quia si à Regione *Reges* vt supra, non discongruunt verba textus dicentis *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*. Confirmatur 3. Quia tales Reguli in Novo Testamento clarè, & non semel nominantur, & in India frequentes sunt. Quid ergo nisi incredulitas poterit quem morari, vt eos Reges fuisse facilè affirmet?

11 Obijcies 1. Eatenus principalissimè substinetur Magos fuisse Reges, quatenus id signatum esse videtur in prophetia Davidis, & Isaiæ. Sed hoc ita non est: ergo, &c. Maior est certa; quia non cognoscitur alia origo, gravior, atque solemnior ad tenendum tam vniversim, Magos qui adorarunt Christum, Reges fuisse. Minor probatur. Vt id signaretur in prophetijs, opus erat, quòd ipsæ inibi in sensu litterali loquerentur de Christo. Sed id ita non est: ergo, &c. Minor, præterquamquod est nobilium Interpretum vt Riberæ in Epistola ad Hebræos, & partim Abulensis *Math.* 2. *q.* 7. Probatur sic primo quoad prophetiam Davidis. In prædicto psalmo tàm titulus, quàm omnia in psalmo contenta quadrant exactissimè Salomonis, cui talis psalmus expressè tribuitur, quasi sit argumentum, & persona, pro qua factus est psalmus: ergo quidquid sit de sensu typico; & allegorico; tamen non loquitur de Crhisto in sensu litterali. Probatur antecedens. Eatenus psalmus non fuisset pro Salomone, quatenus aliqua in ipso contenta ei non quadrant. V.g. quòd permansit cum sole, & ante Lunam; quod omnes gentes ei servierint, quod fructus eius superexaltatus sit super Libanum, sed iuxta rectam interpretationem cuncta ei quadrant: ergo, &c. Probatur min. Totus psalmus attente perlectus omninò quadrare potest Salomoni, Davide pro eo benè precante, si omnia verba quæ ibi ponuntur in futuro, v. g. *permanebit*, *adorabunt*, *superextolletur*, &c. intelligantur modo optativo, v. g. *permaneat*, *dominetur*, *adorent*, *superextollatur*, &c. Sed ita debet fieri interpretatio tàm ex rigore Hebraico, quàm ex ipso contextu Latino: ergo, &c. Minor probatur: tùm quia in Hebræo vt peritis notum esse non desinit, modus optativus, quo ipsi carent, semper traditur per futurum: quare vbi verbum fuerit in futuro; dispiciendum erit: an sensus potius in optativo, quàm in futuro magis congruat: tùm quia in contextu Latino ille ipse psalmus incipit per optativum, dicendo *suscipiant* prosequitur per optativum, dicendo *sit nomen eius benedictum*, & finit per optativum reclamans ad vniversa quæ dixerat, dicendo *fiat*, *fiat*: ergo cuncta per optativum debemus interpretari. Probatur 2. de prophetia Isaiæ. Quia postquàm *in cap.* 59. totus fuit Propheta in comminatione, & exaggeratione malorum temporalium propter peccata populi; posteà *in cap.* 60. totus est in exhortando Ierusalem vt oculos aperiat, & convertat se ad

Do-

Dominum ſuum, & ita plurimum abundabit ſplendore, opibus, nundinis, obſequijs, & pecoribus ad ſacrificia. Sed hæc omnia, quidquid ſit de ſenſu myſtico, tamen in ſenſu litterali non ſunt de Chriſto, qui potius omnia his contraria inducturus erat: ergo tàm vna, quàm altera Prophetia in ſenſu litterali non ſunt de Chriſto.

12 Ad hoc argumentum permiſſa mai. neg. min. ad eius probationem, diſt. mai. in ſenſu litterali primario aut ſecundario, conced. mai. præcisè primario, neg. mai. & diſt. min. Id ita non eſt in ſenſu primario tranſeat, min. In ſecundario, neg. min. & conſequentiam. Itaque revocari huc debet diſtinctio data ſuperiùs de ſenſu duplici litterali: & fateor, quòd prophetia vt talis, & rigorosè ſumpta debet tangere rem prophetatam in ſenſu litterali, id eſt, immediatè ſignificato per ipſas voces de quibus componitur prophetia. Non tamen opus eſt vt ſit ſenſus ille primus, & magis obvius, quem Scriptor Canonicus intendebat; cum ſatis probatum ſit, prophetas ſæpè verè, & rigorosè prophetaſſe; quin rem prophetatam, quam ipſi dicebant, omnino prænoſcerent. Ac propterea permiſi non ſolum, quod argumentum præcipuum ad ponendum, Magos fuiſſe Reges, fuerit prophetia; ſed etiam ſuperiores prophetias in ſenſu litterali primo non fuiſſe de Chriſto: nolui enim hanc partem (quam tamen vbique tueor, vt videbis) & quæ aliquantulo operoſior eſt; ſpeciatim vendicare; cum ad noſtrum intentum ſufficiat ſecunda, quæ magis clareſcit, ſcilicèt quod Spiritus S. præſcius omnium ſenſuum, quæ pro quibuslibet temporibus ea verba eſſent habitura ſuis altiſſimis finibus famulantia; ea dixit per eos Scriptores Canonicos; ſignificando per ea immediatè ſenſus longè poſt, ipſo declarante, ab Eccleſia, & eius Doctoribus eruendos. Quæ in locis meis à me ſuprà citatis mirificè Auguſtinus explicat, & confirmat. Quapropter licèt David pſalmum ſcripſerit pro Salomone, & Iſaias temporalia Ieroſolymis promiſiſſet, vt argumentum ſatis ſolidè diductum intendit; non tollitur quominùs pro noſtro caſu manſerit vera, & legitima prophetia. Quod ſi adhuc præter hæc ſit in animo cuiuſquam ſuſtinere in primo ſenſu litterali vtrumque prophetam fuiſſe prælo-loquutum; dico in primis pro Davide quod ponderata non vrgent: licèt enim verum ſit; quod optativus in Hebræo non valet poni niſi per futurum; tamen quoties futurum invenitur in textu pro futuro ſtare debebit, niſi, vel habeat *Vau* verſivum de more, vel contextus, contextus alta voce reclamet. Quod modo fieri non video; quin potius in Propheta paſsim prænuntiante futnra, vt fuit David, & quidem ſæpiſsimè de Chriſto vt ſupra tetigi, poſ ſeſsio ſtat pro *futuro*: vnde forte in lingua ſancta, quæ myſterioſa eſt, id divina diſpoſitione ordinatum eſt: vt, quando Scriptor Canonicus, vel quiſpiam alius modo optativo, aut ſubiunctivo explicaret ſe ſe; tunc Spiritus Sanctus altius per ipſum loquendo, futura prædiceret. Neque obeſt in Latina verſione expreſsio illa optativa *ſuſcipiant* poſita à Vulgato Interprete per optativum; & ſimiliter *ſit nomen Domini benedictum*, quia cum vtraque res ſit tam optanda; ipſe maluit, ſalvo ſemper ſenſu, & prophetia, ſic vertere: Hebraicè enim cuncta ſunt in futuro. Clauſula vero *fiat, fiat*, non eſt verbum in Hebreo, ſed illa ſolita, & precatoria expreſsio *amen, amen*, quæ non minus legitimè ferri poteſt ad certò futura, quàm ad ſolum optata. De titulo autem Pſalmi in Salomonem ſcire oportet, quòd paraphraſis Chaldaica, ſic exponit: *Per manum Salomonis dictus propheticè*: deinde ex Lorino, & Genebrardo nomen *Salomon* non ſignificat propriè, ſed patronimicè, quaſi ſobolem Salomonis, non ſecùs ac *Ezechielis* 34. dicitur: *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſervum meum*

meum David. Vbi intelligitur Davidica ſoboles : ſiquidem David ipſe iam ante præceſſerat. Ad prophetiam verò Iſaiæ etiam in primo ſenſu litterali intelligendam de Chriſto, facit, tùm illa tam graphica Epiphaniæ deſcriptio; tùm quod mos propheticus eſt, de ſuo ſcopo, & obiecto quaſi loqui per ſaltus, iam hæc, iam illa attingendo, alijs plurimis interpoſitis; tùm quia videntur ægrè niſi de Chriſto accommodari poſſe illa verba poſtrema prædicti capitis, ſcilicèt : *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.... populus autem tuus omnes iuſti, in perpetuum hereditabunt terram germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, & parvulus in Gentem fortiſſimam : ego Dominus in tempore eius ſubito faciam iſtud.* Et *in cap. Sequenti,* incipit : *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit Dominus me. Ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde; & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem.* Quæ quidem prophetia de Chriſto Domino Canonicè, & infallibiliter à D. Luca explicata eſt, & intellecta *cap.* 4. *verſ.* 21. Quibus omnibus, quæ apud Interpretes difficilia ſanè ſunt, ſic expenſis, ab obiectione emergimus Deo dante ſatis immunes.

13. Obijcies 2. Eatenus fuiſſent Reges, quatenus ſaltim in ſecundo ſenſu litterali id fuiſſet expreſſum in ſuperioribus prophetijs, ſed adhuc in tali ſecundo ſenſu litterali non benè componitur: ergo non fuerunt Reges. Maior videtur certa in noſtro modo diſcurrendi. Minor probatur. Modus, quo talis ſecundus ſenſus litteralis explicatur à nobis eſt, dicendo, talem Pſalmum debere intelligi ſcriptum pro Salomone, intelligendo per modum *optativum* plura, quæ ibi per verba de futuro explicantur. Sed hoc ita ſuſtineri non poteſt, niſi conveniendo cum Iudæis in infirmando hanc prophetiam de Chriſto : ergo, &c. Probatur minor ex verbis Lorini *Pſal.* 71. *verſ.* 11. vbi ait : *Eludunt Hebræi exponentes iſta non in futuro, ſed optantis modum, & fauſtæ precationis pro Salomone* : ergo, &c. Ad hoc argumentum permiſſa maiori, reſpondeo negando minorem, & minorem probationis, quæ non convincitur ex verbis Lorini, quamvis ea ſint vera, ſiquidem idem Author in eodem *Pſalm. verſ.* 1. ſic habet : *Fatetur Rabbi Salomon antiquos Hebræos hanc Pſalmum intellexiſſe de Meſsia; & in Midras Theillim in expoſitione Pſalmorum, & in libro Siphræ, & Rabbi Moſe Hadarſam idem produnt. Refert iſtos Nebienſis hoc loco, & Galatinus ſæpènumero, vt lib.* 10. *cap.* 4. *vt ſuis poſtea dicam locis.* Vnde patet etiam ex Rabbinis præſertim antiquis, eam haberi prophetiam de Chriſto. Quod ſi Neoterici Hebræi optativum modum inducunt, vt commodè pro Salomone ſcriptum ferant; in eo non errant : habent enim ſibi ſuffragantes nobiles Chriſtianos Interpretes. Si verò exinde pergunt, vt repellant, & convellant veram prophetiam de Chriſto; in hoc errant ipſi miſerè, atque cæcutiunt propter ea quæ ſupra tetigimus. Atque huc accedunt duo. Primum eſt, quod non eſt argumentum ad repellendam prophetiam de Chriſto, quòd verba à Propheta enuntiata, tunc haberent ſenſum currentem, & alicui vero facto correſpondentem : ſiquidem moris erat prophetici, tùm multis factis aliqua ſignificare, & loqui; tùm aliqua facta clara enuntiando, ibi arcaniori ſenſu indicare futura, vt verificaretur, iam quod illi præ alijs appellentur *videntes*; iam quod ipſi Iudæi *videntes non viderent, & audientes non intelligerent*, quod tàm in Veteri Teſtamento, quàm in Novo ſolet inveniri; iam quod ad intellectum Scripturarum opus eſſet *ſcrutari Scripturas*; alioqui ſi ad arcana ſenſa non eſſet perveniendum; modico ſcrutinio opus

eſſet

esset. Secundum est quod distinctio Agiographorum cuiusmodi est David, à Prophetis in eo stat apud Valentinum Schilderum in Pentaglotto, quod hi per visionem rei prophetabant; illi verò per motum Spiritu Sancti: quare moueri potuit David, vt ea diceret circa eventus, & personas præsentes, inibi quoque significando futura: siquidem longè difficilius est sub iniqua sententia posse prophetiam latere; & tamen ita fuit in Caypha dum dixit: *Expedit vnum mori pro populo, ne tota gens pereat*: qui (ait textus) prophetavit cum esset Pontifex. De quibus fit clarum, quomodo per nos nullatenus infirmetur; sed potius roboretur Prophetia de Christo, quem velatum Prophetæ suo Populo præmuntiabant: id agente Spiritu Sancto, qui postea per os Ecclesiæ, Apostolorum, imò, & ipsius Christi ostendit impleti, quæ antea arcànè, & absconditè sub alio nomine, & persona dicebantur.

14 Obijcies 3. Eatenus dici posset Magos fuisse Reges, quatenus licèt in hoc loco, *Mathæi* 2. non diceretur; tamen aliunde in Sacra pagina id constaret, vel ex Historijs fidedignis Sacris, aut Prophanis id clarè deduceretur. Sed hæc non adsunt: ergo Reges non fuerunt. Minor probatur. Quia præter prophetiam, à qua in re historica oportet præscindere, neque ipsa Sacra pagina in Evangelio, aut toto Novo Testamento, neque historici Veteres, vt Iosephus, & alij quid tale pronuntiant: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo, negando min. ex supra dictis vbi ex Historia Profana, & etimologijs linguarum id satis constat; atque insuper ex Historia Sacra inclusa in ipsa prophetia, à qua præscindi non potest, vt res prophetata eiusmodi fuerit, prout à Propheta prædicta fuit: quare in ordine ad hoc perinde est dixisse propheticè, eos futuros esse Reges, ac si historicè dictum fuisset. Quare vero Evangelista non dixerit esse Reges? Alij varia subnectunt; sed in nostra rei explicatione paucis est opus. Itaque dico, ideo fuisse quia signatè id dicere, scilicèt fuisse Regulos non decebat, neque oportebat; exercitè autem satis dicebatur. Vrgeret fortè plusculum rogatiuncula, si, Reges eos omni apparatu, & ditione ampla, & nota fuisse, diceremus. Sed quomodo dicamus, esse Reges, supra constitit: & benè sic explicat Maldonatus: *Malumus tamen credere fuisse Reges, non illos quidem Persarum Nobilissimos; sed tamen Principes, qui Regum, aut Regulorum nomen mererentur, sicut ille Ioan.* 4. 46. 49. *Et sicut amici Iob, qui ad consolandum eum venerant Tobiæ* 2. *Reges appellatur, & vt Marcus* 6. 14. *Herodem magni Herodis filium Regem appellavit, cum non Rex sed Tetrarcha esset Galilææ Math.* 14. *Luc.* 3. *Certè Poeta Iuvencus Primores Gentis suæ, & Proceres appellat.* Igitur dum sermo erat de adorando Rege Regum; vel commemorandi erant Reges totius Orbis notissimi, & celeberrimi; vel titulus regius conveniens per assentationem, aut diminutionem prætereundus erat ex decentia, & oportunitate mysterij, præsertim quando eos esse Primores Viros satis in suis Thesauris, itinere, attentione, & commotione Hierusalem innotescebat. Propterea ergo congruentius *Magi* dicti sunt ibi vbi de Stella erat sermo: & quia omnis sapientia scrutatrix cœlestium ibi Regem cœlorum scrutandum habebant. Replicabis. Ex dictis Reges solemnissimi, vt Histaspis filius, & alij apud Persas Magi erant: ergo, & hi, si ita fuerunt; commemorari debuissent in textu. Resp. quod licèt non solùm aliqui illorum Regum Persiæ; sed omnes Magi fuissent; non tamen propterea omnes Magi fuerunt Reges tali modo tam amplo, & solemni; sed prout Nos cum Maldonato explicuimus, & ex his fuere, qui tunc Dominum adorarunt.

15 Obijcies 4. Si Magis Reges fuissent; Herodes eos magno apparatu excepisset, prout decebat Regis ad

Reges; neque is in textu omninò præteritus fuisset. Atqui ibi nihil tale legitur; ergo Reges non fuerunt. Maior videtur clara ex ceremoniali perpetuo Regum, quod iure naturæ, & Gentium inductum est. Et quoad 2. partem constat, quia ibi cætera quæ acciderunt Hierosolymis, enarrantur. Resp. dist. mai. Si fuissent Reges ditionis amplæ, & celebris vt reliqui notissimi Reges mundi, conc. mai. Si solum quasi quidam Optimates supremi, aut Primores viri. Nego maior. quoad vtramque partem. Atque huiusmodi fuisse, textus ipse persuadet: siquidem Herodes non eos iussit excipere; quod fecisset si, fuissent Reges fama, & ditione celebres; sed audivit tantum quæ Magi sparserant, dum quærebant Dominum. Itaque prout optimè describit Cyprianus *Orat. de Stella, & Magis*, ipsi vaticinio Balaam *Num.* 24. instructi, & Sybilla Erithræa, vt tradit Ianssenius, eò accesserunt ductu stellæ Dominum quæritantes, & ea vaticinia spargentes, quæ cum ad aures Herodis perveniissent, eos vocavit, & convocato Concilio contulit suas, & Gentilicas prophetias, ac rei veritatem odoratus, callide loquutus est illis. Hos tamen solum velùti Optimates exteros tractasse credendus est; in quo nil erat, quod referret Evangelista, qui ad mysterium; non ad Politica officia enarranda, properabat.

16 Obijcies 5. Eatenus fuissent Reges quatenus fuissent Magi idest Magiæ dediti, & Syderum observatores. Sed ita fuisse non constat ex textu: ergo, &c. Probatur minor. Vox *Magos* de Hebraico, & Syriaco fonte, (qui maximè debet attendi præsertim in Mathæo sic scribente) significat *Gentiles*; & nil de Magia significat: ergo ex textu non constat eos fuisse arti Magicæ deditos. Antecedens constat ex Notabilibus. Ad hoc argum. resp. dist. anteced. in aliqua, & valdè probabili explicatione, conced. mai. in omni, neg. mai. & respectivè distincta minori, neg. consequentiam. Itaque modus probabilissimus quo ex authoritate, & ratione sustinetur eos fuisse Reges est, quia *Magi*: eò quòd Magi apud Persas Reges fuissent, & quidem celebres, vt filius ille Histaspis Darius. Sed insuper ad hunc modum nos non alligamur, eò quòd sensu à nobis exposito, & non tam rigido, salvemus eos fuisse Reges prout ex Sacra pagina innuitur, & prout vox *Rex* germanitus observata non respuit. Ad id tamen nil officit, quòd textus solum diceret *Ecce Gentiles*, quin dicat *Reges* propter nuper tacta; sicuti non obstat quod dixerit *Ecce Magi* solum. Benè autem maximè potest deservire, quod vox *Magos* significet *Gentiles*, scilicèt ad penitus eliminandum de hoc loco, quod dixere nonnulli fuisse *maleficos, quia Magos*, confundentes Magiam primam sapientum cum abusu dœmoniaco, ad quem plures sensim inde declinaverunt. Ad calcem observa primo. Quod si *in Psal.* 71. aliqua ibi dicantur, quæ non tam facilè accommodentur Christo Domino, v.g. *à Tharsis veniisse ad eum Reges*, vel quidpiam simile: id parũ obstare, semel, ac rectè accommodetur Salomoni, vt clarè fit ab Authoribus. Et vide *q. seq. n.* 2. Tùm quia in prophetijs, quæ fiunt media aliqua figura, aut persona non omnia oportet convenire illi, qui media ipsa, seu prætextu ipsius intenditur significari; sed vel illi, vel medio illi, quod interponitur, vti nunc accidit. Tùm quia ibi sub nomine Tharsis tradunt Interpretes, vtpotè sub Regno tunc celebri Gentium Reges indefinite signari. Observa secundò. Quod licet Chalcidius in Tymæum Platonis loquatur de hac S. Historia, cuius verba affert Ianssenius; tamen eos Reges esse non dicit, nisi exercitè nostro sensu iam explicato. Et hæc de hac quæstione.

***

QUÆS-

JHS.

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ECCE MAGI AB ORIENTE VENERUNT. *Math.* 2.

ARTICULUS.

DE QUA REGIONE VENERINT MAGI DOMINUM adorantes?

1 SUppono 1. Orientem, prout in hoc textu significatur, posse accipi diversimodè, & aliquam parere confusionem: vnde pro articulo expeditius solvendo, eam vocem in primis explicare oportebit. Itaque Oriens potest sumi, ita vt significet locum tam præcisè Orientem, vt nullus præter ipsum sit Oriens, & similiter de Occidente. In quo sensu nullum datur Oriens, & Occidens rigorosè tale, vt benè expendit Tostatus hic *quæst.* 7. & etiam Morerius *in suo Dictionario* verbo *Oriens*. Quia cum nuspiam in terra locus sit vbi Sol non oriatur, & occumbat in suo Horizonte; inde est nullam plagam absolutè, & strictè loquendo posse dici definitè Orientalem. Quod ex figura mundi Sphærica satis liquet: si enim mundus esset in plano, vt ante Antipodas cognitos Geographi discurrebant, fixum Oriens, & Occidens poterat designari: sed cum Sol incessanter gyret per vtrumque Hemisphærium, totidem sunt Horizontes in Orbe, quot sunt lineæ ipsius: & cum Sol, dum apparet in vno Horizonte, recedat ab altero; sequitur quod vbique punctum sit Orientis, & Occidentis totius mundi; licèt in aliquo loco determinato distingui possit, quà Sol semper oritur, & qua semper occumbit. Alio modo longiori potest sumi Oriens absolutè tale vel, vt vult Tostatus pro prima parte terræ habitabilis, quam ante reliquas Sol incipit illuminare dum gyrat: & hanc dicit esse Indiam. Vel vt magis inclino pro terra illa quam Sol vel lux dum formata est cæpit illuminare in Oriente: quę in mea sententia *t.* 1. *Dec.* 1. *q.* 2. fuit Palęstina. Nam præscindendo ab initio lucis non capio, quomodo definiri possit, hanc plagam præ alia à Sole prius illustrari quandiu Sol Orbem gyrat. Denique alio modo claro, & facili sumitur *Oriens, & occidens* respectivè vnius plagæ ad alteram, quatenus terra illa quæ respectu Hispaniæ, v. g. se habet ad partes, per quas Sol Hispanis incipit apparere, respectu Hispaniæ sit Orientalis; & illa, quæ sita est ad partes vbi occumbit Hispanis, occidentalis. Et in hoc sensu postremo articulus est resolvendus: siquidem neque potest disputari in primo, neque in secundo, sive sumatur Oriens pro prima parte ter-

terræ habitabilis, quod fixum esse non potest; sivè sumatur per Palæstinam, quia cum ad ipsam venerint Magi; si ipsa esset Oriens; non poterant venire ab Oriente.

2 Suppono 2. Hunc articulum, suppositò *Psalm.* 71. vbi dicitur: *Reges Tharsis, & insulæ, Reges Arabum, & Saba dona adducent*, loqui de Epiphania, specialem sibi creare difficultatem in regione Tharsis: tùm quia non ita facilè apparet, exinde vsque ad Bethleem, vbi Reges Dominum adoraruut, prout constat ex textu, potuisse iter confici intra tredecim dies à Domini Nativitate currentes. (Hos enim, & non annum vt quidam, vel biennium, vt Epiphanius, censemus cum communi lapsos esse vsque ad Epiphaniam ducti eo solido fundamento, quod cum Christus, cum Matre instar hospitij versaretur in Bethleemitico Diversorio; & huc Reges accesserint; non facilè neque fundatè intruditur annua, vel biennalis commoratio in Bethleem. Nam quod Herodes occiderit pueros à bimatu, & infra, non probat Christum tanto antea tempore natum esse; sed quod Herodes ignorans ætatulam pueri, voluit tantum extendere tempus quantum existimavit necessarium esse, vt quæsitus Infans clauderetur.) Tùm quia quia incomperta omninò est inter Doctores quænam fuerit Tharsis: an videlicet Tharsus Ciliciæ? An nostra Carthago? An omnis tractus maritimus? De quo vide Morerium, & in quo mihi videtur fuisse nostram Carthaginem, non amore patrio, sed rem testimonio gravissimo producendo primo. Quia *cap.* 27. *Ezechiel.* vbi Vulgata habet *Tharsis*, Septuaginta dicunt *Carthaginem*. Secundo. Quia aliquibus ab hinc annis à viris doctis, & fidedignis excepi, inventum fuisse in Regno Valentino, satis propinquo Carthagini, apud Saguntum (nunc Molviedro) lapidem sic Hebraicè scriptum: *Hic iacet Adom Hiram qui venerat, vt colligeret tributa Salomonis.* Atque hunc mentem subit proportio etymologiæ: siquidem radix Hebræa *Rasas*, vnde formatur *Tharsis* significat *depauperare*: & reapse collectio tributorum depauperatio esse solet. Cui etymologiæ nec fido; nec pareo. Quocirca licet propter classem illam, quam mitteret Salomon in Tharsis, sivè oras Hispaniæ; intelligi vtcumque queat, Reges Tharsis munera dedisse Salomoni; tamen si Psalmus in primo sensu litterali est de Christo, dici debet, per Reges Tharsis non reges intelligi tunc natum Dominum adorantes, sed eum postea fide, & muneribus adoraturos: hoc enim solet habere visio prophetica: quòd etiam in vnam illam rem, quam propheticè enuntiat, multa, quæ vno obtutu lustravit, tempora, trahi soleant: & vbi multa mixtim distãtia parat, & profert; creatur arcanitas; quin pereat veritas. Si verò in secundo sensu litterali, in quæstione superiori explicato, ibi sit sermo de Christo; resit expeditior: quia eum non omnia convenire debeant rei arcanè significatæ; sed vel ipsi, vel rei magis obviam significatæ per voces; conficitur quòd licet Reges Tharsis munera dedissent Salomoni; Reges tamen Arabum, & Saba munera dedissent Christo.

3 Suppono 3. Plagas illas, vnde putari solet Magos adveniisse in Bethleem fuisse, vel Arabiam, vt vult Cyprianus, & alij; vel Æthiopiam, vt vult Hilarius, vel Persiam, vt Maldonatus, & plures, vel Chaldæam, & Mesopotamiam, vt Abulensis. Cæterum posito, vt nos diximus præcedenti quæstione, eatenùs Magos fuisse Reges, quatenùs fuerunt Optimates supremi, & Primores viri, non est de hac re acriter decertandum: eatenùs enim eorum ditionem, & Regionem discerni oporteret; quatenus, si ea benè nota non haberetur; perperam concludi posset, eos esse Reges notos, & celebres; cum vero viri potentes,

&

& quaſi Reguli, præſertim eo tempore, & locis, paſsim invenirentur, vt modo etiam non deſunt; ideo putarem in hac re ardorem, & contentionem debere paululum deferveſcere. Præſertim ſi notantur mox ſequutura gravium AA. teſtimonia, dicentium eas partes, de quibus quæſtio eſt, eſſe ita inter ſe confuſas, vt vna pro alijs, & viciſsim, facilè vſurpari queat. 1. Iulius Cæſar Bullengerus *lib. 1. de Magia cap. 3.* ait: *Eſt & Chaldæorum Natio, & Babylonis Regio, quam inhabitant, Arabibus, & Mari Perſico proxima.* Secundo. Lorinus Pſalm. 71. verſ. 11. ait: *Dici vero Arabia fælix poteſt nomine Perſiæ, quoniam ſolo ſinu Perſico ſeparatur ab ea: quo fortaſsis modo poſsint intelligi, qui de Perſide veniſſe Magos dixerunt.* Tertio Idem Lorinus, v. 9. ait pro Ethyopia: *Quam autem latè pateat Æthyopia, demonſtrat Antonius de Gueuara cap. 3. Abachuch diligenter tum ex Homero, qui appellat Ethyopas extremos hominum, bifariamque illos divisit ad Occidentem, & Orientem, quos Seneca Tragicus in HERCULE FURENTE binos nominat.* Quarto. Suarez diſp. 14. ſect. 3. ait: *Nam, quia Arabia fælix ſic eſt Perſiæ vicina, vt ab ea ſola Perſico ſinu ſeparetur, interdum ſub Perſiæ appellatione comprehenditur. Et hoc modo poſſunt ad hanc ſententiam accommodari Sancti in prima citati.* Quinto. Idem ibidem: *Hanc ſententiam defendit Ianſenius cap. 9. Concordiæ, qui exiſtimat Patres pro priori ſententia citatos ab hac non diſsidere; ſed ſub nomine Perſarum Chaldæos comprehendiſſe; quod aliquando vnum fuerit Perſarum, & Chaldæorum Regnum.* Ex quibus conſtat, Arabiam pro Perſide, itemque Perſidem pro Chaldæa intelligi ſatis poſſe; atque Æthyopiam patere latiſsimè. Vnde cenſerem ego non ita eſſe agendum in hac re quaſi qui limites partiuntur hæreditatis, qui de ſemipede etiam rixantur: nam qui nimis emungit, elicit ſanguinem, & eſt modus in rebus; ſunt certi denique fines, quos vltra, citraque nequit conſiſtere rectum: atque quemadmodum perbelle Cyrillus Hieroſolym. (Cathech. 21. ni fallor) ait, incredulî eſſe non credere aliqua, niſi quouſque tota Chronologia ſubducitur; ſic ego ſimiliter crederem dici hìc debere, dum plus iuſto de Patria, ſitu, colore, ætate, &c. diſquiritur. Concluditur hìc ergo cum Suario ſic aiente: *Quæ autem fuerit illa Magorum Regio incertum eſt; quia ex Scriptura nihil habemus, & Sancti Patres variè loquuntur.*

4 His poſitis multiplex eſt ſententia: prima aſſerit, eos Magos veniſſe de Regione dicta Magodia ſita inter Medos. Sic D. Epiphanius in Compendio Doctrinæ Catholicæ. Secunda ponit eos veniſſe ex Æthyopia: ſic Hilarius *lib. de Trinitate.* Tertia aſſerit eos de Perſide veniſſe. Hanc tenet Baſilius *de Humana Chriſti generatione*, & Iuvencus *lib. 2. Hiſtoriæ Evangelicæ.* Chriſoſtom. *homil. 6. in Math.* Theophyl. Entimius, Ioannes Maldonatus *Math. 2.* Quarta ſententia ſuſtinet eos veniſſe à Meſopotamia, ſeu Chaldæa, vt opinatur Origenes *hom. 13. in Num.* Hieronym. *Iſai. 47.* Ambroſ. *lib. 2. in Lucam*, Niſſenus *de Humana Chriſti Nativitate*, Theodorus Ancyranus *orat. de Nativitate Chriſti*, & plerique Patres prout ait Bullengerus, necnon Ianſenius *cap. 9. Concord.* Eugubinus apud eumdem *in lib. de Perenni Philoſophia*, Abulenſis *Math. 2. q. 7.* Barradas *lib. 9. cap. 8.* Quinta ſententia defendit eos veniſſe de Arabia fælici. Sic Cyrillus Alexand. *lib. 4. in Iſaiam, orat. 4.* Cyprianus *orat. de Stella, & Magis*, Tertullian. *lib. contra Iudæos cap. 9. & 3. contra Martionem cap. 13.* Iuſtinus *in Dialogo cum Triphone.* Incognitus, Hugo, Lyra *in Pſalm. 71.* Lorinus ibidem, Baronius *tom. 1.* Suarez *tom. 2. in 3. part. d. 14. ſect. 3.* Sexta ſententia ait Magos veniſſe de Arabia, Perſia, & Sabæa. Ita Ill. Suiri *tom. 1. tract. 17. cap. 5.* cum Martino Garcia *ſerm. 144.* & pro quo allegatur, vt favens. D. Iſidorus *lib. contra Iudæos cap. 13.* item

Christianus Druthmarus *Math.* 2. Incognitus *Psalm.* 21. Sylvester *in Rosa Aurea tract. 2. in die Epiphaniæ*, Hieronymus Natalis *in Adventu Magorum*, Boskierus in Ara Cœli *dec.* 1. *conc.* 10. Vrratigoiti, & alij.

5 Sit mea conclusio *Magos venisse ex Mesopotamia, & Chaldea.* Probatur conclusio primò ex PP. scilicèt primò ex Origene, vbi suprà: *Si à Moyse prophetiæ Balaam sacris insertæ sunt voluminibus; quantò magis descriptæ sunt ab ijs, qui habitabant Mesopotamiam, apud quos magnificus habebatur, quosque artis eius constat fuisse Discipulos? Ex illo denique fertur Magorum genus, & institutio in partibus Orientis vigere. Qui scripta apud se habentes omnia, quæ prophetaverat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum QUOD ORIETUR STELLA EX IACOB, ET EXURGET HOMO EX ISRAEL.* Secundo. Ex D. Gregorio Nisseno vbi suprà, ibi: *Audivisti Arioiam Balaam meliori numine afflatum sic alienigenis prædicentè ORIETUR STELLA EX IACOB. Ecce tibi qui ab eo genus duxerunt Magi ex prædictione ipsius novum observant ortum Stellæ, quæ præter aliarum Stellarum naturam, & motus, & status est particeps, & ad vtilitatem hac vtitur vicissitudine.* Ad quos PP. simul cum Ambrosio, & Hieronymo vbi suprà, placet adiungere verba Eugubini *lib.* 1. *de Perenni Philosophia cap.* 3. vbi ait: *Magi Persarum, ac Chaldæorum (nam priores sunt Persis Chaldæi, & regno, & ortu, eòque doctrina potius erat Chaldæorum) sapientes ac Sacerdotes eius nationis fuerunt qui res Regum gestas scriberent secretiores quasdam scientia Soli cognitas habentes... hinc Balaam horum è numero Magorum sua tempestate celeberrimus, creditus est posse veneficijs, & incantationibus obesse populo Hebræorum adscitus à Rege Moab ob hanc causam. Habitabat autem is, vt testatur Moyses, super fluvium filiorum Ammon hoc est Euphratem: quo fit perspicuum eum fuisse Aramæum sive Chaldæum vnum nempe ex his Magis.* Confirmatur ex eodem, & ijs, quæ fusè, & doctè congessit Iansenius. Quia ex vna parte inter tales Magos Chaldæos fuit Sibilla Erithræa filia Berosi Chaldæi, & tota eorum Theologia plena erat oraculis de venturo Filio Dei: quare vigilantissimè observabant signum; totumque ea fama Orientem compleverat, vt Suetonius in Vespasiano, & Tito testatur. Ex alia verò parte, & Cicero ex eadem Sybilla *lib.* 2. *Divinatione*, & Calcidius Platonicus in Timæum Platonis, Chaldæos fuisse hos Magos graviter ostendit. Sic Iansenius, quem lustrare non pœnitebit.

6 Probatur 2. conclusio ex Tostato. Magi qui venerant ab Oriente, credendi sunt fuisse, non nisi de stirpe Balaam. Sed hic habitauit in Mesopotamia, & Chaldæa Orientali respectu Palæstinæ: ergo, &c. Maior præter superius dicta, est valde classica, & recepta inter PP. & Doctores, vt patet ex Tostato sic aiente *quæst.* 7. *Isti Reges erant de progenie Balaam prophetæ, vt asseritur tàm per Nicolaum, & S. Thomam, quàm communiter. Et est rationabiliter dictum, & sic ex suasione Balaam expectabant istam Stellam quam ipse dixerat. Orietur Stella ex Iacob. Et hoc tenet etiam Historia Scholastica, & ferè omnes Doctores Latini.* Deinde probatur sic. Ex illa parte Orientis credi debet adveniisse Magos Christum adoraturos, apud quam Magis regnabant vaticinia Gentilica de Christo venturo inter Magos vsurpata; licèt studia purè Magica alibi magis florerent. Sed de stirpe Balaam, & apud Magos versantes in Chaldæa longè specialius vigebant, & traditione retinebantur vaticinia de Christo venturo, vt supra constitit ex Suetonio, Chalcidio, Cicerone, Eugubino, item ex Sybilla, & famosa prophetia Balaam: ergo, &c. Maior constat quia licèt fortè floreret Magia plus apnd Persas; vel Persæ pro Chaldæis vsurpari debebunt vt supra constitit; vel licèt ita non esset, po-

potiùs credendi ſunt veniſſe, deſuper ad quærendum impulſi illi Magi (ſive Aſtronomiæ ſapientes aut Gentiles) inter quos talis præſtolatio regnabat in vaticinijs; quam ex illis Magis, qui quamtumvis Magiæ profundius dediti fuiſſent; nihilominus talia vaticinia non habebant: quorum apud Perſas vt tales, nec veſtigium erat; apud Chaldæos verò paſsim, & crebro. Probo iam primam minorem quoad vtramque partem ſimul *ex lib. Numeror. cap.* 23. ibi: *De Aram vocavit me Balac Rex Moabitarum de montibus Orientis* Sed hæc verba probant Balaam ſuiſſe in Meſopotamia, & Oriente: ergo, &c. Minor de Oriente eſt expreſſa; & de Meſopotamia eſt clara, id eſt Syria, ex Abulenſi, ſic aiente: *Aram autem in Hebræo dicitur apud nos Syria vel Meſopotamia, & ambæ ſunt terræ coniunctæ, terræ Canaam: imò ipſa Meſopotamia eſt pars Syriæ accipiendo Syriam longè*: ergo confici videtur tales Magos de Meſopotamia veniſſe.

7 Probatur tertia concluſio ex traditione Iudæorum quam tradit D. Epiphanius *in Compendio Doctrinæ ad finem lib.* 3. *Hæreſum, vbi inquit*, Abraham, poſtquam cum Regibus dimicavit, miſiſſe Madian, & Epha filium ſuum, atque nepotem ex Cethura cum muneribus auri, mirrhæ, & thuris ad Damaſcum. (Vbi firmatam vides in Epiphanio prophetiam Chriſti quòd adhuc infans abſtulerit ſpolia Damaſci, id eſt ad Damaſcum delata.) Ex qua traditione ſic pergo. In primis eadem munera, quæ obtulerunt Magi Domino, videmus veniſſe de manu Abraham per Madian, & Epha in Meſopotamiam. Sed deinde Madian, & Epha filius, & nepos Abraham memorantur apud Iſaiam *cap.* 60. ſignantes cum iiſdem muneribus adorationem Magorum: ergo hi Magi cum prædictis donis de Meſopotamia venerunt. Minor patet ex textu *verſ.* 7. ibi: *Inundatio Camelorum operiet te, Dromedarij Madian, & Epha omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.* Probatur noſtra concluſio. Quia ponendo, eos veniſſe de Meſopotamia; & non de magis interiori Perſide, vel Arabia, plana valde fit illa difficultas, quæ alioqui dirè vexat Interpretes de eo quòd non tàm brevi temporis curriculo vt 13. dierum, potuerunt Reges venire Ieruſalem: ergo, &c. Probatur antecedens. Ex demonſtratione Biblico Geometrica, quam facit Abulenſis *ex capitibus Gen.* 29. & 31. Vbi vel ex vrbe Nachor in Meſopotamia, vnde fugit Iacob à Laban Socero ſuo vſque ad Montem Galaad iuxta Iordanem; vel ab ipſo loco tonſionis Gregum, vbi erat Laban; probat per textus Biblicos claros vſque ad Ieruſalem novem ad ſummum diætas, vel novem dierum itinera intereſſe: ita vt Reges, & præparari ad iter; & illud commodè facere potuerint, quin vel ad miraculum vel ad celeritatem dromedariorum recurrere opus ſit. Quòd ſit forſitan hoc genus vecturæ intervenit; fuit ex more regionis, & apparatu potentium; non vt corripiendo leucas, Dominos ſuos, quaſi arreptitio impulſu vectarent. Ergo, &c.

8 Obijcies 1. Iuxta Davidis Prophetiam *Pſalm.* 71. Magi venerunt à Tharſis, ſaltem aliquis. Sed Tharſis minimè eſt in Meſopotamia, & Chaldæa: ergo non exinde venerunt. Min. eſt clara, maior conſtat ex textu. *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent*, &c. Ad hoc argum. reſp. neg. anteced. Quia licet ille Pſalmus de Chriſto Domino, & eius S. Epiphania ſit clare loquutus, at id non fuit more Hiſtorico, ſed dictione prophetica, quæ arcana eſt ſemper in clauſulis; & indiget mentis oculo limpidiſsimo, & à Deo illuminato, vt poſsint ad rem verba accommodari, prout reipſa eam vidit Propheta ſub ſuis diſtantijs rerum enuntiatarum, menſuris, & circumloquutionibus. Quare, licèt in eo

Pſal-

Psalmo in primo sensu litterali loqueretur de Christo potuit id intelligi generatim, & tempore indefinito prout ea verba apud Lorinum intelligunt aliqui PP. cum Augustino. Vel si Psalmum sumas in secundo sensu litterali de Christo, & in primo, & planiori de Salomone; dicitur eam expressionem *Tharsis* potuis Salomoni, qui classem illuc misit, quàm Christo convenire. Recole notabile 2.

9 Objicies 2. Tales Reges venerunt de Æthyopia: ergo non de Mesopotamia. Probatur anteced. primo. Ex ipsa prophetia David *Psalm.* 71. qui per nos loquitur de Epiphania, ibi: *Coram illo procident Ethyopes, & inimici eius terram lingent*: idest terram osculabuntur. Secundo. Quia id expressè asserere videtur D. Hilarius *lib. 4. de Trinitate.* Tertio. Quia saltem vnus ex illis, quam Melchiorem dicunt, atro, & Æthyope erat colore: ergo venerunt, saltem eorum aliquis, de Æthyopia. Ad hoc argum. resp. dist. antec. *Ex Æthyopia largè sumpta prout Guevara Abacuch 3. eam largis finibus circumscribit*, permitto mai. *Ex Æthyopia rigorosa, & Imperio Abyssino plus remoto*, neg. anteced. & consequent. Prout enim diximus in 3. Notabili, non refugimus asserere Mesopotamiam, & Chaldæam partim ad Æthyopiam largè sumptam spectare, ita vt D. Hilarius id sano sensu vsurpare potuerit; præsertim cum hic S. Doctor ad id ex prophetia supra ponderata videatur fuisse permotus. Ad hanc verò bene salvandam, semel ac reperiretur aliqua Geographica descriptio, quæ Patrias Regum Magorum quodammodo ad Æthyopiam traheret largè sumptam; & quidem claudendo Mesopotamiam, & homines albos, & nigros; in primis salva sit prophetia, quæ non petit sensus rigoriores, sed veros: & deinde componitur, quòd eorum Magorum aliqui albi, aliquis autem niger fuisset, vt fert fama, & pictura communis. Pro quo addā duo: alterum est me excepisse ex Missionario Sinico fidedigno Persas aliquos atros esse, & quidem tam eleganti forma, vt de venustate possent cum Europęis contendere: non enim sunt simi, sed aquilini, & lineamentis pulchrè diductis. Alterum est, quod sicut modo in triumpho Sacramenti ponunt sub specie Gygantæa in 4. partibus mundi Africam nigram; sic quia tunc fuere tres partes; fortè vt omnes Gentiles Dominum adorantes adumbrarent, vnum ex eis inumbrarunt, vt Africam pingerent.

10 Objicies 3. Torrens PP. asserit Magos venisse de Arabia, aut Perside: ergo non de Mesopotamia. Minor probatur. Nam id tenent locis supra citatis Basilius, Iulianus, Cyprianus, Tertullianus, Athanasius, Theophylactus, Chrysostom. Imperfectus, Iuvencus, Cyrillus Alexandrinus, Epiphanius, Euthymius: ergo, &c. *Confirmatur.* Mesopotamia non est Orientalis: ergo non inde venerunt. Antecedens patet. Quia in Charta Geographica constat, quomodo ad Orientem propius sit Persia, & Arabia; Mesopotamia autem valdè declinet. Ad hoc argum. resp. dist. antecedens: *Sensu concordi, & vniversali*, neg. anteced. *Vario, & opinante*, conced. antecedens, & nego consequent. Permitto enim prædictos PP. ita, & absolutè, & firmiter, de vtraque illa Regione pronuntiare; at nedum ipsi inter se non conveniunt, siquidem alij de Persida, alij sentiunt de Arabia; sed Origenes, Nissenus, Ambros. Hieronymus sentiunt de Chaldæa, & Hilarius de Ethyopia. Quare non est sensus vnanimis; & licèt foret; in his quæstiunculis, quæ ad fidem non pertinet, ait Lyrinensis, non cogit. Resp. 2. disting. anteced. De Arabia, & Persida, *prout contradistincta à Mesopotamia, & Chaldæa*, neg. anteced. *prout cum ea confunditur, vt dixi 3. Notabili*, conced. anteced. & nego consequent. Neque ignorant docti, quod delinea-

tio-

tiones Geographicæ totidem subeunt temporum vicissitudines, & varietates, necnon acceptiones Authorum, quot solent esse formulę variæ loquendi, quæ surgunt, caduntque teste Horatio. Cuius rei testis est Ricciolius in Geographia Reformata, & alij. Cum autem Persarum Imperium cum Chaldæa & Babylonia confundi supra viderimus; & præterea Persis modo sinu Persico iungatur Arabiæ; rursusque hæc medio mari rubro, iungatur Æthyopiæ; hinc fit non opponi nostræ conclusioni absolutæ Patres, qui dicunt à Perside, Arabia, aut Æthyopia Magos venisse. Ad confirmationem respondeo, negando antecedens: tùm quia Mesopotamia, & Chaldæa prout cum Perside confunditur, tam Orientalis est ac illa: tùm quia ipsa, licèt non sit ad Orientalem lineam; est tamen ad situm, quod sufficit: ea enim expressio *ad Oriente* non plus postulat quam quod sit à tota ripa Orientali Iordanis, vel sursum vel deorsum. Vide Tostat. 1. *Paralym.*

11 Obijcies 4. Si Magi venissent de Mesopotamia, fuissent malefici, & incantatores. Sed hoc videtur neque à nobis admitti, neque dici oportere: ergo inde non venerunt. Maior probatur. Eatenùs venissent de Mesopotamia, quatenus fuissent de stirpe, & doctrina Balaam, qui insignem de Christo ediderat prophetiam. Sed hic fuit Magus, & propheta diaboli, vt in quæstione separata defendimus: ergo similiter ipsi fuissent. *Confirmatur.* Si ex prophetia Balaam orta fuisset illa profectio; potiùs ex Arabia venissent: ergo, &c. Patet antecedens. Quia prophetavit in Moab vocatus à Rege Moabitarum. Sed Moab planè ad Arabiam pertinet, &c. Ad hoc argumentum respondeo distinguendo maiorem. *In origine, & stirpe* transeat maior, *in persona, & professione*, nego maiorem, & nego consequentiam. Itaque multi sunt PP. & graves, qui non recusant eos reputare maleficos Ignatius, Basilius, Iustinus, Tertullianus, Origenes, Hieronymus, Augustinus, D. Thomas. Sed quantùm possum adhæreo Cypriano, Leoni, Isidoro, Anselmo, Bedæ, qui cum alijs id pernegant, potius sentientes, eos fuisse viros syderum notione sapientes. Quamobrem ad argumentum respondeo aliud esse quod illi originem duxerint de Balaam, malo propheta, & de professione apud plerosque, quæ de magia licita sive Astronomia ad veneficia ac incantationes deflexerit; & hoc non negamus, immo videatur in hac re Bullengerus, & alij. Aliud verò est tales Magos suo studio, & persona fuisse maleficos, quod fortiter pernego, non quia non videam vitam Gentilicam ab eiusmodi non multum abhorrere; sed quia, dum non probatur de illis ad sortilegia, & similia corruisse, relinquenda est ipsis sana sua syderum observatio: tùm quia medio sydere Deus ipsis reseravit mysteria; tùm quia ipsi digni fuerunt, quibus Deus talia referaret, & in sanctas primitias Gentilitatis eveheret. Ad confirmationem respondeo negando antecedens, & totum assumptum: licèt enim verum sit quod prophetia Balaam decantata fuerit in terra Moab; tamen hæc (inimica Iudæis) non fuit solicita, eam revereri, & servare; sed dumtaxat in pretio, & memoria fuit sivè apud Iudæos, quorum intererat; sivè apud posteros Balaam qui eius celebrem prophetiam impletam iri de generatione in generationem præstolabantur.

12 Obijcies 5. Ex sententia PP. Magi non de propinquo, sed de remotis regionibus advenerunt. Sed Mesopotamia est ita proxima Palestinæ, vt paulò ante explicatum est: ergo, &c. Maior probatur. Tùm ex D. Leone *serm.* 5. aiente: *Hoc autem signum quod Magos in longinquo positos efficaciter movit.* Item *serm.* 6. ait sic: *A remotissima Orientis parte venerunt*; tùm ex Cyrillo Alexandrino *lib.* 4. in Isaiam Orat. 4. super verba *cap.* 49. *Ecce isti de longe*

venient, & ecce illi ab Aquilone, & Mari, & isti de terra Australi: vbi tamquam à terra longinqua ait veniſſe de terra Perſarum. Ad hoc argumentum reſpondeo diſt. mai. *longitudine ſeu diſtantia proportionata prophetijs*, concedo maiorem, *aliter*, nego maiorem: & diſtincta reſpectivè minori, nego conſequentiam. Itaque conſiderare oportet, cur & quomodo aliqui PP. longum iter Magorum depinxerint: non quidem quia abſolutiſsimè id ita fuiſſe iudicaverint; ſed quia intendebant rem ex verbis Sacræ Scripturæ accommodare, vbi legebant Chriſti adorationem, & cultum iam de Regibus Tharſis, iam de Arabia, iam de Ethyopia: Et aliunde legebant Iſaiam dicentem *Filij tui de longe venient*: quare iuxta opinionem probabilem de adventu de Arabia aut Perſide id fortè dixerunt aliqui vt S. Leo, licèt poſteà operoſum eſſet tantum iter tam brevi ſpatio componere. Vnde in mea ſententia ſolum ponitur diſtantia quædam proportionalis, vt nimirum à longe veniſſe intelligatur quiſquis circumcirca non eſt, iuxta illam contrapoſitionem: *Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent*, quæ eſt in Prophetia Iſaiæ *cap.* 60.

13 Obijcies 6. Ex D. Siurio. Ex Annalibus Regni Calicut, & traditione Indica Regum Cranganoris conſtat, eos fuiſſe de Magis qui Dominum adorarunt: ergo non venerunt de Meſopotamia. Antecedens patet ex Navarro *de Orat. & Hor. Canonicis c.* 21. *num.* 28. & ex Oſorio *de Rebus* Emanuelis *lib.* 1. *Confirmatur* ex P. Mafæo *lib.* 2. *Hiſt. Indicæ*, vbi talem Regem Cranganoris Æthyopem monitu Sybillæ Indicæ ad Chriſtum adorandum perrexiſſe confirmat. Ad hoc argumentum reſpondeo, negando antecedens, ad cuius probationem reſpondeo (illæſa narratione talium Scriptorum) quod traditiones, quas retulerunt non erant firmæ neque componi poſſunt cum re magis explorata, & recepta ab Eccleſia, de eo quod intra tredecim dies Magi ſuum iter confecerunt; quod ex remotis illis Regionibus præſtari non poterat. At quia ſimiles traditiones præſertim quando à viris gravibus referuntur, habere ſaltem ſolent aliquod vmbraculum veritatis credi facilè poteſt, vel id quod inquit D. Siurius ſcilicèt, in talibus locis forſitan regnaviſſe aliquos qui deſcenderent à quodam ex noſtris Magis. Vel vt ego etiam diſcurro, quia aliquis eorum Regum longo tempore poſt Chriſtum ad eius cultum, & fidem accipiendam medio aliquo itinere acceſſiſſet, vt non multis ab hinc annis Princeps de Fez ad nos venit, & nedum Chriſti ſuſcepit adorationem, & fidem; ſed inſuper noſtræ Societati ſe adiunxit, & Præsbyter factus, vocatuſque (cum alluſione ad Magos Balthaſar de Loyola) iacet in hoc noſtro Collegio Imperiali ſepultus. Quo fortè modo regnare ibi potuit aliqua huiuſcemodi æquivocatio; ita vt inter rudes populos non niſi admodùm rudis debeat reputari traditio.

14 Ad calcem obſerva 1. Quod licet tres Reges tantum, præſertim qui ab Eccleſia coluntur ſuprà fuiſſe dixerim; hoc non obſtat; quominùs ſimul cum eis adoraverint Chriſtum plures alij Gentiles, ſivè ipſos comitantes, ſivè ſub eodem rumore ſparſo illuc accurrentes. Quod ideò dico, quia olim vt conſtat ex Nazianceno, apud Valent. Schilderum feſtum Epiphaniæ dicebatur *feſtum luminum*: in eo enim accendebantur totidem candelæ, quot fuerunt Gentiles Chriſtum Dominum adorantes: vnde non videtur fuiſſe tres tantum, niſi principaliores, & gratia Domini magis inſignitos. Quin propterea inferas ſanctum etiam futurum eſſe quem libet ex illis, ſi pro eo ad altare Domini accendebatur non lugubris, ſed candela feſtiva. Siquidem ea lux non teſtabatur totam vitam cuiuſque ex illis, ſed ſanctum illum actum adorationis, & memoriam

riam totidem perſonarum vt id teſtimonium poſteritas non aboleret. Obſerva 2. Non propterea dici tres Magos, ſeu Gentiles principaliores, quia tria dona oblata ibi memorantur, ita vt ſingula ſingulis reſponderent. Quod mordere ſolet hæreticus. Sed quia horum trium, & corpora, & nomina, & cultum pervetuſta ſervat Eccleſia, quam ipſi revereri deberent. Quoad munera verò an ſingula ſingulis; an tria à quolibet fuiſſent oblata, parum refert: & qui hæc in partem alterutram abſolutè reſolvat; erit mihi magnus Apollo. Obſerva 3. Iuxta noſtram ſententiam non magnopere curari debere vt cuique Regi ſua ditio, & Regio aſsignetur prout contendit D. Siurius. Licet enim per aliam viam reverſi ſint in *Regionem ſuam*; non obeſt, quominùs intra eandem regionem tres viri potentes, & optimates invenirentur. Quod ſi nihilominus vnicuique regiunculam ſuam partiri malis, eſto libenter; non verò tam amplas, vt Sabæam, Perſidem, & Arabiam, vt nobilis hic Author deſignat. Obſerva 4. Parum etiam referre, quod illa vetba *Arabum, & Saba*, iuxta diſcrimen in Hebræo per litteram Samech, vel Scin, alia denotet Arabiam, alia verò denotet Æthyopiam à Filio Chus *Geneſ.* 10. Cum enim dixerimus has regiones de facili promiſcuè vſurpari potuiſſe, dum de ea quis adveniret, eò quòd eſſent conterminæ; nullus inde poteſt ſcrupulus promanare, & etiam cum Scin iam ad Saba poſterum Chus, iam ad Saba poſterum Abraham ex Cethura, & Arabiæ felicis incolam referri ſolet, vt in Schildero patet.

15 Obſerva 5. Diem Epiphaniæ incidiſſe in feriam ſextam: ſiquidem naſcente Domino die Dominica, & Gentilibus manifeſtato poſt tredecim dies, non alia reſpondet. Ita Illuſt. Siurius, Obſerva 6. Quod licet Thus, & Myrrha potius videntur colligi in Arabia; tamen tota ea Regio, quæ ab Arabia ſurſum currit ad Meſopotamiam, & Syriam, videtur eo genere munerum vti, quæ non deſinerent pretioſora eſſe, ſi eſſent rara. Id conſtat, tùm ex traditione ſupra relata D. Epiphanij, vbi ſimilia dona illuc ab Abraham per Madian, & Epha miſſa ſunt. Tùm quia *Gen.* 37. dicitur de Fratribus Ioſeph: *Viderunt Iſmaelitas viatores venire de Galaad, & Camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtactem in Ægyptum.* Et propter illa verba: *Nunquid reſina non eſt in Galaad?* Notum eſt autem quod Galaad, quo venit Iacob fugiens à Laban, qui erat in Meſopotamia, ab hac non longè ſeiungitur. Obſerva 7. Quod licet Balaam mortuus fuerit cum Madianitis Num. 31. non exinde; ſed ex Patria ipſius credi debent fuiſſe eius ſucceſſores. Obſerva 8. Pro retinendo eo, quod diximus nempè Magos Chriſtum adoraſſe in Bethleem. Quod Purificatio B. V. & Præſentatio Chriſti in Templo facta poſt 27. dies ab adoratione non obeſt, quominus illa adoratio fuerit in Bethleem. Nam licet Evangeliſta Math. narret ſtatim ab adoratione, & reditu Magorum fugam in Ægyptum, vnde ad Purificationem non poterat eſſe oportunus adventus; aliud eſt narraſſe immediatè; aliud eſt immediatè eveniſſe: primum eſt verum; quia cum vterque caſus ad perſequutionem Herodis referendam connecteretur, iungi oportuit vtrumque: ſecundum verò eſt falſum; quia Purificatio B. V. planè anteceſsit fugam in Ægyptum, vt ſatis patet: & neque vſque ad Præſentationem Chriſti in Templo, & famam eius iam ex Simone, Ana, & alijs crebreſcentem Herodiana inquiſitio, & ſanguinolenta cædes infantium furere incæpit, prout ait oportune D. Auguſt. *de Conſenſ. Evang. lib. 2. cap. 11. Poſtquam nihil Herodi Magi renuntiaverunt, eum credere potuiſſe illos fallaci ſtella deceptos, poſtquam non invenerunt, quem natum putaverunt, erubuiſſe ad ſe redire; atque ita eum timore depulſo, ab inquirendo, & perſequendo puero*

ro quieviſſe. Deinde Vulgatis rebus, quæ in Templo factæ, dictaque fuerunt, Herodes ſe à Magis ſenſit illuſum, ac deinde ad Chriſti mortem cupiens pervenire multos infantes, ſicut Mathæus narrat, occidit. Herode igitur iam fureſcente eſt, quando Angelus in ſomnis apparuit Ioſeph, vt cum Matre, & puero fugeret in Ægyptum, & rabies perſequutoris ſecundò maneret illuſa.

16 Poſt hæc ſcripta prodijt in lucem liber pereleganter ſcriptus cui titulus eſt *Pictor Chriſtianus eruditus* Authore R. admodum P. F. Ioanne Interian de Ayala de Sacra ac Militari Mercedaria Familia vbi calamo nitido, & eloquenti multas hinc inde diſſertationes Eccleſiaſticas doctè attingit in quibus, & Biblico argumento, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ poteſt pariter non modicam lucem adferre. Atque cum in re præſenti, quam modo tetigimus is peroportunus occurrat, dum de fuga in Ægyptum pertractat fatius iudico eum hic donare prorſus ad litteram, quam eundem ſtylo meo longè impari deformare. Igitur ſic ſe „ habet: Fugam Chriſti Domini in „ Ægyptum, quam retulit Mathæus, „ fuiſſe poſt eiuſdem Præſentationem „ in Templo, iudicio, & opinione „ mea, de fide eſt: etenim ex hac re„ rum poſitione dependet vtriuſque „ Evangeliſtæ conciliatio, & conſen„ ſus. Qui enim fugam ante Præſen„ tationem temerè anticiparet, cum „ Chriſtus in Ægypto permanſerit vſ„ que ad obitum Herodis; *Mathæi* 2. „ 15. cogeretur aſſerere, aut eumdem „ nunquam in Templo fuiſſe Præſen„ tatum, neque vt ſiſterent eum Do„ mino parentes eius curaviſſe, quod „ nefas eſt aſſerere: aut non fuiſſe Præ„ ſentatum expleto quadrageſimo „ poſt Nativitatem die, *Lucæ* 2. 22. „ quod in idem recidit inconveniens. „ Fugerunt igitur cum puero divino „ in Ægyptum ſanctiſſimi parentes, „ poſt Præſentationem eiuſdem fac„ tam in Templo Ieroſolymitano, cùm „ prius Angelus per quietem admo„ nuiſſet Sanctum Ioſephum, vt in „ Ægyptum fugeret. *Math.* 2. 13. Ne„ que opus eſt, vt admonitio eadem „ fuerit facta in vrbe Nazareth, ad „ Galilææ ditionem ſpectante, vt vo„ lunt aliqui etiam inſigniter eruditi; „ Ioann. Mald. *ad* 2. *Math. verſ.* 14. „ *&c.* Sed ſat eſt quod contigerit, aut „ in quovis oppido ditionis Iudææ, vt „ videntur aſſerere Authores ijque „ graviſsimi, Div. Auguſt. *de Concord. Evang. lib.* 2. *cap.* 5. *tom.* 4. *p.* 173. „ Beda, Ianſen. Caiet. *ad cap.* 2. *Luc.* „ quos noviſsimè diſſertè ſequitur „ pius atque eruditus Scriptor Pau„ lus Pez. *in Concord. Evang. tom.* 1. „ aut in ipſa vrbe Bethleemitica, quò „ poſt Præſentationem redierint pa„ rentes, vt alij autumant. Nam quòd „ Evangeliſta Lucas ait, quod poſt „ Præſentationem redierint parentes „ Chriſti ad vrbem Nazaretham, illis „ verbis, *Luc.* 2. 39. *Et vt perfecerunt „ omnia ſecundum legem Domini, reverſi „ ſunt in Galilæam, in Civitatem ſuam „ Nazareth*: quamvis torqueat viros „ apprimè doctos, non nimis vrget. „ Etenim obiectionem hanc viderunt „ iam, atque ſolverunt alij. Prætermi„ ſit enim Sanctus Lucas Magorum „ adventum, fugamque in Ægyptum. „ Et ſolemne eſt, fuitque non ſemel „ Evangeliſtis, quando aliquid ex ijs „ quæ geſta ſunt omittere viſum eſt, „ ea, illis quæ inter ſe revera diſiuncta „ fuerunt; quaſi immediatius geſta „ fuiſſent, connectere inter ſe atque „ coniungere. Solutionem omnibus „ præbuit Auguſtinus Parens, accu„ ratè hic obſervandus atque legen„ dus: qui vt hanc apparentem nar„ rationum diſcordantiam ad debitam „ revocet concordiam, illud habet: „ *Lib. de Concord. Evang. lib.* 2. *cap.* „ 5. *tom.* 4. *p.* 173. *Hic proinde cognoſ„ cendum eſt, quod deinceps ad cetera ta„ lia valeat, ne ſimiliter moveant, ani„ mumque conturbent, ſic vnumquem„ que Evangeliſtam contexere narratio„ nem*

„ *nam suam, vt tanquam nihil prætermittentis series digesta videatur. Tacitis enim quæ non vult dicere, sic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat, adiungit, vt ipsa continuo sequi videantur. Sed cum alter ea dicit, quæ alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum vbi ea potuerit à quo prætermissa sunt, transilire, vt ea quæ dicere intenderat, ita superioribus copularet, tanquam ipsa nullis interpositis sequerentur.* Itaque regressus in „ Galilæam ad vrbem Nazareth, eo „ modo debet intelligi, vt contingerit non solum post Christi Nativitatem, Magorum adorationem, Præ„ sentationem in Templo; sed etiam „ post reversionem ex Ægypto, quam, „ sicuti, & fugam, Lucas omninò silentio prætermisit. Hactenus præcitatus author, qui appositè ad rem nostram mihi loquutus esse videtur.

JHS.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

ET IPSE IESVS ERAT INCIPIENS, QVASI ANNORVM triginta. *Luc. cap. 3.*

ARTICULUS.

QVOTO ANNO ÆTATIS SVÆ FVERIT CHRISTVS D. baptizatus?

NOTABILIA.

1 SUppono 1. Hic nos non agere de anno baptismi Christi D. si ad vniversalem Chronologiam mundi sit referendus; cùm enim persequamur vias in Palæstra Scholastica disputatrices; eiusmodi negotium tàm longè diductum foret certè nunc operosius ac densius, quàm disputationis oportunitas postularet; sed dumtaxat de anno Christi D. eius sola ætate considerata, prout rem docte discutit doctissimus Siurius cum alijs plurimis quos ipse solita vbertate recenset, & de quibus pauca pro modulo nostro ad Palæstram, & Scholasticum pulverem traducemus. Suppono 2. Quod cum punctum huius controversiæ sit penitus Chronologicum non potest ire liberum ab omni Chronologia, quæ licèt duriuscula ipsa sit pluscùlùm, vt stilo Scholastico accomodetur; nihilominus prædicti Authores sanè prænobiles ita perplexam tradidere, vt non multo negotio res tota sine tædio agitari queat; necnon id quod firmum fuerit excerpi possit.

2 Suppono 3. cum Illust. Siurio ea, quæ in hoc certamine scitu digna sunt, & in decursu deservitura, scilicèt: quomodo, & quandiu computandum sit Imperium Octaviani Augusti ex probatis Authoribus, & solida coniectura. Itaque videtur non statim à morte Iulij Cæsaris, sed biennio post

auſpicatum fuiſſe Imperium Octavianum, defunctis iam, videlicèt Panſa, & Hircio Conſulibus, eo quòd ipſe ante Conſulatum re ipſa non imperaſſet; quinquàm privatim ſucceſſor Cæſaris haberetur: accepit autem Conſulatum poſt prædictos Conſules die 19. menſis Auguſti. Cui obſervationi teſtimonium peribent Apianus *lib.* 4. *de Bello Civili*, Plutarcus in Bruto, & Octavio. Dio *lib.* 46. & 56. Macrobius *lib.* 1. *Saturnalium*, & alij AA. Tempus vero ad quod Imperium Octaviani ſe extendit, vt penè accidit in omni Chronologia, non ita fixum eſt; quin nemo variet, vt ſunt Ioſephus *lib.* 18. *Antiquitatum cap.* 3. aſsignans quinquaginta, & ſeptem annos ſex menſes, & duos dies, & Cornelius Tacitus de Cauſis corruptæ eloquentiæ: qui fortè verè Author non eſt vt notat Siurius; ſiquidem in Annalibus ſe recipit in communem ſententiam adſcribentem Auguſto ſex ſupra quinquaginta annos imperij, non autem quinquaginta, & octo vt prius ponere videbatur. Quare hæc ſententia communis de quinquaginta, & ſex annis Imperij præſtabilienda eſt cum nobilibus Scriptoribus Romanorum Suetonio, Dione, Solino, Eutropio, Sexto Rufo. & alijs.

3 Suppono 4. coincidentiam valde receptam anni Chriſti D. ſcilicèt Nativitatis, & primi ipſius cum anno Imperij Auguſti, qui fuit quadrageſimus ſecundus, prout expreſsè illud ponit noſter Cardinalis Bellarminus cum ſua Chronologia, quam multis in locis huius Palæſtræ ſequor, eamque exhibeo vt quoties quis rem aliquam huiuſcemodi conteſtari velit, non debeat vltra hæc qualiacumque opuſcula peregrinari; ſed gaudeat rata via Chronologiæ. Cui pronunciato adſtipulantur, vt ſe explicat Siurius, generatim loquendo omnes Chronologi, & Recentiores citans interea in ſpecie Martyrologium Romanum Addonis, & aliorum, Clementem Alexandrinum *lib.* 1. *Stromatum*, Euſebium *lib.* 1. *Hiſtoriæ cap.* 2. Epiphan. *in Anchorato, & in lib. de Ponderibus, & Menſuris, & lib.* 1. *Hæreſi* 20. *& lib.* 2. *hæreſ.* 51. Paulum Oroſium *lib.* 1. *cap.* 1. Beda *lib. de Sex Ætatibus ætate* 6. Nicephorum Conſtantinop. *in ſua Chronologia Tripartita cap.* 9.

4 Suppono 5. Nato Chriſto D. Auguſtum ſupervixiſſe annos quatuordecim, & menſes octo: ſiquidem naſcente Domino, anno quadrageſimo ſecundo Octaviani currente per menſes quatuor, nimirum ab Auguſto die 19. in qua Conſulatum accepit vſque ad 25. Decembris in qua natus eſt Dominus; ſi poſtea ſuperadduntur quatuordecim anni, & octo menſes reſultant omnino illi quinquaginta ſex anni, quibus Auguſtum prænotavimus imperaſſe. Cui quidem Octaviano Auguſto poſteà, vt ex omnibus Scriptoribus conſtare videtur, abſque vlla mora, vllaque imperandi intermiſsione ſucceſsit Tiberius: quo imperante Chriſtus D. baptizatus eſt.

5 His poſitis triplex in hac re apparet eſſe ſententia. Prima eſt magis ſingularis, quam tuetur in hunc locum Eminentiſ. Caiet. qui ait Chriſtum Dominum, cum baptizatus eſt, necdum annum trigeſimum attigiſſe, ſed ſolum vigeſiminoni extremitates. Secunda ſententia tenet Chriſtum Dominum baptizatum fuiſſe anno vitæ ſuæ trigeſimo completo, ſeu trigeſimoprimo incepto per tredecim dies, nempè quot ſunt à die 25. Decembris ad ſextam Ianuarij, quam opinionem ſequitur Baronius in apparatu ad Annales Eccleſiaſticos num. 107. P. Salmeron *tom.* 1. *& tom.* 4. *part.* 1. *tract.* 7. Gordonus *tom.* 2. *Chronologiæ, c.* 3. Torniellus anno mundi 4081. n. 3. Spondanus eodem anno num. 2. Franciſcus Lucas, *Lucæ* 3. *verſ.* 23. Ribera *Ioan.* 2. *verſ.* 1. Dominicus à S. Trinit. *tom.* 2. Bibliothecæ Theologiæ *lib.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 76. & alij. Tertia ſententia ſubſtinet Dominum Ieſum baptizatum fuiſ-

ſe

ſe anno trigeſimo iam incæpto, & per tredecim dies currente, quatenus completo iam vigeſimo nono die vigeſimaquinta Decembris ſuſcepit baptiſma ſexta die Ianuarij immediatè poſt ſubſequuta. Hanc ſententiam tenet Liranus, Abul. Dioniſ. Cartuſianus, Genebrardus, Pererius, Barradius, Suarez, Toletus, Salvianus, Petavius, & alij, quos citant, & ſequuntur Ricciolius *lib.* 8. *Chronologiæ Reformatę, cap.* 6. *n.* 6. Harvillæus *in Iſagoge Cronologica ſep. temp. periodo*, §. 1117.

6 Concluſio ſit cum hac tertia ſententia cum qua dico: *Chriſtus Dominus baptizatus fuit anno trigeſimo ætatis eius iam incæpto, & currente per tredecim dies.* Probatur concluſio primo. Ab authoritate quoad primam partem de anno nimirum, quod trigeſimus incæpiſſet. Id quod frequenter dicitur in aliquo anno accidiſſe, communiter intelligi debet, ita vt acciderit eo anno ſaltem currente, ſed ex pluribus Patribus conſtat, Chriſtum Dominum anno trigeſimo fuiſſe baptizatum: ergo id intelligi debet accidiſſe anno trigeſimo ætatis eius ſaltem currente. Minor probatur primo. Ex Nazianceno aiente oratione 39. & 40. *Trigeſimo anno baptizatur.* Secundo. Ex Hieronym. Ezechiel. 1. aiente: *Triginta annos natus venit ad baptiſmum, quæ in homine perfecta ætas eſt.* Tertia. Ex Auguſt. (ſi eius eſt) vel Authore de mirabilibus Sacræ Scripturæ *in lib.* 3. *cap.* 5. Theophilact. Lucæ 3. aiente: *Cum triginta annorum eſſet Dominus baptizatus eſt.* Itidemque ibidem Ambroſ. Probatur ſecundo. Ab authoritate ſtrictius loquente. Primo ex Iræneo *lib.* 2. *cap.* 39. ſic aiente: *Ad baptiſmum enim venit nondum qui triginta annos ſuppleverat; ſed qui inciperet eſſe tanquam triginta annorum.* Secundo ex Euſebio *lib.* 1. *Hiſtoriæ, cap.* 10. aiente: *Incipiebat nunc annum trigeſimum.* Tertio ex Epiphanio *lib.* 2. *contra Hereſes, Hereſ.* 51. *Triginta quidem annorum, ſed non plenus.* Ergo re vera Chriſtus Dominus baptizatus eſt anno trigeſimo vere, & proprie incæpto; necdum tamen completo.

7 Probatur ſecundo. Ex ipſo textu Sacro, ſic expenſo. Chriſtus Dominus ex D. Luca: *Erat incipiens quaſi annorum triginta.* Sed hæc verba commodiſsimè ſignant annum trigeſimum currentem: ergo ſic eſt intelligendus. Probo min. Hæc verba ita debent interpretari vt verba, quæ in ea dicunt certitudinem cum certitudine ſuſcipiantur; ea vero, quæ incertitudinem cum nota incertitudinis ſumantur; ſed hoc ipſo eliciendus eſt annus trigeſimus incæptus, & currens: ergo, &c. Minor probatur. Nam numerus *triginta* ibi appoſitus eſt, quid certum, & firmum: deinde *incipere* eſt, quid vagum, & inconſtans; ſed hoc ipſo particula *quaſi* addenda eſt ad verbum *incipiens*, vnde ſtatim eſt ſenſus de anno triceſimo, quaſi incipiente: ergo, &c. Maior patet. Quia numerus tricenarius definita res eſt, *incipere* vero eſt ſignificatio rei indefinitæ. Probatur minor. Tùm, quia cum particula *quaſi* indefinite ſignificet; cum termino ibi vago vagari debet: tùm, quia ſi ita accipitur, videlicet, *quaſi incipiens annorum triginta*; plana fit intelligentia de anno trigeſimo currente, ſed inchoante. *Confirmatur* 1. Quia particula *quaſi* congruentiſsimè exponitur, ita vt ad verbum præcedens, non vero ad conſequens referatur: ergo ita intelligenda eſt. Probo antecedens. In textu D. Ioannis, vbi dicitur: *Et vidimus gloriam eius, gloriam, quaſi vnigeniti à Patre*, ibi minus ritè referetur ly *quaſi* ad *vnigeniti*: incongruè enim diceretur de verbo, ſed ita: *Vidimus quaſi gloriam vnigeniti à Patre*, id eſt, *vidimus ſpeciem, & ſimilitudinem illius glorię, quę propria eſt vnigeniti.* Ergo, &c.

7 Probatur tertio. Concluſio ex probabiliori Chronologia, quam omnigena ſua eruditione congerit Suarius *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 27. *ſect.* 2. Ex graviſsimus Authoribus de promptam,

tam, & cum ijs, quæ prænotavimus conveniente. Inſtruitur ſic. Chriſtus D. exprobatis Authoribus vixit annis quatuordecim, & octo menſibus, vivente Octaviano; quo defuncto, ſtatim imperavit Tiberius; ſed Chriſtus D. baptizatus eſt anno decimoquinto Tiberij currente per quatuor menſes, & tredecim dies, qui omnino conficiunt viginti novem annos cum tredecim diebus: ergo baptizatus fuit anno triceſimo incipiente. Mai. conſtat ex notabilibus: quia Octavianus, accepto ſuo Conſulatu (vnde computatur Imperium) die 19. menſis Auguſti; eodem ferè die Auguſti teſte Suario cum Chronologis defunctus eſt poſt quinquaginta, & ſex annos Imperij. Sed Chriſtus D. natus eſt anno 42. Auguſti currente, & ex menſe Auguſto in quo complebatur 41. vſque ad 25. Decembris, in quo natus eſt Chriſtus, cucurrerunt quatuor menſes: ergo à Nativitate Chriſti vſque ad mortem Octaviani reſtarunt quatuordecim anni, & octo menſes currentes ex 25. vſque ad 25. Patet autem 41. annos, & 4. menſes ſimul cum 41. & 8. menſibus omnino conficere 56. annos, quos vixit Auguſtus. Min. autem etiam conſtat. Quia ex D. Luc. expreſsè habemus, quòd anno 15. Tiberij factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem, vt baptizaret, Chriſtus autem baptizatus eſt 6. Ianuarij, vt ait Eccleſia. Sed ille annus Tiberij currebat per 4. menſes, & 13. dies: ergo, &c. Minor patet: quia Auguſtus mortuus eſt die ferè 19. Auguſti; & ſtatim ferè cooptatus Tiberius, v. g. intra 6. dies. Sed à 25. Auguſti vſque ad 6. Ianuarij ſunt 4. menſes, & 13. dies: ergo, &c. *Confirmat.* Chronologia Olympiadum eſt omnium probabiliſsima, teſte hic Suario, & quaſi primò habita in pretio à Torniello in præfatione ad Annales, vbi fusè, & criticè de Chronologijs. Sed per Olympiadas elicitur triceſimus annus Chriſti dumtaxàt inçæptus: ergo, &c. Probo min. Euſebius ponit Chriſti Nativitatem anno tertio Olympiadis 194. & baptiſmum anno 4. Olympiadis 201. ita, vt medient ſex Olympiades, quæ ſunt anni 24. qui cum duobus Olympiadis antecedentis, & quatuor ſubſequentis, cuius in quarto incipiente baptizatus eſt Chriſtus faciunt 29. & vltrà: ergo conficiuntur anni Chriſti viginti novem impleti, & triceſimus inchoatus. Neque profecto æquum eſt, vt placeat in Salmeronio, infirmare, & emendare has Olympiades ſibi non ſuffragantes: firmior enim eſt, & eſſe debet in Euſebio illa Chronologica ſupputatio, quàm argumentatio correctiva, quàm ipſe elaborat; cum hæc lata ſit; illa vero præciſa.

9 Obijcies 1. Ex P. Salmeronio, qui multis conatur ſtabilire partes adverſas. Primo. Ex Chronologia ſic: Chriſtus moriente Auguſto habebat quindecim annos, & octo menſes; ſed poſtea baptizatus eſt anno decimoquinto Tiberij quinque menſibus elapſis: ergo reſultant triginta anni completi, & aliquot dies. *Confirmatur:* Idem aſſumptum. Dominus natus eſt anno 42. Imperij Auguſti, incæpti ab obitu Iulij Cæſaris; & anno 41. Auguſti computati ab eiuſdem Conſulatu, & ab obitu Iulij Cæſaris vixit Octavianus quinquaginta, & ſeptem, ab initio autem ſui Conſulatus quinquaginta, & ſex; ſed ita reſultant in Chriſto vſque ad baptiſmum decem, & ſex Octaviani, quindecimque Tiberij: ergo ſaltem triceſimoprimo incæpto Chriſtus baptizatus eſt. Ad hanc objectionem priuſquam reſpondeam præmitto pluſquam libenter verba Suarij in puncto Chronologiæ, quę ſunt longè mihi gratiſsima eò quòd valde cohæreant cum ijs, quæ in quæſtione de ſecundo Cainan 1. *tom.* huius Palæſtræ me dixiſſe iam memini ſuper inconſtantia, & modica firmitate Chronologiæ, ibi & in Appar. de Re Chronologica. Modo verò, ſic ait Suarius: *Poteſt etiam hæc ſententia humana hiſtoria*

ſeu

seu Chronologia confirmari ; quamquàm & illa etiam incerta sit, vt facilè ad illas detorqueri quoque sententias possit : si tamen nonnulla statuamus probabiliora magisque recepta principia, videbitur fortasse opinio hæc verisimilior. Quibus verbis positis, & neque respuendo, neque adorando Chronologiam; respondeo ad superiora, & in primis ad argumentum Salmeronis, disting. mai. *iuxtà omnem viam Chronologiæ*, neg. maior; *iuxta aliquam probabilem*, subdist. *evertentem eam cui insistimus*, neg. maior. *aliâ via incedentem*, concedo, vel transeat mai. & conc. min. neg. consep. Itaque propter ea, quæ tradit signatè Suarius, atque Bonferius; & exercitè taxari potest in Ricciolio nostro, inextricabile negotium suscipit, qui omnes Chronologos in campum trahit, vnamque exinde satagit firmare Chronologiam; quare nihil cordatius est doctis hominibus, & interpretibus quam vt in disputationibus, quæ nequeunt separari à Chronologia, aliquam sibi firment in eo negotio sibi ratam, & de authoribus probatis elicitam, & cui continenter adhæreant, quamque nullus palmarius error propemodùm labefactet; tametsi interea mille alij cum millibus authoribus diversi calculi conficiantur. Quæ cum dicta sint generatim de Chronologia; fortius dicenda vrgent in via Palæstræ disputatricis, in qua nisi res traheretur ad terminos claros atque præcisos, neque vtrinque certari, neque memoria retineri, neque mente capi, neque spectatoribus audiri, neque concludi quid posset, præsertim in ijs punctis vbi multa addensantur historica & arithmetica. Quod etiam hinc patet quia Salmaronius *Prologom. 33. Corollar. 3.* postquam stabilire conatur talem decimum sextum annum Christi, ex Bed. Antonino, &c. sumendo Imperium Octaviani à morte Iulij Cæsaris; ait tamen ibi intra idem Prologomenon: Tùm, quòd secundo anno à morte Iulij potitus est Augustus authoritate, & Imperio, quod nos dicimus: Tùm tale Imperium durasse annos 56. paulò plus per hæc verba: *Quod si ab eo tempore ex ordine Imperij capiatur; (nam verius tunc imperavit quando solus fuit Imperator) verum invenitur quod scribit Tertul. & Irenæus, & alij Christum natum anno 41. Augusti Imperij. Verum etiam quod tradit Eusebius Augustum regnasse 56. ac paulò post dimidio anno.* Quod nos etiam dicimus: nam illi loquuntur de quadragesimo secundo currente: quæ sibi non discordant: ergo cum sequamur viam probabilem in Historia Romanorum, & nihil ex Scriptura Patribus, Concilijs, & ratione resultet adversum; plana procedit nostra sententia. Ad secundam etiam breviter respondetur, negand. mai. eo quod ex Authoribus à nobis in notabilibus præcitatis Imperium Augusti auspicandum est ab eius Consulatu; non verò à morte Iulij quæ biennio antecesserat. Triumviratus enim, & Consulatus eiusdem, duorum mensium discrimine coinciderunt.

9 Obijcies 2. Annus tricesimus baptismi Christi allegatus in exemplum Ordinandorum in Concil. Neocæsarienſi accipiendus est pro anno iam completo, ita cum declarante Fabiano Papa *dist. 78. cap. Si quis*, vbi ait: *Si quis 30. ætatis suæ annos non impleverit nullo modo Præsbyter ordinetur*: ergo non debet esse solum incæptus. Confirmatur ex Lateran. *cap. 3.* habeturque *de Electione, electique potestate, cap. Cum in cunctis*, ibi: *Statuimus vt nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam tricesimum annum ætatis exegerit* : ergo, &c. Ad hoc arg. rep. cum Suario, & Siurio, disting. antec. *Loquente Concilio de adimpletione Mathematica, & rigorosa.* Neg. ant. vulgariter sumpta, conc. anteced. Quod constat quia *Luc. 2.* dicitur: *Postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer*, cum tamen durante octava sit circumcisus. Et Marci 8. *dicitur post tres dies resurgam*; cum tamen die 3. Dominus resurrexerit:

prætereaque antiqua praxis de trigesimo anno inchoato solùm ad ordines susciendos rem magis firmat: vnde in Rituali dum dicitur expletis triginta annorum curriculis interponitur particula *quasi*. Ad confirmationem. Patet exinde responsio: quia *annum exigere* etiam est *ex eo anno agere* vitam quod totam anni latitudinem ambit: Vnde apud Ambros. Calepin. interdum significat *complere* interdum vero *agere*, & *traducere*. Ex qua doctrina solvuntur tres textus Patrum difficiliores soliti circumferri. 1. Bernardi *sermon* 1. *Epiphan. Cum trigesimum annum exegisset in carne.* 2. Chrisostom. *homil.* 10. *in Matth. post triginta annos venit ad baptisma.* 3. Ignatij *epist.* 5. *ad Trallianos: Expletis tribus annorum Decadibus verè baptizatus est à Ioanne.* Qui postremus teste Salmeronio potius ita se explicuit *Christus triginta annos agens baptizatus est à Ioanne in veritate*, item aliter *cum tres Decadas annorum vixisset*: quæ expressiones sunt longè diversæ, nobisque suffragantes. Et huc venit illud de captivitate Babylonica scilicèt *cum inceperint compleri* 70. *anni*, id est, *supputari*, & *inchoari*. Dum vero ab hoc Authore citantur ex Patribus Epiphan. Irenæus, Augustin. nihil amplius dicunt quam Christum fuisse tricennem: quod nos de incæpto, vel de impleto vulgari; non Mathematicè, subsistinemus.

10 Obijcies 3. Ex Caiet. Lira, & Iacobo Fabro, illa verba: *Et ipse Iesus incipiens quasi annorum triginta.* Ex quibus sic: ly *quasi* est particula diminutiva de complemento eius rei cui adiungitur; sed ibi simul cum particula *incipiens*, iungitur ad annum trigesimum: ergo illum quasi incipiebat; ergo nondum incæperat. *Confirmatur.* Licet *quasi* non adiungatur ad verbum *incipiens*, sed hoc alludat ad Christi manifestationem, id est *incipiens manifestari*, rectè dicitur *quasi tricenarius*, qui ferè implevit annum vigesimum nonum: nam in puncto in quo hic completur, trigesimus incipit. Ad hoc argum. Caiet. quod Suarez non improbat. Resp. transmissa mai. & min. concedo primam consequent. & nego secundam. Quapropter nos dicimus, esse tricesimum incæptum per tredecim dies; quia æquè dici posset *quasi tricesimus* ille annus antequem, vt compleantur viginti novem, desunt tredecim dies; vel ipso completo currunt tredecim; vel ipso amplius currente, desunt tredecim dies, vt compleatur trigesimus. Ratio est, quia nimirùm ly *quasi*, quæ in grammatica particula est, etiam in re non partem, sed particulam dicit, vel *infra*, vel *intra*, vel *supra*: de quo videri poterunt Calep. & Tursel. vbi nota perperam P. Salmeronem improbare Onufrium, quia *quasi* pro *tanquam* interdum sumit, vt in Tursellino: patent exempla. Permisi min. Quia ly *incipiens* referri potest ad manifestationem Christi, & ad eius ætatem, & quovis modo salva manet intelligentia: primo, ita *incipiens manifestari quasi triginta annorum*, id est, *trigesimi particula iam currente per dies tredecim.* Secundo ita *incipiens esse triginta annorum per tredecim dies.* Ad confirmationem. Resp. stante opinione Caiet. de baptismate Christi sexta die Ianuarij, non posse substineri illos viginti novem annos Christi nondum completos: quia sic vigesimus nonus incipiens esset solum per 13. dies; & vigesimus nonus solum currens per tredecim dies non potest appellari quasi trigesimus. Melius autem apellari posset *trigesimus*, vigesimus nonus cum decem mensibus prout ponit baptismum Christi Epiphan. *lib.* 2. *contra Hæreses, Hæresi* 51. Sed discordat ab Ecclesia: & neque in eo; neque in alijs ibi traditis receptus est, vt tradunt P. Salmeron, Suarius, & Siurius. Hinc tandem liquet, quomodo dicere *quasi incipiens triginta annorum*, non sit superfluitas, sive Tautologia; quamvis vtrumque ad ætatem referatur. Tùm, quia admittimus si quis malit ly

in-

incipiens ad manifeſtationem referri. Tùm, quia ſi vtrumque ad ætatem refertur; eſt dicere, vt dicunt Suarius, & Siurius, ly *incipiens* plus declarari per *quaſi*: ſiquidem ſi ſolum poneret *incipiens*; dubitaretur *an inciperet vltra triginta*; ſi ſolum poneret *quaſi*; forte etiam per *ſupra* intelligeretur: poſuit autem *incipiens quaſi*, vt denotaretur incæptio, & incæptio modica.

11 Obijcies 4. Ex P. Salmeronio alia leviora, ſcilicèt, Ioſephum typum Chriſti tricenarium accepiſſe ſceptrum Ægypti; Davidem tricenarium ſceptrum Iſraelis: Ezechielem tricenarium incæpiſſe prophetiam, Sacerdotes tricenarios ad Tabernaculum admitti, & tricenariam ætatem completam quidem vt ſupra argumentabatur, deſtinari in Eccleſia ad ordines, & prædicationem conformiter ad baptiſmum Chriſti: ergo quia hic anno 30. completo contigiſſet. Ad hoc argum. reſp. negando anteced. quoad completionem: tùm, quia in lege veteri, vbi non exprimitur, ſemper eſt diſsidium de annis completis, vel incompletis: tùm, quia eſſet figurativa, & debilis coniectura; & quamquam figurarent perſonam Chriſti, ſecus tam preſsè tempus ſuarum actionum: tùm, quia ipſa praxis Eccleſiæ olim triceſimum, & modo vigeſimũ quintum incompletos admittens, argumentationem evertit. Si Roges qua die hebdomadæ Chriſtus ſit baptizatus? Auguſtinus, Suarius, & noſter Caſtrius putant, fuiſſe dominicam: Tyrinus in Chronico diem Martis: Ricciolius cum Ioanne Lucido diem Veneris: Butingius apud Salianum diem Iovis.

12 Rogabis. Vbinam Iordanis baptizatus ſit Chriſtus, dicente Marc. *cap. 1. verſ. 9. Venit Ieſus à Nazareth Galilææ, & baptizatus eſt à Ioanne in Iordane.* Et Ioannis 10. *Et abit iterum in Iordanem in eum locum vbi erat Ioannes baptizans primum.* Et Ioannis 3. *Erat autem, & Ioannes baptizans in Ennom iuxta Salim quia aquæ multæ erant ibi.* Et Ioannis 1. *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans?* Reſp. Fuiſſe in Bethania, quæ attinebat ad Iudæam, Math. 3. *verſ. 1. In deſerto Iudææ loquens Ioanne baptizante.* Rogabis 2. An *Bethania* pro *Bethabara* ſcriptum ſit dicente Hieronymo de locis Hebraicis *Bethabara* trans Iordanem, vbi Ioannes in penitentiam baptizabat? Reſp. Ita multi PP. & Interpretes apud Siurium: qui cum communi negat propter vniformitatem verſionum, & quia duplex Bethania vltra, & citra Iordanem componi poteſt. Vide Siurium vbique doctum. Porrò quòd Chriſtus baptizatus fuerit in Iordane, probat non baptizatum fuiſſe in Ennom: quia Ennom, vel eſt oppidum, & quidem duplex, vel ex radice Hebraica *fontem* ſignificat. Rogabis 3. An Ioannes quoque à Chriſto fuerit Sacramentaliter baptitus? Negant Abulenſ. P. Salmeron, Cornelius, Barrad. Salian. Palafox *de Excellentia, cap. 8.* Affirmant verò Naziancen. Hieronym. Auguſt. Toletus, Vazq. Amic. apud, & cum Illuſt. Siurio *cap. 3. num. 38.* Rogabis 4. Num Cœli verè aperti fuerint? Communis cum S. Thom. concedit aliquam apertionem ſenſibiliter apparentem oculis corporeis; ſecus vero eam verè factam in Cœlis ſolidis, prout nos etiam Cœlos alibi ſuſtinemus. Rogabis 5. An vera columba deſcenderit ſuper Chriſtum? Affirmant Auguſtin. Anſelm. Claudius Guilliaudus, Salmeron. & alij. Negant Ambroſ. Chriſoſtom. & alij apud, & cum Siurio propter nonnullos textus Evangeliſtarum dicentes: *Sicut columbam tanquam, & quaſi columbam.* Vbi nota propter ſuperiora quod D. Thom. 3. *part. queſt. 39. art. 7.* defendens veram fuiſſe columbam, illam particulam *quaſi*, & reliquas non ad columbam, ſed ad verbum antecedens refert, vt ſupra nos: & itidem fieri poſſet de illo textu Lucæ *apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis* ſci-

ſcilicèt ſubſtantia veræ ignea diſſectæ verò ad inſtar linguarum. Probabile ergo eſt etiam quod vera fuiſſet propter tantum Doctorem: qui etiam legi poteſt in primum *diſt. 18. quæſt. 1. art. 3. ad 3. & 3. part. quæſt. 76. art. 8.* Rogabis 6. Quomodo Ioannes ignorabat Chriſtum ante baptiſma iuxta illa verba *Ioannis 1. verſ. 33. Et ego nesciebam eum; ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui: quia hic eſt Filius Dei?* Abulenſ. Math. 3. *quæſt. 16.* ait, ante baptiſmum non agnoviſſe eſſe Meſsiam; dixiſſe tamen antea *ego à te debeo baptizari* propter notam Sanctitatem Ieſu: quæ certè cognato ſuo Ioanni ignota eſſe non poterat. Communis autem opinio ſentit eum ſolum de facie Chriſtum ignoraſſe, non tamen in mundo eſſe Meſsiam, ad cuius præſentiam exultavit in vtero. Alij aliter apud Pererium, & Toletum: ſed duo illa pronuntiata, nec ſunt aliena rei, nec ſibi. Rogabis 7. Quænam, & à quo fuit vox illa de Cœlo delapſa? Reſpondeo, fuit quidem ſenſibilis Angeli miniſterio formata, à tota Trinitate producta quin propterea verbum ſit filius Spiritus Sanctus, modo quo apud Theologos totâ Trinitate operante Incarnationem, ſolus incarnatus eſt filius: ea vero vox quæ apud Math. fuit, *hic eſt filius meus dilectus*, & apud Marc. & Luc. *Tu es filius meus dilectus* planè eadem ſententia eſt ſub diverſo modo explicandi: vnde adeſt concordia ex communi cum Aug. *lib. de Conſenſu Evangeliſtarum, cap. 14.*

***

JHS.

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ANTE DIEM FESTVM PASCHÆ SCIENS Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. *Ioan. 3. verſ. 1.*

ARTICULUS.

QVOT ANNIS VIXERIT CHRISTVS DOMINVS?

1. Suppono 1. Chriſtum Dominum ſuam incæpiſſe prædicationem poſt baptiſmũ: & quidem publicam, & ſolemnem poſt nuptias in Cana Galilææ vbi primum ſignum fecit, & ſuam omnipotentiam manifeſtavit; cæterum vt liquido conſtet, quamdiu poſt baptiſmum prædicatio incæpiſſet; diluta prius propinanda eſt illa controverſia: *An ſcilicèt eodem die contigerit baptiſmus,*

&

& nuptiæ, prout Ecclesia solet simul adorationem Magorum commemorare : siquidem vtrinque militat electa Doctorum phalanx, scilicèt pro negativa Iansenius *cap.* 14. Toletus, Ioan. 2. *ann.* 15. Pererius in Daniel *lib.* 11. *quæst.* 7. Salmeron *Prologom.* 39. Ricciolus *lib.* 8. *Chronolog. cap.* 7. cum Torniello, Cornelio, Baronio, & alijs. Pro affirmativa verò S. Thomas, Hugo, Caietanus, Ribera, Ioan. 2. cum Alcuino, Comestore, Rabano, Genebrardo, Saliano anno 4082. Suario *disp.* 26. *sect.* 1. & Siurio *tom.* 1. *tract.* 27. *cap.* 1. & alijs. Quæ quidem pars affirmativa videtur præferenda propter authoritatem Ecclesiæ in Officio de Epiphania, sicse explicantis: *Tribus miraculis ornatum diem Sanctum colimus : hodie Stella Magos duxit ad præsepium : hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie in Iordane à Ioanne Christus baptizari voluit.* Licèt tamen eodem die nuptiæ cum baptismo contigerint ; non tamen eodem anno ; sed vno integro transacto, siquidem à baptismo Christi vsque ad publicam manifestationem suæ omnipotentiæ aliquod tempus intercurrit : cum autem baptismus in die sexta Ianuarij contigerit, vt alibi dicimus, & etiam nuptiæ in eadem die propter authoritatem Ecclesiæ ; debet annus integer interponi. Quam sententiam minimè labefactat dicere, quòd Ecclesia vel se accommodat opinioni probabili, vel tantum signare diem celebritatis non tamen eventus. Nam dici adhuc potest quod ideo Ecclesiæ talis est dies celebritatis destinatus, quia talis ex traditione dies erat eventus, vt ex tot authoribus id docentibus patet. Ac deinde intentum non est plusquam opinionem affirmativam alioqui probabilem, accedente suffragio Ecclesiæ, præeligendam esse. Pro qua traditione stat cœtus PP. Bernard. *serm.* 1. *de Epiphan. Nec sola hæc apparitio, sed altera quædam sicut à Patribus nostris accepimus hodie celebratur, quæ etsi longo post tempore facta creditur hoc ipso die.* Et serm. 2. *Tres apparitiones Domini legimus vna quidem die sed non vno tempore, id est non eodem anno factas.* Chrysologi serm. 37. *Christus diverso tempore vno eodemque die Magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce Deus trino testimonio noscitur.* Ruperti lib. 3. de Offic. cap. 24. *Tria hæc vna die celebrata esse secundum Sanctæ Ecclesiæ authoritatem negare non possumus.* Item Maximi, Ambrosij, Augustini, Isidori, apud D. Siurium. Neque obest secundò, *quod videatur Christus iam baptizatus, & declaratus Filius Dei per annum integrum siluisse. Namque id solum erit de solemni doctrina, & miraculis. Secus vero de magisterio privato, quo Rabbi seu Magister appellabatur.* Ioan. 1. vers. 38. Et id est quod dicitur Actor. 1. *Intravit, & exivit inter nos Dominus Iesus incipiens à baptismate Ioannis, vsque in diem qua assumptus est à nobis.* Vel *à baptismate Ioannis* potest intelligi de toto illo tempore quo is baptizabat, & disponebat Iudæos : quod verificari potest licèt Christus anno integro post baptismum suum incæpisset, eo quòd interea baptismus Ioannis adhuc durabat, quousque in carcere conclusus fuit. Neque obstat tertio quod vtrumque factum dicatur in die Dominica ab Augustino *serm.* 145. *de Tempor.* quæ dies non poterat duobus annis continuis incidere in diem sextam Ianuarij. Nam nos hanc diem sextam retinemus eandem cum Ecclesia. Dominicas verò ab Augustino vt dicitur, recensitas non sustinemus: quia neque ille sermo ex Bellarmino, & Siurio certò est Augustini, neque quamvis esset, in re hac opinabili, & tot Patribus sulta in contrarium, firmaret legem, & canonem vnde reverenter discedi non possit.

2 Suppono 2. Ex Maldonato, Ioan. 3. & Math. 4. & Cornelio, Ioan. 2. & in Chronotaxi anno 1. num. 15. cum Siurio *tom.* 1. *tract.* 27. *cap.* 2. Christum cæpisse prædicare statim à nuptijs incipiendo à Galilæa longè

antequam Ioannes mitteretur in carcerem. 1. Quia ex textu Ioannis constat descendisse in Capharnaum Emporium Galilææ, priusquam ascenderet Ierosolymam, vbi docuit, & prædicavit: ergo & id fecit in Capharnaum; imò & aliquod signum: quia non omnia, quæ fecit, scripta esse testatur ipse Ioannes. Quod verò Ierosolymis docuerit in die festo Paschæ patet, *vers.* 23. tùm ex multis credentibus in eum propter signa, tùm ex Nicodemo ad eum dicente: *Rabbi scimus quia à Deo venisti magister.* 2. Quia à die sexta Ianuarij quo potentia Domini fuerat manifestata, vsque ad Decembrem quo incarceratus est Ioannes, non futurus erat otiosus. Quia baptizabat, & prædicabat simul cum Ioanne: tùm quia Ioannis 3. *vers.* 22. dicitur de Iesu *illic demorabatur, & baptizabat. Erat autem, & Ioannes baptizans in Ænnon.* Tùm quia quod dicitur *vers.* 30. *illum oportet crescere, me autem minui* intelligitur de doctrina, & discipulis vt constat Ioan. 4. ibi: *Vbi ergo cognovit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat quam Ioannes, &c.* Quia cum rediret de Iudæa in Galilæam prædicavit Samaritanis, vt constat Ioan. 4. *vers.* 41. ibi: *Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus quia hic est verè Salvator mundi.* Neque obstat 1. dicere quod tunc solus esset Doctor non Prædicator. Nam quæ superius retulimus de Iudæa, & Samaria, præsertim cum ostensione signorum, & baptizando, & invitando ad baptismum, non est purum docere speculativè sed practicè prædicare, & hortari. Neque 2. quod post incarcerationem Ioannis dicatur venisse in Capharnaum *Math.* 4. *& vers.* 17. & sic dicat: *Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere agite pœnitentiam appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Nam ibi signatur quidem incæptio talis individui sermonis, qui antea vsurpabatur à Ioanne, & resumebatur à Christo; non vero incæptio muneris prædicandi. Neque 3. quod ex duplici baptizante simul videretur alter superfluere, maximè ille qui non erat lux; sed vt testimonium perhiberet de lumine. Nam satis differebat vtraque prædicatio, & baptismus: Ioannes enim prædicabat Iesum, & præparabat vias, & corda, necnon aqua baptizabat; Iesus autem non vt præcursor, & nuntius, sed vt Author, & Magister prædicabat vitam æternam, & baptizabat in Spiritu S. Neque 4. Quod ex vetusto Martyrologio Romano, & alijs cæperit Christum prædicare Kalendis Maij: ergo non proximè à die sexto Ianuarij. Nam id apparet esse falsum, & propterea à Martyrologio Romano, quod iam Ecclesia vsurpat, minimè receptum. Siquidem cum incæpisset eius prædicatio à Galilæa, *Actor.* 20. *Luc.* 23. si in Capharnaum incæpit paulò post nuptias fuit in Ianuario; si autem postquam illuc reversus est de Iudæa, fuit in Decembri vt constat ex D. Siurio. Imò cum prædicasset in Paschate, vt supra dedimus, non poterat incæpisse Kalendis Ianuarij.

3 Suppono 3. Quod circa tempus, quamdiu Dominus prædicaverit celebris etiam controversia resultat; & quidem propius accedens, & magis connexa cum eo puncto, quod nos suscipimus disputandum. In hac parte hinc inde semotis aliorum placitis, quæ tamen cursim diluentur, censeo Christum post nuptias tribus annis publicè prædicasse, qui cum anno præcedenti prædicationis, sivè institutionis privatæ ante nuptias, quatuor omninò post baptismum resultant; non tamen completi sed incæpti; neque iuxta nostram opinionem de anno integro currente à baptismo ad nuptias, fuerunt quatuor anni adhuc incæpti prædicationis *publicæ*, *& solemnis*; sed huius dumtaxat duo cum aliquot mensibus vsque ad diem mortis, & alter annus prædicationis, sivè institutionis privatæ antè quàm exiret in publicum, sci-

ſcilicèt, à baptiſmo ad nuptias. Ratio huius ſuppoſitionis eſt, quia Chriſtus Dominus ex noſtra ſententia ſupra iacta in ſpeciali quæſtione, baptizatus eſt anno trigeſimo currente per tredecim dies. Et ferè per annum integrum vſque ad aliam diem ſextam Ianuarij Chriſtus Dominus ſolum privatim legem Evangelicam diſſeminabat. Atqui hoc poſito; ſolum reſtant de publica prædicatione duo anni cum menſibus currentibus à die ſexta Ianuarij vſque ad Paſcha: ergo, &c. Mai. conſtat ex ſuperioribus, & minor probatur. Quia ex Evangeliſta Ioanne accuratius tempus recenſente tria ſolum Paſchata à nuptijs vſque ad mortem Domini cucurrerunt, ſcilicèt, relata *Ioann. 2. Ioann. 6. & Ioann. 13.* Sed tria hæc Paſchata faciunt duos annos integros quibus additur prius illud tempus currens à nuptijs vſque ad primum Paſcha: ergo, &c. Probatur maior. Eatenus non ita fuiſſet quatenus ex Ioanne ipſo aliud etiam Paſcha recenſeri deberet propter verba eius *cap. 5.* vbi ait: *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieroſolymam.* Sed hoc eſt falſum: ergo, &c. Minor præterquamquòd eſt gravium Authorum defendentium tale feſtum ibi ſignatum fuiſſe feſtum Pentecoſtes, vt ſunt Chryſoſtomus, Cyrillus, Petrus Comeſtor, Theophil. Euthim. S. Thomas, Lyra, Guillaudus, Gagneius, Maldonatus, Titelmanus, & Ribera, *Ioan. 5.* & in quam alij ponentes quatuor Paſchata, vt Abulenſis, Pererius, Ricciolius, & alij facile convenirent, ſi nuptias in die baptiſmatis nobiſcum collocarent prout ex Eccleſia, & Patribus nos ſupra factum iri cenſemus. Probatur 1. Quia D. Ioannes diligens in tempore conſignando vbicumque agit de Paſchate, ſcilicèt 2. 6. 11. 12. 13. 18. 19. ſemper Paſcha vocat: ergo quia dum ita non vocat, non poteſt ita intelligi præſertim, quia dies erant alij feſti in quibus oportebat aſcendere Ieroſolymam, ſcilicèt Pentecoſtes, & Scenopegia, vt conſtat *Exod. 23. Deuteron. 16.* Probatur 2. Quia *Ioann. cap. 5.* incipit dicens: *Poſt hæc.* Quæ verba denotant poſt non multam temporis moram ea accidiſſe, quæ ſubſequuntur, ad ea, quæ de Paſchate proximo relata ſunt. Atqui ſpatium quinquaginta dierum intercurrens à Paſchate vſque ad Pentecoſtem eſt proportionatum, & geſtis, & relationi: ergo, &c. Tertio. Quia eatenus putari ſolet feſtum Paſchale, quatenus requirebatur vt quatuor Paſchata numerentur à baptiſmo vſque ad mortem. Sed iuxta nos ſupra cum AA. graviſsimis annum interſerentes à baptiſmo vſque ad nuptias quatuor Paſchata reſultant à baptiſmo vſque ad mortem, vnde dicit Maldonatus *concedimus poſt baptiſmum quater Chriſtum Paſcha celebraſſe; ſed neceſſe non eſt, vt id Ioannes explicarit*: ergo, &c. Neque ad hæc obſtat primo. Quod dicitur *Ioann. 4. Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menſes, & meſsis venit.* Quia ibi non eſt ſermo, vt multi putant, de quatuor menſibus ex tunc computandis; ſed ex Maldonato eſt proverbialis quædam formula Hebræorum ſignificans in re aliqua non ſe anguſtijs temporis premi; veluti adagium latinum eſt *adhuc ſeges in herba eſt*: quia nimirum inter Decembrem, vel Novembrem ſementis, & Aprilem in eis plagis frugiferum, quatuor menſes intercurrebant. Chriſtus autem Diſcipulos monuit, regiones prædicationis iam eſſe albas ad meſſem, ne diu expectandum eſſe putarent. Neque 2. Quod intra quinquaginta illos dies accidere non potuiſſent ea, quæ Mathæus narrat à *cap. 4. vſque ad 12.* Quia neque miracula patrata, neque commorationes Chriſti peregrinantis plus temporis poſtulant. Neque 3. Quod alicubi apud alium Evangeliſtam à Ioanne dicatur dies feſtus ſimpliciter, & abſolutè, licet ſit Paſcha. Quia argumentum noſtrum, de Evangelio Ioannis procedit diligentius tempora recenſente: ac li-

cet

cet Pererius id ei tribuat *in cap.* 13. non tamen rectè, quia sic incipit: *Ante diem festum Paschæ.* Imò vbi citat Lucam, & Mathæum, illum *cap.* 2. hunc verò *cap.* 26. *Pascha esse* exprimitur.

4 Suppono 4. Multa esse, quæ ex historia Evangelica, imò etiam ex Veteri Testamento præ oculis habenda sunt, vt resolutio de annis vitæ Christi tutò fieri possit. Nam præterquamquod in re Chronologica collocanda est Nativitas Christi in diebus Herodis, & eius mors, procurante Pontio Pilato Iudæam; necnon accomodanda est ex Dionysio, Phlegonte, & alijs ad mortem Christi stupenda illa eclypsis; oportet retinere, tùm quòd Christus mortuus fuerit die veneris, scilicèt, in Parascevè ante Sabbatum Marci 15. tùm quòd mortuus fuerit luna decimaquinta Martij, scilicèt, postridie quam Pascha comederat cum Discipulis suis: Pascha verò *Exod.* 12. *& Levit.* 23. celebrabatur apud Iudæos luna decimaquarta primi mensis respondentis partim nostro Martio, & Aprili: erant autem menses Iudæorum lunares, & mobiles. Itaque pro veritate, quam quærimus concludenda, necesse est, tùm servare Epocham Christi, quam Catholici vniversim suscipiunt, & servant; licet aliqui Chronologi eam paululum retrovertant: tùm ex observatione Astronomica excernere in quem annum ex illis, qui de morte Christi controvertuntur, inciderit in feriam sextam luna decimaquinta primi mensis *Nisan.* Pro quorum annorum examine excludendi sunt illi qui certò cum Evangelio pugnare videntur. Quare licet vsque ad quinquaginta annos ad quos se extendit D. Iræneus posset Astronomica observatio procurrere, vt & fecit Tostatus luculentissimè *part.* 2. *sui Defensorij*; tamen lubentius nos obsoleta examina posthabentes quæsitum cingemus ad primum, secundum, tertium, & quartum supra triceſimum in quibus disputatio iam solet esse receptior. Dixi præterea *etiam ex Veteri Testamento.* Quia ex eo quoque notandum occurrit id, quod, & Abulensis, & Pererius notarunt de distinctione festivitatis *Phase*, *& Azymorum* apud Hebræos, licet fundatissimè propter continuitatem instar vnius recenseant Evangelistæ, & quia Phase in Azymis celebrabatur. Itaque primo. *Phase*, id est, *transitus* institutum fuit in memoriam reservationis primogenitorum Hebræorum, eò quòd Angelus transibat, & relinquens domos Hebræorum; occidebat Ægyptios. *Azymi* vero instituti sunt in memoriam exitus Ægypti, eò quòd media nocte priusquam massa panis fermentaretur, exire compulsi sunt. Secundo. Phase solum erat festum quasi vnius Vesperis, in quo opera servilia non licebant; secus vsque ad meridiem; Azymorum vero per 7. dies, quorum 1. & 7. erant festivi, & varia inibi sacrificia fiebant. Tertio. Phase erat quasi affirmativum de comedendo agno anniculo: Azymorum vero negativum de non comedendo fermentatum. Quibus iam instructi poterimus non imparati venire ad articulum nostrum disputandum.

5 His positis oportet accedere iam ad sententias, quæ in puncto tam celebri nequeunt plures non esse. Prima ergo est sententia D. Irænei *lib.* 2. *adversus Hæreses, cap.* 39. *&* 40. aientis Christum vixisse ad quinquaginta annos, quæ tamen sententia, sivè hausta de Præsbyteris Asiæ, traditione satis infirma, sivè de verbis Evangelij illis *quinquaginta annos non dum habes, &c.* communiter deseritur. Secunda sententia vetus tenet Christum, completo anno trigesimo, mortuum fuisse. Sic Tertulianus *adversus Iudæos.* Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromatum.* Iulius Africanus *lib.* 5. *Annal.* Et Lactantius *lib.* 4. *cap.* 10. Tertia sententia potentia ponit Christum vixisse vno & triginta annis; & biennio dumtaxàt post baptismum prædicasse. Sic Apolina-

linaris Laodicenus apud Hieronymum Daniel 9. Cyrillus Alexandrinus 29. Isaiæ. Severus Sulpicius, Ioannes Lucidus *de die Passionis cap.* 9. Philastrius *de Hæresibus*, & inclinat Paulus Orosius. Quarta sententia sustinet Christum vixisse triginta, & tres annos completos, & menses. Hanc tenet Scaliger *lib.* 6. *de Emendatione Temporum*, Suarez *de Vita Christi disp.* 40. *sect.* 1. Beda *de Ratione Temporum cap.* 45. Albertus Magnus *in Commentario Epistolæ* Dionisij Areopagitæ, Onufrius *in Fastis, & in Chronico*, Ribera, *Ioan.* 2. Salmeron *Prolegomeno* 38. Baronius anno Christi 34. Torniellus anno 4084. Franciscus Lucas *in Itinerario*, & Cornelius *in Chronotaxi*, Dominicus à Sanctissima Trinitate *lib.* 3. Bibliothecæ Theologicæ *sect.* 1. *cap.* 79. D. Siuri *tom.* 1. *tract.* 27. *cap.* 4. Quinta sententia est illa qua suis M. S. Recentior quidam vir nostræ Societatis Astronomiæ peritissimus, & in reliquis apprimè doctus fausta forte mihi notus Matriti, vbi Matheseos Professor primarius fuit, & Cosmographus Regius atque in pretio mihi semper habendus. P. inquam Nicasius Grammatici, antea Professor Ingolstadiensis in 29. Christi annum Æræ vulgaris profunda indagine, & vberi eruditione, & ingenio mortem Christi trahere intendit, eo quod ex vna parte nobiles Chronologi putent Æram Vulgarem Christi aliquot annis retroagi debere, ita vt 29. Æræ Vulgaris esset 33. vel 34. annus veræ Christi Epochæ. Et ex alia sequeretur quod præter talem annum, mors Christi, extra mensem Martium collocanda esset contra piam fidelium apprehensionem communem. Sexta sententia defendit Christum D. mortuum fuisse anno trigesimotertio currente ætatis suæ. Hanc tuentur Abulensis 2. *p.* sui defensorij *cap.* 11. *& sequent.* Et quidem profundè, & vbertim, adducta enim est in censuram à Cardinali Turrecremata; sed ab Abulensi egregie, & strenuissimè vindicata. Ioan. Lucidus *in Opusculo de Vero die Passionis Domini cap.* 9. & 12. Pererius *lib.* 11. *in Danielem quæst.* 7. Henricus Harvillæus *in Isagoge Chronolog.* 1. §. 117. *in calce* Ricciolius *lib.* 8. *Chronologiæ Reformatæ cap.* 12. *n.* 7. & alij cum Lamy, & Grandamico; sed inter eos nonnulli sunt, qui hanc sententiam ea via sequuntur, vt nimirum simul adstruant Christum D. baptizatū esse anno trigesimo inchoante; & alterum annum vsque ad nuptias cucurrisse; & dein duos annos compleuisse, tria duntaxat Paschata in eo tempore prædicationis celebrando. Qui AA. quia nobis in hac re plus placent, à nobis speciatim recensentur, & sunt. Lodulphus Cartusianus *part.* 1. *de Vita Christi cap.* 28. Cano *de Locis lib.* 11. *cap.* 5. & alij quos suppresso nomine refert illust. Siurius.

6 Placet calculum nostrum adiungere his postremis AA. & cum eis asserere Christum mortuum fuisse anno 33. inchoato Vitæ suæ per tres menses, & 8. dies, in die 3. Aprilis. Quam Thesim priusquam probem, prænoto, me omnino in probationibus velle abstinere ab argumentatione Chronologica in hoc puncto, sivè per Olympiadas Græcorum, sivè per Iulianam periodum; video enim hæc in Authoribus esse perinde ac regulam Lesbiam quæ facile producitur, & contrahitur, & accommodatur cuique, quæcumque dicenti; tametsi inter arguendum ea, quæ in hoc genere dici oporteat, non prætermittentur: volo enim in re lubricissima ponere fundamenta simpliciora, & firmiora quæ possim. Vnde duæ nobis hic tantum probationes capitales suffragabuntur: quarum altera erit Evangelico-Arithmetica, & secunda erit Evangelico-Astronomica, vt nos Mathesis vtrimque sufful-ciat. Igitur brevissimè sed fortiter. 1. probatur sic. Christus baptizatus fuit anno ætatis trigesimo inchoante per tredecim dies, vt in quæst. separata præstruximus ex textu *Luc.* 3. *Et*

erat Iesus incipiens quasi annorum triginta. Et à baptismo vsque ad Nuptias in Cana Galilææ integer annus cucurrit. Atqui à nuptijs vsque ad Pascha, in quo Christus mortuus est fluxerunt duo anni integri cum duobus mensibus cum 26. diebus, die plus minusve: ergo Christus mortuus fuit anno 33. vitæ suæ currente per tres menses, & novem dies, die plus minusve. Maior quod 1. partem ad longum à nobis supra probata, & vindicata est: quoad 2. vero patet ex suppositione prima huius quæstionis, vbi eam præstabilivimus non minus, quam ex viva, & clara ac constanti celebritate, & traditione Ecclesiæ cum Patribus ibi etiam adductis, tradentibus nuptias celebratas eodem die Baptismi, licèt altero anno, qui à fortiori debebat esse subsequens, & integer à die in diem. Minor vero quoad partem duorum annorum constat etiam ex suppositione etiam hic supra nobis iacta, & vindicata: quod nimirum Ioannes tempora sui Evangelij speciatim tractans tria duntaxat Paschata refert Christum celebrasse à Nuptijs ad sui mortem. Atqui tria Paschata integra duos annos integros faciunt, vt patet: ergo, &c. Quoad dies vero etiam constat. Quia à Nativitate Christi in 25. Decembris vsque ad diem 6. Ianuarij in quo fuerunt Nuptiæ 13. numerantur dies. Deinde ab ijs Nuptijs vsque ad diem Paschatis vel Azymorum, in quo Christus D. occisus est, fluunt duo menses, & 26. dies, die plus minusve: quæ faciunt summam dictam: ergo, &c. Minor constat: quia dies in qua per nos Christus D. mortuus est fuit 3. Aprilis; quia ea fuit decima quinta Luna Martij seu primi mensis, & feria sexta, quæ ambo salvari oportet. Atqui de Ianuario 25. de Februario, & Martio 60. de Aprili 3. & 13. illi vsque ad Nuptias faciunt 101. dies ex quibus tres menses resultant cum octo, aut decem diebus plus minusve propter Februarium breviorem: ergo &c. Et hæc probatio fortis est: neque quoad annum 33. currentem Christi vllatenus pendet à probatione 2. subsequutura; nam præscindendo à mense, & die mortis Christi; anni 33. currentes conficiuntur.

7 Probatur 2. conclusio ex discursu Evangelico-Astronomico. Sacrosancta Evangelia nos docent Christum Dominum mortuum fuisse decima quinta Luna mensis primi Hebræorum, qui erat Lunaris, respondens nostro Martio, & Aprili: & quidem feria sexta Hebdomadæ. Sed intra annos, & dies controversos circa mortem Christi hi duo necessarij characteres, & notæ præcisè concurrunt in anno trigesimo Christi currente die 3. Aprilis, quæ eo anno erat feria sexta: ergo, &c. Maior quoad diem arithmeticum talis mensis patet: quia iuxta sacrosancta Evangelia Christus Dominus pridie quam pateretur celebravit Pascha cũ discipulis suis. Sed Pascha apud Hebræos celebrabatur *Exod.* 12. *Lev.* 23. Luna decima quarta mensis primi Nisan, qui certò apud omnes respondet nostro Martio partim, & nostro Aprili: ergo, &c. Quoad feriam arithmeticam, scilicèt, sextam patet ex Evangelista Marco, vbi supra aiente Christum Dominum occisum esse *in Parascevè ante Sabbatum.* Minor probatur ex Tabulis Astronomicis, supponendo modò annos probabiliter controversos esse 31.32.33.34. Tùm generatim ex placito diversorum Astronomorum, vt sunt Ioannes Lucidus de emendatione temporum, Henricus Harvillæus in Isagoge, Ricciolius. Tùm speciatim ex Peritissimo Abulensi, qui rem hanc profundè trahit ad examen in causa propria, vt se coram Ecclesia defenderet, quod & fecit egregie, & luculentissimè; & hic non generatim, sed singillatim per 20. annos à tricesimo Christi pergit ostendens, & fœliciter concludens nullum annum, & diem perfectè quadrare characteribus Evangelicis, qui nobis

bis relicti sunt de Christi morte, præter annum 33. currentem, & diem 3. Aprilis. Quæ omnia gravissimè, & plane conficit *in part.* 2. defensorij præsertim *cap.* 14. vbi postquam à 33. anno deinceps, vnum, vel alterum annum, v.g. 37. 38. 47. reperiat vbi tales characteres componi possint; non tamen ita concorditer cum Historia Evangelica; neque ita Astronomicè vt Luna non posset æquivocari. Vnde sic concludit: *In alijs autem annis licet die veneris sit luna decima quinta; tamen non est ita præcisè, quin aliquomodo posset æquivocari ad lunam decimam sextam: & in quibusdam ad decimam quartam. Est ergo annus mortis Christi annus 33. ætatis suę inchoatus, vnde vixit Christus 32. annis completis, & centum, & vno diebus, cum mortuus fuerit die 3. Aprilis.* Ecce verba præclara, & hominis, qui fuit stupor mundi, & qui etiam nunc in latitudine, longitudine, & profunditate stupefacit legentes, si profunde legant hæc volumina, quæ sola satis sunt vt sint decus Hispaniæ, & Ecclesiæ Panoplia. Ecce insuper calculum quoad dies etiam perfectè cohærentem cum nostro, quem, fateor, apud me feci ex eius doctrinis; sed priusquam ad minutam dierum supputationem accederem: & gavisus sum, ita rem attigisse. Ecce item quomodo hæc doctrina coram Ecclesia tentata in iudicio est, & inventa fidelis atque legitima. Tùm ex Astronomo nunc superstite, & Peritissimo Viro nostræ Societatis supra laudato. Qui in manuscripto codicello, pignore amoris, mihi re-
,, licto de hac re hæc habet. Videamus
,, iam cuinam anno Æræ Christianæ
,, communis, qui quidem controverti
,, queat in præsenti quæstione, ambo
,, illi characteres feriæ VI. & lunæ ple-
,, næ (quod fit 15. lunæ) in vnam diem
,, confluentium respondeant. Compu-
,, tatis à me quà Cyclicè, quà Astrono-
,, micè lunis plenis ab anno Christianæ
,, Æræ 28. vsque ad 35. duas solas
,, inveni in feriam VI. incidentes, nem-
,, pe anni prædictæ Æræ vigessimi no-
,, ni, & trigessimi tertij. Id ipsum
,, supputarunt Ricciolius in sua Chro-
,, nologia, & Petavius in Doctrina
,, temporum, quorum tabellæ in hanc
,, rem exhibitæ consuli poterunt. Ad
,, duos hosce proin annos devoluta
,, erit lis de anno mortis Christi saltem
,, inter Authores putandorum tempo-
,, rum tùm per Cyclos, tum per Astrono-
,, mica ratiocinia petitos, quibus cæ-
,, teri harum rerum ignari credere de-
,, bent. Nec audiendi illi, qui causan-
,, tur Iudæorum vitiosas Christi tem-
,, poribus supputandi methodos, has
,, enim non probant sed ariolantur: &
,, nos, qui indefectibilibus hisce cha-
,, racteribus insistimus, præterea de-
,, monstrare possumus, primo Christia-
,, næ Æræ sæculo Paschata Iudæorum
,, quoad lunas plenas rite fuisse cele-
,, brata. Hactenus eleganter hic Author, in quo nota *ly quibus cæteri hasum rerum ignari credere debent*, & paulo infrà loquens de nostra ait; *& vero fateor, & me huic sententię subscripturum; nisi annus 29. eosdem siimles characteres vindicaret die 18. Martij.* Sed cum reapse Christus nequeat dici mortuus anno 29. Æræ communis (quam retineri malumus) cum dicat D. Lucas 3. *Et erat Iesus quasi triginta annorum*, quando baptizatus est; proterea hic nobilis Author nobis est accensendus.

8 Confirmatur. Ex Tostato, & P. Nicasio. In illis annis controversis nullus alius apparet in quo plenilunium, & oppositio lunæ cum sole fuerit perfectior, quam in die tertia Aprilis anni 33. Æræ christianæ. Sed mors Christi contigit in perfectissimo plenilunio: ergo, &c. Maior patet ex verbis supra datis ab Abulensi. Minor constat, quia celebris illa eclypsis de qua scripsit Phlegon, & quam refert Dionysius Areopagita *Epist.* 11. ad Apollophanem accidit moriente Christo in plenilunio perfecto quando prodigiosius erat vt sol à luna pateretur eclypsim. Cuius verba sunt hæc apud P. Nicasium,

sium. *Et postquam repurgatio facta est atque restitutio (scilicet disci solaris per tres horas lunę facte penitus occultati) luna ad solis diametrum conversa aufugit. Luna autem ad solis diametrum conversa est luna Phębo diametraliter opposita seu plena.* Ergo de primo ad vltimum conformius ad Evangelia, & historiam Ecclesiasticam necnon fidelem atque legitimam Astronomiam Christus mortuus est anno 33. currente die tertia Aprilis.

9 Objicies 1. contra hanc conclusionem. Traditio Ecclesiæ necnon, & fidelium multis Patribus fulta est Christum Dominum mortuum fuisse in mense Martio die vigesima quinta; sed in re tàm dogmatica videtur, hæc nobis transgredi non licere: ergo Christus mortuus non fuit die tertia Aprilis, & consequenter neque anno trigesimo tertio, siquidem in hoc non contigit concursus lunæ decimæquintæ, & feriæ sextæ in vigesimam quintam diem Martij. Probatur maior ex Div. Augustino 18. *de Civitate Dei, cap. vltimo, & lib. 83. quæstionum, quæst. 56. & lib. 4. de Trinit. cap. 5.* vbi hæc habet verba: *Perfectio corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit authoritas. Octavo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo, & passus.* Vbi clarè dicitur ex authoritate Ecclesiæ passum fuisse Christum vigesima quinta die Martij, quæ est octava Kalendas Aprilis: quod idem tradunt Tertullianus contra Iudęos *cap.* 8. Chrisostomus de Nativitate Ioannis Baptistæ, D. Thomas *Ioan.* 2. ergo, &c. *Confirmatur.* Nam Beda *lib. de ratione temporum cap.* 28. & 45. ait: Quod id tradiderunt plures Ecclesię Magistri, & Doctores Ecclesiastici, atque id resumit Vsuardus in Martyrologio. Sed hæc nihil aliud sunt, quàm Ecclesiæ traditio: ergo, &c. Ad hoc argumentum, respondeo primo. Est traditio *Apostolica, & dogmatica*, nego maiorem: *Traditio*, id est, *notitia, & sententia Doctorum Ecclesiasticorum de alijs in alios traducta*, concedo maiorem, & distincta respectivè minori, nego consequentiam. Itaque hoc nomen *traditio* æquivocum est: omnes enim doctrinæ etiam Gentilicæ, Medicæ, aut Philosophicæ sua traditione fungũtur, quando nimirum de veteribus ad Neotericos, de prioribus ad posteriores aliquæ sententia traducitur, non sub alio pondere, & calculo, quàm sub eo quo exorta fuit; dum verò accedimus ad traditiones Ecclesiasticas plusculum distinguere oportet, possunt enim ortum ducere à Christo Domino, & Apostolis, & vt tales ab Ecclesia proponi, & tunc erunt velut fidei dogmata suscipienda: & possunt etiam ducere à priscis authoribus Ecclesiasticis de re controversa, & opinabili, qui subinde propter peritiam, & authoritatem asseclas obtinuerunt in quos eorum placita derivarent: & tunc res ipsa controverti adhuc potest, & ad trutinam revocari: præsertim si hinc inde, vel affulgeant luces quæ eam magis declarent; sivè appareant scopuli quos vitare conveniat. Atque in hoc postremo genere collocandam esse eam traditionem, & authoritatem Ecclesiæ, quam memorat Augustinus, ex ipso loco satis est planum dum ibi dicit *sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclæsię custodit authoritas*: cum enim Mater Ecclesia in illis, quæ dogmatica non sunt, sed graviter controversa inter suos Doctores alterutri parti adhærere soleat iuxta tenorem veritatis, qui in dies magis appareat; nonnulla cooptat, & suscipit in suis ritibus, & historijs, quæ eodem spiritu gubernante solet deponere, si aliunde res magis affulgeat vt patet supra in festo prædicationis Christi ad certam diem iam non alligato, & in omnibus correctionibus Martyrologij, & Breviarij, quæ notæ sunt eruditis. Vnde, & ibi prudentissimus Augustinus dixit *creditur*. Quod verbum opinionem circumferri solitam sonat, magis quàm fidem de revelatis: quæ

que omnia perſpicua ſunt cuilibet, ſi in eodem capite obſervet Auguſtini verba ſubſequutura, ſcilicèt. Et horum quidem numerorum cauſas, cur in Scripturis Sanctis poſitæ ſint, poteſt alius alias indagare: vel quibus iſtæ, quas ego reddidi, præponendæ ſint, vel æquè probabiles, vel iſtis etiam probabiliores: fruſtra tamen eos eſſe in Scripturis poſitos, & nullas eſſe cauſas myſticas, cur illic iſti numeri commemorentur, nemo tam ſtultus ineptuſque contenderit. Ego autem quas reddidi, vel ex authoritate Eccleſiæ, vel ex divinarum teſtimonio ſcripturarum, vel ex ratione numerorum ſimilitudinumque collegi. Contra rationem, nemo ſobrius, contra Scripturas, nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam, nemo pacificus ſenſerit. Hactenus Auguſtinus, qui luculentiſsimè ſe explicat, & exponit id quod in prædicto capite myſticè perſequitur de numero ſenario appoſito in 46. annis ædificationis templi comparatis ad dies quibus geſtatus fuit in vtero Dominus Ieſus: circa quod iam ratiocinatur, iam numeros miſcet, iam textus accommodat, iam dicta maiorum, quæ Eccleſia non reſpuit, ſed vſurpat, in campum trahit, vt vndequaque rem illuſtret. Qua propter apertè conſtat: ex ipſo S. Doctore, ea quæ tradit non obſtare, quominus aliud prævaleat, quod ſit probabilius, vti ex demonſtratione Aſtronomica nobis apparet, eſſe noſtra ſententia. Et inde patet ad PP. & confirmationem.

10 Reſpondeo 2. Ex Suario negando maiorem de traditione Eccleſiæ vniverſalis, & traditione vnanimi PP. Siquidem Galliarum Eccleſiæ ex Beda *lib. de Ratione Temporum cap.* 65. *imò* 45. *&* 59. ſequutæ ſunt opinionem de mortuo Chriſto die vigeſimatertia Martij, & idem Theophilus Cæſarienſis cum quodam Concilio ſub illo congregato. Euſebius Cæſarienſis, apud Turrianum *lib.* 5. *Conſtitutionum cap.* 16. Lactantius *lib.* 4. *Divinarum Inſtitutionum cap.* 16. Anſelmus *lib.* 2. *de Imagine Mundi cap.* 7. Præterea opinati ſunt Chriſtum mortuum fuiſſe alij die vigeſimaſexta Martij ex Epiphanio *lib.* 4. *cap.* 10. alij ex eodem, die decimaoctava, alij die trigeſima, alij die ſeptima, alij die vigeſima prima vt Anſelmus etiam Math. *cap.* 27. Vnde ſatis conſtat neque fuiſſe traditionem Eccleſiæ vniverſalis, neque vnanimem conſenſum Patrum: atque idcirco Suarius ipſe qui ſtat pro die vigeſimaquinta Martij, ſic concludit: *Inter quas ſententias nullum conſtans iudicium ferre poſſumus: quia pendet vel ex humana hiſtoria, vel ex tabulis aſtronomicis, & in vtroque eſt ſumma varietas, & ita res eſt incerta. Quare conſultius eſt, vel iudicium differre, vel cum vltima vtpote communiore magiſque recepta ſententia loqui.* Ex quibus patet neque dari, neque vmquam extitiſſe talem authoritatem Eccleſiæ, quæ faciat argumentum irrefragabile. Reſpondeo 3. Ex Toſtato qui locupletiſsimè agit de hac re in parte 2. defenſorij à quæſtione 11. vſque ad finem, qui poſtquam ſibi obiecit ſuperius argumentum, & latiſsimè excurrit de authoritate Eccleſiæ; tandem *quæſt.* 77. ſic ait: *Dicendum eſt ad argumentum, quod Eccleſia nunquam talem propoſitionem definivit, ſcilicèt quod Chriſtus mortuus fuerit die tali vel tali ſcilicèt quod octavo Kalendas Aprilis mortuus fuerit, & ſic non obligamur ex hac parte hoc tenere. Et deinde pergit ſigillatim id demonſtrando quouſque quæſtionem* 79. *ſic claudit.* Dicendum quod „ argumentum peccat in fundamento „ ſupponit enim falſum. Nam quando „ Eccleſia vniverſalis aliquid vnum „ conformiter obſervat; concedimus „ iſtam regulam; & tamen iſtam determinationem vel aſſertionem de „ die mortis vigeſima quinta Martij „ non tenet Eccleſia vniverſalis neque „ obſervat; ideo non oportet concedi „ hoc introductum eſſe ab Apoſtolis. „ Ad dictum autem Auguſtini, ſcilicèt,

„ cèt, quòd Patrum traditio, & au-
„ thoritas Ecclesiæ hoc tenet; dicen-
„ dum quod veritas est hic, quòd tem-
„ pore suo plures Doctores, & PP.
„ Ecclesiæ hoc tenebant, & Ecclesiæ,
„ atque plebes subiectæ illis tempori-
„ bus tenebant, & observabant istud;
„ & ita ipse sequutus eorum positio-
„ nem tenuit: & tamen non provenit
„ ista assertio ab hoc quod teneret il-
„ lam tota Ecclesia vniversalis; ideo
„ non potest nobis ingeri tanquam
„ determinatio Ecclesiæ; cum in nul-
„ lo generali Concilio hoc definitum
„ est, nec potest obijci vt assertio to-
„ tius vniversalis Ecclesiæ; cum ad to-
„ tam vniversalem Ecclesiam non per-
„ tinuerit. Quod patet quia si ita pro-
„ positio pertineret ad communem as-
„ sertionem Ecclesiæ, cum ista sit de
„ his quæ credenda sunt; & non de his
„ quæ agenda; si semel Ecclesia vni-
„ versalis illam tenuisset, semper illam
„ teneret; & tamen hodie non tenent
„ hanc omnes Ecclesiæ cum videamus
„ quotidie, multos circa hoc dubita-
„ re, & affectuose quærere qua die cu-
„ ius mensis Christus mortuus sit? Si
„ tamen esset assertio Ecclesiæ vniver-
„ salis, non verteretur in dubium sed
„ omnes assentirent illi concorditer.

11 Deinde pergit, vt respondeat ad authoritatem D. Augustini, quod facit à *quæst.* 81. *& seqq.* mirificè cum tam generali, & præclara doctrina, quæ digna est à Theologis omnibus non præteriri. Ait ergo: *Respondendum, quòd libri B. Augustini sunt approbati per Ecclesiam sicut libri multorum, quos Gelasius Papa confirmavit vt patet in illo* C. Sancta Romana in Decretis dist. 15. *& tamen ob hoc non sequitur, quod quidquid Augustinus dixerit, tenendum sit tanquam verum necessariò ob hoc quòd Augustinus dixerit. Non enim sciunt isti arguentes, quid sit approbatio Ecclesiæ quantum ad aliquos libros; nec quid efficiat, nec quantum conferat.* Et subdit etiam *quomodo inibi etiam à Gelasio Chronicon Pauli Orosij approbatum sit, quin inde nos cogat dicere omnia ibi esse vera.* Circa quod punctum loquitur vbertim atque profunde. Atque quoad Augustinum generatim, quo tenore in suis placitis sit accipiendus ipse Sanctissimus Doctor satis se explicuit multis locis, quæ in mea Palæstra Scholastica *lib.* 4. *cap.* 5. de authoritate Patrum congessi. Sed tamen quia locus præcipuè obiectus est de libris de Trinitate nolo prætermittere texturi illum S. Doctoris *in Prolog. ad lib.* 3. *de Trinitate*, vbi sic ait: *Noli meis litteris quasi Canonis Scripturis inferòire; sed in illis, & quod non credebas cum inveneris incunctanter crede; in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.* Quę sunt verba pretiosa: & huiusmodi præ humilitate sua habet S. D. plurima sparsim per opera sua: vti quando de creatione mundi sustinet in instanti fuisse creatum. Quomodo autem hic S. Doctor speciatim approbatus sit per Cœlestinum in materia gratiæ huc non attinet; id tamen bene explicat P. Richardus Arsdekim in sua Theologia Tripartita. Ex quibus omnibus patet ad confirmationem: pro qua vlterius lustrari potest ipse Tostatus à *quæst.* 87. *& deinceps in ipso Defensorio.* Quia sibi obijciens Kalendarium nomine Isidori adscribentem pasionem Christi die 25. Martij, copiosè respondet, quomodo, & quare fidem non faciat; tùm, quia est incerto Authore; tùm, quia de re non cooptata, sed derelicta. Si vero roget quis: vnde hæc manaret, vel traditio, vel sententia de die 25. Martij; absolutè responderi non potest. Sed tamen eam inveni in vetustissimo Tertulliano, qui floruit sub initium tertij sæculi *in lib. contra Iudæos, cap.* 8. Sed hęc antiquitas infirmari statim potest tum primo. Quia ipse ibi sustinet Christum eodem anno passum fuisse ac baptizatum: quod erroneum est. Secundo. Quia Irenæus, qui paulò antè floruit ad finem sæculi secundi valdè turbidam de Chris-

ti

ti ætate notitiam habuit; quippè qui eum acriter defendit quinquagenarium. Tertio. Quia vt optime obſervat ipſe Toſtatus in hac parte in illis primis ſæculis vſque ad Conſtantinum, cuius favore Res Chriſtiana aliquam pacem obtinuit; neque ſcribi, & notari quidquam certo, & tutò poterat; neque id tutò communicari; neque in rebus, quæ non eſſent de capitalioris ſumma doctrinæ diſtinebantur: quia perſequutio, & agitatio id fieri non permittebat: quouſque adveniente pace Eccleſiæ, multa colluſtrari, & combinari cœperunt ac declarari. Ea propter cum in illis temporibus etiam lunares menſes obſervaſſent aliqui Chriſtiani, vt ex Ricciolio in apparatu Chronologico adnotavi; & ipſi ſcirent feria ſexta, & 15. luna Martij Chriſtum obijſſe; non curarunt quando ad menſes Solares venerunt, definitè comperire, quota dies, & cuius menſis; an Aprilis; an Martij fuiſſet illa, cui eo anno reſpondit mors ſalvatoris. Et hæc de hoc argumento, quòd quia vtile eſt, volui fuſe tractare.

12 Obijcies 2. Hæc ſententia eiuſque ſupputatio præſertim innititur tabulis Aſtronomicis. Sed hæ ſunt fundamentum malefidum, & fallax: ergo ſententia corruit. Minor probatur. Tabulæ Aſtronomicæ ſic nutant, vt priores correxerit Ptolomæus: deinde quas fecerat Ptolomæus correxerit Alfraganus, & quas fecit Alfraganus correxerit Rex Alfonſus, & quidem ita vt apud Peritos corrigendæ reſtarent. Sed hoc eſt eſſe fundamentum malefidum, & fallax: ergo, &c. *Confirmatur* 1. Beda, & Albertus Magnus fuerunt Aſtronomi peritiſsimi; ſed vterque aſsignat morti Chriſti annum trigeſimum quartum: ergo, &c. Minor conſtat. Tùm ex Alberto *ſuper Epiſtola Dionyſij ad Policarpum* id Aſtronomicè calculante; tùm ex Beda *de Ratione Temporum, cap.* 45. aiente: *Habet ni fallor Eccleſiæ fides Dominum in carne paulò pluſquam triginta tribus annis vſque ad ſuæ paſſionis tempora vixiſſe. Confirmatur* 2. Stando calculis Aſtronomicis feria ſexta, & luna decimaquinta primi menſis coinciderunt anno 37. 38. & 48. Æræ Chriſtianæ: ergo non eſt cur alligetur anno 33. *Confirmatur* 3. Correctio Gregoriana de menſe Octobri decem dies integros conſumpſit, & abſorbuit. Sed hæc decurtatio evidenter oſtendit malefixum Canonem de tabulis Aſtronomicis: ergo ſententia noſtra nutat. Hoc argumentum verè implexum, & multiplex ſanè peritiorem hominem in Aſtronomicis deſideraret; in quibus invenio me omninò rudem, ſed tamen interea ijs diſciplinis, nedum ex animo obſequentem, quippè quæ in graviſsimis preſſuris de Cœlo opem ferant; verùm etiam ex peritioribus ea obſervantem, quibus ſaltem præſentem difficultatem diſſolvam. Et verò ante omnia obſervatum habeo peritos Aſtronomos aliquas huiuſcemodi obiectiones non tàm manu, & libra excipere, quàm cachinis veluti Toſtatus fecit *quæſt.* 9. ſuper hac re dum de omiſsione Biſextilium ei quidquam obijciebatur cui dixit: *Ad iſtam rationem indignum erat reſponderi, cum tam manifeſtè deſipiat, qui hæc obijcit nec vnquam vidit Aſtrologorum libros.*

13 Ad hoc argumentum igitur rectè ſolvendum notandum eſt illud fortè procedere ex non penetratione Aſtronomicæ facultatis, & eorum Canonum, qui de ratione temporum debent haberi fixi quidem, & immobiles ex vna parte; ſed ex altera ſemper mobiles, & currentes in ordine ad fixè tempora menſuranda: quia, cùm tempus ſit numerus motus ſecùndum prius, & poſterius pendens principaliter à curſu ſolis; oportebat ad hoc, vt tempora ſemper immobiliter, & invariabiliter per annos dies, & menſes taxarentur; quòd omninò (quoad puncta, & minuta etiam ſubtiliſsima) deprehen-

henſus fuiſſet ab Aſtronomis curſus ſolaris perfectiſsimè, & exactiſsimè, quod vel ex altitudine obiecti, vel ex improportione inſtrumentorum, nedum omninò comparatum eſt; imò vix poterit comparari. Ex quo provenit, quòd, licet à multis ſæculis Aſtronomi peritiſsimi peritiſsimè proceſſiſſent gradatim taxando annos, menſes, dies, & horas; tamen, propter illud punctum præciſum, & ignoratum in quo perficitur curſus ſolaris, adhuc data ſapientiſsima calculatione, ſemper deinceps reſtarent tabulæ Aſtronomicæ labente tempore corrigendæ, eò quòd propter minuta ignorata circa punctum præciſum curſus ſolaris creſcerent, aut decreſcerent horæ, dies, & menſes, itaque ait Abulenſis: *Eſt autem error, quia ad hoc, quòd manerent tempora plenè certificata, neceſſe erat inveniri veriſsimam, & præciſam quantitatem timporis in qua Sol curſum complet; & hanc tenendo, nunquam mutaretur locus Solis, quantum ad principium annorum, & manerent tempora anni fixa per menſes; etiamſi in æternum mundus duraret, & nunquam mutaretur quantitas dierum in menſibus ſed tot horas haberet nunc dies in Martio, vel in Februario, & ſic de cæteris menſibus tot haberet in æternum, & nulla ſequerentur inconvenientia de his quæ evenire, & aſsignari ſolent quando tempora ſunt inemendata.* Quare vt melius me explicem, & res percipi queat. Ea quæ dicitur correctio tabularum non eſt emendatio erroris Aſtronomi conficientis tabellas (loquimur enim de peritis Aſtronomis) ſed eſt quaſi melioratio calculi ad regendum, & menſurandum fixius tempus iam currens. Quia periti aſtronomi conficientes de preſenti ſecundum artem ſuas tabellas (& quidem quantum fixè poterant ad taxandos annos menſes & dies;) tamen ignorato ab eis puncto illo præciſiſsimo, quo perficitur curſus ſolaris vt iterum redeat; non poterant niſi prophetice fixum calculum ponere pro taxatione aliquandiu poſt futura; quando nimirum illa imperceptibilis diſcrepantia creſceret quantitative ad horas, & dies: vnde illi ſemper pro ſuo tempore, & aliquo tempore pòſt ſapientiſsimè, & fixè notabant annos, dies, & menſes, vti etiam eclypſes in eo curſu ſolis intercurrentes; tametſi ſtatim ac diſcrepantia fieret valde ſenſibilis, oporteret cudere novos calculos aſtronomicos id eſt paululum rectificatos. Ij enim periti Aſtronomi rationem, & menſuram temporum tractantes, ſunt, quaſi fixores, & repreſſores temporis, vt hoc veniat ad ſuas menſuras; perinde ac ſi quis artificio quopiam figeret, ac reprimeret torrentem aquarum, & hoc ſupercreſcente vel imminuto, artificium illud repararetur vt commode retineret; & illo tranſacto, adveniret alius, ſed cum hoc diſcrimine, nempe, quòd artificium tale poſſet retundere aquas; ſed tempus, quod cohiberi non valet, ampliare, aut minuere deberet menſuras; at ambo ſunt paria in eo quod vnuſquiſque menſurator, & fixor pro tempore ſuo non niſi rectiſsimè menſuraret accomodando, videlicèt, menſuram vel fluxo corpori retundibili, quod eſt aqua; vel fluxo corpori irreparabili quod eſt tempus. Ex quo iam venit illatio pro ſolutione argumenti non modicum luminoſa, ſcilicèt, quod quivis peritus Aſtronomus de præſenti habens benè perſpectas tabulas Aſtronomicas à prædeceſſoribus ſuis peritè compoſitas, non poteſt errare (retrogrediendo ad priora ſæcula) annum, menſem, & diem, quem notare velit; quinimo evidenter noſcere poteſt ex toto tractu temporis, quod ad illo ſæculo priori cucurrit vſque ad diem, & horam in qua facit calculum ſuum; num tabulæ Aſtronomicæ præcedentes ritè fuiſſent confectæ? Si enim aberraviſſent; id tempora dein procurrentia manifeſtaſſent, alterando videlicèt, & variando ac dimovendo ſtationes anni à temporibus ſuis ita

vt

vt hiems, v. g. & æstas non contingerent quando oporteret. Quamobrem in hac eadem re Alfonsus Tostatus *quæst.* 85. *ad finem*, sic ait: *Ideo iniustum erat valdè* (loquitur de rationibus Astronomicis) *negare omnia illa, vel dicere, quòd non intelligamus illa; cum induceant nobis veritatem manifestissimam; etiamsi dissimulare velimus.* Atque reapse mihi ad hanc certitudinem observationis astronomicæ confitendam, sunt satis Eclypses, & Planetarum coniunctiones, & oppositiones, quas nostris oculis cernimus ab ipsis exactissimè obseruatas. Quæ obseruationes licèt exactissimè fiant currente sole per Zodiacum; non tamen ita ad amussim facilis, & fixa esse potest in præcisissimo puncto terminativo cursus Solaris cognoscendo, vt hic punctuatim iterum redeat ad novum annum ordiendum. Qua doctrina præiacta pro nostra qualicumque comprehensione rerum, quas non tractavimus; restat pro maiori elucidatione ortum, & progressum nostri Kalendarij Romani aliquantisper aperire, & persequi vt cuncta clarescant.

14 Igitur vt hoc Kalendarium Romanum certam licèt summariam hic aliquam notionem paret, sciendum est, Romanorum populos initio, veluti etiam multos alios, fuisse valde rudes ita vt Saturnus fugiens à Iove qui Patrem occidere volebat, de Grecia in Italiam veniens, eos docuerit terram colere; atque ipsi in Deum ipsum retulerunt. Regesque inde subsequuti vt Ianus, Picus, Faunus, Latinus, & alij vsque ad Ænæam, resque eorum, vsque ad Romulum obscuræ sunt, ita vt potius ad Poetas, quam ad historicos pro eis noscendis recurrendum sit. Interea ergo Latini habebant dumtaxat menses decem, quibus, vt poterant, sua tempora metiebantur; sed perperam, quippè cum non æquarent cursum solarem etiam sensibiliter; accidebat vt quinque solares anni, continerent sex annos ipsorum, & quælibet statio anni hyems, æstas, ver, autumus per omnes menses revoluto tempore vagaretur; quod erat magnum inconveniens. Huic ergo malo vel Romulus, vt ait Ricciolius, vel potius Numa, voluit occurrere ac decem suis mensibus incipientibus in Martio, & terminatis in Decembri, addidit duos à suo Iano Ianuarium, & à Februis, seu *purgatione animarum* (manium enim terriculamenta formidabant, & colebant) Februarium addiderunt; sed ad finem anni; & menses Lunares habuerunt. Cum autem tempus rationabiliter duci nequeat, nisi ex motu Cœli, & non de Stellis fixis; sed de Planetis, neque alijs, quam Sole, & Luna, vt abundè ostendit Tostatus *quæst.* 92. voluerunt Latini ad motum solis trahere mensuram temporis sui, & ita addiderunt mensibus suis illos dies vndecim, quibus annus solaris excedit Lunarem: & duo illi menses Ianuarius, & Februarius, qui postremo loco erant, occupaverunt primum. Quo præstito, necdum ex toto occurrebatur illi variationi, quæ circa stationes anni, revolutis aliquot annis, solebat occurrere, & in solstitijs, & æquinoctijs etiam cognoscebatur: quia annus Solaris præter 365. dies claudit 5. horas cum dimidia, & minuta. Quo circa Iulius Cæsar, & Octavianus eam temporis metiendi correctionem fecerunt, qua ex illa quasi quarta parte vnius diei integri, quæ quolibet anno superaret, diem integram computarent, & quarto quoque anno currente (quem vocarunt bissextilem quia dies 24. Februarij, quæ est 6. Kalend. Martij bis numerabatur, ne ille annus numeraretur 366. dierum, & causaret confusionem) inferendam curarunt. Re sic currente, irrepsit ex malitia error, qui nisi statim correctus fuisset, iam apparuisset in luce, & sole, & tempore: quoniam Sacerdotes quorum erat Kalendarium, corrupti à collectoribus vectigalium, quibus accrescebat census per singulos quatuor aut tres an-

nos ; annum vno die extenderunt , talem diem præter ritum intercalando; sed eo animadverso, illico detrahendo dies superadditos restauratum fuit. Quod his verbis inquit P. Nicasius: *Hic Augustus Mystarum præposteræ intercalandi licentiæ frænum incecit ; iussitque duodecim annos sequentes sine vllo intercalari transigi , vt sic elusis tribus diebus, quos Mystarum insciti a per festinatam intercalationem obtruserant , Iulianus annus suo nitori redderetur , ac porrò illimis flueret.* Sicque Kalendarium Iulianum sine immutatione decurrit vsque ad Correctionem Gregorianam. Hæc autem ideo à Gregorio XIII. indicta anno 1582. & à peritis viris Decennio elaborata fuit: quia cum singulis annis non supereſſet integra pars quarta diei; sed solùm 5. horæ, & dimidia, & minuta; dies illa integra, quæ de quatuor quartis partibus intercalabatur in biſſextili , cogebat , vt revolutis aliquot annis , in quibus satis sensibiliter coirent additi dies , ostenderetur mensura anni antevertens sensibiliter cursum solis: quod, si impune abiret; necessario stationes , & reliqua licèt tardius turbaturum foret. Vnde meliori calculo quo res hactenus tractari potuit , hæc reformatio (de qua vide in Apparatu Chronologico) impræsentiarum feliciter currit.

15 Ad hanc ergo correctionem præveniendam , & promovendam periti Astronomi (suo tempore quique) tabulas confecerunt , vti fuerunt post Christum Ptolomæus , Alphraganus, & Rex Alphonsus , ita vt prout tempora voluebantur vnusquisque tabulas coordinaret ; quamvis eorum quilibet præcedens rectè pro suo tempore coordinasset. Ex quibus observa, quod si adhuc extarent priscæ illæ tabulæ Latinorum , ad decem dumtaxàt menses accomodatæ ; fuissent tamen sub ea mensura sine defectu compositæ ; possent nunc Astronomi periti certò notare diem , & annorum illius temporis. Atque cum præterea temporibus Concilij Nicæni alius error à Sacerdotibus commissus intentetur ; videtur id esse falsum ex præclaris verbis P. Nicasij nostræ Societatis nunc Astronomi Peritissimi , qui in manuscripto penes me repositò sic habet. *Porrò Kalendarium Iulianum sine immutatione decurrit vsque ad correctionem Gregorianam , quoad litteras Dominicales spectat , vt communissimè fert omnium Chronologorum sententia , contra Paulum Forosempronienſem , & P. Ioannem Mariana , qui novum subin à mystis errorem commissum ariolati , vnum diem sub Concilij Nicæni tempora expunctum volunt. Hi proin meritò à Petavio , & alijs confutantur; imò manifestæ æquivocationis ab Astronomiæ peritis convinci possunt ex certis Novilunijs novis binis* 1. *die* 1. *Ianuarij anni* 1. *Iuliani , altero anno* 5. *Claudij Imperatoris ipsis Kalendis Augusti , & quidem hoc vltimo Eclyptico certò certius , vt omnes fatentur Chronologi, in Cœlis commisso. Ad tabulas omnes Astronomicas provoco , hæc duo Novilunia anno* 1. *Iuliano , & nonagesimo pariter Iulianno Kalendis Ianuarij , & Augusti certò certius exhibiturus sine die illo insititio , vel supposititio , quem prædicti Authores fingunt , supputatis inde calculis.* Hactenus perdoctus Pater: vbi patet quandoque in hac re etiam viros doctos hallucinari posse. De quo adhuc fortior loquitur Abulensis, dum sibi hanc obiectionem de correctione tabularum opponit. Ait enim *quæst.* 91. „ Ista ratio est insipientior , & inep„ tior cæteris, quia nullo iure funda„ tur, quia non objicitur hic aliquid „ specialiter contra computationem „ Astrologicam , sicut supra induce„ batur ; sed solum quòd fuerunt fac„ tæ aliquæ correctiones temporum, „ & quod Astrologi procedunt omis„ sis illis. Nam oportebat dicere, quæ „ fuerunt correctiones illæ , & proba„ re quod fuerunt , & etiam inducere, „ quomodo Astrologi in calculando „ procedunt omissis illis ; sed neu„ trum declarant ; ideò non erat ad-

„ ver-

„vertendum ad hoc, ſed ommitten-
„dum tanquam nullum. Sed, vt ma-
„gis confundatur error iſtorum ar-
„guentium, dicendum quòd poſt
„mortem Chriſti non fuit facta aliqua
„emmendatio, vel correctio in com-
„putatione temporum ſecundum La-
„tinos (vixit Author ante Gregoria-
„nam, & Cyclus Dioniſiana fuit pro
„Paſchate ſtabiliendo.) Emmendatio-
„nes autem, quæ apud Latinos factæ
„fuerunt ſunt iſtæ. Et pergit eruditiſsimè declarando ea, quæ ſupra nos dicta relinquimus.

16 Ex his vero, quæ vtpotè in re peregrina, & difficili, ac gravi debebant tractari paulò prolixius iam ſponte veniunt termini ad ſolutionem argumenti. Quæ fit diſtinguendo illam propoſitionem, in qua obijcitur alios *Aſtronomos aliorum tabulas correxiſſe ſic.* Correxiſſe, id eſt *emmendaſſe errores Aſtronomorum eas tabulas componentiũ*, neg. propoſ. correxiſſe, id eſt *tabulas aliàs pro ſuo tempore ritè factas ad ſua iam tempora accommodaſſe*, conc. propoſitionem. Et quidem potius ipſum tempus ſuo tranſcurſu paulatim oſtendebat, qua nova ſui menſura, & præſſura indigeret, vt fixius terra, & anni ſtationes per curſum ſolarem gubernarentur. Patet ex ſuperioribus tota doctrina. Ad tertiam confirmationem, reſpondeo Bedam, & Albertum Magnum, vt patet ex verbis Bedæ ibi traditis, potius propter receptam ſententiam id dixiſſe; & tabulas ei potius, quam ex tabulis ſententiam accommodarunt. Dum autem, vt ſupra conſtitit, patet, neque eſſe ex traditione Eccleſiæ, & Patrum vnanimi Chriſtum mortuum fuiſſe 25. Martij; & coram ipſa Eccleſia, Poſtulante Cardinali Turrecremata, & defendente Toſtato rem ex tabulis declarare licebat; ad eas veniendum fuit. Atque cum Aſtronomus ipſe nunquam fuerim, id dico amore veritatis, non pruritu Aſtronomico. Ad tertiam confirmationem, dico verum eſſe annos 37. 38. 48. Chriſti habuiſſe eam coincidentiam feriæ VI. & Lunę XV. primi menſis; ſed nullus eorum concordat cum Evangelio ponente Chriſtum in Baptiſmo ad annum 30. & vſque ad mortem tria, aut quatuor Paſchata. Ad tertiam confirmationem in primis patet ex dictis: deinde temporis poſterioris (etiam ſi daretur, corruptio anterior non immutabat. Quibus omnibus, vt pro mea tenuitate coronentur, tres replicas pro iunioribus, & rudioribus ita ſubnecto. Replicabis 1. Si punctum curſus ſolaris deprehenſum non erat exactè; quomodo punctuales eveniebant Eclypſes; imò, & nunc ad 200. annos intra breve ſpatium prædici certò poterunt? Reſpondeo, & velut olim Paulus aiebat, *vt minùs ſapiens dico*: vt in ijs, & alijs mihi doctiores indulgeant, aliud eſſe punctum terminativum totius curſus ſolaris, quod etiam nunc poſt Kalendarium Gregorianum quoad quatuor minuta ſecunda incompertum eſt, vt fatetur D. Petrus de Enguera in ſuo diſcurſu Aſtronomico ann. 1700. ſed tamen quia, vt inde immutatio perveniat ad vnum diem, procurrere debebunt viginti, & vnum mille anni, & ſexcenti; idcirco dicitur curſus ſolaris iam perfectè deprehenſus. Aliud autem eſt curſus ſolaris per Zodiacum, qui Aſtronomis quoad ſuas coniunctiones, & oppoſitiones cum cæteris Planetis notus eſt; & inde Eclypſes certò dignoſci ac præcognoſci poſſunt. Replicabis 2. Quomodo poſſunt hæ tabulæ Aſtronomicæ non variare, & præbere argumentum fixum, ſi ipſi Aſtronomi Principes facultatis habent varia ſyſtemata, vt Ptolomæus. Ticho Brahe, Rex Alphonſus, Copernicus? Reſpondeo forte vnumquem ex ipſis pro ſuis tabulis efformandis iacere diverſa principia, ac proinde elicere diverſa Theoremata pro aptiori obſervatione Aſtronomica; ſed tamen hoc non tollere, quominus in ſingulis eorum tabulis rite factis iuxta ſua principia

præſ-

præstetur argumentum clarum pro tempore mensurando : quia cursus solaris, qui ea omnia systemata moderatur (Mitto motum terræ Copernici, qui male audit licet hypothetice tolleretur) est in se indefectibilis, & non pendet à systematis Astronomorum; sed ipsi vt sunt verè tales, ad eum se accommodant. Replicabis 3. vel potius rogabis. Quid vult Augustinus quando *lib. Confess.* 7. caput sextum incipit *Vanæ Mathematicorum divinationes* ? Respondeo id legenti esse pervium : loquitur enim de Astrologia iudiciaria iure execranda; non vero de legitima Astronomia. Et hæc de hac obiectione.

17 Obijcies 3. Emersimus quoquo modo iam de Astronomica tempestate, & cymba tandem venit ad Sirtes, & scopulos Chronologicos superandos. Argumentum instruitur sic à perdocto P. Nicasio Grammatici. Si Christus mortuus fuit anno 33. non fuisset natus diebus Herodis infanticidæ. Sed hoc dicit Evangelium : ergo Christus non fuit mortuus tali anno. Probatur maior ex Iosepho qui ponit duplicem viam computandi annos Herodis, alteram *lib.* 14. *Antiquitatum, cap.* 26. quando Herodes per Senatum obtinuit regnum adhuc regnante Antigono, concurrentemque cum sexto anno Iuliano ; alteram verò post triennium *lib.* 14. *cap.* 28. quando pulso Antigono cæpit regnare anno nono Iuliano. Ex quibus probatio sic efformatur. Si Christus mortuus fuit anno 33. vitæ suæ, & Iuliano 78. vel 79; natus fuit anno 45. vel 46. Iuliano. Sed ex Iosepho concluditur, Herodem mortuum fuisse anno 43. Iuliano : ergo Christus natus non fuisset in diebus Herodis. Minor probatur. Iosephus *lib.* 17. *cap.* 8. narrat mortem Herodis contigisse à sublato Antigono annis 34. Postquam vero à Senatu Regnum obtinuit annis 37. sed 34. additi ad nonum Iulianum quando regnare cœpit ex Iosepho, & 37. additi ad sextum Iulianum, quo declaratus fuit Rex per Senatum non faciunt plusquam 43. annos Iulianos : ergo, &c. *Confirmatur.* Declaratio Regni Herodis per Senatum contigit ex Iosepho Olympiade 185. Cneio Domicio secundo, & Caio Assyrio Pollione Coss. & quidem primo anno illius in quo dicti Coss. regnabant ex Chronologis, & ex Lapide Colociano apud Gruterum. Sed talis annus concurrit cum anno sexto Iuliano : ergo, &c. Ad hoc argumentum, respondeo negando maiorem, & minorem probationis, & ad probationem eius, distinguo maiorem Iosephus *fidelis, & constans in narratione*, nego maiorem, *infidelis saltem materialiter, & sibi non constans*, concedo maiorem, & permissa minori, nego consequentiam. Itaque attingit obiectio punctum de annis Herodis, quod in Chronologia est satis implexum, & de quo paucadedimus in nostro apparatu Chronologico, Num. 69. prævidentes rem alicubi defervituram, vt modo contigit, dum exinde argumenti solutionem paramus.

18 Igitur vt liquido conficiatur, quid tenendum sit, præmitto nonnulla. Primò, tres fuisse Herodes qui circa tempora Christi confundi possunt, quorum primus est Herodes infanticida Filius Antipatri, secundus est ille Herodes, qui tempore Pasionis Christi gerebat inimicitias cum Pontio Pilato, & Salvatorem derisit, & subsannavit; tertius verò fuit ille Herodes Agrippa, cuius meminit Lucas *Actor.* 12. & fuit filius Aristobuli, nepos Herodis Magni, fraterque Herodiadis. Secundo præmitto, tùm quod Iosephus, vt fusius tetigi *tom.* 2. *Decad.* 1. *quæst.* 9. *num.* 2. 7. & *Decad.* 3. *quæst.* 7. *num.* 25. habetur iam per gravissimos Viros, & apprimè doctos Interpretes, vt historicus minus fidelis, & constans, licet fortè abreptus eloquentia Græca, & adulatione Romana. Neque ipse R. P. Grammatici quamvis acriter eum in Herodiana Chronologia de-

defendit, negat eum humanum quid paſſum fuiſſe, quando ex vna parte ſcripſit anno 15. eius fuiſſe attributam Herodi Galilææ præfecturam; & ex alia vixiſſe ſeptuaginta annos: quod tamen ex Severo Sulpicio conatur aſſuere. Itaque placet admodum Ricciolius, dum dicit, quòd cum ex vna parte plerique conſentiant Chriſtum natum fuiſſe anno 42. Auguſti, ſivè 44. aut 45. Iuliano; & ex alia annus mortis Herodis inter Chronologos optimæ notæ ſit tamen varius, & controverſus, vt alij dicant. mortuum fuiſſe anno Iuliano 42. alij 46. alij 52. alij 53. conſultius, & tutius eſt, non quidem veſtigare annum Nativitatis Chriſti ex annis Herodis, ſed potius è contra ex anno Nativitatis Chriſti per fixos, & infallibiles Sacræ Scripturæ characteres veſtigare annos Herodis. Nunc ſic, iuxta Ricciolium videtur vndique probabilius, & ex Choro DD. magis amplectendum, Herodem mortuum fuiſſe anno primo Chriſti nati, & Iuliano 46. propter plura. Primo. Ex ipſo Ioſepho, tùm quia *lib. 17. Antiquit. cap. 8. & 11.* ponit illam celebrem eclypſim Lunæ contigiſſe, currente morbo læthali Herodis, & ante eius interitum, qui fuit ante Paſcha Iudæorum; cum tamen eclypſis fuiſſet die 29. Decembris anni Iuliani 45. & exinde vſque ad Paſcha anni Iuliani 46. ſit ſatis temporis pro ijs, quæ ante mortem ab Herode geſta narrantur, quæ inter Kalendas Ianuarij, & Paſcha Hebræorum evenit. Tùm quia ipſe Ioſephus ponit relegationem Archelai per decennium regnantis, anno 56. Iuliano, vnde retrogrediendo ad initium regni Archelai, mortuo Herode, fit hunc mortuum fuiſſe anno 46. Iuliano. In qno concordat Ricciolius qui talem relegationem ponit tribus annis ante mortem Auguſti, quæ fuit anno 56. Iuliano Secundò. Quia probabilius fuit mors Herodis eo anno, quo poſt relegatum Iuliã Caius ante profectionem in Syriam, potuit intereſſe iudicio de ſucceſsione in regnum Herodis. Hic autem ex Ricciolio *tom. 1. Chronologiæ Reformatæ cap. 17. num. 8.* fuit annus Iulianus 46. Tertiò. Quia 37. anni Herodis melius numerantur ab initio regnandi, quod ex ipſo Ioſepho fuit nono Iuliano, & novem cum 37. faciunt 46. Vide Ricciolium *cap. 15. n. 5.* Quartò. Quia id iam à tota Æra Chriſtiana invaluit in Eccleſia, & Imperio Romano vt ſcilicèt Kalendæ Ianuarij, in quibus circumciſus eſt Dominus, concurrant cum initio anni Iuliani 46. & cum quo correctio Gregoriana accommodata fuit, ſeu facta dicitur, videlicèt anno 1582.

19 Propter quæ omnia quæ movenda non eſſe videntur, præſertim cum fides Ioſephi ex ore Doctiſsimorum ſatis labaſcat; in noſtra ſententia perſiſtimus, & ſuſtinemus, Chriſtum Dominum mortuum fuiſſe anno 33. & 78. Iuliano proindeque fuiſſe natum in diebus Herodis in extremitate anni 45. Iuliani, & anno proximo 46. Iuliano mortuum fuiſſe Herodem ante Paſcha Hebræorum. Vnde cuncta concordant. Ad confirmationem reſpondeo Ioſephum ex impreſsione Baſilææ 1554. apertè ponere declarationem regni Herodis Olympiade 183. eiſdem Coſſ. Quare opus eſt accedere ad annum Iulianum ex ipſa ſic comperiendum, etiam iuxta eumdem Ioſephum. Nam ipſe ait, declaratum fuiſſe Regem Olymp. 184. & ab hac declaratione ſumi poſſe ſuum regnum 37. annorum; itemque eo anno talium Conſulum coincidiſſe 6. Iulianum. Nunc ſic. Ab Olympiade 184. vſque ad Olympiadem 194. in qua ex traditione Eccleſiæ natus eſt Chriſtus fluunt decem Olympiades ſeu 40. anni: qui ſupra 6. Iulianos faciunt 46. quod eſt noſtrum intentum. Imò ipſa hic varietas Ioſephi rem magis aperit, quia ſi primus Olympiadis 185. fuit annus 6. Iulianus, quo fuerunt dicti Conſules, incipiens; & annus 4. Olympia-

dis 184. ad finem, in quo natus est Christus; benè componitur quòd Iosephus iam dicat talem declarationem fuisse Olymp. 185. iam anno 184. & quod Christus natus fuerit anno 45. Iuliano finiente, & Herodes motuus fuerit anno 46. Iuliano introeunte. Id autem hic moneo oportunè, videlicèt minimè oportere has gravissimas Theses, dum Biblicè propugnantur nimio rigore velle diducere ad historiam Prophanam, ad Olympiades, & ad Consules. Ad 1. quia quamvis in ea certa sint plurima; tamen rigor notandi, & calculandi inconstans est, vt peritis constat. Ad 2. quia Olympiades suo quadriennio, quod continent mille ansas præbent æquivocandi, dum ponitur Olympias; & non annus determinatus ipsius. Ad 3. denique quia mille æquivocationibus scatent consulatus, ita vt R. P. Pagi librum integrum scripserit de Consulibus *designatis, suffectis, dimidiatis, &c.* Quomodo ergo inde quid fixum? Denique si replica insurgat de fuga S. Iosephi vsque ad obitum Herodis; vel alia; consule nostrum Apparatum de re Chronologica, *num.* 69. & ibi est Chronologia Herodis etiam apposita. Vnde si ad superiora dixeris, benè cohærere Christi Nativitatem incidere in annum 45. ad finem Iulianum; non tamen salvari annos Herodis tunc viventis, quando natus est Christus quia 37. & 6. solum faciunt 43. Iulianos; inde potius nobis magis firmantur superiora quæ dedimus scilicèt 37. annos Herodis sumendos esse non à regno per Senatum ipsi concesso; sed quando pulso Antigono regnare cœpit anno nono Iuliano ex ipso Iosepho. Atqui 37. & 9. faciunt 46. ergo inde potius superiora firmantur dum Epocham Herodianam, & annos regni eius per Olympiadas cum anno Nativitatis Christi componimus.

20 Obijcies 4. Si res ducenda est per Olympiadas sententia nostra stare non potest; ergo non benè cohæret cum Chronologia celebriori Græcorum. Probatur antecedens. Ex Ecclesia constat Christum natum fuisse Olympiade 194. & quidem anno tertio ad dimidium vt tradunt Eusebius, & Beda. Item ex communi mortuus fuit anno quarto Olympiadis 202. quia eo anno ex Phlegonte apud Eusebium contigit illa prodigiosa eclypsis quæ evenit Christo moriente: sed facta computatione à tertio anno Olympiadis 194. vsque ad quartum Olympiadis 202. currunt triginta, & tres anni completi cum dimidio: ergo, &c. Minor patet, nam mediant vel potius restant à 194. vsque ad 202. octo Olympiades quæ faciunt 32. annos; & annus cum dimidio sumitur de Olympiade 194. Confirmatur. Etiam in nostra Chronologia, quam in hoc opere exibemus nostra sententia non constat: ergo omninò nutat. Probatur antecedens. Quia in Chronotaxi Paschatum Christi, quam dedimus ex Ricciolio, quatuor Paschata posuimus; cum tamen nostra sententia, interserens annum integrum à baptismo vsque ad nuptias, solum tria Paschata admittat. Ita in Chronologia vniversali, & manuali Bellarmini, quam inserimus, Christus mortuus est anno 34. ergo, &c. Ad hoc argumentum, respondeo negando antecedens, & ad eius probationem, cæteris concessis, negando Christum natum anno tertio; sed potius quarto Olympiadis 194. vt tradit Salianus: nam licet Beda, & Eusebius, qui ad vetustam opinionem de morte Christi 25. Martij se accommodabant; ita rem componerent; tamen evidenter conficitur tabulis Astronomicis, quod Christus tali anno 34. non fuit mortuus: quia eò anno Luna decima quarta fuit die Martis, & vigesima tertia Martij, & Luna decima quinta fuit dies Mercurij, & vigesima quarta Martij. Vnde non coinciderunt feria sexta, & Luna decima quinta quod postulat Evangelium; imò nec dies 25. quia fuit dies Iovis. Quapropter ex

an-

anno mortis (qui iuxta Salianum ab Olympiade 202. removeri non potest de quarto anno propter eclypsim) trahendus est calculus magis sacer, & tutus ad designandum, quoto anno Olympiadis 194. Christus natus fuerit: itaque retrogrediendo à die tertia Aprilis anni quarti Olympiadis 202. (quæ Olympiades mense Iunio incipiebant) invenimus à Christo moriente vsque ad Iunium illum, in quo claudebatur Olympias 194. & incipiebat 195. numerari annos 32. exceptis tribus mensibus currentibus ab initio Aprilis in quo mortuus est Christus vsque ad Iunium in quo complebatur Olympias 202. Atqui vt fiant 32. anni integri, & tres menses, quos probamus dumtaxàt Christum vixisse ex argumento Evangelico, & Astronomico solum restant sumendi sex menses de Olympiade 194. qui sunt retrogrediendo Iunius, Maius, Aprilis, Martius, Februarius, Ianuarius, vsque ad vigesimam quintam Decembris: ergo ex calculo certiori subducitur Christum Dominum natum fuisse anno quarto Olympiadis 194. quo vis argumentationis nedum procumbit, sed vertitur in robur, & firmitatem nostræ sententiæ.

21 Ad confirmationem, respondeo distinguendo antecedens cum nostra Chronologia, tàm vniversali, quàm particulari, quàm præmittimus per modum apparatus permitto antecedens, cum nostra quam in hoc loco sequimur, & coordinamus, nego antecedens, & consequentiam. Itaque vt alias me dixisse iam memini diversæ sunt leges Chronologorum, & Annalistarum à Methodo Didascalica, & apparatu præceptivo discendi, & docendi Biblicas controversias: nam primi planè tenentur ab exordio cohærentem sibi ducere annorum seriem; neque alias supputandi rationes aliorum sibi cooptare; aliàs manaret indigesta confusio; cæterum Magistri, & prælectoris condientis per mille vias gratum vndique apparatum, vt varia ingenia discentium, vel hac, vel illac pergant, & vndelibet ditiores fiant, proprium est intra talem apparatum (non verò in singulari aliqua quæstione Chronologica nisi benè computus exeat vtrinque) monstrare diversas semitas supputandi, & chronotaxes, imò breviorem aliquam Chronologiam vniversalem cui maiori ex parte controversiæ disputatæ se accommodent, vt fecimus in Chronologia Bellarmini, & ad quam multa, quæ Chronologicè disputavimus, alligare conati sumus. Cum tamen de anno mortis Christi ad optimum calculum adfigendo, tam ex professo disseruerimus; oportet ipsum in hac re potius hac disputatione corrigere: quin propterea sententia nostra de termino Hebdomadum Danielis labefactetur propter amplitudinem, sub qua eam dedimus resolutam: atque vt observat Siurius ly *in dimidio Hebdomadæ occidetur Christus* non Mathematicè oportet intelligi. Quoad Ricciolium vero nobiscum ille sentit in anno trigesimo tertio vitæ Christi inchoato, sed hic à nobis differt, quia ponit alterum Pascha, *Ioann.* 5. & negat annum à baptismo ad nuptias; nos verò, & tale Pascha reijcimus, & talem annum malumus interserere, vt stet traditio viva, & vniversalis Ecclesiæ ponentis nuptias in eodem die baptismi. Quæ quidem traditio simul sulta à Doctoribus nobilibus, est potissimum argumentum, vt in eodem die sexto Ianuarij ponantur à nobis adoratio, baptismus, & nuptiæ. Et quamvis, vt videri potest apud Suarium *disp.* 26. *sect.* 1. aliqui contra sentiant ex eo quòd nonnulli PP. se explicent de die Epiphaniæ disiunctivè dicentes, *sivè propter adorationem Magorum seu nuptias, sivè baptismum*, & similiter; tamen ego observo forte eam disiunctionem non cadere supra eventum quasi *hoc* evenerit in illo die, vel *illud*; sed supra causam Epiphaniæ seu revelationis Domini, notantes ea die nobis *revelatum* fuisse *sivè* ex ado-

ra-

ratione Magorum *ſivè* ex baptiſmo, ſivè ex nuptijs vbi ſe publicavit: nam quævis ex his erat ſufficiens cauſa, vt illa dies diceretur nobis dies Epiphaniæ ſeu *manifeſtationis*: vnde vt vides firmatur magis quod tria illa in vno die contigerint.

22 Alter verò ſcrupulus me magis divexat, ſcilicèt, Ioannem incipere caput ſecundum, vbi agit de nuptijs, poſtquam primo egerat de baptiſmo dicentem. *Et tertia die*, ita vt videatur fuiſſe dies tertia à baptiſmo, neque dari locum pro toto anno à nobis inſerto à baptiſmo ad nuptias. Sed ad hæc in primis reſpondeo, quòd ly *tertia die*, non intelligitur neceſſario ordinatim cum diebus recenſitis *cap.* 1. Tùm, quia ibi inordinatim narrantur *verſ.* 29. & *verſ.* 35. Tùm, quia ad minustres anteà ibi narrantur: quare in explicando quomodo ſit tertia nimis variant Authores, quorum aliqui tenent tertiam fuiſſe ab ingreſſu in Galilæam, alij autem apud Toletum iudicant die tertia dici reſpectu Hebdomadæ. Deinde dico certum eſſe Ioannem multa præterire ex ijs quæ referunt alij Evangeliſtæ: quare creditu facile eſt quod multa, quę Mathæus, & Lucas narrant poſt baptiſmum, acciderint ante nuptias, veluti ea quæ acciderunt ei in Nazareth, antequam veniret in Capharnaum: & de eo tunc dicebatur, quod fama exijt per omne in regionem. Qua propter veluti credibile eſt, Chriſtum à baptiſmo incipere voluiſſe officium Magiſtri, prius ſuſtinendo ieiunium, & tentationes; ita veriſimile eſt, quod per annum magis privatim quam publicè cum ſuis ſuam doctrinam diſſeminaſſet; ita credi poteſt aliqua feciſſe miracula privatim. Vide in fine quæſt. quid cum Lamy dici etiam poſsit.

23 Obijcies 4. Chriſtus fuit mortuus luna decimaquarta primi menſis ſed anno 33. non coincidit iuxta nos feria ſexta in luna decimaquarta; ſed in die decimaquinta: ergo non fuit mortuus anno 33. Probatur maior: Tùm, quia hæc eſt ſententia Patrum Græcorum, & videtur etiam Anſelmi, *Mathæi* 27. & Auguſtini in quæſtionibus vtriuſque Teſtamenti *quæſt.* 55. & 94. Tùm, quia Chriſtus qui erat figuratus per agnum Paſchalem occidendus erat die Paſchæ, quo agnus occidebatur: & ideo dicitur Ioan. 13. cænaviſſe *ante diem feſtum Paſchæ*. Sed Paſcha non celebrabatur niſi luna decimaquarta: ergo, &c. Ad hoc argumentum, quod attingit graviſsimam controveſiam inter PP. Græcos atque Latinos, opus eſt ſeparatim dare quæſtionem, quæ tamen mox ſit ſequutura: id circo nunc breviter dico falſam eſſe maiorem: nam Chriſtus mortuus fuit prima die Azimorum poſt lunam decimamquartam: quia ſcilicèt feſtum Azimorum inſtitutum fuit in memoriam redemptionis ex Ægypto; & in ea Chriſtus fecit morte ſua redemptionem noſtram agnus verè Paſchalis: quia & erat Agnus, & verè fuit occiſus in Paſchate; quia licèt non fuiſſet in die Phaſe antecedenti; tamen licèt *Phaſe*, & *Azimi* eſſent duo feſta quoad ritus inſtitutionem, & cauſas; tamen quoad tempus erat inſtar vnius coaleſcentis ex veſpera, & feſto: & ſic vtrumque in ſua hiſtoria computant Evangeliſtæ. Vnde Chriſtus mortuus fuit luna decimaquinta. De quo fuſius in quæſtione ſequenti.

24 Pro coronide huius quæſtionis gradatim velim obſerves primo, ſummam totius noſtrę ſententiæ ſic exhibitæ ex principijs, & fundamentis minus nutantibus. 1. Ex Evangelio Chriſtus mortuus fuit die veneris luna decimaquinta primi menſis Niſan correſpondentis partim noſtro Martio partim Aprili. 2. Calculo Aſtronomico demonſtrativo convincitur fuiſſe anno 33. Chriſti inchoato die tertia Aprilis; & ex Evangelio propter Paſchata à Domino celebrata conſtat non potuiſſe eſſe alium annum in quo talia concurrant ſupra, aut infra. 3. Iſti anni

nu-

numerantur ab anno quarto Olympiadis 194. in qua natus est Christus ex Ecclesia id dicente vsque ad quartum Olympiadis 202. in quo ex Choro Doctorum, & ex celebri traditione magnæ illius eclypsis mortuus est Christus. Ex Ioanne 2. 6. & 13. tria Paschata Christus Dominus celebravit expresè. Et quartum, quod intenditur probari ab aliquibus non convincitur: atque ita cum baptismus Christi fuerit Lucæ 3. *anno* 30. *incipiente*; ad computandum tres annos requisitos postea, qui debent claudere quatuor Paschata, putavimus esse solidius ire cum traditione Ecclesiæ viva, & vniversali de eo quod nuptiæ fuerunt in ipsa die baptismi, licèt vno anno post; ac proinde Pascha ibi inclusum dicimus non esse memoratum à Ioanne eo quod hic decreverit solum narrare Paschata currentia à publica sui manifestatione post nuptias. 5. Propterea Christus vltra duos annos fuit solemnis, & publicus Propheta, & Magister Evangelij per totam Iudæam; prædicavit autem tribus annis, computata illa minus solemni dissemination suæ doctrinæ quam fecerat à baptismo vsque ad nuptias. 6. Ex ijs traditio illa quę apud quosdam habetur de morte Christi in Martio die 25. non est traditio Ecclesiæ, neque dogmatica, neque adhuc Ecclesiastica constans quippè quæ de Martyrologio Romano sublata est; neque vnanimis Patrum, sed aliquorum, & non sine occasione. Quæ sanè esse potuit *circa mensem*: quia re vera Christus Dominus non mortuus fuit nisi in luna Martij, quamquam esset dies Aprilis; & quidem teste Ricciolio, initio Ecclesiæ multi in observatione Paschæ observaverunt menses lunares. Item *circa diem*, *& annum*, quia cum anno 34. Christi concurrisset luna decimaquinta in die vigesimaquarta Martij nostri; dici cœpit, aut potuit *octavo Kalendas Aprilis* non animadvertendo ad omnes apices astronomicos qui ostendunt eam diem talis anni non fuisse diem veneris sed Mercurij. 7. Præter Olympiadas receptissimas pro ortu, & interitu Christi trahitur etiam ad nostrum computum, & quidem iam ex traditione Ecclesiæ in Kalendario Gregoriano celebris illa Iuliana periodus cuius anno 45. finiente Christus natus est, & quidem *in diebus Herodis* post duos menses plus minusvè morientis anno 37, regni sui, pulso Antigono iam occupati; & mortuus est Christus anno 78. Iuliano currente. Quæ quidem tantarum rerum summula sic collecta non poterit rem implexissimam non plurimum declarare.

25 Colliges 2. Id quod saltem hic libandum est de Cyclo Paschali Christianorum, & de Hæreticis Quartadecimanis; de quibus tamen in Apparatu Chronologico *num.* 23. fusiora dedimus, quæ hic tandem summatim reducuntur ad sciendum 1. Christianos à tempore Apostolorum licèt in civilibus irent cum anno Iuliano solari; tamen servata Epocha Christi in initio, sua Paschata anno lunari mobiliter collocabant, ita tamen, vt neque ante Æquinoctium vernum civile (hoc est sensibile, non Astronomicum) nec nisi in die Dominica post lunam decimamquartam Pascha celebraretur; tametsi alicubi propter diversitatem cyclorum dies inter ipsos discreparet; imò & per accidens quandoque convenirent cum Iudæis. Sed tamen vt constat ex Socrate, Theodoreto, & Nicephoro, vbi suprà; cautum est: tùm quòd omnes Christiani Orientales, & Occidentales in celebrando Paschate convenirent: tùm ne convenirent cum Iudæis. Quare tandem res venit ad Dionysium Exiguum cuius cyclus Dionysianus instauratus per Bedam pro Paschate designando maiori ex parte à Latinis receptus est vsque ad Correctionem Gregorianam. Sciendum est 2. In hac re scrupulum creavisse quosdam hæreticos qui inde appellati sunt *Quartadecimani* quia asserebant

bant, Paſcha celebrandum eſſe luna decimaquarta primi menſis, licèt in quamcumque feriam imò, & in Dominicam incideret. Quorum errorem ſemper Eccleſia deteſtata eſt, ne conveniret cum Iudæis. Quorum origo fuit ſecundo ſæculo, re inter Catholicos controverſa, donec Blaſtus diſcipulus Valentini cum Montaniſtis hunc errorem fecit, quem damnavit Eccleſia anno 157. & Victor in Concilio Romano anno 196. & in Concilio Nicæno vbi ſtabilita ſunt ſuperiora, ita vt ſtabilito Æquinoctio verno die 21. Martij, Paſcha noſtrum ſemper intra 22. Martij & 25. Aprilis concludatur.

26 Colliges 3. Quomodo accipiendus ſit D. Epiphanius qui hæreſi 51. partim favet ſupradictis partim adverſari videtur, ſed cum eo diſcrimine vt in ijs quæ ſubſtantialia ſunt noſtræ ſententiæ ſuffragium ferat; in alijs verò quæ non ita prima ſunt in noſtra ſententia diſſentire videtur. Quoad primum ergo ait Chriſtum mortuum fuiſſe anno 33. ætatis ſuæ currente, ibi: *A Nativitate vſque ad Paſsionem anni* 32. *& dies* 74. Dicit ſecundò, poſt ſuam prædicationem tria Paſchata celebraſſe, ibi: *Non ſolum duo Paſcha confitetur Evangelium, ſed duo quidem prima dicit; ſed, & ipſum in quo paſſus eſt Salvator, tria Paſcha eorum quę in prædicatione tractata ſunt.* Tertiò. A Baptiſmo vſque ad nuptias ſatis temporis notat, & actorum Chriſti, ibi: *Vbi oſtendat poſt quadraginta dies tentationis, & poſt reditum ab ipſa tentatione, & profectionem ad Nazareth, & Galilæam, vt alij tres Evangeliſtæ dixerunt, rurſus ad Iordanem veniſſe...* & hic eſt de quo dixi vobis: *velut iam de alio atque alio tempore præterito dicitur, vt oſtendat non idem eſſe tempus hoc illud baptiſmatis tempus; ſed aliud præter illud. Neque enim ſtatim à tentatione ad Ioannem pervenit; ſed prius in Galilæam, deinde à Galilæa in Iordanem, hoc eſt ad Ioannem. Quapropter dicit. Hic eſt de quo dixi vobis. Et Evangelium dicit, & teſtificatus eſt Ioannes: vidi ſpiritum deſcendentem: velut iam ante aliquod tempus re illa facta.* Et paulò infra ponit fuiſſe ante nuptias vocationem Diſcipulorum, ſic: *Oportebat enim hos primum vocari, poſtea Philippum iuxta conſequentiam, velut locatum eſt in Evangelijs. Petrus primus, deinde Andræas, deinde Iacobus, poſtea Ioannes poſt hos Philippus; licèt aliqui non aſtiterint nuptijs.* Quartò. Ponit nuptias contigiſſe octavo Idus Ianuarij, vbi non incongrue ſexta dies poteſt intelligi, vt cum traditione Eccleſiæ concordet. Iam verò quo ad ſecundum diſcrepat etiam ab Eccleſia, quatenus ponit diem Nativitatis Chriſti quinta Ianuarij. Secundò. Ponit baptiſma Chriſti die 12. Nobembris. Sed tamen trigeſimo anno currente vt nos etiam ponimus. Tertiò. Ponit Chriſtum mortuum die 13. Kalendas Aprilis. Sed verò in his S. Doctor cum diem mortis, & Nativitatis nitatur accomodare ad Ægyptios, Syros, Hebræos, Græcos, Cyprios, Arabes menſes; fortè quoad hæc fuit res minus firma traditione ſubnixa. Ponit enim ibi S. Ioſephum multa ſobole de primis nuptijs veniſſe cum Maria ad ſecundas. Magos poſt biennium Dominum adoraſſe. Atque Marcum, & Lucam à Domino diſceſiſſe propter ſermonem de carne ipſius manducanda; poſtea vero per Petrum, & Paulum fuiſſe converſos. Quæ non placent.

27 Colliges 4. Ex nuper dictis quomodo vim non faciat adhuc ex Epiphanio id quod affert D. Scheltrate *tom. 1. Antiquit.* Eccleſiaſticarum, ſcilicèt, quod dies mortis Chriſti notatus in Actis Pilati fuit 15. Kalendas Aprilis, ſivè 18. Martij ex teſtimonio Epiphanij. Nam vt nuper vidimus ipſe quoque affert, quod Chriſtus mortuus eſt 13. Kalendas Aprilis, & multa ibi ſubdit quæ firma traditione non conſtant nec communiter recipiuntur. Colliges 5. Quod quamvis cogitatio perdocti P. Nicaſij ſua probabilitate donetur ex multo ingenio, & profun-

da

da eruditione qua ipſam fundat ; nihilominus ea omnia , quæ congerit ſatis ſolidè diſſolvuntur. Atque 1. Quoad ſervandos characteres Lunæ plenæ , & feriæ ſextæ in Evangelio nobis relictos ipſemet fatetur facilius ſervari per annum 33. quam per 29. Æræ Vulgaris , niſi quod in eo non ſalvaretur mors Chriſti in menſe Martio. Atqui hic ſcrupulus ex tota noſtra quæſtione facilè eximitur. Nam cum traditio de morte in menſe Martio oriri non poſſet niſi de menſe Lunari , qui & vigebat apud Hebræos , & aliquando quoque viguit apud Chriſtianos; hic Martius Lunaris , vel Luna Martij à nobis quoque ſervatur; licet mors fuerit die tertia menſis ſolaris Aprilis. Vbi etiam nota quod neque hic præclarus Author poteſt ſalvare illam traditionem, quam etiam pro ſe aſſumit de die 25. Martij : neque æquinoctium niſi cum ſua refractione , & apicibus ſanè pulchris , & verè cooptabilibus ſuæ ſubtilis Aſtronomiæ. 2. Quoad Chronologiam Herodianam ſatis à nobis rem eſſe dilutam : & neque ipſum poſſe ex toto ſalvare Chronologiam Ioſephi etiam ſuffragante Sulpicio, qui annum mortis cum natali Chriſti non ritè computavit. 3. Quoad Olympiades nos ſequi viam regiam, quam tradit Salianus de Nativitate Chriſti anno 4. Olympiadis 194. & mortem anno 4. Olympiadis 202. expreſsè declaratæ in ipſis verbis Phlegontis traditis à Saliano. Vnde non eſt facilè perſuadere id , quod tam vniverſim traditur à viris graviſsimis per meram arbitrariam , & ariolantem correctionem inductum eſſe. Quinimo licet non ignorem quoſdam recentes Criticos Chronologos Æram Vulgarem Chriſti aliquot annos antevertere ; nihil minus debent efficere, quàm vt propter illos talis Æra ab Eccleſia ſolemniter vſurpata non debeat retineri; quandiu ipſi non promunt , vti nunquam proment argumenta , quæ ſint peremptoria. Nam ideò illi ſic vel aliter antevertunt , quia hac vel illa argumentatione , aut calculo diducto premuntur: quod cum non componant ; tempora retrorſus agunt ſub menſura ſibi plus famulante. Quare inter ea quæ probabiliter currunt ſolidiora puto eſſe illa, quæ ſtata tẽpora, & ſolemnius traditas res diſiectis nubeculis ſervare atque confirmare nituntur. Ea propter plus me recipio in Martyrologium Romanum inquiens anno 42. Auguſti pacem in orbe fuiſſe Chriſto naſcente , quam in calculos caſuſque Pagi , & Schel tratæ aientium tunc bella perſtrepere , & ſolo anno 40. vel 41. Iuliano pacem fuiſſe , vt eo retrahant Natalitia ſalvatoris. Hinc etiam oritur,quod coguntur immutare , vt ſecum trahant aliquos Patres , Epocham Tiberij per triennium , vt ſcilicèt annus 15. Tiberij , quo baptizatus fuit Chriſtus fuerit 15. à Tiberio vere ſuccedente in Imperio ; & fuerit annus 18. ab ipſo vt donato dignitate imperatoria à Senatu P.Q.R.ad petitionem Auguſti. Et quidem omnia hæc propter ſervandos Conſules. De quibus , & quorum varietate , & inconſtantia ex ſuffectis, dimidiatis, deſignatiſq; vt dixi,ſcripſit Pagius. 3. Quoad argumentum petitum ex littera Dominicali ex eo quod Auguſtinus dicat Epiphaniam in Dominicam incidiſſe , iam initio quæſtionis conſtitit ex Bellarmino , & Siurio illum ſermonem non eſſe Auguſtini. 4. Quoad eclypſim Lunæ , quæ accidit circa mortem Herodis etiam benè ſe habet noſtra ſententia : ſiquidem ex obſervatione prædicti Patris anno 45. Iuliano accidit 29. Decembris Lunæ eclypſis, qui defectus Lunæ dici poſſet : & nos ſtatim ſub initia , & primos menſes anni Iuliani 46. ponimus Herodem occubuiſſe. Poſt quæ ſcripta cum iam ſub prælo codices verſarentur obtinere licuit Harmoniam Evangelicam P.Bernardi Lamy *de Congregat. Oratorij* , qui calamo valde critico , & recentiſsimo Hiſtoriam Evangelicam expendit : qui in hoc præſenti punc-

puncto nobiſcum ipſe eſt dum ponit Chriſtum morientem anno 33. Æræ Chriſti Vulgaris die tertia Aprilis, vt patet in Apparatu Chronologico *part. 2. cap. 7. & etiam cap. 9. §. 5.* Quare cum, & Ricciolius Chronologus non ita priſcus, & Lamy criticus recens ſequuti ſint noſtrum Toſtatum; immerito nobis detrahet quiſquis putet non niſi rancidas Chronologias, & tabulas fuiſſe ſectatos, & novæ criticæ parum cognitores. In qua quidem nemo neſcit quin meſsis ea ſit in qua datur & triticum, datur & palea, dantur & zizania: prout benè obſervarunt qui de vſu, & abuſu critices ſcripſere, vt noſter Laubruſelius, & quidam alius Carmelita perdoctus. Poſſunt enim in eo agro zizania merito compellari multi illi calculi, qui non tàm propter teſtimonia vetuſtiſſima denuo detecta; quàm propter preſſuras difficultatum quas quiſque ſecum ſuo pondere librat, ſurgunt ita valenter, vt alios iam fixos ſolemniterque receptos ſuo cedere loco quaſi imperatorie iubeant. Dum ergo in ijs demonſtratio vlla non ſuppetat (quæ iam ex ſententia doctiorum non eſt apparitura) ſatius eſt ea quæ fixa ſunt, & recepta non trudi, quam intrudi contraria.

28 De quo Authore nempè P. Lamy *de Congret. Oratorij* id vltra ſubnecto: quod, ſcilicèt, hic Author diſſentit à nobis in eo quod ait Chriſtum Dominum à baptiſmo vſque ad mortem duo tantum diſtincta Paſchata celebraſſe: exiſtimat enim quod Chriſtus Dominus baptizatus fuit anno 31. iam currente per tredecim dies; quemadmodum nos tria Paſchata cucurriſſe cenſemus, eo quod adhæſerimus AA. ponentibus à baptiſmo ad nuptias annum interiacentem doctrinæ quaſi privatæ, & inſuper ſuſtineamus Chriſtum baptizatum fuiſſe anno trigeſimo currente per tredecim dies. Vnde ſi quis malit forte talem annum interiacentem expungere; noſtram eandem ſententiam de mortis Chriſti anno, & die poterit retinere; ſed tunc oportebit in quæſtione noſtra antecedenti ſuſtinere cum authoritatibus, & doctrinis (ibi nobis obiectis) quod Chriſtus baptizatus fuit anno trigeſimo primo iam currente per tredecim dies. Quod ſi in Apparatu noſtro Chronologico dedimus ex Ricciolio Chronologicam Syntaxim Hiſtoriæ Evangelicæ, & prædicationis Chriſti ponendo ſtatim à baptiſmo nuptias; & deinceps tria Paſchata à Domino celebrata quartumque in quo Chriſtus mortuus eſt; ideò eſt, quia ipſe ponit ſecundum fuiſſe Paſcha illud quod Ioan. 5. ſolum dicitur fuiſſe diem feſtum: qnod ſupra nos oſtendimus non fuiſſe Paſchale ſicuti etiam id reſpuit Bernardus Lamy *in ſuo Apparatu Chronologico, tom. 2. part. 2. cap. 7. §. 4.*



JHS.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

SCITIS QVIA POST BIDVVM PASCHA FIET, ET Filius hominis tradetur vt crucifigatur. *Math.* 26.

ARTICULUS.

VTRVM CHRISTVS DOMINVS PRIDIE SVMPSERIT COENAM legalem, & poſtridie in die azymorum occiſus ſit?

1 SUppono 1. Sub titulo ſuperiori plures ebullire dificultates, & quæſita, quæ tamen hic vno tractu diſputationis more noſtro tractare conabimur, vt quanto preſsius, & propinquius nectantur alia cum alijs, fortè plus colluſtrentur. Itaque hæc omnia attingenda, & coordinanda ſunt vt clareſcat articulus. 1. An Chriſtus ante mortem celebraverit cœnam legalem? 2. An pridie fuerit ad eius mortem? 3. An Chriſtus prævenerit diem Paſchalem; vel Iudæis poſtponere licuiſſet? 4. An Chriſtus mortuus fuerit in primo die Azimorum, & die feſto? 5. Quid per Paſcha intelligendum ſit, & à quo Agnus Paſchalis poterat immolari? Quæ omnia, & fila hinc inde pendentia Deo dante in hac diſputatione evacuabimus, diſputando veluti articulum principalem, eum quem habemus in fronte propoſitum, *an ſcilicèt Chriſtus agnum typicum comediſſet pridie ante mortem illatam ipſi prima die azimorum?*

2 Suppono 2. Non defuiſſe aliquos olim, qui putarunt hunc nodum facilius eſſe ſolvendum, ſi in limine abſcinderetur; ſuſtinendo, videlicèt, Chriſtum Dominum in eo Paſchate in quo mortuus eſt, non celebraviſſe cœnam legalem; ſed potius in ea ipſa die fuiſſe interfectum eadem hora, qua agnus ipſius figurativus ex lege accidendus erat. Quos commemorant Cludius *Repetitione* 1. *de Euchariſtia*, & Theophilactus *Math.* 20. Sed nunquam eſt via brevior, ſe dare præcipitem: veluti ij Authores ſatis corruiſſe videntur, cum expreſsè conſtet in Evangelijs Chriſtum celebraſſe Paſcha cum Diſcipulis ſuis præſertim, *Math.* 26. ibi: *Dicite ei, Magiſter dicit, tempus meum prope eſt apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis.* Et Marco 14. *Quo vis eamus, & paremus tibi vt manduces Paſcha.* Ioann. 13. *Et cœna facta.* Luc. 22. & Pauli 1. ad Corinth. *Similiter, & Calicem poſtquam cœnavit dicens.* Adiuncta expoſitione Tridentini *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. Propter quæ nuperum certamen exarſit inter duos Doctores, alterum Pariſienſem, ſcilicèt Bernardum

Lamy *de Oratorio Ieſu*, & Doctorem D. Michaelem Portilla Complutenſem *in ſuo Quodlib.* & Propugnaculo inſuper addito, in quo acriter propugnat iure invſtam eſſe tali ſententiæ cenſuram illam, quam noſter Suarez dixit, quod eſt planè hæretica; à qua tamen P. Lamy liberare eam intendit. Sed reapſe vix video, quomodo ea non ſit ſatis periculoſa; licèt enim ſuper textibus Evangelicis, & ritibus antiquæ legis poſsit quis aliquid comminiſci, vel diſcurrere, quo videatur ire inoffenſus; cæterum negari vix poteſt hanc, ſi vlla eſt alia, eſſe manifeſtiſsimam traditionem totius Eccleſię, & quidem Apoſtolicam neque oretenùs, ſed in Concilijs ſcriptam, & ritu ſolemni decantatam per vniverſam Eccleſiam: *Obſervata lege plene cibis in legalibus.* Neque ad rem vrget dicere Chriſtum figuratum per agnum Paſchalem eadem hora qua is olim, occidendum fuiſſe, vt figuratus reſponderet figurę; ac proinde Chriſtum non ſolviſſe legem non cœnando, ſed potius adimpleviſſe ante cœnam moriendo. Nam ex PP. etiam Græcis tale ſacrificium agni magis erat figurativum Euchariſtiæ, quam Crucis, prout id aperte dicunt Naziancenus *Orat.* 2. de Paſchate dicens imperaſſe Deum, vt agnus luna decimaquarta immolaretur, *quia tunc Chriſtus daturus erat Diſcipulis ſuis corpus ſuum, & ſanguinem.* Idem Chriſoſtomus *homil. de Proditione Iudæ, & homil.* 83. *in Mathæum*, vbi obſervat quemmadmodum tale ſacrificium erat quid diviſibile, ita etiam diviſibiliter in duabus ſpeciebus ſumi eius figuram, & licèt quoad occiſionem agni, faciendam hora tertia, planè figurabat Chriſtum eadem hora occidendum; non tamen in ipſa die. Sic Irenæus lib. 4. cap. 23. *Et cœna agni ad veſperum facta figurabat Euchariſtiam; non tamen in determinato die faciendum; ſed ſolum futurum eſſe Sacramentum quod in lege gratiæ ortum duceret quoad eius gratiam de occiſione Salvatoris: licèt enim Salvator illud prius inſtituiſſet quam moreretur cæterum gratia talis Sacramenti etiam rivus eſt de fontibus Salvatoris.*

3 Suppono 3. Quod quamquam in quæſtione præcedenti iuxta ritum veteris legis *Paſcha, & dies azymorum* ſint duo diſtincta quo ad inſtitutionem, ritus, & cauſas, vt latè Suarius, Toſtatus, Maldonatus, & alij nobiſcum etiam in præcedenti quæſtione; tamen in Hiſtoria Evangelica promiſcue vſurpari ſolet vnum pro altero. Quod minus obſervatum, radix eſt æquivocationis multiplicis, & mille pullulant argumentationes implexæ. Quod, ne liberè dictum putes vel cauſa fugiendi vim adverſariorum; audi Toſtatum parte 2. defenſorij, *cap.* 2. ſic loquentem: *Pro quo ſciendum quod aliter accipitur dies azymorum in veteri teſtamento; & aliter interdum ab Evangeliſtis. Nam in Veteri Teſtamento diſtinguntur iſta duo feſta, ſcilicèt, Phaſe, & azymorum: quia Phaſe erat die quartodecimo, & feſtum azimorum erat die quinto decimo, Levit.* 23. *Evangeliſtę autem interdum accipiunt feſtum azimorum pro feſto Phaſe, & pro azimis ſimul, & interdum accipiunt Phaſe ſive Paſcha pro feſto azimorum. Sic patet Marc.* 14. *ſcilicèt: erat autem Paſcha, & azima poſt biduum. Et ſic eadem feſtivitas vocatur Paſcha, & azima, quia alias non diceretur, quòd poſt biduum erat Paſcha, & azima, ſed ſi Paſcha eſſet poſt biduum; eſſet feſtum azimorum poſt triduum. Et ſicut etiam dicitur, Luc.* 22. *ſcilicèt: apropinquabat dies feſtus azimorum, quod dicitur Paſcha: ergo pro eodem accipitur.* Hactenus ille, & meritò: nihil enim in hac re ſuavius ac verius, quia vt conſtat, *Exod.* 12. agnus in azimis comedendus erat; vnde licèt poſtridie eſſet prima dies azimorum quoad ſolemnitatem, non tamen quoad eorum vſum, vnde tàm dies decimaquarta, quàm decimaquarta poſſunt dici prima *dies azimorum.* Et rurſus azima, & eorum feſtum potetat dici feſtum Paſchæ, tùm propter continuationem tam immedia-

diatam, & connexionem vnius cum alio, tùm propter ritum azimorum in vtroque ſervandum. Quæ planiora, & congruentiora longè ſunt, quam quod Iudæi in vrgenti caſu, licèt anticipare non poſſent, potuiſſent tamen Paſcha procraſtinare, vt putat Maldonatus cum alijs. Nam licèt id detur, tamen lex *Numer.* 9. aſsignabat caſus, & tempus, ſcilicèt *caſus* vel immunditiæ legalis vel peregrinationis longinquæ, quorum neutrum erat: & etiam *tempus* quia aſsignabat, tunc celebrandum eſſe Paſcha die decimaquarta menſis ſecundi.

4 Suppono 4. Quod quemadmodum circumciſio fuit multò ante legem, & in ea poſtmodum incorporata; ſic ſacrificium agni Paſchalis quodammodo fuit ante legem datam in Sinai; & quodammodo non fuit ante legem: quia ab ipſo egreſſu Ægypti ille, qui ducebatur populus Dei cœpit aliqua legislatione informari; tamen in communiori ſenſu tale præceptum abſolute fuit ante legem, & principaliſsimum, vtpotè inſtitutum in tanti beneficij memoriale ſempiternum. At ſi inde quis dicat quomodo apud *Ieremiam* 7. dicitur: *Non ſum loquutus cum Patribus veſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocauſtomatum, & victimarum?* Reſpondetur ex Hieronymo ibi, & Clemente Romano *lib.* 6. *conſt. cap.* 20. Auguſtino *quæſt.* 13. vtriuſque Teſtament. Anaſtaſio *quæſt.* 50. ibi loqui Ieremiam de ſacrificijs in lege datis, quæ populo ad Idolatriam propenſo poſt adorationem vituli indulta ſunt; non tamen de ſacrificio agni, ſeu Phaſe, vel tranſitus Domini, quod inſtitutum fuit in memoriam Angeli percutientis Ægyptios, & ſervantis Hebræos; ſicuti, & azyma in recordationem celeris egreſſus de Ægypto, in quo panis maſſa fermentari non potuit. Vnde, vt notat Suarez *ſect.* 2. ſacrificium agni reſervavit ſibi, vſque ad legem datam, privilegium de lege naturæ; quatenus non in templo, ſed vbique; non à Sacerdote; ſed à quoquam perfici poterat, myſticè præſignando, Euchariſtiam, non in determinato templo ſumendam, neque à Sacerdotibus determinati generis conficiendam; ſed à quibuſvis verè talibus; licet poſtea *Deuteronomij* 16. ſuerit limitatio *quoad locum, quem elegerit Dominus.* Circa quæ obſervabis duo, alterum eſt Authores graves nimis torqueri: quia in lege veteri Hebraicè dicitur, quòd ſacrificium agni fit, id eſt *inter veſperas*; & inde conantur, duas veſperas diſtinguere, & accommodare. Sed immerito, nam inſpecta Hebraica origine res eſt clara: ſiquidem hæc vox ſignificat idem ac *mixturam*, & *mixtionem*, & quia cadente ſole fit quædam mixtio lucis, & tenebrarum in crepuſculo, ideò pro eo tempore pomeridiano ſumi ſolet, quod nos ideò vocamus *veſperum*, quia veſper ſeu ſtella Veneris tunc incipit apparere, & rurſus ab hoc totum tempus pomeridianum diei artificialis veſper dici conſueſcit. De quo latius *in tom.* 1. *Decad.* 1. *quæſt.* 2. Vnde dicere, quòd ſacrificium fiat inter veſperas eſt dicere, quòd fiat inter *mixtionem*, vel *mixtiones*, quæ cadente ſole fiunt lucis, & tenebrarum; vbi perinde eſt mixtionem, ſeu veſperum dici in ſingulari, vel in plurali. Quamobrem veluti ſi quis diceret, *hoc facito in finibus hodiernæ lucis* immeritò quis tricaretur, inde arguendo, duos fines lucis diſtingui oportere, ſic ſimiliter in noſtro caſu. Quod inde firmatur, quod aliqui cum Ioſepho *lib.* 2. *Antiquit. cap.* 5. Horam ſacrificandi intellexerunt crepuſculum matutinum; licet ex Beda, Abulenſi, Lyra, Cyrillo, & alijs ſtandum ſit tempori pomeridiano, tùm ex veſpertina hora occiſionis, tùm ex cæna nocturna de eo facienda iuxta legem *verſ.* 8. *Et edent carnes nocte illa.* Alterum verò eſt, quod ex eadem radice Hebræa etiam conſtat apud Valentinum Schil-

de-

derum in ſuo Lexico Pentaglotto in radice *Harab* vbi apertè dicit, diem veneris lingua Syriaca, quæ vernacula erat temporibus Chriſti, appellari *paraſcevem*, & Syriacè nominari, id eſt *Harubetha*. Quæ duo huic rei non ſunt importuna.

5 His poſitis variæ ſunt ſententiæ, quarum prima eſt celebris ſententia Græcorum dicentium, Chriſtum decimatertia Luna ad veſperam cænaviſſe, & Luna decimaquarta mortuum fuiſſe, antevertendo videlicet vna die legitimum Paſcha Iudæorum celebrandum Luna decimaquarta. Vnde ortum traxit ritus ille Græcorum conſecrationis in fermentato: quia cum azyma non inciperent vſque ad Lunam decimamquartam; non poterat Chriſtus niſi in fermentato conſecraviſſe. Quam tenent Euthimius *Math.* 26. Nicephorus *lib.* 1. *cap.* 23. Chryſoſtomus *homil.* 82. *in Ioann.* Theophilactus, Cyrillus Alexandrinus *lib.* 12. *in Ioann.* Origenes *tract.* 35. *in Math.* Epiphanius *hæreſi* 50. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 23. quibus videtur adiungi Auguſtinus *in quæſtionibus vtriuſque Teſtamenti, quæſt.* 55. & 94. Item adducitur Anſelmus *Math.* 27. *licèt* 26. contradicat, & etiam in proprio opuſculo de fermentato, & azymo. Secunda ſententia aſſerit Chriſtum non celebraviſſe Paſcha cum Iudæis: quia ij poſtpoſuerunt Paſcha in illo anno vna die; itaque mortuus fuit Chriſtus Luna 15. ſed non in prima die azymorum, quæ illo anno fuit Luna 16. Ita tenent Paulus Burgenſis *Math.* 26. Ioannes Hentenius in præfatione ad Euthimium ſuper Evangelia. Ioannes Gagneius, Ioannes Maldonatus *Math.* 26. Ioannes Lucidus *Opuſc. de vero die Paſsionis Chriſti.* Onuphrius *lib.* 2. *Faſtorum.* Ianſenius *cap.* 128. Catharinus *lib.* 2. contra Caietanum. Rabbi Gamaliel ex Traditione Hebræorum *in libris de Solis*, & *Lunæ motibus.* Tertia ſententia ſuſtinet Chriſtum eadem Luna decimaquarta cum Iudæis cænaviſſe; ſed mortuum non fuiſſe in prima die azimorum. Nam hæc quando Luna decimaquarta incidebat in diem Iovis tranſferebatur in Sabbathum. Hanc ſingulariter tenet Rupertus *lib.* 2. *in Leviticum, cap.* 36. & *lib.* 10. *in Math.* Quarta ſententia aſſerit Chriſtum Dominum Luna decimaquarta celebraſſe Paſcha legitimum cum Iudæis, & mortuum fuiſſe prima die azymorum. Hanc ſententiam, quoad celebrationem Paſchæ cum Iudæis tenent Theodoretus *quæſt.* 24. *in Exod.* Clemens Romanus *lib.* 5. *Conſtitutionum, cap.* 13. & 16. Beda *de Ratione Temporum, cap.* 57. & 59. Anſelmus *lib.* 2. *de Imagine Mundi, cap.* 17. Rupertus *lib.* 2. *in Exod. cap.* 18. & *lib.* 3. *in Oſeam, cap.* 7. & *lib.* 4. *de Operibus Spiritus Sancti, cap.* 8. Et quoad mortem in die prima azymorum Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus, & Beda *Ioann.* 18. Hieronymus, Tertullianus *lib. contra Iudæos, cap.* 9. Origenes *homil.* 23. *in Numeros.* Cyrillus Hieroſolymitanos *Cathecheſi* 13. Euſebius *lib.* 19. *de Demonſtratione Evangelica, cap.* 6. Auguſtinus *tract.* 50. *in Ioann.* Leo Papa *ſerm.* 7. *de Paſsione.* Et quoad vtrumque communis eſt Theologorum cum D. Thoma, & Suario 2. *tom. in* 3. *part. diſp.* 40. Abulenſi *part.* 2. *Defenſorij, cap.* 7.

6 Dico igitur cum AA. huius quartæ ſententiæ: *Chriſtum Dominum Luna decimaquarta celebraſſe Paſcha legitimum cum Iudeis, & mortuum fuiſſe Luna decimaquinta prima die azymorum.* Probatur hæc concluſio ſimul, quoad vtramque partem ſibi connexam. Et quidem primo ex Scriptura ſic. Chriſtus Luna decimaquarta iuxta præſcriptum legis celebravit Paſcha legitimum cum Iudæis. Sed ex Hiſtoria Evangelica, conſtat mortuum fuiſſe in die ſequenti ad cænam legalem, quæ iuxta legem erat prima dies azymorum: ergo, & cænavit Luna decimaquarta, & mortuus fuit decimaquinta in die prima azymorum. Maior patet multipliciter. Primo. Quia *Math.* 5. *Marc.* 14.

&

& *Luc.* 22. de more Iudaico, & prima die esus azymorum (non solemnitatis eorum, quia Pascha non præcesserat) rogatur Christus: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Ergo, &c. Secundo. Quia Marcus se explicat, quando *Pascha immolabant*: & Lucas, ait: *In quam necesse erat occidi Pascha*: ergo parabatur iuxta ritum legis, iuxta quem Christus de more interrogat *vbi est refectio mea, vbi Pascha cum Discipulis meis manducem?* Tertio. Quia *Ioan.* 13. aperte dicitur, Christum cænasse ante diem festum Paschæ, sivè *azymorum*, & quidem cæna Paschali, vt constat ex alijs Evangelistis. Quarto. Quia ibidem putarunt Discipuli de Iuda, quòd dixisset ei Iesus: eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum. Hoc autem sequebatur immediatè, post Lunam decimamquartam: ergo, &c. Quinto. Quia ex quatuor Evangelistis constat, eo die, quo Christus mortuus est, dimissum fuisse Barabbam ad vota populi ex consuetudine diei festi, ad quod cæna legalis præcedebat. Probo iam minorem primam, & quidem primo ab ipso Barabba dimisso ex consuetudine diei festi, eo die quo occisus est Christus. Secundo ex verbis *Ioann.* 18. *Ante diem festum Paschæ.* Tertio, quia ex lege festum azymorum erat dies immediata ad cænam Paschæ: & apud Mathæum de morte Christi post cænam dicitur: *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista.* Quarto, quia ex ipsa Historia Evangelistarum clarè constat, solam noctem Passionis mediasse inter cænam legalem, & mortem Christi die postero subsequutam. Quinto, ex prophetia *Amos* 8. mirè oportuna: *Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis, & convertam festivitates vestras in luctum.* Sexto, quia *Math.* 26. dicitur: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* Ergo de primo ad vltimum Christus Dominus Luna decimaquarta cænavit agnum Paschalem, & Luna decimaquinta mortuus est.

7 Probatur secundo conclusio ex Patribus, quia in primis ipsi manifestè dicunt, Christum celebrasse Pascha cum Iudæis quoad cænam die 14. Primo ex Theodoreto, vbi supra: *Et sacrificent die decimaquarta sub vesperam, sub hanc enim vesperam etiam Christus Dominus traditus est Iudeis.* Vbi videtur sacrificium agni posse figurare ipsam Christi traditionem. Secundo ex Beda, ibi: *Quia, & Salvator noster, sicut Theophilus, cuius supra memini, Venerabilis Alexandriæ Episcopus scribit, decimaquarta quidem est traditus Luna, hoc est, quinta post Sabbathum: decimaquinta autem crucifixus die tertia resurrexit.* Tertio ex Anselmo *lib.* 2. *de Imagine Mundi, cap.* 17. vbi supra: *Dominus solito more Pascha cum Iudeis vndecimo Kalendas Aprilis celebravit: Paschali die, quod erat decimo Kalendas suo sanguine nos redemit.* Quarto ex Ruperto, ibi: *Faciebant Pascha secundum Lunę cursum decimaquarta die: comedebant agnum secundum legis mandatum, & eadem nocte Dominum nostrum comprehenderunt*: ergo, &c. Probo iam de morte in die azymorum. Primo ex Cyrillo Hieros. *Catech.* 13. ibi: *Et convertam solemnitates vestras in luctum: azymis enim hoc agebatur.* Secundo ex Beda, & Anselmo, vbi nuper in probatione antecedenti. Tertio ex Clem. Rom. *lib.* 5. *Constitut. cap.* 14. *alibi* 16. *In ipso die suo festo Dominum comprehenderunt, vt perduceretur ad exitum, quod scriptum est. Posuerunt signa sua signa, & in medio solemnitatis non cognoverunt.* Quarto ex August. *tract.* 50. *in Ioann. Illum diem festum Iudei cruentum habere Domini sanguine voluerunt: illo die festo, occisus est agnus, qui nobis eumdem diem festum suo sanguine consecravit.* Quinto ex Leone supra: *Vt impij Iudei, qui sæviendi in Christum occasiones quæsierant, non nisi in solemnitate Paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem.* Ergo de primo ad vltimum, & constat ex PP. Christum celebrasse Pascha simul tempore cum Iudæis, & mortuum fuisse in

ſolemni die ſequenti prima azymorum.

8 Probatur 3. à ratione, & primo, quoad primam partem concluſionis, ſcilicèt. Quod Chriſtus Dominus agnum Paſchalem cænaverit cum Iudæis Luna 14. Chriſtus Dominus ſemper, licet ſtridentibus in eum Iudæis, ſeu Scribis, & Phariſæis ſemper fuit legis Iudaicæ in ſe obſervator legitimus, qui dixit: *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere, & iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Sed lex *Exod.* 12. 6. præcipiebat eſum agni Paſchalis tali Luna 14. ergo, &c. Maior conſtat, quia erat Summa Iuſtitia, & tamen ſponte legi ſe ſubiecit vt eos, qui ſub lege erant redimeret, non ſecus ac Cæſari ſponte ſe etiam ſubiecit ſolvens tributum. Vnde impeccabilis erat, in quavis lege cui ſe ſubieciſſet, quippè eam prævaricari non poterat. Minor etiam patet. Quia eatenus non cænaviſſet, quatenus ea die mortuus fuiſſet. Atqui ex Scriptura, ex PP. ex traditione conſtat Chriſtum mortuum fuiſſe Luna 15. ergo, &c. *Confirmatur.* Si Chriſtus Dominus vel anticipaſſet, vel Paſcha celebrare omiſiſſet; Phariſæi eum de hoc accuſaſſent. At non fecerunt: ergo, &c. Probo ſecundam partem Chriſtus die immediato ad cænam Iudaicam occiſus eſt. Atqui ex lege erat dies prima azymorum: ergo, &c. Maior conſtat ex Hiſtoria Evangelica, & Canone Miſſæ: *Qui pridie quam pateretur.* Minor conſtat *Exod.* 12. 6. *& ſeqq. Confirmatur.* Quia oportebat primo, vt toti Iudææ, tunc in templum convenienti talis mors innoteſceret. Tùm, quia feſta eorum non erant relinquenda; ſed transferenda in feſtum altius: ergo oportebat in medio ſuo feſto exaltari à terra Sanctum Sanctorum; & vt obſervat Auguſtinus, nova ſolemnitate, & triumpho abrogarentur antiqua: quæ non viderentur abrogari, ſi feſtum vetus, & novum quaſi ſucceſsivè ſe haberent.

9 Obijcies 1. Adverſus eam partem in qua ſuſtinemus Chriſtum feciſſe Paſcha ſuo tempore cum Iudæis. Chriſtus per nos fecit Paſcha, priuſquam in prætorium perduceretur. Sed Iudæi fecerunt poſtea: ergo non fecerunt ſimul. Probatur minor ex textu Ioannis 18. ibi: *Ipſi non introierunt prætorium, ne contraminarentur; ſed vt manducarent Paſcha*: ergo Iudæi poſtea ſuum Paſcha celebraverunt. Confirmatur ex textu Ioan. 19. vbi dicitur: *Erat autem Paraſceve Paſchæ*, loquendo de die mortis Chriſti. Ex quo ſic: Paraſcevè Paſchæ vt conſtat ex interpretatione huius vocis Græcæ eſt *preparatio ad Paſcha*: ergo ſi Chriſtus mortuus eſt in tali Paraſceve: non celebravit Paſcha cum Iudæis. Ad hoc argumentum quod eſt Achiles ſententiæ contrariæ reſpondeo primò, negando minorem ad cuius probationem, diſtinguo conſequens, *ſuum Paſcha*, id eſt, *dies azymorum*, concedo conſequentiam, *Phaſe vel agnum Paſchalem*, nego conſequentiam. Pro qua doctrina venit opportunus Abulenſis, vbi ſuprà, qui cum alijs ait, Paſcha, & azyma promiſcuè vſurpari vnum pro alio ab Evangeliſtis. Quod mihi in eorum contextu, & in eorum ſcopo, & ſtylo, qui debuit eſſe plus vulgo accommodatus, quam præciſionibus legiſperitis, videtur eſſe ſatis clarum: quin ad id obſtet, pro azymis non requiri ex lege aliquam munditiam legalem: nam cum *ex* 1. *Leg.* 21. *& Ioſepho* 3. *Antiquit. cap.* 10. Philone *de Vita Contemplativa in fine*, conſtet azyma putari panes ſanctos, atque legales adinſtar Panum Propoſitionis, atque inter cibos ſacros connumerari; non eſt mirum quod licèt munditia non requireretur ex lege, tamen fuiſſet quadam Eccleſiaſtica Synagogæ conſuetudine inducta; vel ſi mavis à Phariſæis ſuperſtitioſis affectata: æquè enim alterutro ex his modis veritas Evangeliſtæ ſalvabitur. Reſpondeo 2. diſtinguendo idem conſequens, *Paſcha*, id eſt,

agnum Paſchalem, nego conſequentiam: *Victimas Paſchales tunc offerri ſolitas*, Numeror. 28. Deuteron. 16. 2. Paralyp. 30. ex Ioſepho 3. Antiquit. 10. conc. conſeq. Quæ quidem victimæ, & ſacrificia intra dies azymorum *Paſcha* dici conſueverant, & rectè per Sinecdochem *Paſcha* appellantur. Ad quas quidem victimas munditiam requiri deducitur *ex Levitic.* 6. 7. & 22. *Numer.* 18. *Deuteron.* 22. Vtraque ſolutio Suarij eſt, & ſolida; ſed prima D. Thomæ 3. *part. quæſt.* 46. *art.* 9. ad ſecundum, favente Auguſtino *tract.* 114. in Ioannem, Chriſoſt. *homil.* 82. *in Ioan.* Theophilac. *Ioan.* 18. Secunda eſt Abulenſis *part.* 2. defenſorij cum multis aſſeclis recentioribus. Ad confirmationem, nego antecedens, & iam ex notabilibus venit prompta, reſponſio ab origine hebraica vel potius Syriaca, quæ tunc erat vſui: in qua Paraſceve erat dies veneris: & ſic generatim appellabatur ex præparatione ad Sabbatum ſequuturum in quo neque ad victum emere quidquam licebat. Conſtat hæc acceptio, Marc. 15. *Erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbatum.* Luc. 23. *Erat Paraſceve*; & *Sabbatum illuceſcebat*, ex Origen. *hom.* 7. *ex Ioſepho* 16. *Antiquit. cap.* 10. & olim retinuit Eccleſia *Canone* 68. Apoſtolorum; & apud Clementem *lib.* 7. *Conſtitutionum*, *cap* 24. vnde *Paraſceve Paſchæ* nil aliud eſt, quàm *dies veneris Paſchalis*, id eſt, incidens intra Paſcha. Quin obſtet ex Auguſtino quod Paraſceves appelletur cœna pura à Iudæis ex aliquo more ſuo; nam Irenæus *lib.* 5. *cap.* 23. ait: *Paraſceve quæ dicitur cœna pura, ideſt feria ſexta.*

10 Obijcies 2. Contendendo, Chriſtum non mortuum fuiſſe prima die azymorum, vel quod hæc transferebatur in Sabbathum quando luna decimaquarta erat dies Iovis, arguitur ſic. Iudæi procurarunt, ex Ioannis 19. non remanere in cruce corpora Sabbatho, *erat enim magnus dies ille Sabbathi*: ergo Chriſtus non mortuus fuit die prima azymorum. Conſequentia patet primo, quia etiam dies azymorum ſolemniſsima erat vt corpora penderent in cruce. Secundo, quia ille dies Sabbathi non fuiſſet ſpecialiter magnus niſi quatenus in eum prima azymorum ſolemnitas incidiſſet. *Confirmatur*, nam Iudæi de hac re ſemper ſibi cavebant dicentes *non in die feſto ne fortè tumultus fieret in populo*: ergo occiſus non fuit die primo azymorum. Ad hoc argumentum reſpondeo conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, & ad eius primam probationem, nego antecedens cum Abulenſi quia Exod. 12. & 35, & Levit. 33. colligitur quomodo dies Sabbathi in ordine ad aliqua ſacratior erat, quàm ſolemnitas azymorum: & ideo in eo neque quæ ad victum opus erant, neque ignem accendere licebat; ſecus vero in die ſolemni azymorum: quare ait Toſtatus, *cap.* 11. *Sic ergo multa alia fieri poterant in die primo, & ſeptimo azymorum, quæ in Sabbato non licebant; vt punitio publica iudicialis, & cauſarum diſcuſsio, quia non erat feſtum tanctæ reverentiæ ſicut Sabbatum.* Quod reflexione confirmat, nimirum, quod ſi lege impoſsibile eſſet in tali die tale ſupplicium, non fuiſſet ab eis dictum *non in die feſto* dando ſolum pro cauſa tumultum populi. Itaque cum corpora *ex Deuteron.* 21. deponi deberent eodem die ſupplicij, & aliunde Sabbatum ſequeretur, in quo penè nihil agi poterat, inſtiterunt ne in cruce permanerent corpora Sabbato. Atque hinc ad ſecundam probationem dico Sabbatum inter Iudæos ſeorſim ab alio titulo eſſe diem magnum: tùm quia nullus alius tam ex toto ſacer, & Domino conſecratus; tùm quia hæc ſanctificatio veniebat ab exordio mundi quaſi cum lege naturæ, & creationis Vniverſi, quia in eo die Dominus ceſſaverat ab omni opere quod patrarat. Neque propterea circunſtantia quòd eſſet dies 2. azymorum augebat Sabbati dignitatem: quare non dixit Evan-

ge-

geliſta erat magnus *hic* dies Sabbati; *ſed ille*, quia *hoc* pronomen demonſtrat magis genericè, aut ſpecificè; *illud* verò magis individualiter. Vnde quoad Sacerdotes, licèt ipſi putarent ſe contaminatos, ſi exequutores eſſent in cauſa ſanguinis; minimè tamen, ſi pro Deo, & lege, & Patria accuſarent ad mortem, vt ipſi contendebant ſe facere, licèt moverentur rabie, & invidia. Quoad Iudæos vero generatim magis id conſtat in hiſce feſtis non fuiſſe prohibitum, quia *& Ioan. 7. & 10.* eum comprehendere, & lapidare tentarunt. Immo, & *Num. 25.* dicitur etiam de Sabbato: *Tranſgreſſor Sabbati in eodem die lapidatus eſt.* Chriſtum autem tanquam Sabbati tranſgreſſorem habebant. Ad confirmationem vero ex his ſatis patet diem feſtum vitare eos voluiſſe propter timorem tumultus, vt puto, maximè in comprehendendo: tùm quia *dolo tenere* contraponitur ſtrepitoſæ, & publicæ apprehenſioni perſonarum: tùm quia ſequaces alicuius deſperatius pugnant, ne teneatur, quam poſtquam apprehenſus eſt; ne fortè ipſi ei maius damnum creent. Et licèt etiam ipſi nollent tali die feſto occidere; aliter res evenit conſilio divino quod in ijs non otiabatur, vt in Caipha: *Expedit vnum mori pro populo, ne tota gens pereat.* Et conſillo humano: quia poſtquam data occaſione proditionis Iudæ comprehenſus fuit, tutius putarunt, quem putabant blaſphemum, everſorem legis, præſtigiatorem, & multa circumfuſa multitudine forſitam liberandum, citò interficere. Exinde patet etiam ad quemvis ſcrupulum de Ioſepho ab Arimathæa, & pijs mulieribus opera erga ipſum facientibus: erant enim opera pietatis, quæ in ſimili feſto licebant; licèt non licerent in Sabbato. Quare Marcus *cap.. 16.* expreſsè dicit: *Et cum tranſiſſet Sabbatum; Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Quæ verò habentur, *Luc. 23.* conformiter ad hæc per anticipationem debent intelligi. Ex Innocent. 3. *lib. 4. de Myſt. Miſſæ, c. 4.*

11 Obijcies 3. Vel Chriſtus non celebravit Paſcha cum Iudæis, vel non mortuus fuit prima die azymorum: ergo non ſtat concluſio. Antecedens probatur ex textu *Ioan. 13.* vbi dicitur: *Cœna facta à Domino ante diem feſtum Paſchæ.* Ex quo ſic: vel Ioannes ibi voluit ſignare tempus cœnæ legalis; vel vt vult Maldonatus, referre ſigna amoris exhibita Diſcipulis ſuis in lotione pedum, & exhibitionis corporis, & ſanguinis ſui. Sed ſi primum Chriſtus non celebravit Paſcha cum Iudæis; ſi ſecundum, non mortuus fuit die prima azymorum: ergo, &c. Minor patet quoad primum, quia cœnare agnum ante diem feſtum Paſchæ, eſt feſtum Paſchæ privatim prævenire. Quoad ſecundum etiam conſtat: quia cum illa duo poſt cœnam legalem facta fuiſſent; & dies Hebræorum à Solis occaſu inciperet, ac proinde in illis duobus iam iret multa nox; ſequitur, quòd ea, quæ fiebant ante diem feſtum Paſchæ fiebant in die mortis Domini. Sed ſi dies mortis Domini erat ante diem feſtum Paſchæ, poſt quod veniebat prima dies azymorum, Chriſtus non mortuus fuit in ea: ergo, &c. *Confirmatur.* Ibidem apud Ioannem *verſ. 29.* dicente Iudæ Chriſto *quod facis fac citius* Diſcipuli exiſtimarunt id eſſe vt emeret ea, quæ ad feſtum Paſchæ neceſſaria erant: ergo quia poſt cœnam ſequebatur dies, in quo liceret talia emere; proindeque non feſtus: ergo iam intra ipſum diem mortis Chriſti, & præceſſerat huius cœna legalis, & aliud Paſcha erat ſubſequuturum: ergo vel Chriſtus non celebravit Paſcha cum Iudæis; vel non mortuus fuit die prima azymorum. Ad hoc argumentum, reſpondeo negando antecedens, & ad dilemma probationis dico, Ioannem per illa verba *ante diem feſtum Paſchæ* totum voluiſſe ſignare, ſcilicèt, cœnam legalem, & Euchariſ-

risticam, & lotionem pedum dicendo, id eveniſſe *ante diem feſtum Paſchę* non naturalem, ſed artificialem prout nimirum computari ſolet ab ortu lucis vſque ad occaſum, id eſt, ante diurnum tempus diei primæ azimorum, qui dies vt notavimus *Paſcha* etiam vocatur. In quo mirum eſt vſurpationem diei artificialis viſam eſſe noſtro Maldonato inuſitatam; præſertim hic, vbi cum ſermo totus eſſet de ijs, quæ acciderunt tempore nocturno, nihil erat proclivius quam vt eſſet diurnum illud, quod immediatè poſt dicebatur ſubſequuturum: & ita ſentit Suarez *ſect.* 3. ex quibus ſtatim diluitur argumentum, nam illa omnia, quæ narrantur à Ioanne verè dicuntur accidiſſe *ante diem feſtum Paſchę*, licet aliqua contingerint in horis nocturnis eiuſdem diei: quia dies ſtat pro luce ex ore Dei, *& lucem appellavit diem, & tenebras noctem.* Ad confirmationem reſpondetur, quod illic dies feſtus non dicitur Paſchæ, vnde melius poteſt intelligi fuiſſe diem primum azymorum illum, pro quo neceſſaria emenda eſſe Diſcipuli iudicarunt. Quæ autem illa fuiſſent? credi poteſt, fuiſſe neceſſaria ad victum, quia licet ea in tali feſto licerent; nihilominus confluentium futura die concurſus emptorum prudentem iudicari ſinebat à Diſcipulis talem prævention.

12 Ad calcem huius quæſtionis rogabis quomodo Chriſtus, quoad omnes apices legem implevit ſi hæc iubebat in die decima agnum præparare, & Chriſtus Dominus proximè ante Paſcha venit Ieruſalem? Reſpondetur primo ex Abulenſi *Exod.* 12. eum ritum ſolum fuiſſe pro ea nocte: nuſpiam enim alibi vbi lex agni repetitur, memoratur: quippè in ea nocte proficiſcendi neceſsitas eos prius paratos poſtulabat. Secundo ex Claudio repetitione prima de Euchariſtia, & colligitur ex Ioſepho *lib. 7. de Bello Iudaico, cap.* 17. Per illos dies ante Paſcha fiebat maximus apparatus Ieroſolymis, tùm gregium, tùm cœnaculorum, vt hoſpites eo confluentes, & oportune agnos ementes, Paſcha commode celebrarent: quare nulla præparandi agni, aut lex, aut neceſsitas iam vrgebat.

*

JHS.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

ET AGEBATVR A SPIRITV QVADRAGINTA DIEBVS, & tentabatur à Satana. *Lucæ* 4.

ARTICULUS.

VTRVM CHRISTVS DOMINVS TER, AN PLVRIES à diabolo tentatus fuerit?

1 Uppono 1. Omnia illa, quæ noſtræ infirmitatis propria eſſe videntur, Dominum diuina ſui diſpenſatione ſubijſſe, ac voluntate plena ſua fuiſſe peracta: vnde cum veniret, nedum triumphaturus, & præliaturus; ſed inſtructurus etiam ſuos milites, vt cum hoſte ſcirent congredi, atque triumphare; in ſemetipſo etiam tentari voluit: oſtendens, *qui non eſt tentatus quid ſcit?* Vnde dixit Paulus *ad Hebr. 5. Habemus Pontificem tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Voluit ergo tentari per ſimilitudinem, id eſt, per *humanitatem*, quæ imago eſt Dei, & ſimilitudo noſtri; *abſque peccato* tamen ſibi ſervans altiſsimam innocentiam. Tentatio ergo, vel ad peccandum dicitur, vel ad explorandum: atque hic diabolus, & tentavit, & intentavit: tentatio enim erat quaſi medium ad eius intentum ſuper re, in qua multum diſcruciabatur: quare præcipuum eius intentum erat, indagare *num Chriſtus eſſet verè Filius Dei?* Idque rimari, vel ex poteſtate ſua, vel ex impeccabilitate, vel ex adoratione: ſi enim, aut non poſſet, aut male vellet, aut alium adoraret; profecto Filius Dei non eſſet. Quamobrem in his tentationibus Domini puto eſſe ſpecialius, & ſecretius philoſophandum, quàm in tentationibus quibus diabolus ſolet iuſtos circumvenire: tùm quia talis tentatio magis erat exploratio, quàm ad peccatum inductio: videbat enim, ſi reapſe Deus eſſet, conamina peccati fore fruſtranea: & cum ex ijs, quæ diximus tractatu de Incarnatione, diabolus viſis in Chriſto rebus imis, & ſummis, nutaret plurimum; & ſolum fulguratim, & intercadenter ſuſpicaretur eum eſſe Deum ex illo Auguſtini: *Chriſtus tantum innotuit dæmonibus quantum voluit, & tantum voluit, quantum oportuit*; cruciabatur curioſiſsimus Satanas huius ignorantiæ dira tortura. Tùm quia ſuſpicans iam veniſſe in arenam eum, contra quem auſus eſt etiam in Cœlo bellum indicere; ttahendus erat congreſſus non ad illa tentamenta ſenſibilia, & communia, quibus imbellis natura humana ſæpè ſuccumbit; ſed veniendum erat ad ſpicula, & iacula altiora, ſcilicèt, de poteſtate miraculorum, de miniſ-

niſterio Angelorum, de dominio totius vniverſi, & de primo adorando: hæc enim erant capita principialiora, quæ certamen illud, & explorationem poſſent dirimere. Quo circa licèt communiter, & meritò dicant Sancti PP. Chriſtum fuiſſe tentatum de gula, dein de ſuperbia; poſtremoque de avaritia, & ambitione; hæc vera ſunt loquendo de materia, in qua intentum diaboli verſabatur, vt Suarius ſatis obſervat *diſp.* 29. *ſec.* 4. Satanas enim per comeſtionem pruriente eſurie, per proiectionem, paratis manibus Angelorum, per dominatum oſtenſo orbe; ſecretiora illa, quæ nuper diximus de *Scripturis poteſtate*, *dominio*, *& adoratione* explorare intendebat. De quibus omnibus pro articulo noſtri quæſiti non modica lux affulgebit.

2 Suppono 2. Pro rei expeditione præ oculis haberi debere modum, quo Chriſtus tentari potuit, antequàm veniamus ad textus quibus ſe explicant Evangeliſtæ. Et ex ſuperiori doctrina ſatis componitur quod ex vna parte ait P. Bernal *diſput.* 4. *de Incarnat.* ſcilicèt Chriſtum ſolum potuiſſe explorari; non verò tentari, quia impeccabilem; & quod ex altera inquit Lugo nempe licèt impeccabilem, tentari potuiſſe, quatenus propoſitio de malo de ſe tendens ad ruinam tentatio eſt. Nam revera vtrumque componitur: quod nimirum ſolùm diabolus conaretur ſcire: *An eſſet Filius Dei, & impeccabilis?* Nam ſemel ita cognitus ab eo, tentari non poſſet, niſi fatuè, vt oleum, & operam perderet. In quo ſenſu verum dicit Bernal. Cæterum perſona impeccabilis, vel ab intrinſeco vt Chriſtus, vel ab extrinſeco, vt confirmati in gratia, qui infallibiliter non ſunt peccaturi, poſſunt prudenter tentari ab ijs, qui impeccabilitatem talem ignorant, vt tunc in Chriſto ab eo ignorata ſupponitur: quia tunc tentatio profutura eſt ex parte tentantis, vel vt tentatus ſuccumbat, ſi peccare poteſt; vel vt probetur, ſi peccare non poteſt: & ex parte tentati: quia eiuſmodi impeccabilitas non tollit meritum, cui tentatio poterit deſervire. Modus verò quo Chriſtus tentari potuit in confeſſo eſt apud Theologos ex Damaſceno *lib.* 3. *de Fide cap.* 20. & ex Gregorio *homil.* 16. *in Evang.* ſcilicèt quatenus ſolum poterat externè tentari, non verò internè: pro cuius explicatione nonnulla dedimus, *tom.* 1. *Decade* 4. *quæſt.* 8. quæ hic poterunt deſervire. Igitur interna tentatio in eo ſtaret, quòd dæmon, veluti nobiſcum fecit poſt, & propter peccatum originale teſte Suarez *lib.* 4. *de Opere Sex dierum*, *cap.* 1. ſæpè, cum ipſe vellet, immitteret in phantaſiam Chriſti malas imaginationes, quas vellet, eas phantaſia cum internis ſenſibus confovente. Quod quidem longe aberat à Chriſto D. in quo nedum deficiebat fomes ad malum; ſed aderat plenus fomes ad bonum; & tanta ſubiectio ſenſus ad rationem, vt hanc ille flectere non poſſet; & hæc illum ſubiectum haberet, atque hoſtibus intercluſum. Poterat ergo Chriſtus à dæmone ſolùm externe tentari, quatenùs ſuaſivo ſermone, vel propoſitione externa obiecti viſibilis de ſe ad malum allicientis, quaſi extrinſecus pulſaretur ad malum, neque tàm purè extrinſecus, vt ſenſus internus non ſuo munere fungeretur, eliciendo videlicet obiecti propoſiti ſenſationem internam: quæ tamen tentatio interna non foret, quia licèt internè ſentiretur obiectum, & gauderet hæc ſenſatio ſua debita vi proponendi obiectum perceptum; non tamen vim appetitivam, & longe minus rationem reddere vllatenus incompoſitã. Atque ſub hoc eodem tenore, vt notavit Lugo, ſenſus eius externus obiectum exterius, quantumvis inhoneſtè propoſitum, omninò compoſitus perſentiret.

3 Suppono 3. Textus Evangeliſtarum de tentationibus Domini loquutos eſſe huiuſcemodi. Primus eſt

Math.

Math. 4. *Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo: & cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esurijt: Et accedens tentator dixit ei: si filius Dei es, die, vt lapides isti panes fiant: qui respondens dixit. Scriptum est: non in solo pane vivit homo; sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in Sanctam Civitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi; & dixit ei: si Filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim: quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te; ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus rursum: scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tunc dixit ei Iesus. Vade Satana: scriptum est enim. Dominum tuum adorabis, & illi soli servies.* Secundus textus est *Marci* 1. & tertius *Luc.* 4. Quos tamen, ne nimis gravetur hæc suppositio, hinc resecamus, verba, quæ oportuerit, interea daturi, quousque in sequenti dentur ad litteram, vt collatio fieri possit. Verum circa textum superiorem cui magis adligamur; perplacuit adnotare id, quod observatum non video, scilicèt, Christum D. tam alta sapientia respondisse, vt nedum dœmonis curiositatem magis pendulam reliquisset; sed insuper in singulis responsionibus manifestasset, se esse Filium Dei ab ipso vt tali cognoscendum, & adorandum. In 1: nam quasi dixit. *Licèt quadraginta dies sine pane transegi, verbum Dei, quod mecum est, vel ipse sum, de ore Dei procedens, me aluit.* In 2: quia dixit: *Non tentabis Dominum Deum tuum,* in quo non solum dixit: *Propterea ego non debeo tentare Dominum.* Sed etiam: *Non tentabis tu me, qui sum Dominus Deus tuus.* In tertia similiter, dum dicit scriptum est *Deum tuum adorabis*, plus ea verba oportunè in diabolum regerit, quàm de se vsurpat. Præter quæ circa vltimam tentationem dissident AA. apud Siurium: num videlicèt ea etiam ad explorandam divinitatem fuisset? Vbi licet neget Abulensis, tamen eo cum affirmantibus. Quia in ea diabolus dicere non poterat *si Filius Dei es, hæc omnia tibi dabo, & cadens adoraveris me*; hæc enim esset stultitia in terminis (fuit verò tentatio secreta de divinitate per adorationem.) Qui enim Deus est; & Dominus omnium est, & alium à se adorare non potest. Quærimus ergo: *An præter has claras, & explicitas tentationes, alias à diabolo sustinuerit Christus Dominus?*

4 His positis duplex in hac re datur sententia prima asserit Christum Dominum pluries tentatum fuisse. Hanc tenent multi Authores satis Nobiles, vt sunt Origenes *hom. 29. in Lucam.* Beda *Marci* 1. Euthymius *Math.* 4. Eusebius *lib.* 9. *de Demonstratione Evangel. cap.* 7. Arias Montanus *Luc.* 4. Cornelius Iansenius Gandav. *cap.* 15. *Concordiæ.* Franciscus Lucas Brugensis *Marc.* 1. Ioannes Maldonat. *Math.* 4. Et probabilem videntur habere hanc sententiam D. Thom. hic *art.* 3. *ad* 2. Caietanus, apud & cum Suario *tom.* 2. *in* 3. *prrt. disp.* 29. *sect.* 3. Secunda sententia per oppositum asserit non plures quam tres in Evangelio relatas Christum à dœmone tentationes tulisse. Quam defendunt Abulensis *Math.* 4. *quæst.* 21. Eximius Doctor P. Suarez vbi supra, Dionysius Carthusianus *Luc.* 4. Sebastianus Barradas *lib.* 2. *tom.* 2. *cap.* 6. Card. Toletus *Luc.* 4. *Annotat.* 24. P. Iacobus Granado *in* 3. *part. quæst.* 41. *in Commentario, num.* 6. Cornelius à Lapide *Math.* 4. *vers.* 1. Illust. Siurius *tom.* 1. *tract.* 25. *cap.* 5. Æstius *Math.* 4.

5 Dico igitur: *Christum Dominum nullas alias passum fuisse tentationes, quàm quæ referuntur ab Evangelistis.* Probatur primo conclusio authoritate Sanctorum PP. scilicèt, Ignatij, Hilarij, Hieronymi, Chrysostomi, Ambrosij, Cypriani aliorumque PP. aien-

tium

tium diabolum non incœpiſſe tentare Dominum Ieſum niſi poſtquàm eum viderat eſurire. Sed poſtquàm eſurijt, tres illas tantum diaboli tentationes perpeſſus eſt: ergo pluries tentatus non fuit. Maior conſtat ex prædictis PP. apud Siurium qui videri poſſunt ſuis locis præſertim ſuper *Math.* & *Luc.* vbi addit Ambroſius in eis tentationibus omnes reliquas contineri, per hæc verba, *niſi in tribus præmiſſis eſſet omnis cauſa delictorum: quia cauſæ tentationum ſunt cauſæ cupiditatis, ſcilicèt carnis delectatio, ſpes gloriæ, & aviditas potentiæ.* Probatur ſecundo eadem concluſio ex tenore Evangelicæ narrationis. Eatenus Chriſtus D. alias præter relatas tentationes ſubijſſet; quatenus eas habuiſſet in iuventute, vel in deſerto, ieiunio durante; ſed antequam ieiunium finitum eſt, nullas habuit: ergo nullas alias abſolutè habuit. Maior eſt adverſariorum: quia pro eo tempore præſertim arguunt alias tentationes intercurriſſe. Probatur minor. Iam finito ieiunio poſtquam Chriſtus eſurijt, ſubiungit textus hæc verba, *& accedens tentator dixit ei*, &c. Sed id ſatis clarè innuit tentatorem antea non acceſiſſe: ergo toto eo tempore nullas habuit. Minor patet. Quia ſi tentator antea acceſiſſet; modo non diceretur *accedere*; imò, eum modo acceſiſſe ad tentandum probat ipſum antea à tentando longè extitiſſe, & valde diſtantem, ſivè ex ignorantia, aut reverentia perſonæ, ſivè ex conſideratione tam prodigioſi ieiunij. Probatur tertio concluſio quoties in Hiſtoria Evangelica occurrit factum Chriſti D. quod reſpectu noſtri eſt magni momenti, ac plurimum doctrinale; & reſpectu ſuæ altiſsimæ, & divinę perſonæ eſt valde arduum, & quod vix credi poteſt niſi ex ſua ineffabili dignatione, & ſancta fide, in captivitatem redigente intellectum; debemus in ea re neque aliquid plus, neque minus aſſerere, quam quod Evangelium enarrat. Sed Hiſtoria Evangelica nullas alias tentationes præter tres ſupra relatas Chriſtum ſuſtinuiſſe recenſet: ergo nullas alias perpeſſus fuit. Maior conſtat ex munere Catholici interpretis, qui magis fidit Sacræ paginæ quam ingenio. Minor conſtat ex Evangelijs, & conſequentia itidem conſtat: quia Chriſtum D. verum Deum, & hominem ſic à diabolo trahi, & tractari, eſt vnum ex ijs, quæ ſolùm pro nobis agere potuit eius mira dignatio; & quod nos cum mentis ſtupore, firma debemus fide credere, & confiteri. Vrgetur hæc probatio: quia Doctiſsimus Maldonatus qui pro adverſarijs ſtat concludit dicens: *Quod non pro vero, ſed pro vero ſimili habendum*, vbi apertè dicit, ſolùm poſſe in oppoſitum noſtræ ſententiæ ſtare coniecturas: quibus ſemper prævalet littera, præſertim quando eſt diffinitio clara, & res tangitur exprofeſſo.

6 Obijcies primo contra hanc concluſionem. Ipſa littera textus ſi omnino diſpicitur, & concordatur, vt debet; plures tentationes in Chriſto fuiſſe demonſtrat: ergo ita tenendum eſt. Probatur antecedens. Conſtat ex littera, Chriſtum durante ieiunio fuiſſe tentatum: ſed tres illæ relatæ evenerunt poſteà, quando iam eſurijt: ergo, &c. Antecedens patet, tùm *Marc.* 1. *verſ.* 13. ibi: *Et erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana.* Tùm *Luc.* 4. *verſ.* 2. ibi: *Agebatur à ſpiritu in deſertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo.* Sed ex hac littera planè conſtat, tempus quo Chriſtus tentatus fuit, quadraginta illos dies fuiſſe, quibus ieiunavit: ergo, &c. Confirmatur. Quia ſic videntur PP. ſentire ſcilicèt Origenes, *Luc.* 4. *Tentatur autem Ieſus à diabolo quadraginta diebus. Quę autem fuerint tentamenta neſcimus. Quæ ideo forſitan prætermiſſa ſunt, quia maiora erant quam vt litteris crederentur.* Beda item dicit, quòd Dominus tentatus eſt quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Quod intelligit de inviſibilibus præter illas tres manifeſtas dæmo-

nis. D. Thomas 3. *part. quæst.* 41. *art.* 3. *ad* 2. *Sed magis dicendum est, quòd mille aliæ tentationes fuerint præter illas tres, quas Mathæus hic scripsit, & Luc.* 4. ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo negando antecedens, & maiorem probationis, & huius etiam minorem, & consequentiam: quia D. Marcus qui est abbreviator Mathæi eodem sensu, quo Mathæus tentationes retulerat, ipse recensuit per illud verbum præteriti imperfecti, *& tentabatur à Satana*; quin per id plus dixisset, quàm quòd tentatus est: cuius temporis vsurpationem sub hac forma iam in eo obseruavit Tostatus: quare idem valet ac si dixisset, *& fuit in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentatus fuit*, scilicèt iam finitis. Cuius ratio est, quia continuatè dicit similiter, *& Angeli ministrabant ei*: quod esse non potuit intra illos quadraginta dies, in quibus ex D. Luca nihil comedit omninò. Atque itidem ad textum D. Lucæ respondendum est: in cuius versione Græca siue originali res est magis clara, licèt aduersarij inde plus obijciant. Quia ly *& tentabatur* correspondet participio *tentatus*; participium autem, & non consignificat tempus determinatum, & licèt iungatur cum illo, quod alteri verbo alligatum est, non necessario per illud limitari debebit. Præsertim si alibi in Euangelijs detur idem factum omninò particulatim distinctum, vti per ly *tunc postea, &c.* Mathæus illud explicuit. Ad confirmationem, respondeo eos PP. propter textus id asseruisse; sed in primis Origenes (ex Suario) eam ponderationem non fundat; atque insuper à Tostato vbertim illa conteritur. Deinde si Beda, & D. Thomas in coniecturas nobis oppositas inciderunt; audi Chrysostomum in Mathæum: *Quia diabolus videns per quadraginta dies ieiunantem desperaverat; postquam esurientem sensit, iterum sperare cœpit.* Item Basilium de ieiunio, ibi: *Dominus per quadraginta intentatus mansit.* Quare non est cur eo capite authoritatis claudicare videatur nostra sententia: *An vero illæ tres tentationes celebres acciderint intra quadragenarium dierum numerum?* D. Siuri non reputat improbabile. Ego vero ex Historia Euangelica à Patribus exposita potius sentio omninò posteà accidisse; nam priuatæ reuelationes, quibus D. Siuri mouetur, licet alioqui in pretio habeantur propter personam; nihilominus pro disputatione Magistrali Theologica pondus non habent. Atque idcircò cuncta oportuniora veniunt ad textum, scilicèt, prius ieiunium, posteà esuries, deinde ministratio Angelorum.

7 Obijcies 2. Tùm ex D. Thoma supra, tùm ex Christiano Druthmaro. Inverisimile est, quòd toto tempore ante, & in ipso deserto diabolus non mille machinis moverit, atque omnes artes suas exercuerit, vt Christum Dominum à sanctitate vitæ deturbaret. Ergo plures alias tentationes passus est. Probo anteced. incredibile prorsus est, quòd ea omnia non fecerit diabolus in eum, quem videbat sibi magis infensum, & volebat sibi penitus subijcere, quæ cumulate præstitit, & præstare adhuc pergit contra viros, qui sectantur iustitiam, & sanctitatem. Sed contra hos mille machinas movet, mille legiones immittit, & nunquam cessat impugnare, vt norunt mystici: & aliunde observabat in Christo genus vitæ præ omnibus longè præexcelsum: ergo, &c. *Confirmatur* 1. Christus degens inter mortales, vbi passim abundat iniquitas, non poterat sæpè non versari inter illecebras carnis, & mundi, saltèm visas, vel auditas. Sed in his non otiaretur diabolus, vt stimulum quem posset adnecteret: ergo, &c. *Confirmatur* 2. Ex Paulo *ad Hebr.* 5. vbi dicitur: *Nos in Christo habere Pontificem tentatum per omnia*, vt nobis sit in exemplum: ergo nedum à dœmone; sed à carne, & mundo, & nedum in tribus illis rebus tentatus est; sed vel in omni genere, vel in plurimis.

mis. Ad hoc argumentum, respond. negando antecedens, ad cuius probationem, nego maiorem, quæ prima fronte apparet esse clarissima. Vel etiam distingui posset sic, *si dæmon haberet parem potestatem respectu vtriusque*, concedo maiorem, si secus, nego maiorem; nam, veluti si quis longè maiori odio prosequeretur inimicum suum existentem, v.g. super Olympum, quàm alios circum se habitos; tamen in illum non ea moliretur, quæ in nos posset statim moliri; imò, & si quæ spicula iaceret in Olympum, frustrata recidererent; ita discurrendum est in tentando Christum, & homines. Hi enim propter ruinam peccati originalis, nedum habent domum suam ruinosam, & hostibus vndequaque patentem, atque ab eis semper obsessam; sed etiam inter se alunt contra se fœderatos insidiatores: cui statui, nisi Dei gratia opem ferret, in promptu esset ruina: quamobrem dœmon plus minusvè cum hominibus belligeratur, prout maior, vel minor est Dei gratia, & cooperatio nostra, vnde & verum est, quòd viros iustos, & sanctitatis cultores impugnat ardentius, convocando sibi omnes suos fœderatos ad pugnam.

8 At hæc omnia irrita ipsi fuerunt in Christo ad quem sua iacula non pertingebant: quippè qui solum poterat tentari suggestione, quæ tentatio extrinseca est; non verò delectatione sensitivæ facultatis circa illecebras carnis, & mundi proponentium inordinatè obiectum aliquod delectabile: in quo Christus non poterat sentire aliquam delectationem inordinatam adhuc levissimam, & indeliberatam veluti nos etiam, quin consentiamus, solemus persentiscere. Vide Div. Greg. *hom. 16. in Evang.* Cuius ratio à priori est, quia in Christo dabatur potius fomes ad bonum: quare ipsi nil de tota sphæra sensibilium obiectorum, vel in visu, vel in tactu, vel in auditu, vel in olfactu, & gustu, & multo melius in potentijs internis, poterat placere, & arridere, nisi quod esset perfectissimè moderatum: ita vt si per apicem immoderatio appareret, illico displiceret plurimum, & tentare etiam levissimè nequaquam posset. Et multo minus quasi proponendo moderatum, quod in se tale non esset, vt sæpè id nobis per ignorantiam obrepit; quia respectu infinitæ sapientiæ id erat plane impossibile. Ex qua doctrina, quam de more suæ profunditatis versat Tostatus infert sequentia verba, quæ mihi perplacent plurimum: *Et sic etiam secundum humanitatem nullus labor erat Christo sustinere tentationes dæmonis. Ideò nullus actus erat, qui minus Christo conveniret, quàm tentari à dæmone; cum in hoc erat minus locus merendi ex conditione actus: Nam cum Christus aliàs ieiunabat (more communi) iter agebat, iniurias sustinebat, & verbera, & cætera humana incomoda, & paupertatem, & abiectionem; affligebatur in ijs secundum humanitatem, & ideò erat magnus locus merendi. In tentatione autem dæmonis non affligebatur, vt dictum est. Ideò istos actus (scilicèt, supra relatos) Christus propter se ipsos frequentabat, etiam nulla alia speciali causa existente, & etiam si non pertineret ad exemplum vitæ nostræ. Tentatio autem non erat laboriosa: ideò erat Christo supervacuum illa bella sustinere nisi propter aliquam causam specialem, vtpotè propter instructionem nostram: & tunc sustineret, quòd illa scripta fuissent, quia aliàs periret totus fructus eius; cum Christus propter solam instructionem sustinuisset; & nos instrui non possemus, quia non esset scripta.* Hactenus ille, vbi mirificè exponit, neque à dœmone, Christum pati potuisse alias tentationes præter relatas valdè consonè ad superiora, quæ dedimus. Cum enim dœmon, nisi medio mundo, & carne homines tentare non possit, quippè etiam ad tentationes spirituales oportet in hoc statu præhaberi phantasmata; sequitur, quòd, quantumcumque Christi humanitas in medijs illecebris, & malis suasionibus versaretur; neque

in

in vno apice tentaretur intrinsecùs: cum omnia speculativè displicerent; eo quod inordinata esse cognoscerentur; & practicè nihil titillarent humanitatem semper ad recta proclivem.

9 Ex quibus omnibus complanatur tota argumenti substructio: patuit enim exinde, cur dœmon tantoperè iustos tentet; & Christum ita tentare non posit. Vnde etiam ad primam confirmationem sit etiam clarum respectu Christi non potuisse illebras carnis, & mundi tentamenta componere. Ad secundam confirmationem, respondeo textum Pauli semper verum esse, licèt dœmon nullas præter relatas egerit tentationes in Christum: siquidem ly *tentatum per omnia* potius dicit omnia humana incommoda sustinuisse, & tentamenta virtutum iuxta eas mensuras, iuxta quas ea pati voluit: & prout pati voluit ita scripta reliquit, scilicèt de paupertate, abiectione, opprobrijs, itinere, famè, & siti, doloribus, & morte violenta, quæ omnia sunt quæ oportebant, vt nobis Christus in similibus compatiatur. Quod autem in omni genere mali tentationem subijsset, in primis non oportuit: tùm à priori propter dicta: tùm à posteriori quia Deus non ita disposuit. Deinde si tentavit cum omnibus regnis totius mundi, in quibus est omnis fastus, omnes opes, omnisque voluptas; quid amplius velis? Ita Ambrosius suprà. Sed replicabis solidè: ergo diabolus novit Christum esse Deum: si quidem noscebat, eum à se tentari non posse. Respondeo certa notitia, nego consequentiam, suspicione vehementi, sed valde nutante, concedo consequentiam. Itaque primo dici potest iuxta dicta ad tractatum de Incarnatione, dœmonem hoc viro, & hoc negotio ab initio fuisse valde vexarum: cum enim Deo non illuminante arcana prophetica de Messia non intelligeret, licèt corticem legeret; id circo inter innocentiam stupore plenissimam, simul cum miraculis; & inter abiectissima, & humanitùs infirma, quibus eum virum subesse intuebatur; vehementer torquebatur anceps, & dubius ita vt omnes species hinc inde ab eo compositæ numquam certam huiusmodi notitiam parerent. Deinde ex Historia Iob potest responderi. 2. Tentationes à Deo ordinari; atque in hominibus saltem aliquibus posse ita disponi, vt dœmon eos tentandi licentiam non habeat, nisi quatenus ipsi de sua imbecilitate maiorem, vel minorem tentandi licentiam parent; quando vero ianua ad tentandum nullatenus aperitur, dœmon tentare non potest, nisi ad iussa Dei; vt in Christo vel in sanctis multiplici tentatione concussis.

10 Obijcies 3. Ex D. Luca constat quod consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. Sed id clarè denotat iterum forè tentandum: ergo pluries quam relatas tentationes subsstinuit. Resp. negando, vel distinguendo minorem tentandum id est *probandum per Iudæos Christum occisuros tempore suo*, conc. min. *tentandum iterum à dœmone ipso immediatè agente*, neg. min. & consequentiam. Itaque ly *vsque ad tempus* potest valde commodè intelligi de tempore passionis, de quo Christus sæpè *tempus meum nondum advenit, vel nondum venit hora mea*: quia dœmon non poterat, non se immiscere in tanto scelere, & cumulo iniquitatis, quæ in passione Domini contigerunt. Quare videtur dicere Evangelista, diabolum hos lapides, quos modo collegit, plenum rabie servasse ad tempus, id est ad eos iaciendos tempore passionis, iam explorando *si Filius Dei est descendat de Cruce*: *liberet eum quoniam vult eum*: Item *prophetiza quis est, qui te percussit*; iam verberando, & crucifigendo, vt tandem eum, quem nosse, & constituere non poterat, interficeret; & sic ille infœlix per eandem viam, qua putaverat vincere, vinceretur. Atque huc faciunt

ciunt illa verba Christi ad cohortem: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Iam enim tempus accesserat, in quo dœmoni ex divina dispensatione permissum erat per suos abripi, furere, debacchari, & occidere.

11 Obijcies 4. Cum replica ante hanc horam tentavit ille Dominum cum pavore, & tristitia, quæ tentatio pessima est. Ergo poterat tentare pluries. Anteced. constat ex textu: *Cœpit pavere, & tædere, & contristari, & mœstus esse*, vbi repetitæ voces, & Angeli confortatio videntur innuere profunditatem tentationis. Confirmatur ex Euthymio super Mathæum aiente diabolum tentavisse Dominum per somnium, & ignaviam, & teporem: ergo, &c. Ad hoc respondeti potest primo: quod si hæc tentatio fuit; in primis non erat à diabolo, præsertim immediatè; sed ab ipso rerum eventu, & infirmitate humana tunc, Deo sic iubente, sibi relicta, vt in agonia altissimè oraret, & mereretur, & hoc solum modo sanè admittetur Euthymius, qui à Suario non probatur: ex quo patet ad confirmationem. Vnde voluit Deus Christum potius in irascibili tentari ad patiendum; non in concupiscibili: quod non erat doctrinæ. Deinde hæc scripta est in textu: neque de ijs, quæ in textu sunt quæstio movetur. Resp. secundo, illam minimè, neque mediatè, neque immediatè fuisse diaboli tentationem, quippè qui non se immiscuit hic; sed vt nuper tetigi, voluit Deus gloriam animæ ad eius portionem superiorem retractam (hoc explicamus ad tract. de Incarnatione) & inferiorem relinqui talibus humanis speciebus, & passionibus, seu molestijs physicis dolendi, tristandi, &c. ad meritum, & doctrinam. Et propterea ex eadem divina providentia Angelus apparens officiosus esse potuit, confortationem aliquam extrinsecùs præstando humanitati, ita mysteriosè relictæ: licet enim virtus divinitatis, si adesset prorsus explicita, & extensa, non posset ab aliquo confortari; tamen, retracta paulisper sursùm hac virtute, locus Angelico remanebat officio. Non secus ac eadem virtute, & divinitate fonte totius vitæ nutriri potuit Dominus postquam esurijt; & tamen Angeli ministrabant. Quæ ministeria multum deserviebant, tùm vt discipulis commendaretur persona Migistri, & veritas doctrinæ; tùm vt amor Æterni Patris in Filium quoad nos etiam commendaretur. Passus ergo est demum Christus Dominus propter nos illas tres à diabolo tentationes, sed vt tetigimus, fuit per omnia tentatus. Quia in potentijs, & sensibus plura sustinuit, scilicèt, in mente notionem Iudæorum errantium, & omnium errorum nostrorum: in voluntate ingratitudinem mundi, quem venerat redempturus; in memoria opprobria exprobrantium, quæ cecidetunt super se. In imaginatricè angores, tristitiam, & terrores mortis. In auditu blasphemias, in visu subsannationes, & risus, in gustu fel, & acetum, in odoratu atrium Pilati, & plebeculam, ac milites infimos eum velantem atque sputa fætida. In tactu denique verbera, vulnera, & crucifixionem. Quæ omnia vtinam faxit ille amor, qui fecit, vt in nobis, & præsertim in me longius indigno, irrita non sint, sed præter vberrimam redemptionem, finalem æternæ felicitatis consequantur effectum. Amen.

***

JHS.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

TVNC ASSVMPSIT EVM DIABOLVS IN SANCTAM Civitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi. *Matthæi* 4.

ARTICULUS.

VTRUM CHRISTUS DOMINUS OPE DOEMONIS, AN greſsibus ſuis portatus fuerit in Civitatem, & Montem?

1 Uppono 1. Textus Evangelicos tàm D. Marci, quàm D. Lucæ circa Domini tentationes. Primus igitur, cap. 1. v. 13. ait: *Et erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur à Satana, eratque cum beſtijs, & Angeli miniſtrabant illi.* Secundus vero prolixior ſic ſe habet, cap. 4. v. 1. *Ieſus autem plenus Spiritu S. regreſſus eſt à Iordane: & agebatur à Spiritu in deſertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducavit diebus illis: & conſummatis illis, eſurijt. Dixit autem illi diabolus ſi Filius Dei es; dic lapidi huic, vt panis fiat; reſpondit ad illum Ieſus. Scriptum eſt: quia non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo Dei. Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi. Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt: & cui volo do illa. Tu ergo ſi adoraveris coram me, erunt tua omnia. Et reſpondens Ieſus dixit illi. Scriptum eſt Dominum Deum tuum adoraveris, & illi ſoli ſervies. Et duxit illum in Ieruſalem, & ſtatuit eum ſupra pinnam Templi, & dixit illi: ſi Filius Dei es; mitte te hinc deorſum. Scriptum eſt enim, quod Angelis ſuis mandavit de te, vt conſervent te, & quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Et reſpondens Ieſus ait illi. Dictum eſt: non tentabis Dominum Deum tuum: & conſummata omni tentatione receſsit ab illo, uſque ad tempus. Et regreſſus eſt Ieſus in virtute ſpiritus in Galileam; & fama exijt per univerſam regionem de illo.* Circa quos textus plura in quæſtione ſuperiori iam dedimus; & nonnulla etiam hic diluta dabimus vt ſe mutuo colluſtrent, dum articulum diſputamus præfixum in fronte quæſtionis.

2 Suppono 2. Aliquam diſcrepantiam animadverti in Luca cum Mathæo in ordine duarum tentationum poſteriorum: & licèt Ambroſius, & Faber ex Græcis codicibus Lucam ponant referentem ſicut Mathæum; & è contra alij ſtent pro ordine Lucæ; nihi-

nihilominus in Mathæo ipſæ particulæ orationis, ac commiſſuræ, tractuſque dicendi teſtatur, ſe fuiſſe rem magis ex ordine perſequutum. Quoad locum verò talis duplicis tentationis non deeſt diſsidium, putant enim nonnulli cum Quareſmio *lib. 6. Peregrinatione 6. cap. 12.* & alijs Hiſtoricis de hac re primam, & vltimam tentationem accidiſſe in monte *Quarantana* ſic dicto à quadragenario ieiunio; ſed Adricomius cum Brocardo, Abulenſi, & alijs plurimis apud Siurium *tom. 1. tract. 25. cap. 4.* cenſet, montem oſtenſionis regnorum à *Quarantana* fuiſſe diſtinctum: vnde ait: *Mons diaboli diſtat duobus milliaribus à Quarantana: eſt à latere Bethel, & Hai auſtrali: in eum deductus fuit à Satana Chriſtus, cùm oſtenderet, & adpromitteret illi omnia regna mundi, ſi procidens adoraret ſe.* Et quamquam Druthmarus inclinet in montem Hermon, vel Thabor; & Beauxamis atque Natalis in montem Nebo; nihil apparet liquidius, quàm montem tertiæ tentationis fuiſſe illum qui appellatur *mons diaboli* apud indigenas, & peregrinos: & in quo teſte Zuillart, Cappella quoque fuit extructa in memoriam. De Pinnaculo verò, quod illud fuerit? Scire non admodum refert, præſertim pro noſtro more ſervando neque pro ſubſtantia litteræ diſſerenda, dum modo talis ille locus ſit vnde quis poſſet ſe dare præcipitem. De eo tamen Illuſtriſſimus Siurius locuples diſſerit, vbi ſuprà *à num. 54.*

3 Suppono 3. Nos hic non diſputare ſed ſupponere, Chriſtum D. re.liter, & non ſolum imaginariè deportatum fuiſſe ad Templi pinnaculum, & ad montem: licèt enim non defuerint AA. qui tale quid ſenſerint, vt ſunt Author de operibus Cardinalibus apud Cyprianum *homil. de Ieiunio, & Tentationibus*, Corn. Ianſenius *cap. 15.* & Guillelmus Æſtius *Lucæ 4. verſ. 5.* tamen id durè excipiunt Cajetanus *3. part. quæſt. 41. art. 3.* & Toletus *Luc. 4. annotat. 15.* & eorum cogitatio a Domino Siurio benè refellitur vt minus conſona textui, ac contextui; quin exemplum de Ezequiele rapto in ſpiritu ad Fluvium Chobar ſufragari poſsit, eò quòd ibi erat ſermo de raptu prophetico, & de viſionibus vt dicitur *cap. 40. In viſionibus Dei adduxit me in terram Iſrael*; hic verò creber ſermo eſt de reali aſſumptione, adductione, & collocatione. Iam ergo quod inquirimus eſt: *An Chriſtus gradiens cum dæmone ad ea loca pervenerit, an potius eo fuerit per aera diaboli ope ſublatus?*

4 His poſitis duplex datur ſententia, quarum prima negat Chriſtum miniſterio dœmonis deportatum fuiſſe; ſed ſolum ad diaboli ſuadelam, eum proprijs greſsibus fuiſſe ſequutum. Ita ſentiunt *ſuper cap. 4. Math.* ſatis graves Interpretes vt D. Thomas, Dionyſius Cartuſianus, Claudius Guillaudus, Ioannes Maldonatus, Caietanus qui idem tradit *in 3. part. quæſt. 41. art. 4. in fine.* Et inde Origenes *homil. 31. in Luc.* Chriſoſtomus *homil. 5. in diverſos.* Sanctus Anſelmus *in Math.* Chriſtianus Druthmarus *in Expoſitione, Math. cap. 6.* Guillelmus Æſtius *Luc. 4. v. 5. & alij.* Secunda ſententia tenet tàm in pinnaculum Templi, quàm in montem excelſum fuiſſe Chriſtum per aera ope dœmonis deportatum. Ita ſentiunt Hilarius *Pſalm. 68.* Hieron. *Math. 4.* Author Imperfecti *in Math. homil. 5.* Gregorius *homil. 16. in Evangelia.* Bonaventura *in Meditationib. Vitæ Chriſti, cap. 17.* D. Thomas *3. part. quæſt. 41. art. 4. ad 7.* Gloſſa *Math. 4.* Ibidemque Lyranus, Abulenſis, Franciſcus Lucas, Cornelius à Lapide, Tirinus, & alij. Item Beda *Luc. 4.* Toletus ibidem *Annot. 15.* Salmeronus, Suarez, Barradas, Illuſt. Siuri *tom. 1. tract. 25. cap. 6.*

5 Sit mea concluſio cum hac ſecunda ſententia, cum qua, dico *Chriſtum Dominum non greſſu ſuo, ſed ope dæmonis per aera fuiſſe ſublatum.* Proba-

tur

tur concluſio, primo ex PP. ſcilicèt Hilario vbi ſupra dicente: *Ipſa etiam ieiunij continentia recidit in oprobrium, cum à diabolo tentatur, cum in Templi pinna locatur, cum ſupra montem fertur*; ſed qui fertur ab alio, & locatur, non proprio greſſu pergit: ergo, &c. Ex D. Gregorio vbi ſupra aiente: *Sed ecce cum dicitur Deus homo, vel in excelſum montem, vel in Sanctam Civitatem à diabolo aſſumptus mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expaveſcunt. Qui tamen non eſſe incredibilia iſta cognoſcimus, ſi in illo, & alia facta penſamus... Quid ergo mirum ſi ſe ab illo in montem duci permiſsit, qui ſe pertulit etiam à membris illiut crucifigi?* Sed conductio dœmonis, quæ apparet horriſona, & incredibilis eſt ea, quæ ope dœmonis per aera portaretur: ergo, &c. Probatur ſecundo concluſio à ratione ex regula decantata D. Auguſtini: Chriſtus Dominus realiter, & verè non ſolum ſuaſivè; ſed phyſico impulſu à dœmone portatus eſt in montem, & templum, at non niſi per aera in inſtanti: ergo, &c. Minor patet, quia quoties contigit ab vllo ſpiritu bono vel malo alicuius corporis comportatio in diſtans, ita fit planè, vt intra breves morulas quas phyſicus requirit anhelitus, alio ferantur, vt patet in Daniele portato in lacum leonum, & in Philippo Apoſtolo quando baptizavit Eunuchum Reginæ Candaze, & paſsim ope dœmonis, et ſagarum fiunt ſimiles lationes per aera: ita vt non ita pridem quis mihi narraverit ad ipſum confeſsionis cauſa accurriſſe hominem, qui abuſus mulierculæ maleficio prope centum leucas intra vnum diem per aera volitando confecerit. Maior probatur. Nam verba Sacræ Scripturæ propriè ſumenda ſunt ſemper ac poſſint, & poſſunt in præſenti. Sed aſſumere aliquem in diſtans, elevare ſupra pinnaculum, & ſtatuere, loquendo præſertim de dœmone, important phyſicum huius impulſum in corpus ſublatum: ergo, &c. Maior quoad primam partem eſt regula Scripturæ; & quoad ſecundam conſtabit ex ſolutione argumentorum. Minor conſtat: tum, quia aſſumere aliquē, & ſtatuere alicubi in propria ſignificatione id important: tum quia illa verba de tali agente dicta ſignificant actionem de more eiuſdem; diabolus autem phyſico impulſu circumducit, & transfert eos quos tractat: ergo, &c. Probatur 2. conſio: modus eundi progreſsivus in Chriſto poſt diabolum erat longè indecentior, ac difficilior: ergo potius fuit modus eundi per aera portatitius. Probatur antecedens quoad primam partem, & poſtea quoad ſecundam. Longè indecentius erat Chriſto per motum ſanctiſsimi ſui liberi arbitrij dæmonis auſcultare ſuadelam, & fieri pediſſequum eius ac ſectatorem. Sed ſi diabolo ſuadente, iviſſet cum eo ad templum, & montem pede ſuo, atque greſſu, res ita contigiſſet: ergo, &c. Probatur ſecunda pars. Quia difficilius eſt intellectu, quòd Chriſtus, poſtquam finito ieiunio iam eſuriebat, aliquot dies, præſertim iter agens pedibus, tranſigeret ſine cibo, & potu, quouſque veniret in Civitatem, & montem, & reverteretur in deſertum vbi ei Angeli miniſtrarunt. Sed Chriſto iam eſuriente in eo itinere aliquot dies oportebat inſumere duos, aut tres, vt ait Toſtatus, *quæſt.* 34. ergo hoc iter Chriſti fuiſſe difficilius. Confirmatur primo. Modus eundi ex D. Gregorio fuit reſpectu noſtri horriſonus, & incredibilis. At per vias tritas vnum peditem ire poſt alium quoad ſpeciem nihil habet horroris: ergo, &c. Confirmatur ſecundo. Si tale iter naturaliter, & non præternaturaliter contigiſſet; & interea diſcipulis conſtitiſſet; & Evangeliſtæ nobis enarraſſent, removentes à nobis omnem ſiniſtram opinionem de qualibet deportatione diabolica minus decenti: ſed id non fecerunt, quin potius in tenore locutionis propriæ magis vergentis ad ſenſum noſtrum loquntur Mathæus, & Lucas: ergo, &c.

Obij-

6 Objicies primò. Verba illa *Assumpſit*, & *Statuit*, quæ referuntur in textu, non ſunt intelligenda de actione phyſica, & impulſu perſonæ agentis, ſed de modo conductitio, & dirigente: ergo non per aera ſublatus eſt. Probatur antecedens: ſi propriè, & ſtrictè ſumantur, grande manat abſurdum. Sed alioqui conformiter ad rem, & ad ſcripturam ſumi poſſunt de aſſumptione conductitia, progreſsiva, & quaſi viam dirigente: ergo ita ſumi debent. Conſequentia conſtat ex regula D. Auguſtini *tom.* 1. *Palæſtræ*, vbi ait: *Æquè cavendum eſſe ne figuratam locutionem ad litteram accipiamus; nec locutio propria vt figurata accipienda eſt.* Ita *lib.* 3. *de Doctur Chriſt. cap.* 5. Minor conſtat *Matth.* 17. & alibi vbi dicitur: *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Ioannem, & Iacobum*, quæ non ſignificant impulſum phyſicum, ſed quod ipſo præeunte adduxit eos poſt ſe progredientes. Et ſimiliter ſtatuere non ſignificat præcisè impulſum phyſicum; ſed aut præcipere; aut donare dignitatem, vt conſtituere aliquem Regem, v. g. *Statuit ei Dominus teſtamentum pacis, & Principem fecit eum*: ergo, &c. Prob. atur mai. Non poteſt non eſſe abſurda intelligentia aut talis apparere, ponere Chriſtum D. veluti rem ludicram, & portatitiam pro libito dęmonis, perſonam nempe divinam impulſu execrabili tractandã, & ex qua quibuſvis infidelibus fides durior apareat. Sed id ſequeretur: ergo, &c. Minor conſtat. Quia id clauditur in noſtra ſententia, & nequit non eſſe durior pro Gentili, Iudęo, & Hæretico id quod D. Gregorio, licèt quoad ſpeciem, apparebat incredibile, & expaveſcendum.

7 Ad hoc argumentum reſpondeo neg. antecedens, ad cuius probationem, neg. maior. & ad huius probationem, diſt. mai. *de licentia Dei, & ſub limitatione, & menſura*, neg. mai. *ſine vtraque*, conced. mai. & diſtincta reſpectivè min. neg. conſeq. Itaque ſuppoſitis propoſitionibus alioqui veris in argumento, tota lis venit ad diſceptandum *num tale de hac interpretatione, & ſenſu, quem verba prę ſe ferunt, quid ita reſultet intolerandum, vt interpretatio ſtare, & admitti non poſſet?* Nos cenſemus nihil tale manare, tùm ex Gregorio ſuprà: *Quid ergo mirum, ſi ſe ab illo in montem duci permiſit, qui ſe pertulit etiam à membris illius crucifigi?* Tùm ex Abulenſi *quæſt.* 34. Licèt quoad devotos videatur abſurdum, quod Chriſtus à dœmone portatus fuerit; non tamen eſt inconveniens, cum dœmon eum portans non poſſet ei malum inferre, niſi quod dominus pati vellet. Vnde conſtat hanc deportationem fuiſſe de licentia Domini, & cum menſura propter fines altiſsimos; tùm vt divinitas occultaretur non ſe reſiſtens, tùm in ſolatium eorum, qui nulla culpa à diabolo ſic agitantur. Imò & inter homines etiam hæ demoniacæ tractationes, & ludi non fiunt niſi Domino diſpenſante, & taxante: de quo audivi à fidedigno, perditum quemdam hominem multum data opera dœmonem invocaſſe, vt ſe ei traderet; & minimè ad fuiſſe. Quando autem illa beſtia ludit, ſpumat, & ſaltat etiam cum corpore Domini, ſed non niſi ad frænum Domini; non niſi gloriæ maximæ ſui Domini, dorſo ſuo deſervit, & famulatur. Et propterea hinc fides apud prudentem decreſcere non debebit. Huc venit oportunus Sinenſis caſus mihi à P. Ioſepho Raymundo Arjò diuturno inibi Miſsionario, & viro integerrimo relatus ſcilicèt, Sinenſem quemdam virum grandęvum ferè obſtinatum fuiſſe, vt Deum factum hominem pernegaret. Quẽ tamen, iam multa opera perſuaſum, non audebant Catechiſtæ ad credendam paſſionem, & mortem cito provehere, rati, ſe in eo aſperiores ſcopulos inventuros. Cum tamen iam zelo permotus quiſpiam blandè ſe inſinuans, & quaſi à longinquo rem trahens, hominem de re conveniret, tunc ille alioqui prudens, rem odoratus, ait. *Heus bone*

Pater, quid gyras, & circuis. An iſtum Deum veſtrum fortè in terris malè tractatum aperire recuſas? Ego me Herclè Deum hominem factum devorare vix poteram; at eum nobiſcum iam degentem peſsimè à nobis exceptum, & habitum iri ſtatim credo. Gravis, & prudentiſsima profectò ſententia! Et quæ homines edocet, illis, quibus donavit fidem, vt Deum crederent hominem factum propter hominem, nil in eo pro ſimilitudine abſque peccato poſſe iam ſupereſſe quod dubitent.

8 Obijcies ſecundo. Tentatio illa vtraque de pinnaculo, & monte ita debet intelligi, vt dœmon ſibi perſuaderet, poſſe Chriſtum ad ſuum intentum adducere. Sed modus illum rapiendi per aera ad id aptus non erat: ergo, &c. Maior eſt clara. Minor probatur. Si dœmon Chriſtum per aera ſubſtuliſſet; prodidiſſet ſe, & ſuas inſidias: nulla enim creatura poſſet id facere. Sed prodere ſe tanquam tentatorem, & dœmonem ad intentum pertrahendi Chriſtum non conducebat: ergo, &c. *Confirmatur* 1. Quia ſi fuit raptus coram hominibus, & ductus ad pinnaculum, miraculo opus erat, ne viſus fuiſſet. At id redundat vbi non eſt neceſsitas: ergo, &c. *Confirmatur* 2. Quia quilibet modus, quo diabolus Chriſti corpus contrectaret, atque contingeret, apparet indecens, & inveriſimilis: ergo, &c. Ad hoc argumentum, reſpond. neg. min. cum omnibus ſubiunctis probationibus quoad mai. videlicet probationem. Ratio eſt: quia diabolus, neſciens Chriſtum eſſe verum Deum, benè novit, eum ſi purus homo eſſet, diſcernere non poſſe, an à bono ſpiritu, an à malo, ita ferretur per aera, ſicuti à bono ſublatus fuit Daniel, &c. Imò ſic eam rapuiſſe, & ſuſtentaſſe per aera multò magis erat ad eius intentum, quod erat tentare eum de præcipitatione fiſum in manibus Angelorum ipſum in medio aere ſuſcipiẽdum, quare cum ad id valde iuvaret paulò antè, ſe vidiſſe per aera manibus inviſibilibus deportatum; ideò eum ſic rapuiſſe non erat contra eius intentum: licèt enim homo tale quid non potuiſſet operari; benè tamen ſpiritus aliquis bonus, quem ſe diabolus mentiebatur. Ad primam confirmationem, reſpond. primo negando aſſumptum miraculi requiſiti etiamſi interdiu res contigiſſet (potuit enim eam poteſtas tenebrarum noctu peragere.) Nam in primis ſemel in ſolitudine ſublatus, & ſurſum aſſumptus nemine præſente, tam ſublimè agi potuit vt aciem oculorum noſtrorum tranſcenderet: veluti cum magnis avibus puto contingere. Rurſus quoad pinnaculum (quod ex Abulenſi *quæſt.* 33. & alijs fuit faſtigium Conicum, & quod in tali templo ita eſſet altum, vt vix inde homines diſcerni poſſent) facile ipſi fuit in inſtanti, aut brevi morula eum collocaſſe, nemine id notante, aut ſi aliquis notaſſet; cùm ſtatim diſparuiſſet; rem apparentem, aut oculi deliquium credidiſſet; verba enim inter eos habita fuerunt breviſsima; potueruntque eſſe in eius aurem ſpiritualiter inſinuata, ſiquidem dœmon ſe bonum ſpiritum eſſe fingebat. Quare credibile eſt, vt quamvis prima tentatio ſub ſpecie humana accidiſſet; ea finita, & præſentia amborum diſſociata; poſtea eodem die, vel altero iam ſub ſpecie boni Angeli eum deturbare voluiſſet, & ſic per aera eum portavit. Reſpond. ſecundo. Ex D. Thoma, & imperfecto apud Siurium Chriſtum neſciente diabolo ſic egiſſe, vt à nemine videretur; ne præſtigiator haberi poſſet, & hæc erat vera cauſa miraculi, ne eſſet otioſum. Ad primam confirmationem dico, quod licet Doctiſsimus Abulenſ. *quæſt.* 35. fusè exponat quomodo à dœmone in corpore aſſumpto portatus fuerit. Ego vero cum D. Siurio, puto eſſe verius, & expeditius eum ſubſtuliſſe ea poteſtate ſpirituali, quæ ipſi à Deo permiſſa eſt in res corporeas, vti paſſim videmus movere pondus graviſsimum,

mum, & per aera transferre quò vult lamias, & sagas.

9 Obijcies tertio. Verba Origenis apud Abulens. *quæst.* 34. *Sequebatur planè quasi Athleta ad tentationem proficiscens sponte, & quodammodo loquebatur. Duc quò vis: invenies me in omnibus fortiorem.* Ergo non ivit per aera sublatus. *Confirmatur.* Quia diabolus, quamvis vellet eum portare, non posset: ergo, &c. Ad hoc argumentum, respondeo ex doctrina Abulensis dicens, quod ea dixit Origenes non quia putaret quod Christus: *Sequebatur diabolum præcedentem quasi comitando eum in itinere; sed sequebatur eum, id est, voluntatem eius, scilicèt, quia omnes tentationes, quas diabolus faciebat, Christus tolerabat.* Neque quamvis dicat verbum *proficiscens*, vrget: nam, & *proficiscere*, dicitur animæ, cum in Cœlum avolat. Imò ibi Origenes statim patet quam Rhetoricè agat, dum manifestam prosopopœiam, & quidem aliquomodo impropriam inducit: depingit enim Christum quasi pugilem in arena arrogantem. Ad confirmationem brevi dicitur, quòd certo certius est, diabolum toto suo nisu, nisi Deus vellet, Christum non potuisse portare; cæterum id ei permisit propter fines supra tactos, qui sunt congruentissimi, & propter vlteriores, quos non assequitur nostra imbecillitas.

10 Rogabis 1. Quomodo potuit dœmon ostendere Christo in momento temporis, vt ait Lucas, omnia Regna mundi? Varij varie: & quidem probo dœmonem, neque potuisse confortare potentiam visivam Christi ad ea omnia circunquaque videnda: neque eorum omnium, tam distantium traxisse veras species, & conservasse ob oculos Christi: vtrumque enim prætervolat eius activitatem. Respondeo igitur cum Barrad. *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. Francisco Luca *Math.* 4. Tyrino, Cornelio à Lapide partim. Quod dœmon Pictor dexterrimus ex aere corpora compegit, & finxit spectra verè representativa Regnorum, & gloriæ eorum non per veras species missas ab obiectis; sed per veram imitationem; quemadmodum Pictor, aut Mappæ formator rem perbellè, & propriè solet adumbrare. Replicabis. Ergo Christus Regna non vidit in se ipsis. Respondeo. Si voluit videre nego, quia nemo melius videre potuisset. Si noluit concedo. Sed quod noluit fieri à dœmone cum ipso, id profecto non oportuit, quamvis aliter nobis appareat. Rogabis 2. Vt quid Christus portandus erat in montem excelsum; si ea spectra Regnorum mundi vbilibet poterat ei monstrare? Respond. quia in primis sic eum inde huc trahere, præsefere. bat quandam potestatem magnam, qua iuvarentur illa verba, quæ dixit: *Omnia enim mihi tradita sunt, & cui volo do illa.* Deinde portavit eum in montem excelsum. Quia cum vellet ipsum seriò persuaderi, quod sine vllo phantasmate Regna mundi lustrasset; & id, nisi quis altissima conscenderet, seriò persuaderi non posset; idcircò voluit, eum ex vna parte sic elevatissimè collocatum, & ex alia ob oculos omnia circum Regna vividè præsentata proponere, vt tanta gloria seriò captus ei auscultaret. Rogabis 3. Quomodo regressus est in desertum vbi ei Angeli ministrarunt? Respondeo primo. Eorumdem Angelorum ope, vt ait Sirius, & est valde credibile. Secundo. Poterat profecto sua virtute, dicente Luca: *Et regressus est in Galilæam in virtute spiritus.* Quæ verba alios torquent plusculum; sed mihi videntur facile ex licari posse, sivè de Angelo, qui spiritus est; sivè de spiritu divinitatis, quia Deus spiritus est; sivè si adhuc velis de Spiritu Sancto personaliter sumpto: quid enim prohibet quòd illam sanctam humanitatem Spiritus Sanctus, quo obumbrante, concepta est, ei adesset ex munere Sancti Spiritus vbi, & quomodo in maiorem eius gloriam expediret; quin id foret supplere defectum, vel iuvare ad aliquid

quid quod natura divinitatis, ipsi in verbo vnita, non posset, vti quidam hæreticus deliravit, dicens, eum iuvante Spiritu Sancto tentationes superasse. Et hæc satis.

JHS.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET CVM IEIVNASSET QVADRAGINTA DIEBVS, ET quadraginta noctibus postea esurijt. *Mathæi* 4.

ARTICULUS.

VTRVM CHRISTVS DOMINVS SVVM IEIVNIVM CVM FAME, & siti pertulerit?

1 SUppono 1. Christum Dominum statim à suo baptismate perrexisse in desertum, vbi quadragesimale ieiunium peregit, & tentationes diaboli perpeti non recusavit, quod explicuit Mathæus dicens: *Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo*, quemquidem spiritum fuisse Spiritum Sanctum verius esse iudico, quia D. Lucas id apertissimè declaravit *cap.* 4. quod incipit: *Iesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est à Iordane, & agebatur à Spiritu in desertum.* Quod vltra patet ex divino Spiritu, qui in eum paulò ante sub specie columbæ descenderat, vt observat Suarez, quia si fuisset spiritus nequam, non diceret Mathæus, ductus est in desertum vt tentarentur à diabolo, sed ductus est ab spiritu vt tentaret eum. Itaque sic vnanimiter sentiunt Sancti PP. Hieronymus in Mathæum, Ambrosius *lib.* 4. *in Lucam*, Chrisostomus *homil.* 15. *in Math.* Imperfectus *homil.* 5. Cyprianus *serm. de Tentationibus.* Origenes *homil.* 29. *in Lucam*, Athanasius *in Epistola ad Serapionem*, Gregorius *homil.* 16. *in Evangelia*, Chrysologus *serm.* 11. Quo ad desertum verò (quod ex Marco, ferarum erat) situm fuit in Iudæa contra Iordanem propè Ierico ex Hieronymo Brocardo, Adricomio, Salmeron, Quaresmio, hodieque à Quadragesima illa nomen accepit. Atque licèt in illis verbis: *vt tentaretur à diabolo* hæreant nonnulli ægrè talem finem accommodantes; nihilominus ex trita Theologia Scholastica satis est pervium ly *vt* intelligi non finaliter, sed consecutive pro effectu vt Salmeronius, vel si finaliter propter decretum permissivum tentationum quod honestum est ex Suario, & Cornelio. Vestigare autem causas propter quas Dominus ad ieiunia, & solitudinem secessisset longus est census: neque eo opus est ad litteram, & palæstram; licèt illæ occultari vix possint: primo vt non esset coram populis minor quam Elias, & Moy-

Moyſes, qui ſic ieiunarunt. Secundo, vt impleret prophetiam *Deuteron.* 34. de futuro Propheta ſicut Moyſes. Tertio, vt qui Deus erat, & homo aliquandiu viveret divinitus in humanis. Quarto, vt futuram prædicationem contemplatione, & pœnitentia præfundaret. Quinto, vt nobis eſſet exemplum. Quod quidem exemplum Calviniſtæ ſumendum negant: quia ſuperſtitioſum putant, nos dies totidem ieiunare quam Chriſtum. Quos tamen oportune noſter Maldonatus ſuo ſale reſpergit dicens. Si ſuperſtitioſum eſt ieiunare quadraginta, ieiunent quinquaginta.

2 Suppono 2. Chriſtum Dominum vtpote totius legis obſervatorem perfectum, ieiunaviſſe omnes dies illos qui ex lege debebant ieiunio ſanctificari; Ioelis 2. quia licèt ieiunium per ſe ſit ſatisfactivum pro culpa, & pro domanda rebellione carnis, quorum neutrum dabatur in Chriſto, vnde liber erat à lege; tamen propter nos omnem legem fuit ſponte complexus, quia qui languores noſtros tulit, dolores quoque noſtros ipſe portavit. Igitur apud Iudæos dabatur ex lege *Levit.* 16. & 23. Ieiunium ſingulis annis in die propitiationis, pro quo habentur hæc verba: *Affligetis animas veſtras. Omnis anima quæ in hac die afflicta non fu[illegible]ribit de populo ſuo.* Etiam erant alia ieiunia inter Iudæos quorum legislatio, & inſtitutio in Scripturis non ſatis conſtat, vſque ad Prophetam Zachariam, *cap.* 8. vbi commemorantur: *Ieiunium quarti, ieiunium quinti, ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & in lætitiam, & in ſolemnitates præclaras.* Quæ obſervata à Domino non referuntur; quia de veteri lege erant, cuius generaliter plenus obſervator deſcribebatur. Quadragenarij tamen ieiunij Dominici mentio facta eſt quia vt obſervat Abulenſis *Math.* 4. *quæſt.* 10. tale ieiunium Chriſtus in lege nova tamquam legiſlator induxit; in quo quidem ieiunio nihil Dominus comedit aut bibit, *Luc.* 4. *& nihil manducavit in illis diebus*, cuius contrarium erroneum putat Abulenſis, & ideo dicitur quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: licèt enim Iudæi toto die ieiunarent; nocte vero appetente reficiebantur, quare declarari oportuit Chriſtum D. totis quadraginta diebus, & totis quadraginta noctibus à cibo, & potu penitus abſtinuiſſe: potus enim ſub comeſtione intelligitur, & eius carentia ſub ieiunio perfecto. Quamobrem ſi Calviniſtæ nobiſcum, vt modo in vſu eſt, ieiunare velint, à ſcrupulo imitandi Chriſtum eos abſolvo.

3 Suppono 3. Hoc ieiunium non tàm virtute naturali, quàm ſupernaturali fuiſſe peractum; quidquid nonnulli conentur philoſophari, quibus nonnihil favet noſter Aldrete *tom.* 2. *in* 3. *part. diſput.* 59. *ſect.* 2. *num.* 7. Ducuntur enim levi ratione: illi enim, qui apud Suarium putant, Chriſtum ex vi contemplationis, & continua extaſi ſurſum habuiſſe carnis officia ſuſpenſa, ita vt nihil poſſet agere in humidum radicale, deberent conſideaare ea non peragi ſine raptu quodam ſpirituum vitalium, qui quando anima ſurſum agitur niſi reficiantur multum diſpereunt ac diſsipantur: proindeque qui hæc divina patiuntur enerves redeunt, & in deliquia facilè corruunt. Preterquamquod quidquid ſit de ſpiritibus animalibus reparandis, vitales tamen qui limitati ſunt, vt retineant vnionem animæ ad corpus etiam pertenui anhelitu conſumuntur, &, ſi non reparantur, venit interitus atque adeo viros alios quos ex Hiſtoria Theodoreti conſtat ſimilia ieiunia ſic tranſegiſſe; deſuper etiam ſingulari virtute roboratos agnoſcimus. Nam medici cum Valles *cap.* 18. Philoſophiæ Sacræ, vitam ſine alimento non protrahunt ad octiduum, niſi paulò plus fortè in aliquo corpore multum excrementitio vnde pabulum ſufficiatur. His poſitis iam inquirimus: an Chriſtus quandiu

ieiunavit, cruciatus sit fame, & siti, an solum postea esurierit?

4 Duplex in hac re datur sententia prima asserit Christum D. verè toto illo tempore passum fuisse famem, & sitim. Ita Isidorus Clarius *Orat. 8. in Luc.* Caiet. *Math.* 4. & etiam ibi Guillelmus Æstius, Franc. Lucas, Cornel. Alapide, Iacobus Tyrinus, & probabilem putat Medina *in* 3. *part. quæst.* 41. *art.* 3. Lanuza *in Evaug. tract.* 7. *parag.* 25. *num.* 26. Illust. Siuri *tom.* 1. *tract.* 25. *cap.* 2. *num.* 20. Secunda sententia per oppositum asserit, quod Christus non esurivit nisi post transactos quadraginta dies sui ieiunij. Ita P. Ioan. Maldonatus. *Math.* 4. Alphons. Abulen. ibidem *quæst.* 12. Sebastianus Barradas *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. Eximius Doctor P. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 29 *sect.* 2. vbi affert pro se multos PP. vt Hilarium, Origenem, Hieronymum, Ambrosium, &c. Et de sententia contraria pronuntiat sic: Mihi tamen, & improbabilis, & temeraria vt minimum videtur. A qua quidem censura ego libens abstineo partim ex genio; partim, quia proculdubio tractu temporis eam temperatam esse iam video dum AA. tam bonæ notæ vt nuper exposui pergunt adhuc fine formidine militare pro tali sententia.

5 Dico igitur Christum Dominum quamdiu ieiunavit non perpessum esse famem, & sitim cruciantem; sed finito ieiunio esurijsse. Probatur primo conclusio ex Sacra pagina. Primo, quia *Math.* 4. licet tolleretur ex verbis nostri textus particula *postea*, & solum diceret: cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus esurijt, deberet ex legitima constructione reddi sensus, quo esuries non adveniret nisi toto ieiunio transacto: atqui particula *postea* expressissimè signat posterioritatem esuriendi ad ieiunium: ergo nullus locus relinquitur intelligendi esuriem intra ieiunandum. Secundo: quia si aliqua expressio clarissima excogitari vellet ad dicendum, Christum non passum esse famem cum ieiunaret; esset dicere, quod esuries non incœpit quousque quadraginta dies ieiunij finiebantur. Sed ita id explicat D. Lucas *cap.* 4. dicens, & *consummatis illis esurijt*: ergo, &c. Probatur secundo eadem conclusio ex Sanctis PP. Primo: ex D. Petro „Chrysol. *serm.* 11. vbi ait: *Postea esu-* „*rijt*: hoc non est infirmitatis signum, „sed insigne virtutis, quia cum dicit „postea esurijt, quadraginta diebus, & „quadraginta noctibus probat in illo „esuriem non fuisse. Esuriem sentire, & „vincere est laboris humani; divinę virtutis est esuriem non habere. Secundo: ex Gregorio Nisseno *de Beatitudinibus in* 4. ibi: *Cum quadraginta dies ie-* „*iunus permansisset postea esurijt*. Dedit „enim quando volebat occasionem naturæ officio suo fungendi, sed tentationum inventor, cum intellexit affectum famis etiam illum invasisse consuluit, vt lapidibus exciperet appetitum. Sed invadi ab affectu famis dum „voluit, vt officio suo fungeretur natura per esuriem, clarè dicit, antea tale „officium naturæ non fuisse concessum: ergo, &c. Tertio: ex D. Cyrillo Alexandrino *lib. ad Reg.* ibi: *Cum quantum sat erat iam ieiunasset divinaque virtute absque cibo, & potu incorruptam carnem conservasset; vix tandem quæ propria illius sunt pati eam sivit, esurijsse enim dicitur. Sed quam ob causam quæso esurijt? Ob eam nimirum, quo aptè per vtramque Deum simul, & hominem se esse declararet.* Ecce in hoc textu divina virtute per quadraginta dies sine cibo, & potu se conservavit declarando esse Deum, & postea vix aliquantisper esurire voluit, vt se hominem declararet: ergo antea non esurivit. Quarto: ex D. August. *lib.* 3. *de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, cap.* 6. ex Basilio *hom.* 1. *de Ieiun.* ex Hilario, Origene, Hieronymo, Chrysostomo, Ambrosio, & alijs Græcis, & Latinis super Math. & Luc. Item ex Cypriano *Serm. de Ieiun.*

&

& tentatione Domini : & ex Irenæo *lib.* 5. *contra Hæreſes, cap.* 31. Ergo de primo ad vltimum ex Scriptura, & PP. ritè deducitur noſtra concluſio.

6 Probatur 2. à ratione noſtra concluſio. Vel poſſe vivere per totos quadraginta dies ſine cibo, & potu contigit ex virtute ſupernaturali, vel ex naturali rara, & extraordinaria: ſed vtrovis modo dicendum eſt, Chriſtum famem, & ſitim afflictivam non perſenſiſſe: ergo ita evenit. Probatur minor in primis quoad primam partem de ſupernaturali virtute in hunc modum, ſi Dominus ſupernaturali virtute tunc ſic vitam tranſegit, ideò fuit quia vires ſupernaturales præſtiterunt excellentiori modo id quod præſtituræ erant vires naturæ per communem nutritionem comparatæ: ſed ſi Chriſtus ſtatis horis cibum potumque ſumpſiſſet nullam famem, & ſitim fuiſſet ille perpeſſus qua ad eos appetendos poſſet pellici, & provocari: ergo, &c. Minor conſtat, quia nemo famelicus eſt, ſi reficitur ſtatim ac natura incipit poſtulare. Maior etiam eſt clara ex communi Theologia ex qua omnes norunt, quod quotieſcumque per virtutem ſupernaturalem fit aliquid ex eo, quod per virtutem naturalem ſolet contingere, non fit, niſi quatenus deſuper venit alia virtus intrinſeca, vel extrinſeca iuxta alios excellentius præſtans id, quod alioqui inferior virtus præſtare deberet: ergo, &c. *Confirmatur.* Hæc pars ex verbis D. Baſilij vbi ſupra „dicẽtis. Alioquin propter divinæ na„turæ ſublimitatem, non patebat ad „illum aditus diabolo, niſi per eſuritio„nem, aut humanam imbecilitatem „ſubmiſiſſet. Vbi apertè indicat in tanta ſublimitate perſonæ nullam eſuriem niſi libere habitam locum habuiſſe, & hanc ideò habitam à Chriſto, quia alioqui non potuiſſet ipſe tentari. Vnde confirmatur 2. In Chriſto Domino non poterat humana, & infirma ſentire humanitas niſi quatenus ſe cohibebat divinitas, atqui ſi ſupernaturaliter tunc Chriſtus ſine cibo, & potu vivebat fuit, quia in illis quadraginta diebus divinitas, vt fons totius vitæ ſeſe in Chriſto Domino aliquantulo plus explicabat, & effundebat: ergo interea famem, & ſitim afflictivam ſentire non poterat, ſed tota eius humanitas pabulo inexplicabili paſcebatur. Probo iam ſecundam partem primæ minoris. Eatenus tamdiu Chriſtus ſine cibo, & potu viveret quatenus anima per continuas extaſes agens, & acta, non ſineret perfici in corpore fieri ea quibus excitatur fames, & ſitis; ſed ſi tam continuus raptus fieri poteſt quin intereat vivens, fames, & ſitis non ſentiretur: ergo, &c. Antecedens probatur, tùm ex Caſiano *Collatione* 19. *cap.* 4. aiente de illis PP. qui patiebantur divina eos præ delitijs quas guſtabant non tàm cibi, & potus eſſe memores, quàm oſores. Tùm quia in Chriſto Domino, qui non per gratioſos illapſus, & intermittentes, ſed continua vnione divinitatis erat delibutus, hæ delitiæ, & hic paſtus altiſsimus animi, & corporis eſſet iugis atque perpetuus: ergo quommodolibet componatur Chriſtum tot dies ſine cibo, & potu vixiſſe; pariter eum neque famelicum, nec ſitibundum fuiſſe dicere oportebit.

7 Obijcies 1. Si Chriſtus in illis quadraginta diebus non eſurijſſet; ſequeretur, quod non fuiſſet figuratus in lege, & Prophetis per Moyſem, & Eliam. Sed hoc longè durius, & inconvenientius dicitur, quàm quod humanitùs ad noſtram doctrinam paſſus ſit famem, & ſitim, vt hanc in Cruce perpeti dignatus eſt dicens *ſitio*: ergo, &c. Probatur mai. In Scripturis maximè depingitur hæc figuratio Chriſti per Moyſem, & Eliam per ieiunium quadragenarum eis tribus ſolis indultum. Sed ſi Chriſtus non eſuriviſſet, non correſponderet figuratus figuræ: ergo, &c. Probo min. Ex ver„bis Chryſoſt. *in Math.* ibi. Moyſes, & „Elias quadraginta dies ieiunaverunt,

&

„ & homines erant; ſed illi ieiunantes „ eſuriebant, & ſuſtinebant; iſte (Ieſus) „ non eſurivit quadraginta diebus, ſed „ poſtea. Ergo ſi Chriſtus non eſurijt Chriſtus cum Moyſe, & Elia non correſpondebat. Ad hoc argumentum, reſpondeo negando maior. & ad probationem, nego min. cum Abulenſi *Math. 4. quæſt.* 12. vbi reveritus verba Chryſoſtomi, quæ in ſua probabilitate relinquit, ſuſtinet, neque Moyſem, & Eliam eſuriviſſe: tùm quia eorum fames, & ſitis niſi à Deo temperaretur talis eſſet, vt de ſe ſufficeret quotidie mortem inducere: quod genus pœnæ Deus, neque Eliæ 40. diebus peregrinaturo (& quidem in fortitudine cibi à Deo parati vt dicitur 3. *Reg.* 19.) neque Moyſi quamdiu dulciſsimè tanquam amicus cum amico verſabatur, daturus erat. Tùm quia dum eos miraculosè ſine cibo potuque ſervaret; foret miraculum imperfectum, ſi interea eos ſineret fame, & ſiti torqueri. Igitur diverſimodè actum eſt in ſingulis 1. in Elia fuit gratia alimentoſa, id eſt modico alimento vires alendi maximas conferens. 2. in Moyſe, *Exod.* 34. dum ſemel pro primis Tabulis, & iterum pro ſecundis ieiunavit 40. dies, fuit gratia vivificans, quatenus ex conſortio fontis totius vitæ ea membra, quę alioqui ſine pabulo morerentur, vegetabantur. In Chriſto vero non tàm fuit gratia, quàm natura: *quia ipſe*, vt ait Abul. habebat poteſtatem in ſe ipſo ad nunquam eſuriendum, cum eſſet verus Deus.

8 Obijcies 2. ex Illuſt. Siurio. Chriſtus D. procul dubio aſſumpſit tale ieiunium ad noſtrum exemplum, & promovendum in nobis meritum ieiunandi. Sed ſi Chriſtus non eſuriret fruſtraretur vtroque: ergo, &c. Minor probatur 1. quoad exemplum quia à viro ſapienti, id quod eſt inimitabile non proponitur vt exemplum. Atqui nos tandiu ieiunare ſine fame, & ſiti eſt prorſus inimitabile, vt nemo ibit inficias: ergo, &c. Probo 2. min. quoad meritum. Omne meritum noſtrum ſitum eſt quoad ieiunium in obſequio Deo præſtito in maceratione, & afflictione noſtræ carnis, vt ſpiritus auſcultet Deo, & ei ſervire ſit promptus. Atqui niſi Deus eſurijſſet; ad tale meritus non provocaret: ergo, &c. Confirmatur. Chriſtus Dominus licèt liberè (vt plura in ſe ſuſcepit) voluit etiam hac via afflictionis compenſare noſtros exceſſus, ſicuti in omnibus pro nobis voluit cumulatiſsimè ſatisfacere: ergo, & in fame, & ſiti dolores quoque noſtros ipſe portavit. Ad hoc argumentum reſp. neg. min. & ad 1. probationem, diſt. mai. id quod nulla ex parte omninò inimitabile eſt, conc. maior. quod multa ex parte eſt imitabile, neg. mai. & reſpectivè diſtincta min. neg. conſequentiam. Itaque quis dicat Dominum male nos exhortari dum dicit: *Eſtote perfecti ſicut, & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Et tamen nemo neſcit eſſe impoſsibile nos Deo coæquari. Deinde primores homines in quibuslibet diſciplinis liberalibus, aut Mechanicis ſemper proponunt diſcipulis imitaturis talia in arte, ad quæ planè impoſsibile eſt, eos tunc poſſe accedere. Et generatim pro exemplo in quavis linea ſemper proponuntur altiſsima, vt etiam valentiſsimi imitatores ſemper in ea linea habeant quò aſſurgant. Vnde licèt Chriſtus tam altiſsimè ieiunaverit; nobis peraptum exemplum eſſe non deſinit. Audi Abulenſem peroportunum, quæſt. 13. *Ad 3. dicendum, quod Chriſtus ieiunavit vt exemplum nobis ieiunandi traderet. Et tamen in ſuo ieiunio non ſolum fuit iſta cauſa, ſed etiam alia, ſcilicèt, oſtenſio poteſtatis. Ideò ieiunium Chriſti ex aliqua parte fuit nobis traditum in exemplum, ſcilicèt, quod quia ipſe ieiunarit nos ieiunemus; & ex aliqua parte fuit ad probationem poteſtatis ſuæ. Et ex hac parte non proponitur ieiunium ſuum nobis, tanquam imitandum; ſed ſolum ad credendum, ſcilicèt, quod ipſe erat tantæ poteſtatis, & dignitatis, quantæ eum iſtud ieiunium oſtendebat.*

Ad

9 Ad ſecundam probationem min. ex hac eadem proxima doctrina facilè reſpondetur, negando min. quia qua parte id ieiunium tradebatur ad noſtrum exemplum, etiam tradebatur ad noſtrum meritum ieiunandi, vt nimirum nos cuius ieiunij meritum eſt afflictivum, modo nobis poſsibili, & vtili ieiuneremus; nollemus tamen ieiunare ieiunio excellentiæ. Et ſic licet Chriſtus ſua paſsione promoveat noſtra merita mortificationis, atque martyrij; tamen ſolius ſuæ excellentiæ, & poteſtatis erat talis paſsio quoad ſingulariſsimos dolores, & cruciatus, & elevatiſsimum meritum infinitum. Imò Deus ipſe, qui voluit, nos terram irrigare, noluit tamen, vt habeamus dominium in pluvijs, quod pertinet ad ſuam altiſsimam poteſtatem. Ad confirmationem, reſpond. primo negando antecedens, quoad eſuriem, & ſitim, non tamen quoad compenſationem gulæ noſtræ. Deus enim homo ſeu Chriſtus dupliciter voluit pro noſtris exceſsibus ſatisfacere, altero modo nobis ſimili per famem, & ſitim, dum hic eſurivit poſt 40. dies, & ſitivit in Cruce: quia vnicus in hac re actus illius virtutis infinitæ ſuperabundanter ſatisfaciebat. Altero autem modo etiam altiori, quatenus etiam in hac vita nobis oſtendit quadragenariam inediam remoto omni cibo, & potu, Deo Patri pro nobis conſecratam; quin opus eſſet fame, & ſiti cruciari. Quia vt explicui *tom.* 1. *Decad.* 4. *queſt.* 8. ratio eſſentialis meriti præſcindit à cruciatu, & ſita eſt in ratione liberi obſequij, quod in Chriſto Domino foret infinitum, licet nullam afflictionem in ea inedia ſentiret.

10 Obijcies 3. fundamentum Cajetani. Si Chriſtus non eſuriviſſet illis diebus; multiplicarentur miracula ſine neceſsitate: atqui non ita ſunt intrudenda per bonos interpretes: ergo Chriſtus Dominus interea eſurivit. Probo mai. Iuxta nos virtus ſupernaturalis interceſsit in eo, quod Chriſtus Dominus tot dies, neque pranſus, neque potus tranſegiſſet. Sed ſimiliter, per tot dies carere cibo, & potu, & non eſurire corpus ſanum, indiget alio miraculo: ergo multiplicarentur. Ad hoc argumentum, reſpond. neg. mai. Ad cuius probationem, nego min. propter ly *alio* miraculo. Quia licet id ſine miraculo evenire non poſſet; tamen non eſſet miraculum diſtinctum ab eo, quod interveniebat in vivendo ſine alimento. Pro quo quadrant plurimum hæc verba Toſtati loquentis de Moyſe, & Elia, *queſt.* 12. ſic: *Non eſt ergo ſatis veriſimile, quod Moyſes, & Elias illis* 40. *diebus eſurirent, cum non appareat aliqua cauſa ad hoc maximè, quia tunc oportebit multiplicare miracula. Nam cum iſta fames naturaliter ſequeretur; & tamen homo fameſcens non poteſt tanto tempore naturaliter ſine cibo, & potu manere; oportebat, quod divinitùs conſervarentur fameſcentes tantum. Iſtud autem eſſet opus facere imperfectum, ſcilicèt, quod ſupernaturaliter conſervarentur, & tamen quod fameſcerent: cum per idem miraculum vtrumque fieri poſſet, & convenientius, ſcilicèt, quod conſervarentur, & quod non fameſcerent.* Hactenus Toſtatus perdoctè, & clarè.

11 Rogabis. An Dominus ſaltem ex inedia pallorem, macieni, & debilitatem contraxerit? Aſſerit, & affirmat D. Siurius conſequenter; ſed ego etiam conſequenter ad meam concluſionem, nego. 1. Quia Chriſtus Dominus ore, & facto increpabat Hypochritas, quibus dicebat: *Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypochritæ triſtes*: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Tu vero cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam lava, vt non videaris hominibus ieiunans, &c. 2. Quia nullibi legitur aut ex ieiunio, aut pernoctatione, &c. macilentus, quod Phariſæi in ipſum retorſiſſent. Et, ſi quando eum auſterum appellabant; non in hoc ſenſu in quo eum potius manduca-

torem, & potatorem appellabant, sed quasi esset iniustus, vt ea etiam quæ sua non essent, vellet sibi adrogare. „ Abul. *quæst.* 13. Christus autem in „ his quadraginta diebus non esurie„ bat, neque affligebatur, quasi non „ abstinuisset, nisi per duas horas, „ cum fuerit virture Dei sustentatus, „ & post hoc vsus est cibis communi„ bus, & mediocribus, seu mediocris „ cris subsistentationis. Ideo nullam „ austeritatem Christus habuit in illo „ ieiunio; sed semper Ioannes erat „ austerior. Hactenus ille. Præterea huc spectat id, quod in Vita S. Antonij Abbatis legitur, nempe, ipsum postquam per viginti annos abditus in spelunca, & multa inedia, pœnitentijsque exercitatus inde exivit, nihilominus vivido colore, viribus vegetum nullaque macie extenuatum exiviſſe.

JHS.

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

QVEM SVSCITAVIT SOLVTIS DOLORIBVS INFERNI.

Actuum Apost. cap. 1. vers. 24.

ARTICULUS.

QVO SENSV INTELLIGI DEBEAT CHRISTVM D. *solutum fuisse doloribus inferni?*

1 SUppono 1. Rationem dubitandi esse manifestam, & insuper satis gravem. Est quidem manifesta: quia textus expresse asserit, Christum Dominum fuisse suscitatum solutis doloribus inferni, sive vt per Hypallagen communiter explicatur *solutum doloribus inferni* eò modo, quo dicitur *Math.* 8. *Confestim mundata est lepra eius*, id est, *mundatus fuit à lepra.* Ex alia verò parte dificillimum est explicatu à quibus doloribus inferni solutus fuerit Christus Dominus; cum nullius pœnalis doloris capax extitisset. Hinc insuper gravis admodum est eadem ratio dubitandi: quippè ex vna parte in hunc textum impegerunt hæretici, vt blasphemus ille deliruſque Calvinus, qui hinc in Christo Domino pœnas inferni, imò & desperationem ausus est pronuntiare. Hinc etiam alij hæretici aliorsum deflexerunt, errantes, & dicentes, Christum in suo descensu ad inferos eduxisse damnatos. Quam hæresim confutarunt Augustinus *Epist.* 78. & Gregorius *lib.* 6. *Epist.* 179. Ex alia verò parte varij Patres ex hoc textu probant, atque confirmant descensum Christi ad inferos, quare enucleatione valde dignus est noster textus, & sa-

satis fructuosè in eo opera collocabitur.

2 Suppono 2. Satis oportunè huc posse revocari multa ex ijs, quæ *tomo* 1. huius palæstræ in quæstione de diluvio adduximus disputantes illum textum celebrem de epistola D. Petri cum allusione ad octo animas salvas temporibus Noe, & quem multi Patres inducunt, ad probandum articulum descensus Christi ad inferos; licèt vt ex Basilio Ponce ibi dedimus, tali textu opus non habet prædictus articulus. Atque in primis Catholico, ac legitimo Interpreti Sacrarum Scripturarum nihil, adhuc ex mysterijs nostræ fidei in specie, debet esse tam in pretio, & in scopo ac inoffensus, syncerus, germanusque sensus litteralis Sanctarum Scripturarum, vbi est tota summa fidei nostræ, & quæ magna ex parte corrueret, si scripturæ corruerent, & everterentur. Ita vt prius esse debeat scrutari, & stabilire sensum genuinum, atque germanum; & postea ex eo, si oportunus locus est, confirmare aliquod dogma. Vnùm enim ex primis dogmatis est veritas, structura, conexio, & indemnitas Scripturarum. Et id valet multo magis, quando ex aliquo sensu intentato, aut retento; si ex vna parte firmari videtur aliquid nostræ fidei; tamen ex alia ansa datur hæreticis, vt hic videtur accidere. Quare, nisi mea me fallit opinio, existimarem ego præoptandum esse, quòd facer textus eat quo possit planior, & difficultatibus, & salebris expeditior quàm quod vnus vel alter textus advocetur, & quidem luculenter, & probabiliter ad aliquod dogma magis ex Sacra pagina illustrandum, vt sæpè fecerunt SS. PP. cum hæreticis colluctantes, eò quòd hi non nisi Sacræ paginæ manus dare præsumerentur. Quod ne præstant quidem: nam mille cavillis, interpretationibus, versionibus de linguis, quas excolunt, sibi sua latibula contutantur: ita vt hæreticus ille qui impudenter Ecclesiæ, Concilijs, & Patribus refragatur, ægrè adduci possit ad veritatem ex aliquo textu, si is est subobscurus, & controversus: & fortè plus cum eis obtinet textus vnus clarus, si *in Verbo Scripto* res constat; aut vna contestata vetusta traditio, si de *Verbo est non scripto*, quàm dum aliæ probationes dubiæ congeruntur: tunc enim illi sponte, & audacter litigant, & altercant in eo, quod est dubium, & clara fugiunt, & aversantur. Hæc dixerim propter pugnas modò vivas cum hæreticis melius ineundas; nam vt in quæstione suprà à me citata fusè præstabilivi; dum sensus aliquis circa rem dogmaticam à Patribus vnanimiter, & etiam ab Ecclesia vsurpatur, profectò verè inest talis sensus saltem secundò litteralis. Præstabit, tamen si res agitur cum hæretico, ad arma quæ sint magis clara, & minus evitabilia confugere. Imò etsi res nullo textu clarè fulciatur, ad argumenta traditionum, & authoritatis Ecclesiæ venire, quæ semper sunt validissima. Itaque Suarez *tom. 2. in 3. part. d. 43. sect. 2.* loquens de descensu Christi ad inferos peroportune ait: *Secundò principaliter probanda est hæc veritas Ecclesiæ definitione, ac traditione. Definita enim est in Concilio Lateranensi in cap. Firmiter de Summa Trinitate.*

3 Suppono 3. Id quod observarunt Lorinus, Emanuel Sa, & alij Interpretes, scilicèt, Infernum in Scriptura interdum sumi pro morte vel sepulchro: eaque loca, vbi id vsuvenit, lustrari possunt apud eundem P. Sa in indice. Quare id quod ait noster Doctor Eximius disput. suprà citata scilicèt Infernum in Scriptura semper sumi pro deputato loco animarum; & non nisi significatione translatitia mortem aliquando significare, non videtur mihi, nisi vt mox, probari debere: tùm quia nobiscum videtur sentire Chorus Interpretum qui in re Biblica, & in Sphæra quam tractant debent maximè attendi: tùm quia standò versioni

sioni Vulgatæ, & proprietati sermonis satius videtur esse dicendum has voces *Inferi*, *vel Infernus* propriè dumtaxàt significare inferiores sinus terræ generatim loquendo, ita vt prout postulaverit ipse contextus iam pro loco deputato animarum, iam pro sepulchro seu sinu corporum defunctorum, iam pro imis visceribus terræ sumi queat. Quod, præterquamquod videtur esse ex solemni ritu interpretandi, firmatur insuper: quòd tali voci *infernus*, vel *inferi* interdum diversa radix Græca, vel Hebraica correspondet. Neque hic prætermittenda est versio Syriaca, sic habens *solutis funibus inferorum* ex radice Hebraica *Chebel* quæ significat, & funem, & dolorem: quia vt ait Cornelius dolor est, quasi funis ligans arctans, & stringens, acriterque pungens afflictum, & multo melius dici potest è contra. Quare verò in Sacra pagina promiscuè vsurpetur vox *Infernus*, sivè pro sepulchro, sivè pro loco deputato animarum, est quia, vt Cornelius, & Suarez obseruarunt, olim ante Christum omnes qui moriebantur ibant ad Infernum, vel inferiores sinus scilicèt corpus ad sepulchrum, & anima ad locum deputatum vel Purgatorium, vel Limbum, &c. Cumque respectu vtriusque corporis, & animæ esset illa reclusio instar carceris tenebrosi, remota omni lucis vsura, & qui in carcere sunt, vinculis intelligantur esse constricti; id circo phrasis est vsitata *à mortis, & inferni vinculis liberari*. Rursusque cum vincula funes sint, & funes sint vincula; videmus aptissimè dici potuisse Christum D. fuisse suscitatum solutis vinculis vel funibus, vel doloribus inferni.

4 His positis varia super hunc locum interpretandum occurrit sententia: prima asserit Christum fuisse solutum doloribus non quidem pœnalibus, sed quasi naturalibus, quos videlicèt haberet, tùm anima ex eo quod separata esset à suo corpore, ad quod natura sua inclinaret; tum corpus quod in loco vili, & infimo detineretur. Ita Angelicus Doctor, & Cardinal. Caietanus vterque *in* 3. *part. quæst.* 52. *art.* 4. & Petrus Lombardus *in* 3. *sent. disp.* 18. Secunda sententia asserit eam solutionem non tàm intelligi passivè de Christo, quàm activè quatenus omnes, vel plures de Purgatorio liberavit. Ita nonnulli quos supresso nomine refert Cornelius in hunc locum, & *Zachar.* 9. *vers.* 11. Tertia sententia intelligit dolores illos non tàm fuisse inferni, quàm veluti infernales propter acerbitatem illorum, quam Christus moriendo sustinuit. Ita S. Basilius, & Theodoretus *in Psal.* 17. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. quæst.* 52. *disp.* 43. *sect.* 1. Ribera *in Osseam, cap.* 13. *vers.* 14. Cornelius, & Gaspar Sanchez *Actor.* 2. Quarta sententia asserit Christum fuisse solutum à vinculis mortis præocupativè, impediendo, ne ipsum ligarent, sicut defunctos reliquos. Ita Augustinus *Epist.* 99. & placet etiam Cornelio. Quinta sententia asserit ibi explicari veram Christi Resurrectionem, & potentiam resurgentis, adhibita locutione energiaca, & figurata, quatenus de morte, & sinu inferiori Christus redivit ad vitam, quamvis tales sinus se haberent instar tenacium funium, & vinculorum, qui nedum ligant; sed tam fortissimè vt funes, qui cruciant eò quòd ex eorum ligatura nemo vnquam elabitur. Ita Syrus interpres, & alij quos supresso nomine citat Cornelius. Sexta sententia tenet ibi intelligi liberationem animarum iustarum quæ adhuc in vinculis detinebantur. Ita Glossa Interlinealis, & Beda in Glossa, & Lyra, atque Ambrosius *lib.* 3. *de Fide, cap.* 3.

5 Sit nostra conclusio: *Talia verba præcisè cum energia, & elegantia explicant Resurrectionem Domini, tropicè, & figuratè intelligendo dolores.* Probatur primo conclusio. Nulla interpretatio sit melior, quam quæ ducitur ex eo quod docet fides, & docet contextus litteræ. Sed fides, & contextus do-

docent, tùm quod Christus, & non alij, solutus debet intelligi, tùm quòd hæc solutio resurrectionis hic traditur energiacè, & figuratè: ergo ita hic locus exponendus est. Probo minorem quoad primam partem postea probaturus quoad secundam. Fides, & contextus docent, quòd hic agitur de Christi resurrectione clarè, & ex professo; & neque ex toto contextu, neque ex doctrina fidei firmatur ex hoc loco, quod alius præter Christum *solutus* intelligatur: ergo, &c. Antecedens patet: quia nec levis insinuatio est in toto textu, & contextu, neque de animabus Purgatorij, neque de resurgentibus cum Christo, neque de Patribus existentibus in Limbo. Nam licèt de fide sit has fuisse eductas; cæterum ex hoc loco non constat; cùm de ea re neque vnum verbum postea sit in toto tractu, & contextu. Probo iam secundam partem minoris. Nam fides nos docet Christum D. in triduo mortis nihil passum fuisse, licèt leviſsimum, & eo transacto per singularem suam potentiam resurrexisse. Itidemque contextus totus ex professo protenditur in explicando, & confirmando locis propheticis resurrectionem Christi; & quomodò caro eius deberet requiescere in spe, & non videre corruptionem: necnon id futurum propter dexteram Dei exaltantem, & promissionem Spiritus Sancti acceptam à Patribus. Sed hæc omnia probãt quod ly *doloribus inferni solutis* debet intelligi non propriè, sed metaphoricè per vim, & elegantiã seu phrasim vsitatam explicationis: ergo, &. Minor patet quoad primam partem, quia si dolor in propria significatione sumeretur; Christus in eo triduo aliquid perpessus fuisset. Quoad secundam etiam videtur constare, quia & energiam, & vim, & tropum ac phrasim aptam habet explicationis; de resurrectione Christi facta per potentiam singularem Dei, sic eam explicare. *Quem Deus suscitavit solvens ea ua in morte, & viscèribus terræ inesse videntur funes, & vincula, nedum tenacia, sed quasi ad torturam, & dolorem fortissimè torquentia, ne ex inde solvantur ij, quos in suo profundo sinu semel excepit.* Atqui hæc omnia mira concisione in se claudunt illa verba *solutis doloribus inferni*, prout in nostra sententia exponuntur: ergo per eam de primo ad vltimum solide, & enucleate videntur cuncta præstari. Confirmatur ex regulla illa S. Augustini *lib. 3. de Doctrin. Christian. cap. 5. 10. & 11.* vbi ait: *Cavendum est, ne figuratam locutionem ad litteram accipiamus; sicuti nec locutio propria vt figurata accipienda est.* Et ex alia D. Hieronym. in Oseam, *cap. 10.* dicentis: *Hanc habet consuetudo sermo divinus, vt per Tropologiam, & Metaphoram historiæ exprimat veritatem.* Ex quibus argumentor sic. Textus difficilis debet exponi iuxta consuetudinem divinæ Scripturæ declaratam à perito earum tractatore, vt Hieronymo; & sumendo figuratè (etiam iuxta Augustinum, qui propriæ significationis est tenax) loquutionem quando sumpta ad litteram creat incommodum. Sed ita accidit in hoc loco si ly *doloribus* propriè sumi velit: ergo, &c. Minor patet, tùm quia ex vna parte impios vt videmus in Notabilibus in errores inducit: tùm ex alia quia pios interpretes vexat, & malè distrahit in varias torturas. Ergo, &c.

6 Probatur 2. conclusio, Quoties aliquis textus in Vulgata obscurus est, & neque per aliu n Scriptorem Canonicum illum explicantem; nec per ipsum contextum potest benè declarari; opem ferre debent Versiones, vel potius originalia idiomata, vnde Vulgata facta est; non vt in ea aliquid corrigant; sed vt declarent. Atqui ex Versionibus, tùm Syriaca, & Hebrea, tùm Græca clarè constat, ly *solutis doloribus inferni* significare quod Deus suscitans Christum, cum à pressura mortis liberavit: ergo hæc, & non alia interpretatio germana est. Maior est Canon pro legitimè interpretando in sensu lit-

litterali: & fructus exinde passim colligitur, v. g. Ex Hebræo fonte dignoscitur: num *dico opera mea Regi* sit *dicere*, an *dicare*: constat enim esse *dicere*. Probatur min. Syriaca legitimè vertit *solutis funibus inferni*. Et Græca legitimè vertit sic *solvens dolores mortis*. Sed iuxta præiacta à nobis in Notabilibus hinc resultat solutio facta *à vinculis mortis*, quæ est phrasis ad id communis, & elegans: ergo, &c. Maior constat manifestè quoad Syriacam: quia radix Hebræa *Chabal* vnde manat vox Syra, in prima sue acceptione significat *ligare*; licèt in secunda significet *dolere* vt expendit copiosè Valentinus Schilderus. Quoad Græcam verò probatur sic. Vox *mortis* rectè, & propriſsimè correspondet originali Græco; & in eo loco, dum ad speciale scrutinium venit, ita debet explicari: ergo, &c. Antecedens quoad primam partem constat. Quia vox reperta in Græco est *Thanatu*, quæ significat propriſsimè *morris*. Quoad secundam verò probatur. Quia in textu Græco quoad hanc vocem video esse clarum discrimen: scilicèt: quando dicitur Christus solutus ponitur *Thanatos* id est mors, quando vero infra subdit *non derelinquet animam eius in inferno*, pro inferno ponitur alia vox *Adou* quæ in Lexico significat *Orcum Erebum, infernum* proprie talem: quia nimirum cùm tunc sermo esset de anima; non poterat vox *mortis* locum habere: præsertim cum posteà subsequatur *nec sanctum tuum videre corruptionem* ergo illa Versio Græca est valde Legitima.

7 Probatur 3. conclusio ex Versionibus, & ni fallor non invenustè neque inefficacitèr. Sic. Per vocem *dolores* intelligitur corruptio, & per vocem *inferni* intelligitur *mortis*. Sed hoc est, nil in tali phrasi *solutis doloribus inferni* includi veri doloris, sed nudam liberationem mortis per emphatica verba explicatam: ergo, &c. Probo min. quoad 2. partem, tùm ex nuper dictis, tùm ex dictis in Notabilibus. Quoad primam vero sic. Hæc vox vel radix Hebræa *Chabal* vnde formata est vox Syraa in Versione correspondens *doloribus* significat directè, clarè, & expresè *corruptionem*, vt tradit citatus Valentinus Schilderus *in suo Lexico Pentaglotto*. Et insuper vox Græca *odinas*, quæ correspondet *doloribus* interdum ad dolorem; interdùm verò ad *tumescentiam*, quæ propria est corruptionis, & corporis sepulti, trahitur ex Lexico Græco Adriani Iunij: ergo de primo ad vltimum. & per vocem *doloribus* intelligitur *corruptio*, & per vocem inferni intelligitur *mori*: & plana resultat interpretatio. Et vrgetur, quia idem Valentinus in hoc textu *Actor.* 2. ponit hanc vocem Syriacam *Chabala* pro corruptione, quam ponit Vulgata, ibi: *Videre corruptionem*.

8 Obijcies 1. contra hanc conclus. Hæc sententia, & interpretatio deserit Versionem Vulgatam, & confugit ad versiones alias, Sed id fieri non debet: ergo non est legitima interpretatio. Minor patet. Quia Versio Vulgata est quam adoptavit Ecclesia, & quæ vt Authentica per Tridentinum, est declarata, & ex qua dirimendæ sunt quæstiones. Ad hoc argumentum nego maiorem, quæ notoriè sophistica est incurrens illud genus sophismatis Aristotelici, quod vocatur *pluribus interrogationum vt vnius*, & quod explicui in Palæstra Scholastica *lib.* 1. *de Notione Sophismatum, tract.* 1. *ad finem*: licèt enim fiat recursus ad alias Versiones non tamen Versio Vulgata deseritur; sed retinetur, admittitur, & rectè facta defenditur; sed explicatur per originalia: qui recursus est, & esse debet omnium interpretum litteralium. Atque cum hanc obiectiunculam alias me tetigisse meminerim; opus est inde huc advocare doctrinam, dicereque, Vulgatam vere esse illam Scripturam Authenticam, quam S. Mater Ecclesia habet pro concionibus, lectionibus,

&

& quæſtionibus, quæ non ſunt de ipſa Verſione, & de ſignificatione alicuius termini, & clauſulæ ipſius. Nam quæ ſic ex ipſa proficiſcuntur, niſi alibi alius Scriptor Canonicus eas dirimat; vel contextus ipſe rem aperiat; perperam poteſt res ex ipſa ſola Vulgata definiri: veluti de illis verbis *dico opera mea Regi* ſupra tactum eſt. Et hæc eſt vna ingens vtilitas linguarum originalium de qua elegantem orationem fecit Romæ P. Iacobus Maria Ayrolus S. I. Quocirca licèt inibi à nobis admittatur ac tetineatur vox illa *doloribus inferni*, & quidem per Latinum interpretem non malè inducta; tamen de Verſionibus expiſcari conamur ſenſum ſub illa expreſsione magis cohærentem.

9 Obijcies 2. cum replica. Ex noſtra concluſione, & probatione ſaltem conficitur, quòd Latinus Interpres non benè vertetit in Vulgata editione. Sed hoc dici vix poteſt: ergo interpretatio non tenet. Minor conſtat, tùm ex ipſo honore verſionis, tùm quia ſi alicubi claudicat; nullibi fidem faciet. Mai. probo. Quia ex probatione conficitur vertiſſe confundendo, & æquivocando in Latino ea, quæ clara erant in Græco: ſed hoc eſt male vertiſſe: ergo, &c. Maior conſtat: quia Latinus Interpres reddit *infernum*, tùm in loco noſtro *doloribus inferni*, tùm paulò inferius *non derelinquet animam ſuam in inferno*. Sed Græcum habet ibi duas voces non ambiguæ ſignificationis, ſed clarè diſtinctas, quarum prima eſt *Thanatos* ſignificans *mortem*, & ſecunda eſt *Ades*, *adu* ſignificans *orcum*, Erebum, Loca Plutonica, &c. ergo, &c. Ad hoc argum. neg. maior. quæ poſſet concedi ſine abſurdo: quia vt cernere eſt apud Serarium *in Prolegomenis*, & D. Portilla *in Quodlibeto*, Baſilium Ponce *in Quæſtionibus expoſitivis*, Riccioliun *in Chronologia*, cum Petavio, & alijs, vt Salmerone, Vega, Driedone, quos *in quæſt. de Cainam dedi primo tomo*, non omnino inhibitum eſt, quod de vno aut altero loco non poſsit fieri aliqua verſio melior, præſertim rebus quotidie magis clareſcentibus, ſalva ſemper verſione Vulgata, tùm quoad fidem, & mores, tùm etiam quoad tenorem regularem verſionis, quæ cæteris præfertur, licet vno altero ve loco poſſet alia forte aptior expreſsio latina ſubſtitui. Neque ignorant Interpretes docti adhuc ſub litè eſſe vtrimque probabili: num Spiritus Sanctus aſtiterit facienti verſionem, ſicuti aſtitit Scriptori Canonico. Sed his non prætermiſsis, maiorem rurſus, neg. ad cuius probationem, diſtinguo maior. confundendo *quoad ſenſum*, nego mai. *quoad aliquam vocem*, ſubdiſt. id eſt, *ſubſtituendo ſignificationem magis generalem pro magis ſpecifica, & contracta*, conc. maior. *confuſione vitioſa*, nego maior. & diſtincta reſpectivè minori, neg. conſequent. Igitur licet D. Hieronymus non fuerit ille Interpres Latinus Novi Teſtamenti, quod ex Damaſo ſolum Græcæ fidei reddidit; tamen cum ſit Doctor Maximus in exponendis Sacris Scripturis; lecta *Epiſtola eius* 101. de optimo genere interpretandi ad Pammachium ad finem *tom.* 2. pergo, & dico, quod cum hic S. Doctor totus ſit, & eruditiſsimè, ac graviter in oſtendendo, verſionem fieri debere non de verbo ad verbum, ſed de ſenſu ad ſenſum; & inſuper in Sacris Biblijs abundent ſenſus, lateant ſub obſcura phraſi interdum myſteria, & penes Eccleſiam ſolam ſit taxare ſenſus Scripturarum; non niſi cordatè, & ſapienter procedebat Interpres quoties animadvertens aliquam clauſulam, vel periodum vario ſenſu poſſe gaudere (& maximè ſi eorum aliquis appropinquaret ad dogma) nolebat in aliqua voce, quæ præ vario ſignificato ſui iuncta cum alijs poſſet binos, vel plures reddere ſenſus, vnum taxare: licet enim fieri poſſet id in alijs prophanis Scriptis, imò & ſacris, ſed humanis; tamen in Scriptis Canonicis, animi multum Catholici, & reverentis eſt, iudicium

Eccle-

Ecclesiæ in ea re non prævenire, vti suo cerebro passim factitant impudenter Hæretici; sed ipsi relinquere, vt vel aliquem sensum taxet, & alium respuat; vel vtrumque inter suos Doctores ire permittat.

10 Quibus positis cum Latinus Interpres noviſſet, vocem *Thanatos* significasse *mortem*; imò & quid etiam allusivum ad inferos, vt cernere est in voce Thanatusia, id est, *festum apud inferos Plutonicum*; videretque *mortem*, cum voce Græca præcedenti significante *dolores*, non tàm omninò cohærere, quia à doloribus mortis Christus potius per excessum è vita solutus est, quàm per resurrectionem; voluit sufficere vocem illam *inferni*, in qua, & vero sensui nihil detrahebat, & cum voce significante *dolores*, maiorem cohærentiam servabat. Addoque vlterius, neque me damnaturum illum Traductorem, qui in re Biblica notans in voce aliqua duas significationes alteram planiorem; obscuriorem alteram; hanc aliquando prę illa seligeret; semel ac alterutram esset electurus. Ratio est. Quia præ se fert, tùm quandam proprij iudicij humilitatem nolens repellere, quod ipse minus assequitur: tùm maiorem Sacræ paginæ reverentiam suspicando, fortasse ibi latere mysterium, quod Ecclesiæ taxandum relinquat: tùm quia cum minori iactura resecaretur illa significatio obvia, & clara, quam semper respiraret ipse contextus; quàm vox, vel significatum obscurius, quod, si deesset, cœcam prorsus clausulam reliquisset.

11 Obijcies 3. Hæc interpretatio debilitat argumenta SS. PP. probantia ex Scripturis descensum Christi ad inferos. Sed hoc est maximum inconveniens ab Interprete Catholico reijciendum: ergo talis intetpretatio non est legitima. Minor videtur clara maior autem probatur. Varij sunt SS.PP. qui recensentur apud Authores vsos esse tali loco simul cum alio de Epistola Petri, vbi dicitur: *Christum spiritibus, qui erant in carcere prædicasse*; ad talem articulum probandum. Sed iuxta nostram interpretationem datam hic, & alibi pro vtroque loco talis articulus inde non probatur: ergo, &c. Ad hoc argumentum grave multipliciter respondeo: primo negando maior. ad cuius probationem, disting. maior. vsos esse *valdè probabiliter*, concedo maior. tanquam argumento definitivo, & canonico, nego maior. & distincta respectivè minori nego consequent. Itaque sciendum est SS. PP. multipliciter Hæreticos confutasse, iam depromendo argumenta, & testimonia de fide apud Ecclesiam, & ea mirificè exerendo, & illustrando; iam etiam sæpissimè per argumenta topica, & probabilia, si fortè hac, & illac pulsando aditum invenirent, vt eorum cordibus veritas illuscesceret, quemadmodum, & illuxit olim, remotis argumentis, per simplicem S. Spiridionis Sermonem; atque etiam aliquando illuxit medio syllogismo Catholico, sed minus dialecticè instructo: nam Spiritus Domini vbi vult spirat: itaque consueverunt rectissimè SS. PP. præstare id, quod monuit S. Gregorius, vt scilicèt, prius captivato intellectu ad fidei propugnaculum ascendamus, vt tuti postea possimus super hunc murum discurrere: quare, & contra Hæreticos itidem factitabant, tractantes prius argumenta de fide, & postmodum hinc inde per loca Biblica, quæ ad rem facerent, & ipsos vrgerent abundè excurrenres; quin propterea licet veritas de qua agerent esset de fide, forent etiam de fide omnia argumenta quibus eam tractabant.

12 Quod adeò verum est, vt sentiant DD. prænobiles, nedum SS. PP. verum, & Scriptores Canonicos interdum argumenta solum probabilia versare. Super quo videri possunt P. Montefrio *in sua Methodo Didascalica*, & qui de Prolegomenis scripsere, qui à nobis fusè dantur toto *tom. 1. part. 1. Apparatus ad finem*. Itaque de Scripturis

vt

vt videri poteſt apud Suarez *diſp. 43. ſect. 2.* ſunt loca magis clara pro tali articulo vt Matth. 12. *de Chriſto in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Ad Epheſios 4. *de Chriſto deſcendente primum in inferiores partes terræ.* Ad Roman. 10. *vbi quæritur quis deſcendit in abyſſum id eſt Chriſtum à mortuis revocare.* Poſt quæ pergit Suarius dicens : *Secundo principaliter probanda eſt hæc veritas Eccleſiæ diffinitione, ac traditione. Definita enim eſt in Concilio Lateranenſi, vt habetur in cap. firmiter de Summa Trinitate, & fide Catholica. Idem traditur in Concilio Toletano 4. in confeſſione fidei, & in Symbolo Athanaſij, quod Eccleſia recepit, & in Symbolo Apoſtolorum, prout nunc ab Eccleſia recipitur, & recitatur. Hunc etiam fuiſſe perpetuum Eccleſiæ ſenſum ac traditionem ex ſcriptis SS. PP. evidenter conſtat : quorum teſtimonia tam ſunt frequentia, & vulgaria, vt in eis recenſendis immorari ſupervacaneum videatur.* Hucuſque Suarez exinde texens de PP. Græcis, & latinis Catalogum locupletem. Qua propter tam ex his, & ex articulo deſcenſus ad inferos poſiti in Symbolo à Thoma Apoſtolo ; quàm ex illo textu Eccleſiaſtici 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino,* conſtat quam non indigebat hæc veritas pro animis non pertinacibus duplici illo vlteriori textu de Epiſtola Petri, & de hoc loco præſenti, licèt aliqui eos etiam ad hunc finem probabiliter traduxerint. Et ita oſtendimus ex Baſilio Ponce, & alijs *tom. 1. quæſt. de Diluvio.* Quinimo vt ſæpè ratiocinari ſoleo, ea ingenuitas qua nonnulli textus, v. g. hi, & ſimiles planiori via exponuntur, quin inibi niſu, & conatu elici velit ſenſus aliquis, qui non facilè evincitur; potius firmat, & roborat argumenta dogmatica apud hæreticos, quandoquidem vident ita cum illis non tàm ex præoccupatione etiam pia, quàm ex ſyncera veritate tractari. Ac tandem ſi expoſitio hæc vel alia ſic ducta, infirmare videretur vnum, aut alterum argumentum; inde pateret, ea quæ ab Hæreticis aliunde retundi poſſunt, ſaltem non primo loco ſumi debere, vt ſaxea eorum corda perrumpant; ſed poſtquam murus quaſſatus, & ruptus eſt, illa adhiberi?

13 Reſpondeo 2. negando maiorem, & minorem probationis ſiquidem noſtra expoſitio potius firmat, quòd ex toto contextu huius capitis Chriſtus ad inferos deſcenderet, quatènus ita negatur in his vocibus *ſolutis doloribus inferni* intelligi pœnalem locum; vt exinde, inſpecta Græca verſione, aperiatur manifeſtè fuiſſe infernalem locum, & pœnalem lacum vel ſinus inferiores, vbi paulò inferius dicitur Chriſtus non fuiſſe derelictus per illa verba : *Non derelinques animam meam in inferno.* Sed ex tali contrapoſitione in exponendo maximè clareſcit hic locus poſterior vbi oſtenditur deſcenſus Chriſti ad inferos ſecundum animam: ergo ſi benè attenditur noſtra interpretatio quoad ſenſum, & contextum, prout fieri ſemper debere monet Hieronymus, talis articulus plus confirmatur. Reſpondeo 3. negando maiorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem, vſos eſſe in ſenſu ſecundo litterali, concedo maiorem in primo, nego maiorem, & reſpectivè diſtincta minori, nego conſequentiam. Pro cuius ſolutionis explicatione luſtranda ſunt ea quæ fusè dedimus, *tom. 1. Decad. 1. quæſt. 8.* vbi cum Auguſtino, D. Thomà, Beda, & alijs diximus textum de Epiſt. Petri prima, *cap. 3.* in ſecundo ſenſu litterali loqui de deſcenſu Chriſti ad inferos, quod ſimiliter de hoc ſecundo pronuntiamus; quoties vniverſim, & vnanimiter ex mente PP. & vſu Eccleſiæ in eo ſenſu talis textus accipiatur. Cuius firmiſsima ratio ea eſt, quia cum Spiritus Sanctus idem ſit ab æterno; & quæ Eccleſia cum vnanimi ſenſu PP, vſurpat præſertim pro dogmate non poſſint ab eo non eſſe; ac rurſus ſenſus,

qui de Spiritu Sancto eſt in aliquibus verbis, non potuerit non intendi ab eodem ſpiritu quando illa dictabat; inde conſequitur, quod talis ſenſus ſit litteralis non primus, & obvius; ſed ſecundus, & altior. Et eſt ſolutio clafica.

14 Obijcies 4. Talis textus habet ſenſum planum, & catholicum etiam loquendo de veris doloribus inferni: ergo ita accipiendus eſt. Probatur antec. primo. Quia verum genus doloris erat illa expectatio qua PP. in Limbo diu Redemptorem expectarunt. Spes enim quæ differtur affligit animam. Sed Limbus PP. propriè etiam dicebatur infernus: ergo quando inde Chriſtus Patres eduxit, ſolvit dolores inferni. Probatur 2. Incredibile prorſus eſt quod Chriſtus in deſcenſu ad inferos ſaltem aliquas animas in Purgatorio detentas non donaverit plenaria indulgentia in tam ſingulari inferorum gaudio, atque jubilæo. Atqui hæ animæ patiebantur dolores in inferno verè, & ptopriè: ergo, &c. Ad hoc argument. nego antecedens ad cuius primam probationem, reſpondeo primo negando maiorem: quia PP. in limbo nullum verum dolorem, & cruciatum ſentiebant, neque ſtrictam pœnam damni; ſiquidem animæ illæ plane Deo conformes, & omni reatu pœnali iam exſoluto, cum menſura temporum, quæ Deus in ſcrutabili iudicio diſpoſuit, & cœleſtibus immiſsionibus irroratæ diem beatitudinis ſuæ in multa quiete præſtolabantur. Spes autem illa, quæ affligit eſt quoties in hoc ſæculo vehementer aliquid concupiſcimus quouſque tandem id obtinemus: in illis verò animabus non tàm inerat ſpes, quàm ſimplex expectatio, & præſtolatio ſecura ſufficiens tamen, vt eius influxus poſſet accelerare opus Incarnationis. Reſpondeo 2. concedo totum, ſed in eo textu id non dicitur, neque vllum verbum de PP. inſinuatur, ſed de ſolo Chriſto ſermo eſt. Ad ſecundam probationem, reſpond. permiſſa maiori cum Div. Thoma 3. *part. quæſt.* 52. *art.* 8. *ad* 1. (quam tamen negare videntur Bonaventura *in* 3. *diſt.* 22. & Viguerius *in Inſtitutione. cap.* 16. §. 4. *verſ.* 30.) & conceſſa minori nego conſequentiam. Nam licet id ita fuiſſet; tamen ibi nihil memoratur: neque credi poteſt, quod res tam ſolemnis, vt extractio PP. de limbo, vel tam ſingularis indulgentia Purgatorij duobus ſub obſcuris verbulis clauderentur: præcipue cum ibi totus ſermo ſit de Chriſti perſona eo tenore ſuſcitata: quare ad hanc rigoroſus Interpres, & non ad alias, & alia dogmata pro arbitratu intrudenda ibi, debet totum tractum, & contextum accommodare præſertim, ſi ſenſus planus reſultet.

15 Ad calcem libet verba D. Hieronymi in Procœmio ad Ionam adducere, quæ hic non ſunt admodum importuna, vt ſimpliciori interpretatione, quàm multiplici, potius textus exponendus eſſe videatur, & præterea pro alijs locis, & quæſtionibus ſunt ſervitura. Ait ergo: *Scio veteres Eccleſiaſticos, tàm Græcos, quàm Latinos ſuper hoc libro multa dixiſſe, & tantis quæſtionibus non tàm aperuiſſe, quàm obſcuraſſe ſententias; vt ipſa interpretatio eorum opus habeat interpretatione, & multò incertior Lector recedat, quàm fuerat antequam legeret. Nec hoc dico, quo magnis ingenijs detraham, & alios mea laude fugillem; ſed quod Commentatoris officium ſit, vt quæ obſcura ſunt breviter aperteque dilucidet, & non tàm differtitudinem oſtentet ſuam, quàm ſenſum eius, quem exponit ediſſerat.*

***

JHS.

DECAS III.

QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

INVENI ARAM IN QVA SCRIPTVM ERAT: Ignoto Deo. *Actor.* 17. *vers.* 23.

ARTICULUS.

QVIS FVERIT HIC DEVS IGNOTVS APVD Athenienſes?

1 Uppono 1. Athenis quæ Civitas erat nimis dedita ſuperſtitioni, non vnicam fuiſſe aram, quæ inſcripta eſſet *Ignoto Deo*: nam, vt obſervatum invenio apud Baronium, Cornelium, atque Lorinum multæ aræ inveniebantur, quæ inſcriptæ eſſent *Ignotis Dijs*, licèt tàm textus Pauli, quàm inſcriptio, quàm attulit Oecumenius, quem ſequitur Ioannes Placus in Lexico Biblico, licèt in plurali ſit pro Dijs Aſſiæ, & Europæ, & Liviæ; tamen finit in ſingulari, dicendo: *Deo Ignoto, & Peregrino.* Quare attenta præcisè hiſtoria prophana, videtur dubium eſſe num aræ Athenis dedicatæ pro Ignoto Deo eum in plurali; an in ſingulari vſurpaverint? ſiquidem Pauſanias *lib.* 1. & *Philoſtratus, lib.* 6. *cap.* 2. ſatis clarè pronunciare videntur Athenis fuiſſe plures aras *Ignotis Dijs* conſecratas. Quibus de Sacris Authoribus accedunt Tertullianus 1. *contra Marcionem, cap.* 9. & Hieronymus *Epiſt. ad Titum, cap.* 1. Ex alia verò parte Lucianus *in Philopatro*, vbi iam ait vſurpatum fuiſſe iuramentum per *Ignotum Athenis*: iam alios invitatos fuiſſe, vt *Ignotum inventum adorarent*, manuſque ad Cœlum tollentes gratias agerent, vt qui digni facti eſſent huiuſmodi poteſtati, atque veritati ſubiecti eſſe. Itemque apud Gallos etiam fuit ara *Ignoti Dei*, teſte S. Martiali *in Epiſt. ad Burdigalenſes, cap.* 3. & Aureliano Authore *Vita S. Martialis*; necnon teſte Gregorio Giraldo *in Hiſtoria Deorum Syntagmate* 17. Etiam apud Arabes dabatur ara *Ignoti Dei.* Vnde conficitur, quod licet darentur aræ plures pro *Ignotis Dijs* dabatur etiam ſingularis, vel aræ etiam ſingulæ, quæ inſcriptæ eſſent *Ignoto Deo*, ex textu D. Pauli, cui dum poſſumus adhærere malumus, quam vocato

Hic

Hieronymo opinanti vbi ſupra; licet ex Bellarmino tale opus non ſit Hieronymi, ſed potius Pelagij Hæretici.

2 Suppono 2. Rationem dubitandi exinde naſci: quia ex vna parte videntur Athenienſes in illa ara cultum detuliſſe Deo vivo, & vero ab ipſis confusè cognito: tùm quia id videntur indicare ipſa verba Pauli, *quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*: ſiquidem ipſis annuntiavit Deum vivum, & verum: tùm quia cum Sapientes Græcorum Deum vnum quoquomodo non ignoraſſent, vt conſtat ex dicto vnius ex ſeptem Sapientibus, ſcilicèt: *Sequere Deum*, & aliunde Athenis Græcorum ſapientia floreret; nihil magis apparet quam, quòd in illa ara vnicum Deum colerent eo meliori modo quo poſſent. Ex alia vero parte etiam ipſa verba Pauli notant Athenienſes, etiam in illa ara ſpecialiter ſuperſtitioſos, in qua ita non eſſent ſi verum Deum colerent. Atque inſuper extant Hiſtoriæ apud Oecumenium in quibus traditur, Athenienſes iam pro victoria contra Perſas reportata, iam pro graſſantis peſtis liberatione aram erexiſſe alicui Deo ſibi Ignoto, ſed quem de cæterorum grege putarent, & placatum illi percuperent. Vnde relinquitur locus diſputationi inquirenti: *Vtrum Athenienſes verum Deum reipſa colerent rudi admodum eius notitia ducti; an verò ſuperſtitioſè ſe geſsiſſent veluti ad alias aras colendo more cæterorum Deorum vnum quempiam, quem, & munere, & nomine ignorarent, vtpotè non Mercurium, non Martem?*

3 In qua quæſtione varia poteſt deſignari ſententia prima aſſerit, talem aram pro Ignoto Deo dicatam fuiſſe Chriſto iam mortuo, & ſibi incognito, quaſi illi Authori naturæ, quem de illa Eclypſi tam lugubri, & celebri paſſum quaſi cognoverant, vel ſuſpicati fuerant ex dicto Dioniſij: *Aut Author naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvitur.* Hanc tenet Petrus Comeſtor *in Hiſtor. Scholaſt.* nec diſplicet Salmeroni apud Sanchez. Item Lugo, & Lira, apud Cornelium hic. Secunda ſententia tenet aram fuiſſe erectam pro Deo quodam venturo quod ignorabant. Ita Ilduinus Archiepiſcopus Rhemenſis *in Vita S. Dionyſij.* Tertia ſententia ait, Athenienſes, vel a Philoſophis, & Sybillis, vel à Iudæis intellexiſſe Deum verum eſſe inviſibilem, & incomprehenſibilem, ideoque illi aram dedicaſſe, quaſi Ignoto Deo. Ita Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromatum, cap. 9.* Auguſtinus *lib. 1. contra Creſconium, cap. 29.* D. Hieronymus in Ezequiel. *cap.* P. Gaſpar Sanchez, Lorinus, & Cornelius in hunc locum apud quem etiam Cardinal. Baronius. Quarta ſententia aſſerit Athenienſes in preſenti aliquo diſcrimine timore tactos, atque formidine, ne fortè non colerent Deum aliquem quem ipſi ignorarent, qui propterea ipſi foret adverſus; exiſſe aram ignoto Deo, vbi ſacrificijs eum placarent. Ita D. Ioannes Chriſoſtomus *tom. 3. homil. 33. in Acta Apoſtol.* & Oecumenius, apud Cornelium.

4 Sit noſtra concluſio. Athenienſes non minus ſuperſtitioſo animo ſe gerebant aram Ignoto Deo erigentes, quam cæteris Dijs quibus Ignotum ſimilem eſſe cenſebant. Probatur 1. concluſio ex D. Chriſoſtomo, ſic aiente. *Quid eſt hoc? Athenienſes, quia per multa tempora acceperant Deos etiam extraneos, vtpotè Templum Minervæ, & Panæ, & alios aliunde, timentes ne forſan, & alius quiſpiam eſſet quem ignorarent, ipſis quidem nondum cognitus, qui tamen alibi colatur, propter maiorem igitur ſecuritatem etiam illi altare erexerunt: & quoniam non erat manifeſtus Deus inſcriptum eſt Ignoto Deo.* Item ex Oecumenio aiente de ipſis ſic: *Tanquam obſervantes ne vel idem ſanè, vel aliud ſimile ipſis accideret, ſi quempiam Ignotum ſibi Deum prætermitterent; aram illam illam erexerunt inſcribentes IGNOTO DEO. Dicentes. Si quis alius adhuc à nobis ignoretur, in eius honorem hæc ara à nobis erecta eſto, quo nobis propitius ſit*

licèt

licèt, cum ignoretur non colatur. Ergo, &c.

5 Probatur 2. concluſio textus D. Pauli, ſic ſe habet: *Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra inveni, & aram in qua ſcriptum erat IGNOTO DEO.* Sed hæc verba probant cultum illius aræ etiam fuiſſe ſupeſtitioſum, tributumque alij Deo ſimili cæteris: ergo ita revera fuit. Ptobo min. Talia verba manifeſtè dicunt, Athenienſes in eo deprehendi ſuperſtitioſiores, quòd præter Aras cæterorum Deorum, aram tali Ignoto Deo erexiſſent. Sed id verificari non poterat, niſi quatenus ſuperſtitiosè colerent in illa Ara quemdam Deum (determinatum vel indeterminatum) ſimilem cæteris: ergo, &c. Minor patet. Maior probatur, quia clarus ſenſus Pauli eſt. *Super omnia ſuperſtitioſa ſuperſtitioſiores vos video, quia inveni quoque Aram*, &c. Confirmatur 1. Quia Athenienſes habebantur religioſi nimis in ſuo Deorum cultu, vt conſtat ex Ioſepho contra Apionem, & alijs: & in eo dicebantur ſuperſtitioſiores; quia præter cultum vſitatum inter eos, & debitum, alium quaſi timorati, & ſcrupuloſi adijciebant, ne fortè aliquod Numen vel ſuum, vel alienum ſine cultu relinquerent: non ſecus ac timorati noſtri neque vna imagine, neque oratione vna ſolent eſſe contenti; ſed cuncta luſtrant, & ſalutant, ac preces ingeminant: ergo cultus ille Athenienſium additicius erat, & ſupererogationis; ſed ſuperſtitioſus; imò, & ſuperſtitioſior, quia, & ignotis rebus adorationem non recuſat. Confirmatur 2. Quia in hac ſententia omninò inclareſcunt inſcriptiones relatæ in aris illorum, & confirmantur. Inclareſcunt quidem: quia ipſi invocabant Deum aut Deos *Ignotos*, quia peregrinos; vnde dicendo *Peregrinos* declarabant, quid dicerent per Ignotos, & vocabant *Ignotos*, quia *Peregrinos*. Præterea confirmantur. Quia ſi res ita ſe habet, vt opinamur idem prorſus erat dicere *Ignoto Deo ac Ignotis Dijs*: ſiquidem cùm ly *Ignoto Deo* (præſertim ſi replicabantur hæ aræ) foret indefinitè pro quovis ignoto, pluralis numerus vtrobique erat, ſivè copulativè aut confusè ſumerentur; ſivè diſtributivè, & indeterminatè.

6 Probatur 3. concluſio. Si Ara, quam Athenienſis erexerant *Ignoto Deo*, fuiſſet Deo vivo, & vero obſcurè tamen cognito; D. Paulus non eos tam ex profeſſo inſtituiſſet de ijs, quæ iam ipſi norant, & ex ſapientibus ſuis quoquomodo didicerant. Sed ita ſe geſsit D. Paulus: ergo non Deo vivo, & vero, ſed alicui ſimili cæteris Dijs talem aram erexerunt. Maior conſtat. Probatur minor. Id quod Athenienſes vt viri Græcè exculti poterant de Deo ſcire tam ex Philoſophis, Pœetis, & Sybillis, imò, & ex traditione Iudæorum, erat, vnum Deum eſſe altum, & inviſibilem, principium, & finem rerum omnium, Auctorem vitæ, & conſervatorem. Sed hoc ipſum, & nil aliud eſt quod Paulus Paraphraſticè dicit de Deo vivo, & vero, quaſi annuntians ipſis quod ignorabant: & quidem citando Poetas ipſorum: ergo inſtitutio, & declaratio facta à D. Paulo fuiſſet de ijs quæ iam ipſi ſcirent, ſi Deo vivo, & vero altare dedicaſſent. Minor patet ex verbis textus ſic ſe habentibus: *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic Cœli, & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia: fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper terram definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum ſi fortè attrectent eum, aut inveniant; quamvis non longè ſit ab vnoquoque noſtrum. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus, ſicut & quidam Veſtrorum Poetarum dixerunt. Ipſius enim, & genus ſumus. Genus ergo cum ſimus Dei non debemus æſtimare aure,*

aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominis divinum eſſe ſimile Et tempora huius ignorantiæ deſpiciens Deus nunc annuntiat hominibus vt omnes vbique pœnitentiam agant: eo quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate in viro in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis. Ergo, &c. Et vrgetur ex illis verbis. *Et tempera quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus annuntiavit*, &c. Nam hoc eſt dicere eos eo vſquè ignaros fuiſſe (ſaltem quoad vulgus, & pleroſque) eorum, quæ paulò ante ipſe de Deo retulerat: ergo, &c.

7 Obijcies 1. Verba ipſius textus per ſe, & immediatè ſumpta clarè oſtendunt, Deum quem ipſi Athenienſes ſub ea inſcriptione colebant eſſe verum Deum: ergo quoad illam aram ipſi creatam nihil ſuperſtitionis interveniebat. Probatur antecedens, textus ait: *Quod ergo ignorantes colitis; hoc ego annuntio vobis.* Sed hæc, verba clarè, & immediatè dicunt, verum Deum ibi fuiſſe adoratum: ergo, &c. Probo min. hoc ſyllogiſmo rectè conſtructo, & immediato: *Ipſi colebant quod ipſis Paulus anuntiavit. Sed Paulus annuntiavit eis Deum vivum, & verum: ergo hunc ipſi colebant.* Ad hoc argumentum reſp. neg. antecedens, & minorem probationis, atque ſyllogiſmum poſtea inductum, diſt. mai. Ipſi colebant *ſcienter, & legitimè*, Deum, quem ipſis Paulus verè annuntiabat. Neg. maior. Ipſi colebant *ignoranter*, & *ſuperstitiosè* Deum, quem Paulus verè annuntiavit, ſubd. colebant quoad titulum, conc. maior. quoad rem, neg. mai. & conceſſ. minor. nego conſequentiam. Itaque aliud erat titulus inſcriptio, aut nomen ſub quo cultus exibebatur; aliud vero eorum animus adoratio, & intentio. Quoad titulum igitur exhibebant adorationem etiam Deo viventi, & vero, quatenus hic erat ipſis ignotus, & à quo verè ipſis bona vel mala ventura erant: imò ſi velis etiam, iuxta generaliſsimum animum ſuum præveniendi cultu quodvis Numen, quod ipſis poſſet opem ferre; etiam ad verum Deum ſe extendebant, ſed omnino ſuperſtitioſo, & erranti, confundentique Deum verum cum falſis ſub expreſsione latiſsimè: animus autem contractus, ſpecificus, & verus ipſorum non ſe extendebat ad Deum verum, ſed ad quæcumque alia Numina, ipſis ignorata, de furfure tamen cæterorum, quæ adorabant; ne fortè ea præ ignorantia implacata relinquerentur. Itaque vt reor non importunum huc ex Auguſtino contrahetur exemplum. Aiebat enim hic Ario: *Non eſt ipſe filius: aliud enim eſt filius; aliud quod tu dicis.* Nam hæreticus ille appellabat filium, imò, & verum filium Dei, quem tamen vera filij Dei natura denudabat. Sic in noſtro caſu, licèt inſcriptio illa *Ignoto Deo* vero Deo poſſet aptari; tamen prædicata, quæ erant ſub ea expreſſione, ipſi erant aliena ita vt potuiſſet dicere ipſis Paulus: *O viri Athenienſes. Aliud eſt verus Deus vobis ignotus; aliud autem id quod ſub ignoto Deo vos dicitis.*

8 Obijcies 2. Incredibile prorſus eſt, quod Athenienſes ex Philoſophis, præſertim Triſmegiſtro, Poetis, Sybillis, & Iudæorum traditione non ſcirent vnum eſſe Deum, ſed *ineffabilem*, & *incomprehenſibilem*. Sed hoc poſito, talis ara inſcripta *Ignoto Deo*, non niſi verum Deum denotabat: ergo ita re ipſa fuit. Maior videtur clara ex eo, quod Athenienſes cultiſsimi, ſapientiſsimique habebantur apud Græcos, & quaſi hæredes, & poſſeſſores totius ſapientiæ Græcorum. Minor probatur: quia ſemel ac poſita eſſet Athenis ara pro *Ignoto Deo*, ſtatim poſita debebat intelligi pro illo Deo, quem ex vna parte colerent; ex altera verò ignorarent: ergo poſito, quod ab ipſis cognitus eſſet Deus vivus, & verus ignoratus tamen tanquam *incomprehenſibilis*, & *ineffabilis*; pro eo talis ara conſtructa credi debebat. Ad hoc argument.

ment. respondeo concessa maiori negando minor. ad cuius probationem, concesso antecedenti nego consequentiam. Ad cuius veritatem opus erat, quod verus Deus apud Athenienses, nedum haberetur in cognitione, sed etiam in cultu. Itaque verum est propter dicta in argumento inter Athenienses, illos viros præsertim doctissimos, & qui volumina philosophorum, & sapientum oracula magis funditus hauserant, cognovisse quidem, clare vnum Deum verum supremum *invisibilem, incomprehensibilem, & ineffabilem*; cæterum hic necdum apud ipsos deducebatur in cultum, neque adhuc toti populo prout oportebat colendus proponebatur propter duo: *Primum*, scilicèt, quia prædicta veritas erat inter ipsos sub statu mere speculativo, & opinabili; alijs, & paucioribus eam attingentibus; alijs, & fortè pluribus inter doctos eam, neque attingentibus, neque tenentibus: vnde instar dogmatis, neque proponi, populo, neque poterat ab ipso cooptari. Vt luculenter explicat Abulensis, *Reg. 4. cap. 5. quæst. 21. Secundum est*: quia, licèt quodadmodo hæc veritas orta in plerisque satis inesset, & quidem infixa satis; tamen sub ea notione, sub qua ipsi putarent cum tali numine, tam superexcelso, ineffabili, invisibili, & incomprehensibili non licere ipsis quasi sensibiliter, & familiariter agere etiam per sacrificulos, simulachra, & altaria; sed asciscendo sibi alia numina inferiora, per quæ ipsi licèt erroneè, existimarent, se reverentius esse accessuros. Quo circa talis ara credi debebat sub ea inscriptione dicata potiùs quibusvis Numinibus ignotis externis, & peregrinis, quæ in sui patrocinium advocarent, quàm Numini illi supremo, quod tàm mysteriosè, & arcanè noscebant, & verebantur. De quibus ni fallor multum inclarescit argumentatio Pauli, quasi Athenienses ipse dixisset: *Deus ille supremus Author omnium (vobis arcanus, & ignotus, neque aris, & templis manufactis more aliorum Deorum) colendus est ille, qui sub hac ara, & titulo Ignoto Deo potiùs coli debet à vobis, quam istiusmodi numina, quę cognita, vel incognita adoratis. Genus enim cum simus Dei non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis divinum esse simile. Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eò quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Et licet Abulensis oportune suprà citatus dicat aram fuisse pro vero Deo, sed Ignoto, intelligendus est iuxta superiora: ac licet dicat propterea in tali ara nõ positum fuisse simulacrhum, sed titulum; rationem non probo; cum ea sit magis obvia nimirum, tùm quòd simulachrum poscit prȩcognosci prototypum, tùm quia cum sub illa inscriptione quævis ignota numina claderentur; nullum determinatum simulachrum posset eorum animum, & cultum exprimere, & exæquare.

9 Obijcies 3. SS. PP. ex hoc loco probant Gentiles Deum quodammodo cognovisse. Sed id non subsisteret, si sub ly *Ignoto Deo* non intelligeretur verus Deus: ergo, &c. Maior probatur ex D. Augustino *contra Cresconium, cap. 29. Quod Gentiles invenerint Creatorem manifestè idem Apostolus, cum Athenienſibus loqueretur, ostendit.* Ex Pelusiota, *lib. 3. Epist. 346.* qui ait: *Hanc argumentationem Pauli ad Gentes fuisse inexpugnabilem, & omni contradictione maiorem.* Ex Clemente Alexandrino, *lib. 1. Stromatum, cap. 9.* vbi loquens de Ignoto Deo, ait: *Per hunc enim honorari quidem per circunlocutionem à Græcis opificem Deum significavit*: ergo, &c. Ad hoc argument. respond. distinguendo maior. quodammodo cognovisse *quoad nomen*, conced. maior. *quoad rem*, subdistinguo loquendo *de paucis sapientibus*, conced. maior. *de omnibus vniversim*, nego maior. & respectivè distinc-

ta

ta minori nego consequentiam. Itaque D. Paulus, vt ad veri Dei cognitionem induceret Athenienses vniversim sumptos, & doctiores de notitia veri Dei traheret paulatim ad Christum; vtrosque simul arguit pereleganter nempè, & vulgus, & doctos: vulgus quidem de inscriptione, sic dicens: *Vos nescitis quod colitis: nam aliud est, quod sub hoc nomine Ignoti Dei vos colitis, vel colere intenditis; aliud autem est, quod hoc nomen vni soli Deo convenit, quem ignoratis. Vnde, etsi præter mentem vestram, & voluntatem, sub hoc nomine vnum solum verum Deum colitis, ignorando quod facitis.* Ecce hic vulgus aptè persuasum, quòd verum Deum saltem quoad nomen non ignorarent, dicendo enim *Ignotum Deum* perinde est ac si dicerent *ineffabilem.* Doctos verò Athenienses doctior Paulus aliter ad hominem contorquebat, sic inquiens: *Vos ex vna parte habetis aram Ignoto Deo constructam; ex alia verò ignorare non potestis id, quod de Deo, & nostri creatione, vestri Poetæ, sapientesque pronuntiarunt, qui ipsum ineffabilem, & incognoscibilem protulerunt, quamvis non longe sit ab vnoquoque nostrum: igitur licet ritu, & animo superstitioſiori prægocupati, tamen ignoranter colitis, quod ego vobis annuntio postquam Deus tempora huius ignorantiæ despiciens homo factus est, & venit in mundum.* Ecce quomodo ex recta argumentatione Pauli, quam Pelusiota verè inexpugnabilem protulit, rectè etiam infert Augustinus, quod sapientes Gentilium invenerant creatorem. Quod autem hæc ita per nos sint rectè exposita, & intellecta patet, tùm ex Clemente Alexandrino supra dicente opificem Deum honorari, apud Græcos sub illa ara Ignoti Dei per *circumlocutionem*, id est, quoad expressionem, quæ in re nulli alij quam Deo opificì conveniret; tùm ex Hieronymo *lib.* 4. *in Ezechielem, cap.* 16. vbi sic ait: *Signum sanctificationis nomen est Omnipotentis Dei, quod quatuor litteris Hebraicis scribitur, & apud eos vocatur ineffabile, dum nomen eius non potest dici. Cuius maiestatem Gentilitas non ignorat, vt Athenienſium testatur ara IGNOTO DEO.* In quibus verbis clarè constat, hanc aram dumtaxàt esse veri Dei quoad nomen: siquidem quoad hoc pares currunt Dei Græca, & Hebraica compellatio: quatenus quoad nomen attinet, perinde est aram construere, & erigere *Ignoto Deo*, ac *Deo ineffabili.*

****



QUÆS-

JHS.

QUÆSTIO SECVNDA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

QVIA MAIOR SERVIET MINORI, SICVT SCRIPTVM EST: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. *Paul. ad Rom. 9. v. 13.*

ARTICULUS.

VTRVM HÆC ELECTIO IACOB, PRÆ ESAV INTELLIGI debeat de æterna prædestinatione?

1 Uppono 1. Hunc textum, ex Propheta Malachia, *cap.* 1. desumptum, reperiri apud D. Paulum in celebri illo *cap.* 9. vbi profundis, ac peracutis argumentandi modis statuere conatur, gratiam prædestinativam Deo esse omninò liberalissimam: proindeque ait sic: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei. Quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Igitur quemadmodum hic Paulus proculdubio agit de aliqua prædestinatione, & electione spirituali ita etiam in textu Malachię potius loqui videtur de gratijs, & temporalibus beneficijs, quibus Deus populum suum Israeliticum habebat obstrictum: quem propterea magnæ illum erga se ingratitudinis postulabat. Quare, cum locum N. Gaspar Sanchez sic per paraphrasim explicavit: Audite, ò Israelitæ, quid in vobis Dominus improbet, & damnet. Revocate, ait Dominus, in memoriam, quomodo vos ab initio dilexerim, innumerisque beneficijs ornaverim. Sed vos, quo estis sivè stupore, sivè insania, eò progressi fuistis impudentiæ, vt dicatis impudenter, & liberè: ecquis in nos amor? Æqua abs te in nos collata beneficia? Accipite, vel hoc vnum, ex eo cætera colligite. Nonne Iacob parentem vestrum, cuius frater erat Esau, & in eo totum Israeliticum genus dilexi, illiusque saluti, & commodis paternè consului. At Esau eodem conceptum vtero, & eodem natum tempore, sic accepi vt abiecisse videar, & odisse? Cuius terminos ita vastavi Caldæorum armis, vt in solitudinem redacti sylvestres alant belluas, præbeantque serpentibus oportuna latibula. Vnde propterea resultat circa sensum huius loci germanitùs litteralem disceptatio non contemnenda.

2 Suppono 2. Quamquàm in superioribus absolutè dicatur, Deum odio habuisse Esau non ita esse simpliciter, & absolutè intelligendum: cum Deus vero, & stricto odio non prosequatur aliquam creaturam, quam fecit; præsertim rationalem, cuius sem-

per eſt perpetuus, & ſolicitus benefactor; ſed ſolum debere ſumi pro odio comparativè intellecto, ita vt amor erga Eſau odium eſſe appareret præ magnitudine amoris Iacob: eo prorſus modo quo hic dicitur apud Septuaginta, *Geneſ.* 29. *odiſſe Liam* præ magnitudine amoris, quo tenebatur erga Rachelem: & ſicuti illa verba, *Luc.* 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum* explicata ſunt in Mathæo, *cap.* 10. comparativè ſic. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Quod quidem odium, ſic intellectum, non vnicè ad perſonas Iacob, & Eſau traducere oportet, ſed etiam ad eorum poſteritatem, prout benè obſervat Sancius cum Hieronymo in hunc locum dicente: *In Iacob vos dilexi: in Eſau Idumæos odio habui.*

3 Suppono 3. Ex hoc loco ſupra expenſo acre illud moveri certamen inter Scholaſticos de prædeſtinatione, & electione ad gloriam ante abſolutam prævisionem meritorum: qua in re duo ſatis denſa Scholaſticorum agmina dividuntur, alijs pugnaciſsimè defendentibus præſertim ex Recentioribus electionem prædeſtinatorum ad gloriam fuiſſe ante abſolutam prævisionem meritorum: quibus nonnulli propter identitatem argumenti concedere non recuſant ante abſolutam prævisionem demeritorum, etiam electionem reproborum ad pœnam. Alijs acriter ſuſtinentibus, præſertim de antiquioribus electionem ad gloriam, Scripturis benè perpenſis, eſſe non poſſe niſi poſt abſolutam prævisionem meritorum: neque rem tantam definitam iri ex vno alterovè loco in ſpeciem aliter pronuntiante, cuiuſmodi eſt locus præſens in hac re quaſi principaliſsimus. Cumque hic tàm ratione expreſsionis, & oportunitatis, qua eum Paulus commemorat; quàm ratione talis vſurpationis D. Auguſtini ad debellandos Pelagianos, commendandamque Dei gratiam liberaliſsimam, poſt ſe tulerit plures DD. qui ex officio, & ſtudio loca Biblica interpretari non ſuſceperunt; viſus ſum ipſe mihi operæpretium facturus, ſi Deo favente, ex profeſſo, & funditùs litteraliter hunc locum, adhibita lima Scholaſtica, benè diſcutiam, vt ex eo melius vndique colluſtrato vtrique pugiles Scholaſtici in arenam deſcendant. Quæritur ergo: *Vtrum in eo potius de aliqua prælatione temporali ſit ſermo, quam de æterna, & prædeſtinativa?*

4 His poſitis duplex eſt in hac re diſcriminanda ſententia. Altera quæ aſſerit, hunc locum debere intèlligi de electione, & prædeſtinatione ante abſolutam prævisionem meritorum. Hanc ſententiam veluti Anteſignamus promovet S. Auguſtinus *lib.* 1. *queſtion. ad Simplicianum, quæſt.* 2. *& in lib. de Prædeſtinat. Sanctorum.* D. Thom. *in Epiſt. ad Roman. cap.* 9. *&* 1. *part. q.* 23. *art.* 3. Pererius *ad Romanos cap.* 9. *diſput.* 5. quos ſequitur magnum agmen Scholaſticorum. Secunda verò ſententia ſuſtinet in prædictis verbis Malachiæ non fieri ſermonem de prædeſtinatione æterna, & perſonali Iacob præ Eſau; ſed ſolum de electione, & prælatione temporali. Ita ſentiunt Hieronymus, & Theodoretus apud P. Gaſparem Sanchez, *Malach.* 1. *cap.* 8. qui ſic ait: *Mihi placet, quod Hieronymo, & Theodoreto placuit, quod etiam ſequuntur Interpretum plerique; tùm apud Malachiam; tùm apud Paulum ad Roman.* 9. Cornelius *ad Romanos* 9. *num.* 54. Et quidam ex Scholaſticis DD. cum P. Vazquez *tom.* 1. *in* 1. *part.* S. Thomæ *diſp.* 95. *cap.* 8. Tertia ſententia aſſerit in prædictis verbis præſertim prout à D. Paulo commemoratis agi de æterna prædeſtinatione Iacob; & æterna reprobatione Eſau, ſed non niſi poſt eorum opera abſolutè prævisa. Ita Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophilac. alijque Græci Expoſitores. Quarta ſententia eſt Eminent. Caietani aſſerentis, verè Deum ab æterno quoſdam diligere, & alios odio habere, in hoc tamen ſenſu: quod quibuſdam ab

æter-

æterno vult conferre auxilium gratiæ ſuæ, & ita eos adiuvare vt perveniant ad gloriam æternam; alios verò ab æterno vult permittere ſibi ipſis, neque adiuvare eos efficaci gratia, & potenti auxilio ſuo, quod electis ſuis conferre decrevit. Ambroſius autem Catharinus fortiſsimè invehitur contra eos, qui dicunt, Deum ante præviſa opera aliquos reprobare. Quibus ſententijs prælibatis debet animadverti, quòd hoc punctum poteſt diſcuti, & Biblicè, & Scholaſticè: ſiquidem Scholaſticè denſa eſt controverſia Theologorum ad tractatum de prædeſtinatione, & reprobatione: *An hæc fiant ante abſolutè præviſa merita, vel demerita?* Quod certamen latiſsimum eſt, ad ſe advocans plura de divina ſcientia, & voluntate; necnon de gratia, & libero arbitrio; quæ omnia pro dignitate à Theologis Scholaſticis diſcutiuntur. Biblicè autem poteſt diſputari ex hoc loco prout explicato *in Epiſt. Pauli ad Roman.* & in hoc ſenſu nos illum diſputamus: ſiquidem ex his locis aliiſque huc advocandis primum robur ſuæ ſententiæ corrogant Scholaſtici. Quare cum hìc potius nos ipſis; quàm ipſi nobis, præire debeamus; nedum rem ſolidè veſtigabimus, ſed eò potius vergere oportebit, quò Interpretes graves Scripturarum plerumque propendent; quàm vbi Scholaſtici agglomerentur: illi enim ſunt domeſtici, & ſcire debent loquutiones Scripturarum: vbi & præteriri non debet, quòd cum Pelagiani plus iuſto darent libero arbitrio in negotio ſalutis; gratiæ aſſertor, & vindex Auguſtinus hunc inter alios locum ſub eo ſenſu, ſibi potius faventi, tractandum ſuſcepit, & mirè efferendum, vt eos convelleret: quem ſequutus è veſtigio Doct. Angelicus Theologiæ communis Magiſter multos ſibi diſcipulos fecit in ea re Sectatores.

5 Sit mea concluſio: *Predicta verba in vtroque loco novi, & veteris Teſtamenti non loquuntur de æterna prædeſtinatione, & gloria in ſenſu litterali, ſaltèm primario, ſed de prælatione temporali Iacob reſpectu Eſau.* Probatur concluſio. Cardines nitidiſsimi, & puriſsimi, ac omninò ſolidi eliciendi germanum ſenſum loci alicuius Scripturarum eſt eum eruere primo, ex contextu. Secundo, ex correlatione, & conſenſu cum alijs locis Scripturarum. Tertio, ex PP. regulis, & ſententijs. Quarto, ex linguis, & idiotiſmis. Sed omnia hæc ſuadent in prædictis verbis agi de prælatione temporali: ergo ita ſentiendum eſt, quoad litteralem, & fundamentalem ſenſum; licèt exinde alium formare ritè queat allegoria. Maior inter primos TT. veluti principium eſt. Probo minorem per partes: & in primis primam de contextu: nunc quoad textum Malach. & poſtea quoad textum Paul. Contextus liquido excerpitur ex ſcopo totius capitis; ex verbis antecedentibus, comitantibus, & ſubſequentibus. Sed hæc omnia in Malachia clamant ſuperiorem noſtram intelligentiam: ergo, &c. Probo min. Scopus valdè notus eſt coarguere Iſraelitas de ingratitudine beneficientiæ ampliſsimæ temporalis. Verba antecedentia important dilectionem non ſolum erga Iacob, ſed erga totum Iſrael, & quidem dilectionem temporaliter officioſam prout denotant hæc verba: *Dilexi vos, dicit Dominus, & dixiſtis in quo dilexiſti nos?* quæ ſunt Dei coarguentis, & populi ingrati. Verba comitantia ſunt: *Eſau autem odio habui, & poſui montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in Dracones deſerti.* Quæ verificantur de ipſis Idumæis poſteris Eſau. Verba ſubſequentia ſunt: *Et oculi veſtri videbunt; & vos dicetis magnificetur Dominus ſuper terminum Iſrael*, vbi loquitur cum Iſraelitis proſperè habitantibus; interea dùm vaſtantur Idumæi: ergo totus contextus noſtrorum verborum, ſi attendimus Malachiæ clamant ſuperiorem noſtram intelligentiam. Probo iam de contextu apud Paulum. Quia ſcopus notus eſt, quòd Deus potuit per Chriſtum

tum vocare ad fidem gentes, quas voluit; licet adoptio, teſtamentum, legislatio, & promiſſa Iudæorum fuerint eò quòd multi Iſraelitæ, procedentes non fide, ſed quaſi ex operibus, offenderent ad lapidem angularem: data nimirum inter eos differentia de eo quòd maior ſerviturus eſſet minori. Sed hæc differentia planè explicatur ibi in contextu de prælatione temporali Iacob reſpectu Eſau: ergo, &c. Minor patet: quia quamvis ibi ſit ſermo de trahendo ad fidem veros Iſraelitas, & veros filios promiſsionis; tamen Paulus regreditur iam ad Patres Iſrael ſecundum carnem, & legem ipſis datam, & promiſſiones Saræ, & Rebeccæ, in quibus manifeſtè importatur electio, & prælatio temporalis Iacob, & poſteritatis eius reſpectu Eſau: nam & legislatio, & reliqua ſoli Iacob cum terra promiſsionis temporaliter ita adſcripta ſunt, vt maior, ſcilicèt, Eſau minori ſerviret; quemadmodum ita in temporalibus contigit; & etiam in ſpiritualibus hæc potius in ipſis futura, quàm in Idumæis allegoricè figurabantur. *Confirmatur.* Simul & explicatur, nam in talis capitis contextu, poſtquam Apoſtolus ait, non omnes Iſraelitas eſſe filios Dei; ſed ſolum eos, qui filij ſunt promiſsionis, ſubdit hæc „ verba: Promiſsionis enim verbum „ hoc eſt: ſecundum hoc tempus ve„ niam, & erit Saræ filius. Non ſolum „ autem illa, ſed & Rebeca ex vno „ concubitu habens Iſaac Patris noſ„ tri. Cum enim nondum nati fuiſ„ ſent, aut aliquid boni egiſſent, aut „ mali (vt ſecundum electionem pro„ poſitum Dei maneret) non ex ope„ ribus; ſed ex vocante dictum eſt ei. „ Quia maior ſerviet minori, ſicut „ ſcriptum eſt. Iacob dilexi; Eſau au„ tem odio habui. In quibus verbis, & eorum contextu debet profundè obſervari, quod minime dicitur id, quod ſolet frequenter citari, & intelligi, ſcilicèt, *cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni, aut mali egiſſent; Iacob dilexi Eſau autem odio habui*: ſic enim, & verba tranſmutantur, & ſenſus; ſed ſolum clarè inquit Apoſtolus, quòd *cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, dictum eſt ei id eſt Rebeccæ. Maior ſerviet minori.* Prout omninò clarè, & expreſsè contigiſſe traditur *Geneſ.* 25. 23. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo; & duo populi ex ventre tuo dividentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſerviet minori.* Quando verò D. Paulus ſic retulit, quòd, antequam nati eſſent, dictum fuit matri: *Maior ſerviet minori*; ſtatim id comprobat cum eventu breviſsimè per Malachiam recenſito dicens: *Sicut ſcriptum eſt. Iacob dilexi; Eſau autem odio habui.* Sed hoc eſt planè aſſerere dilectionem Iacob, & odium Eſau nihil aliud fuiſſe niſi prælationem illam, qua Eſau maior ſervivit Iacob minori: ergo, &c.

6 Probo ſecundam partem, primæ minoris, ſcilicèt, de correlatione, & correſpondentia cum alijs textibus: quia ſi intelligitur talis electio, & prælatio de temporalibus mirificè cohæret hic locus cum alijs locis Scripturarum. Et ſi intelligitur de ſpiritualibus nulli alij loco cohæret. Atqui expoſitio germana, ita debet fieri vt potius Sacra pagina cohæreat, ſibi tota quemadmodum obſervavit nota regula: ergo de prælatione temporali debet intelligi, attenta cohærentia Scripturæ. Maior quoad primam partem conſtat, tùm ex *Geneſ.* 25. ſupra relato ibi: *Populuſque populum ſuperabit, & maior ſerviet minori.* Tùm ex *Geneſ.* 27. *verſ.* 29. ibi: *Servient tibi populi, & adorent te Tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filij matris tuæ.* Tùm quia tàm in Pſalmis, quàm in hiſtorialibus repetitur hæc prælatio temporalis Iacob reſpectu Eſau. Probo ſecundam partem maior. Tùm quia nullus eſt textus vnde probetur, quod Eſau æternam damnationem incurrerit; nec eſt cur ita damnetur propter illam ſolam vocem *Eſau*

odio

odio habui: quandoquidem hæc peracommodè explicatur à Gaſpare Sanchez tropicè per methonimiam, ſumendo cauſam pro effectu, id eſt vocando odium *vexationes, & incommoda*, quæ communiter ex odio proficiſcuntur: tùm quia in eo textu Pauli, & Malachiæ recitatur id, quod notum erat Iudæis; nullibi autem conſtat, quòd ipſi noverint Eſau in æternum damnandum: ergo, &c.

7 Probo tertiam partem, quoad linguas, & idiotiſmos. Nam 1. ſi attenditur verſio Syriaca, quæ graviſſima eſt Novi Teſtamenti, illa verba *antequam aliquid boni, aut mali egiſſent* ſatis ſeparantur ab amore Iacob, & odio Eſau ibi expreſſo. Sed hoc ipſo malè deducitur exinde prædeſtinatio, aut reprobatio æterna ante opera abſolutè prævisa: ergo non eſt hic ſenſus, qui admittendus eſt. Minor clara vìdetur: nam è contra ideò talis ſenſus ab Authoribus exinde colligitur, quia illa verba vna cum alijs ſic colligantur. Maior conſtat, ex textu Syriaco appoſito in Biblijs Regijs Montani, vbi „ ſic ait: Priuſquam geniti eſſent filij, „ necdum feciſſent bonum, aut ma„ lum, præcognita eſt electio Dei, vt „ ipſa permaneret. Non per opera, „ ſed per eum qui vocavit, dictum eſt „ enim ſenior erit ſervus minori. Sicut „ ſcriptum eſt; Iacob dilexi, Eſau au„ tem odio habui. Atqui in ijs manifeſtè refertur illa antecedentia naſcendi, & operandi ad electionem ſervitutis vnius ad alium, ita vt per punctum finale claudatur ibi periodus: ergo, &c. Secundo. Originale Græcum, ſic habet: „ Nondum enim natis, neque agenti„ bus quid bonum, aut malum, vt ſe„ cundum electionem Dei propoſitum „ maneret, non ex operibus, ſed ex vo„ cante dictum eſt ei: (ideſt Rebeccæ) „ quia maior ſerviet minori: ſicut ſcrip„ tum eſt. Iacob dilexi; Eſau autem „ odio habui, &c. Sed illa participia, quæ correſpondent in Græco magis ſignant, quòd ad dilectionem Iacob, & odium Eſau non referantur: ergo, &c. Prob. min. Quia ſi ita eſſet ſemel, ac Græcè vſurparentur participia; deberent poni non in ablativo abſoluto, quod Græcis genitivus eſt, ſed in accuſativo concordante cum Iacob, & Eſau, quaſi diceret: *Nondum natos, aut aliquid agentes, Iacob dilexi; Eſau autem odio habui*: ergo, &c. Confirmatur. Electio illa ſecundum vim Græcam magis alligatur ad verba ſerviendi Eſau Iacob, quam ad dilectionem, & odium: ergo, &c. Antecedens patet, potius ex Hiſpaniſmo, quam ex Latino ſermone, qui caret articulis. Nam Hiſpanicè, ſic correſpondet: *Para que el, ſegun eleccion de Dios, intento permaneciesſe*. Id eſt: *Antes de nacer, ò obrár algo bueno, ò malo, para que el intento, que Dios tenia deſtinado ſe cumplieſſe; no por las obras, ſino por llamamiento de Dios, ſe le dixo à Rebecca: El mayor, ſervirà al menor*. Atqui hæc explicatio ſic ſatis ſimplex, atque germana potius firmat electionem ad ſervitutem Eſau ad Iacob fuiſſe eam, quæ præceſſit nativitatem, & opera eorum, vt clare invenitur *Geneſ.* 25. ergo, &c. Tertio. Quia apud Malachiam, primo odium ex radice *Sanà*, & dilectio ex radice Hebræa *Ahab* deſumitur, quarum prima inimicum eſſe; ſecunda amicum eſſe ſignificat. Sed hoc poſito melius ad temporalem prælationem res vertitur: ergo ita accipi debet. Minor probatur ex verbis P. Gaſparis Sancij peritiſsimi Interpretis, ſic aientis: „ Ex his ergo aliam explicationem „ adducam fortaſſe veram, atque ger„ manam huius loci, qui tamdiu tor„ ſit interpretum ingenia. Et prius „ obſervo vſitatum eſſe in Sacris litte„ ris, vt pro effectu adhibeatur cauſa. „ Quò modo odium adhibemus pro „ vexatione iniuria, aut his incom„ modis, quæ ex malevolentia ple„ rumque proveniunt. Sic multò fre„ quentius amor pro commodis illis „ vſurpatur, quæ ex amore naſcuntur. „ Ad hunc ergo modum exiſtimo *dili„ gere* idem eſſe, quod munificum ali-

„ quem esse, & liberalem in alium,
„ quem beneficijs ornet; & *odio habere*
„ parcum esse, & minus officiosum si-
„ cut superius diximus. Quare nil puto
„ aliud hic à Domino dici, quàm po-
„ pulum illum non iam inde à suis in-
„ cunabulis, sed ante Nativitatem Ia-
„ cob varijs fuisse beneficijs ornatum,
„ quæ cum ingratus ille populus non
„ agnosceret; Deus hic commemorat,
„ ostendens hic ex rerum ipsarum dis-
„ similitudine diverso se animo in Is-
„ raelitas, quàm in Idumæos affec-
„ tum. Quæ explicatio multas evitat
„ controversias, easque difficiles, quæ
„ agitari solent inter Scholasticos
„ Doctores. Atqui hæc tanti hominis
intelligentia invenitur etiam esse la-
tinè, & Hispanicè proverbialis; item-
que primævæ huic expositioni, aut
phrasi de odio, & amore cum Esau, &
Iacob multum accommoda: ergo, &c.
Minor quoad primam partem patet:
quia latinè dicitur amare est: *Velle bo-
num alicui*, & è converso. Quoad se-
cundam constat ex Malachia, vbi pri-
mum invenitur: *Iacob dilexi; Esau au-
tem odio habui.* Nam ibi *vers.* 2. dicitur
etiam Deus, dilexisse Israelitas correla-
tivè ad odium Esau. Atqui hic est
tale odium quoad effectus, & opera
„ quasi inimici, &c. ergo, &c. Minor
„ patet ex verbis: Esau autem odio
„ habui, & posui montes eius in soli-
„ tudinem, & hæreditatem eius in
„ dracones deserti. Quod si dixerit
„ Idumæa destructi sumus, sed rever-
„ tentes ædificabimus, quæ destructa
„ sunt. Hæc dicit Dominus exerci-
„ tuum. Isti ædificabunt; & ego des-
„ truam, & vocabuntur termini im-
„ pietatis, & populus, cui iratus est
„ Dominus vsque in æternum. Hacte-
nus textus. Propter cuius postrema
verba non probo interpretationem il-
lorum, qui dicunt, Esau dici odio ha-
bitum merè negativè; nam hæc verba
positivum Dei conatum in populum
signant. Non ergo de odio, sed de
effectibus, qui in humanis ad odium
consequi solent, sermo esse videtur.

8 Probatur 4. Pars, scilicèt, quoad
PP. Nam 1. id satis clarè tradit Ori-
genes *lib. 7. in cap. 9. Epist. ad Roman.*
„ inquiens: Nam, & Rebecca, inquit,
„ non solum secundum carnalis Na-
„ tivitatis ordinem protulit partum.
„ Cum enim ex vno concubito Isaac
„ geminos concepisset, nondum partu
„ editi neque vllis actibus puerorum
„ boni, malivè inter homines habiti,
„ erga Iacob divina habetur dilectio:
„ & dicitur quia maior serviet mino-
„ ri. Ergo de hac destinatione servitu-
ti maioris respectu minoris debet in-
telligi præcedentia ad nativitatem, &
opera. 2. Ex Hieronymo in Malach.
„ *cap.* 1. ibi: Hoc enim, quod dicitur
„ *sicut scriptum est*, & ad Genes. li-
„ brum, & ad Prophetam Malachiam
„ refertur. Non solum ait: dilexi Ia-
„ cob, antequam nasceretur; & odio
„ habui Esau priusquam ex matris vte-
„ ro funderentur: sed in posteros eo-
„ rum amorem meum, & odium con-
„ servavi: odium in Esau, cuius montes,
„ qui appellantur Seir, redegi in soli-
„ tudinem, & vrbes feci esse desertas,
„ & à serpentibus ac bestijs obtineri.
„ Si autem dixerit Edom (hoc est Esau)
„ destructi quidem sumus ad iram Dei;
„ sed rursus ædificabimus Civitatem.
„ Hæc, Domino prædicente cognos-
„ cite, quòd illis ædificantibus ego
„ destruam, & iram meam æterna eo-
„ rum vastitas approbabit. Odium igi-
„ tur in Esau rebus ostendi: amorem
„ autem in vos hoc est in Iacob se-
„ quentibus approbabo. In quibus
verbis non solum expressè affert nos-
tram sententiam ex loco Malachiæ, sed
ex loco Pauli, quem mysticè textum
Malachiæ retulisse commemorat paulò
superius, dum ait: *Quem locum Apostо-
lus Paulus mystica dispositione eventilans
scribit ad Roman. duo pariter testimonia
de Genesi, Malachiaque iungens.* 3. Ex
Chrisostomo homilia 16. ad Roman.
„ Qua igitur de causa hic quidem
„ amorè: ille autem odio habitus erat?

„ Qua

„ Qua de cauſa hic ſerviebat; ille au-
„ tem imperabit? Quoniam quidem
„ hic malus: ille autem bonus erat:
„ quamquàm, illis nondum natis alter
„ honorabatur, alter autem condem-
„ nabatur: adhuc enim nati cum non
„ eſſent dixerat Deus: *maior ſervit mi-
nori.* Vbi expreſiſsima eſt noſtra ſen-
tentia, licèt alioqui Sanctus ille Doc-
tor, ſequutus Paulum, de prænotione
& prælatione temporali ad æter-
nam Cathequeticè procedat, vt po-
pulum inſtruat. 4. Ex Cyrillo Ale-
xandrin. prout illius eſſe circunfertur
opus in Prophetas minores Græcè, &
Latinè editum à Iacobo Pontano N.
„ Societatis, ibi: Qua propter inclina-
„ vi in Iacob; & hæreditatem Eſau
„ attributam vaſtavi, ipſamque in de-
„ ſolationem dedi. Hæreditatem ve-
„ rò Iacob collegi indulgentia mea,
„ hoc eſt, vos ſivè regionem, quam
„ incolitis... Quamobrem Iudæos in-
„ telligere oportebat non fuiſſe paſſu-
„ ros deſolationem, nec à Patria ad
„ alienigenas migrationem; ſi Iacob
„ imitandum ſibi propoſuiſſent. Quo-
„ niam autem Eſau mores exprimere,
„ & per veſtigia ſtultitiæ illius ince-
„ dere maluerunt; hoſtibus poſteà tra-
„ diti ſunt. Vbi clarè etiam conſtat,
quòd non niſi de prælatione tempora-
li, ibi ſermo factus ſit. Confirmatur
ex verbis vberrimis Benedicti Iuſtinia-
ni doctiſsimi Interpretis in Epiſt. Pau-
„ li ſuper hunc locum ſic aientis: Nec
„ defuerunt qui Prophetæ verba, &
„ Pauli ſententiam de terrenis, & ca-
„ ducis bonis tantummodò explicent,
„ vt dilexiſſe dicatur Deus Iacob; quia
„ ei frugiferam terram largitus eſt; odio
„ verò habuiſſe Eſau, quia aſperrimos
„ montes incolendos conceſsit. Quod
„ ſanè verum eſſe indicant verba quæ
„ apud Malachiam ſequuntur. *Poſui
„ inquit montes eius in ſolitudinem, &
„ hereditatem eius in Dracones deſerti.*
„ Verùm vt dixi in hoc veluti cortice
„ nucleum ſpiritualis ac prophetici
„ ſenſus latere incluſum, veterum pe-
„ nè omnium conſtans ſententia vide-
„ tur: ſed hoc intereſt; quod alij qui-
„ dem hæc, quæ de Iacob, & Eſau
„ ſcripta ſunt à Paulo, de prædeſtina-
„ tione, ac reprobatione interpretan-
„ tur, vt meritorum præſcientiam
„ vriuſque cauſam eſſe contendant; alij
„ verò præter vnam Dei voluntatem
„ nullam in electis, aut reprobis cau-
„ ſam agnoſcant, vt alibi fuſius oſten-
„ demus. Priorem ſententiam ſequu-
„ tus eſt aliquando Auguſtinus in hanc
„ Epiſtol. ad Roman. *propoſit.* 60. qui
„ cum animadverteret apertè hoc lo-
„ co excludit opera; fidem cuiuſque
„ cauſam fuiſſe dicit electionis. Idem
„ ſentit Author libri de prædeſtinatio-
„ Dei, *cap* 3. Planius atque apertiùs
„ docuerunt Hieronymus hic, & Epiſt.
„ ad Hedibiam, *quæſt.* 10. Et Ambro-
„ ſius, qui præſcientiam putant elec-
„ tionis fuiſſe cauſam. Sic omnino
„ Græci PP. Origenes, Chriſoſtom.
„ Thophil. Oecumen., Irenæ. *lib.* 4.
„ *cap.* 70. 71. 72. 76. Baſilius initio
„ Probreviorum. Damaſcen. *lib.* 2. *de*
„ *Fide, cap.* 30. Et Latini Tertullianus
„ adverſus Marcionem. Philiaſter *de*
„ *Hæreſib. cap. de Obdurat.* Anſel. idem-
„ que ſenſiſſe omnes Gallos teſtantur,
„ Proſper. *lib. de Concord. cap.* 2. & Hi-
„ larius *in Epiſtol. ad Auguſtin. ante lib.*
„ *de Prædeſtin. Sanctor.* Poſteriorem
„ complexus eſt Auguſtinus præſertim
„ poſt exortam hæreſim Pelagij. Ex qui-
bus verbis arguo primo ſic. Tot PP.
Græci, & Latini e iam ſuper hunc lo-
cum tenent electionem non fuiſſe; niſi
poſt præviſa opera. Atqui ſi prælatio-
nem Iacob reſpectu Eſau ante opera
eorum æternam eſſe ſenſiſſent, non ita
opinaturi eſſe viderentur; ſed potius
è contra: ergo quia in his locis ſolum
de prælatione temporali Iacob reſpec-
tu Eſau ſermonem ſumptum eſſe iudi-
carunt. Secundo. Ergo ideo D. Au-
guſtinus de Prædeſtinatione æterna id
intellexit: quia exorta hæreſi Pelagij
ita textum ſub allegorico ſenſu non
verò litterali, (vel ſi vis litterali ſecun-

do, vt Pelagianos fortius vrgeret oportebat intelligi. Nam sub vtroque poterat ritè, & dogmaticè argumẽtari. Confirmari poterit. Secundo præfatus sensus verborum à nobis expositus ex varijs regulis interpretandi idiotismis, & phrasibus quas in Apparatu & 2. *tom.* congessimus.

9 Obijcies 1. Textus Pauli loquitur manifestè de æterna prædestinatione. Sed hoc ipso præfata verba de prælatione Iacob ad Esau in hoc sensu debent exponi: ergo non de prælatione merè temporali. Maior constat ex illis verbis eiusdem capitis quod sic ait: *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta ad interitum: vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam*: ergo apertè loquitur de electione, & æterna prædestinatione ad gloriam. Probatur min. Si Paulus loquens de æterna prædestinatione ad gloriam, adduceret in probationem electionem Iacob præ Esau ante eorum opera in sensu de prælatione temporali; inepta foret argumentatio in ordine ad prædestinationem æternam. Sed hoc dici non potest: ergo nec primum. *Confirmatur*. Ex eodem capite quia ibidem dicitur quod consequutio nostræ salutis æternæ ita est opus misericordiæ Dei *vt non sit volentis neque currentis, sed Dei miserentis* ita, vt quem vult salvet; & quem vult in perditione relinquat: ergo. Antec. patet ex illis verbis *miserebor cuius misereor; & misericordiam præstabo, cui miserebor. Igitur non volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei: dicit enim Scriptura Pharaoni. Quia in hoc ipso excitavi te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniversa terra. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Ad hoc argumentum respondeo præmittens ea quæ D. Hieronymus affert *Epist.* 150. ad Hedibiam in responsione ad *quæst.* 10. sic inquiens: *Omnis quidem Epistola ad Romanos interpretatione indiget, & tantis involuta est obscuritatibus, vt ad intelligendam eam Spiritus Sancti indigeamus auxilio, qui per Apostolum hæc ipsa dictavit. Sed præcipuè locus hic obscurus, & difficilis est.* In quo quidem negari etiam non potest; quin per Theologiam Scholasticam post tempora Hieronymi profundè excultam hæc non parum clarescant; licèt hærctici eam passim canino dente corrodant. Igitur in solutione huius argumenti hic tractus Apostoli, Deo dante, curret feliciter ita vt pijs vtrisque Catholicorum partibus sua ex parte favere non desinat, vt veram fidem sua servet in libra.

10 Respondeo igitur iam ad argument. distinguendo mai. de prædestinatione *æterna initiativè, & vialiter considerata*, conced. maior. de ipsa tanquam electione formali ad *gloriam consummativam in patria*, neg. maior. & neg. minor. ad cuius probationem, neg. mai. Nam licèt quod temporale est multum distet ab æterno; valde proportionata, & efficax est illa argumentatio, qua ex modo, & tenore, quo Deus nobiscum agit circa temporalia promissa, figurativa æternorum, proceditur ad tenorem, quo Deus circa æterna procedet. Igitur præcipuum intentum Apostoli altè dolentis cæcitatem fratrum suorum in carne, qui erant Iudæi, fuit, quòd non propterea exciderat verbum Dei, & promissiones Patribus factæ (quas ideo ibi interserit eo modo, quo factæ sunt, & præcipuè illam de Iacob, vbi est mysteriosa, & præveniens Dei electio vnius præ alio ad prospera) sed eas impleri in illis Iudæis, qui simul cum Paulo vocabantur ad fidem vna cum Gentibus. Atqui, cum ille se, & alios tam sine meritis ad gratiam, & postea futuram gloriam evectum videret; totus est in tacita quadam responsione, vel potius expressa ad Iudæos: qui dicerent. *Qua de causa, & propter quæ merita potius ipse Paulus, & alij cum eo vocandi essent, quàm alij Iudæos*

dæorum plurimi fortè alijs hi tituli, vt Sacerdotio, authoritate, &c. magis conſiderandi? Quamobrem mille modis in hoc capite ſatis difficili tria facit: primo oſtendit, multos Iudæos relinqui cœcos, eò quòd potius operibus conſulentes, quam fidei, ad lapidem offenderunt. Secundo. Quod nihilominus aliqui Iudæi, vt erat ipſe, cum alijs, adimplebant promiſſa Patrum, & dicta Prophetarum inibi expenſa. Tertio. Quòd Deus, vt Dominus totius gratiæ, poterat per eam eos vocare, & emollire, quos vellet; licet alioqui coram hominibus minus digni eſſe viderentur; & eos quos vellet, in ſua duritie relinquere; quin propterea ſit iniquitas apud Deum. Quæ omnia ſi Lector benè teneat, & obſervet; caput illud, quod ingens tortura fuit Theologorum, proniori penetratione percurret: maximè, ſi adhibeat ſimul lectionem Hieronymi *in Epiſt.* 150. ad Hedibiam, vbi maxima ex parte firmat eam prædicti capitis analyſim, & explicationem, quam fecimus. Ex qua ſatis conſtat prædeſtinationem æternam, quam myſticè, & allegoricè ante omnia opera deſumit Paulus, atque perſequitur ex prælatione Iacob ad Eſau, non debere intelligi de prædeſtinatione ad gloriam in termino, & poſſeſſione; ſed ſolùm in initio, & via talis gloriæ obtinendæ, ſi liberum arbitrium cooperetur: vnde dicit loquendo de vaſis miſericordiæ, *quæ præparavit ad gloriam*, id eſt, quæ initiavit, & in vera via, & ſemita ſalutis collocavit, vt recto tramite ad gloriam poſſent pervenire, ſi vellent; cum tamen vaſa iræ apud eum ſic explicentur, vt non niſi multa Dei patientia ſubſtineantur, nempè propter defectum ſuæ cooperationis. In quo quidem ſenſu efficaciter diſputarunt PP. ex hoc loco, contra Pelagianos, acriter ſuſtinentes, quòd ad initium, & viam fidei, atque ſalutis æternæ nulla merita, aut demerita præcedebant; neque etiam prævisa abſolutè; imò, neque prævisa conditionate contra Semipelagianos, & Maſſilienſes. Vbi oportunè notandum eſt id, quod aliqui non ſatis diſcernunt, & exinde ſibi videntur aliquid ſcientiæ mediæ affricari; cùm tamen in eo ſit res non benè intellecta. Nam Maſſilienſes fatentes ſcientiam conditionatorum, quam nos vocamus mediam (& quam, prout ſcientia conditionatorum eſt infallibilis, nunc temporis nemo iam diffitetur) exinde pergunt, & dicunt, merita in hoc ſtatu prævisa ſufficere ad electionem, quod eſt erroneum; nos verò dicimus, talem ſcientiam ſolum conducere ad ſapienter, & providentialiter decernendum; non autem remunerativè. Quare in eo ſenſu textus Apoſtoli, & germanus, & dogmaticus, & orthodoxus eſt. Dum verò ex inde multi Scholaſtici conantur firmum, & infruſtrabile ſtabilire decretum abſolutum de gloria conſummata ante omnem omninò prævisionem meritorum abſolutam; id quidem non niſi Catholicè, & labore laudabili, probabilique diſcurſu ex Auguſtino, & Thoma contendunt elicere, vt nuper edixit Benedictus XIII. alijs potius è contrà protectis, tùm Bulla Clement. IX. tùm Clement. XI. ſimul cum plurimis Patribus, & Theologis Scripturiſque (vt opinor ego multum ſuffragantibus) partes adverſas ſuſtinentibus de electione ad gloriam poſt merita abſolutè prævisa.

11 Poſt quæ omnia, quæ ex dignitate ſui non poſſunt fugitiva manu pulſari, iam prona venit reſponſio ad locum obiectum de Iacob, & Eſau, dicendo, nedum in Malachia, ſed etiam in Paulo ſermonem fuiſſe de prælatione temporali Iacob ad Eſau, licet Paulus reipſa de vocatione ad ſpiritualia loqueretur. Quod quia diſertiſsimè explicuit N. Sanchez *Malachiæ* 1. eius verba, ſic ſubdo: Mihi „ placet illa ſententia, à qua non vi„ detur aborrere Hieronymus, ſpecta„ ri hic quidem ſpirituale aliquid, vt

„ ſentiunt cum Auguſtino plurimi; „ quod vt hominibus largiatur Deus, „ illorum merita non expectat. Cùm „ autem nullum haberet Paulus in „ Scriptura Sacra exemplum, addu- „ xit aliquid ſimile in Iacob, & Eſau; „ quorum alterum, cum nulla præce- „ ſiſſent merita; ad primogenituram, „ & alia dignitatis ornamenta vocavit; „ alterum abiecit ab eò, nimirum, ho- „ nore, ac ſtatu, in quo minorem fratrẽ „ conſtituerat. Tunc autem ſimilitu- „ dinis notam ſubaudio in hunc ſen- „ ſum: *Liberum eſt Deo*, ſuo arbitratu, „ ſine vllo meritorum examine, quos „ voluerit, ſpiritualibus ornare donis, „ & ad ſuam advocare gratiam, & „ amicitiam, aut certè inornatos, nu- „ doſque relinquere: ſicut in tempo- „ ralium, humanarumque rerum diſ- „ penſatione aliquando feciſſe Scrip- „ tura docet. Prius enim quam boni „ aliquid egiſſent, aut mali, Iacob, & „ Eſau; iam Deus ſtatuerat, vt maior „ minori ſerviret, & primogeniti præ- „ rogativam obtineret, ſicut ſcriptum „ eſt per Malachiam, Iacob dilexi, „ Eſau autem odio habui. Idemque ferè Cornelius explanat. Quapropter planus inde fit ſenſus, & argumenta- „ tio Pauli, quaſi dicens: Deus olim „ in Patribus noſtris alta, & gratuita „ ſua voluntate præferre ſtatuit minores „ maioribus veluti in Abraham, prætulit „ Iſaac minorem Iſmaeli maiori, na- „ to multis retro annis: itidem in Iſaac „ habente filios geminos ex vno con- „ cubitu prætulit Iacob Eſau, etiam „ id explicans, & Prophetans ante eo- „ rum Nativitatem, & opera, vt even- „ tus ipſe veritatem talis prælationis, „ & prophetiæ conteſtaretur (id enim „ ſignificant illa verba obſcura, *vt ſe- „ cundum electionem propoſitum Dei „ maneret*, quæ tantoperè Interpretes „ diſtrahunt) ſic nunc ſimiliter placuit „ Deo in ſua vocatione ad gratiam, & „ fidem præferre minores in quibus „ ego ſum minimus, maioribus illis „ qui ita reputantur inter Iudæos. Sed „ quia ij operibus potius, quàm fidei „ attendentes offenderunt; nos qui mi- „ nores ſumus æſtimati ſumus in ſemi- „ ne, ne circa Iſrael excidat verbum „ Dei promiſsionis, & prophetiæ: quin „ propter hoc Deo iniquitas adhæreſ- „ cat, qui pro voluntate ſua poteſt alia „ vaſa deſtinare, ita ad gloriam vt ad „ viam ſalutis introducta, & vocata „ eam ſua cooperatione, & meritis „ aſſequantur; alia verò in contume- „ liam, quatenus ab eadem via voca- „ tionis, non ſemel, ſed ſæpè, toleran- „ te Dei patientia, deſultando; tan- „ dem abire relinquantur in præceps. Ex quibus omnibus, & argumento ſa- tisfactum eſt, & bona etiam pars doc- trinæ de legitimo tenore prædeſtina- tionis hic ad ſeriem expoſita; non carp- tim, vnde ſolent mille bella manare, quæ niſi toto tractu Pauli benè diluto, ægrè conquieſcunt.

12 Ad confirmationem pro- clivis venit danda reſponſio, dicen- do: *Non eſſe volentis, neque curren- tis, ſed Dei miſerentis*, nil aliud expli- care niſi negotium fidei non ex noſtra voluntate, ſeu diligentia pendere, ſed ex gratia Dei, quam ibi vocat *Miſeri- cordiam*, vnde in verſione Syriaca pro *Miſerebor* habetur ibi *Gratioſus ero*. Id eſt, cum gratia ſpeciali congrua: qua- re ille, cui non ita gratioſum ſe exhi- bet, indurari à Deo dicitur: non ta- men niſi negativè, quatenus ipſi non confert gratiam efficacem, & ita om- nes ſentiunt quocumque modo effica- ciam gratiæ conſtituant. Ex eo verò iam quod ſuperiora accipienda omnia eſſent de electione ad gloriam non *vialiter*, ſed in *termino*, ante omnia me- rita prævisa; præter germanum litte- ralem ſenſum turbatum, & difficulta- tibus plenum, ſequeretur primo. Quòd Eſau reprobus fuiſſet. Secundo. Quòd poſſet reprobari, & damnari in æter- num innocens, quod, licet aliqui di- cant, vix ſine multo tremore ſubaudi- tur. Tertio. Quòd inde multæ hære- ſes libertatem evertentes patrocinium

ſen-

sumpsere, vt Calviniſtæ, Ianſeniſtæ. Quarto. Quòd paſsim inde aliæ plures poſſunt enaſci. Nam homines, alioqui ſenſibilibus dediti; ſtatim ac perſentiſcunt etiam vmbraculum de independentia ſalutis ſuæ ab operibus, ſibi gratulantur; & habenas laxant. E contra vero dicere quod vocatio ad fidem, & deſtinatio vialis ad gloriam eſt ante omne meritum noſtrum etiam conditionatè prævisum (non vt prævisum, ſed vt meritum potens movere ad præmium) poſt hanc vero vocationem, ex operibus vniuſcuiuſque quemque ſalvum, aut damnatum iri; & Biblicum, & Germanum, & Dogmaticum, & Pium, & rationi conſentaneum eſſe ſemper exiſtimo.

13 Obijcies 2. Hæc verba eadem ſunt prout in Malachia, & Paulo commemorantur. Sed prout in Paulo commemorata loquuntur de æterna prædeſtinatione: ergo ille eſt vtrobique ſenſus litteralis eorum. Maior conſtat: tùm quia nos ita concedimus: tùm quia vnus Scriptor Canonicus non poteſt allegare verba alterius in diverſo ſenſu ab eo, in quo ab illo dicuntur. Probo minorem. Ex tali textu apud Paulum commemorato pergit Auguſtinus cum plauſu Eccleſiæ atque Doctorum vniverſali confutare hæreſim Pelagianam, quatenus ibi Apoſtolus loquitur de ſpirituali prædeſtinatione, & æterna: ergo in eo ſenſu loquitur D. Paulus. Conſequentia eſt legitima quia alioqui inefficaciter argueret Auguſtinus in re dogmatica de ſenſu, quem verba Pauli non importarent. Antecedens conſtat ex varijs locis D. Auguſtini ſed præcipuè *ex lib.* 1. ad Simplicianum tota graviſsima *quæſt.* 2. vbi profundo ſuo more diſputandi planè trahit prælationem Iacob ad Eſau ad negotium æternæ ſalutis combinando eos textus qui ſuper ea re poſſunt adduci, ſcilicèt, *cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini: non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis. Multi ſunt vocati; pauci verò electi, & alij plures*, qui, ne prolixus fiam; evidenter ibi a D. Auguſtino ad opus noſtræ iuſtificationis, & ſalutis non importunè adducuntur, præſertim ſubdendo de Eſau. *Ecce enim odit Eſau, quod vas ipſe fecit in contumeliam*: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo, præmittendo primo, quod benè poteſt accidere, quòd duplex Scriptor Canonicus eundem caſum dupliciter referat ſine oppoſitione, & etiam ad duplex munus deſerviturum: quandoquidem ex vno eodem caſu plures doctrinæ elici poſſunt, & plura argumenta; maximè, quando plus vel minus integrè recenſentur, vt accidit in preſenti. Nam illa verba *Iacob dilexi; Eſau autem odio habui* apud Malachiam purè commemorantur, tanquàm relativa facti, & arguitiva contra Iudæos beneficentiæ ipſis à Deo diſpenſatæ in prælatione tanta temporali Iacob ad Eſau. Sed tamen eadem verba, & caſus cum Prophetia facta, *Geneſ.* 25. de prælatione facienda, commemorantur à Paulo ad intentum longè diverſum, ſcilicèt, quòd ſicut Deus ante opera bona vel mala vtriuſque, vnum prætulit alteri; ita quoad bona ſpiritualia, & gratiam fidei abſolutus Dominus eſt idependenter à meritis, vt illius miſereatur; & hunc induret. Præmitto ſecundo. Me in hoc puncto graviſsimæ controverſiæ, & in argumento ponderis maximi, quod debet facere lumen Eccleſiæ Auguſtinus, noluiſſe huius Patris mentem ex ijs vel illis divulſis tractibus odorari; ſed ſtatui lubens adire fontes, luſtrareque in profundo ſilentio, & obſervatione Auguſtinum in locis, vbi totum hoc caput Epiſtolæ ad Roman. plena indagine verſandum ſuſcepit, colluſtratis inſuper Rectractationibus S. Doctoris. Hi ſunt lib. primus ad Simplicianum *quæſt.* 2. *per totam in tom.* 4. & in eodem Expoſitio propoſitionum *Epiſt. ad Rom. propoſit.* 60. & *lib.* 1. *Retractationem, cap.* 23. Quibus per otium, & quietem intenta mentis acie per totum lectis, & lectitatis

quemad-

quemadmodum melius ipse potui, iudico non pervium esse cuiquam mentem eius liquidò excerpere: quòd de more S. Doctor priusquam id, cui magis adhæresçit, quàm plura insinuat, quàm plura movet, plura advocat, plura interrogat, & subinterrogando diluit, & objicit; methodo non partitiva, & stylo profundo: vnde enascitur non paucas subinde posse de contextu propositiones excerpi, quæ quid longè distans à vera mente tanti Doctoris sonare, & statuere videbuntur. Ad quod accedit quod hic Doctor egregius interdum, & sæpè more pergat Platonico, & problematico, nec firmiter velit hærere etiam ibi, vbi adhæret. Quam humilitatem in iudicando, & sentiendo vtinam tam hæretici qui eius se sectatores affectant, quam nostri temporis critici imitari non recusarent. Quę omnia dixi propterea quod de Augustini mente passim video mille lites invectas præsertim in Scholis, & in hoc puncto percelebri, & loco, vbi acrius concertatum est, corrogatis hinc inde divulsis locis, qui rem non possunt dirimere. Quamobrem quantum ego in ijs, quæ dicenda sunt, assequi potuerim de mente tanti Magistri; ad eius integras paginas missum facio, quæ de se, & de me testabuntur.

14 His positis ad argumentum respondeo, distinguendo min. secundam argumenti vbi dicitur quod S. Doctor adversus Pelagianos fortiter dimicat ex nostro textu tanquam loquente de æterna prædestinatione vbi distinguo, *de æterna prædestinatione ad gratiam*, conced. min. *de æterna prædestinatione ad gloriam*, neg. min. & consequent. Itaque electionem ad gratiam, & fidem fieri independenter à meritis, est dogma Catholicum contra Pelagium: electionem verò ad gloriam esse independenter ab ipsis, opus est meditationis Scholasticæ; in qua *de possibili* speculationes ingeniorum excurrere possunt liberius; *de facto* verò plus obniti videtur Sacra pagina, præsensque providentia. Propterea ergo dum Div. Augustinus hunc locum assumit, vt stabiliat electionem fieri ad gratiam, & fidem independenter à meritis, efficaciter argumentatur ex Paulo, licèt hic inferat talem textum, loquendo de prælatione temporali à nobis exposita; & D. Augustinus eum vsurpet de prælatione etiam in ordine ad gratiam. Ratio à priori est diversitas argumenti. Nam Paulus procedit Biblicè, historicè, & catechetice quatenus facta Biblica oportunè vsurpat, vt doceat, & instruat: vnde, prout ipsa facta cunctis nota sunt, & patent; commemorari debebant. Augustinus verò tractat rem Scholasticè, vt ex ordine divinæ providentię tueatur necessitatem gratiæ, & officia: quare id ipsum quod Paulus in ordine ad electionem ad fidem allegabat historicè de prælatione temporali Iacob præ Esau, argumentando ad similí; Augustinus allegat Scholasticè, penetrando, & pertingendo ad ordinem decretivum habitum in Deo circa negotium salutis Iacob, & Esau. Cumque in lege veteri nullus daretur ordo gratiæ nisi legis, & promissionum, Augustinus de hoc ordine intelligit & ait, quòd ad hunc ordinem gratis, & sine meritis etiam vocatus fuerit Esau; licèt vocationem contempserit, & exinde (quoad hanc legem, & promissiones, vbi figurabantur æterna) reprobus fieret; id est sublata ei essent lex, & promissa. Quod clarè apparet ex Augustino, ibidem sic aiente: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit; sed & si voluisset, & cucurrisset; Dei adiutorio perveniisset, qui ei etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret* Et post vnum folium addit: *Non igitur odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem.* Ex quibus constat, fuisse ex Augustino vocatum ad gratiam; & odio habitum tanquam peccatorem: quæ omnia quoad litteram plenè salvantur cum eo, quod constat in Scriptura, nimirum, quòd ex gratuita Dei electione Iacob electus fuit gra-

gratis ad benedictionem, legem, & promissa, quæ erant ordo iustorum antiquus, quia ex præscientia ita congruè licèt gratis, vocatus est; vt ea omnia in eo stabilirentur; & Esau licèt gratis vocatus ad ea omnia etiam; tamen reprobus factus est, non solum vocationem ad ea omnia contemnendo, sed & insuper peccatorem se comprobando. Quoad allegoriam verò sumit Augustinus in Iacob omnes prædestinatos ad fidem evangelicam amplectendam, & obseruandam; in Esau verò omnes reprobos id est vel infideles, vel peccatores. Nunquam autem S. Doctor in tam multiplici scaturigine propositionum, quas versat, inquit, *quod Esau æternam perditionem incurrerit*: neque quòd aliqui prædestinati sunt ad cœlestem gloriam, terminativè capessendam, independenter à meritis, vel ad æternam damnationem, independenter à demeritis vt legenti constabit. Vnde sapienter doctrinam Augustini de prædestinatione, solùm approbarunt Pontifices Leo, Gelasius, Sozimus quoad articulos de gratuita electione ad gratiam, vt patet ex Cœlestino *in Epist. ad Episcop. Galliæ.* Quæ omnia confirmantur ex principio eiusdem quæstionis vbi Augustinus ait: „ Quam rem persuadere „ Apostolus volens, quia, sicut alio „ loco dicit *gratia enim Dei salvi facti „ sumus*, &c. non ex nobis, sed Dei „ donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur, de ijs, qui non„ dum nati erant, documentum de„ dit. Hucusque Augustinus, qui ante ea verba immediatè dixerat; quòd, vt ad vitam perveniretur æternam, nedum opus erat credendo concipi, sed & operando nasci: vnde clarè patet quod illud documentum de nondum natis, & illa electio vnius præ alio ante nativitatem, intelligitur ab eo de vocatione congrua ad fidem, seu *credendo concipi*, vt se explicat, vt postea sequatur, *operando nasci*. Conficitur ergo ex tota solutionis harmonia. Primo. Quod D. Augustinus non turbat acceptionem Pauli qui per modum exempli talem textum adhibuit. Secundo. Quod ipse simul cum Paulo agunt quidem de prædestinatione ad gratiam, & fidem independenter à meritis: quæ etiam ad gloriam dici potest quatenus est ad viam gloriæ capassendã per merita cooperationis fidei, & gratiæ. Tertio. Quod in ipso textu nostro, etiam de prælatione temporali intellecto, inest etiam iuxta profundiorem speculationem Scholasticam verus sensus de prædestinatione ad ordinem iustorum Iacob præ Esau, & vialiter ad salutem æternam. Qui sensus respectu personæ vtriusque litteralis est: sed sub respectu ad alios, quo sub *Iacob* omnes fideles, & iusti; sub *Esau* omnes infideles, & peccatores claudantur; is sensus allegoricus est. Quartò. Quod nec Paulus, neque Augustinus verbum habent de gloria terminativè sumpta, & beante decernenda ante merita, neque de reprobatione æterna Esau. Neque enim SS. PP. aliquem facilè perditioni addicunt, nisi valde clarè id constet. Quod si ad hæc fulcienda opus sit loca S. Doctoris excerpere; nec hic gravetur mens, & intelligentia; ad finem quæstionis prolixa verba lubens adijciam, simul exponens, quomodo ex mente Augustini absolutè componatur, & quòd omnes vocentur ad fidem; & nihilominus, quòd aliquid sine operibus prædestinentur ad gratiam, & fidem; alij verò secus.

15 Obijcies 3. Legitima interpretatio per nos fiet ex comparatione aliorum locorum Sacræ Scripturæ. Sed multa loca sunt, quæ suadent nostra verba debere intelligi de prædestinatione æterna ad gloriam: Ergo ita debet intelligi. Minor probatur ex locis allegari solitis, quæ ex P. D. Ramirez fortiora esse videntur, scilicèt tum ex illo ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti.* Tùm ex illo Actor. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æter-*

nam. Tùm ad Roman. cap. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti: nam quos præscivit; & prædestinavit, conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse Primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit: hos, & vocavit, & quos vocavit; hos, & iustificavit, quos autem iustificavit, illos & glorificavit.* Tùm ex Mathæi cap. 24. *Sed propter electos breviabuntur dies illi.* &c. Confirmatur. Legitima expositio Scripturæ est illa, quæ ducitur ex Patribus, & Concilijs. Sed plures PP. nostrum locum intelligunt de prædestinatione æterna vt constat apud P. Iunium *sect.* 15. *cap.* 2. & 3. P. Ruiz *disput.* 8. 9. 10. & 11. Deinde Concilium Valentinum sub Benedicto III. *cap.* 3. sic ait: *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam; & prædestinationem impiorum ad mortem, in electione tamen salvandorum misericordiam præcedere meritum bonum; in electione autem periturorum meritum malum præcedere iustum Dei iudicium.* Ergo, &c.

16 Ad hoc argumentum respondeo, distinguendo maiorem: *Ex cohærentia locorum, præsertim vbi ipse casus attingitur in specie*, conced. mai. *ex cohærentia quoad argumenta exinde in alio loco promota*, subdisting. *in ordine ad hunc alium locum explicandum*, conced. *in ordine ad primum*, neg. mai. Et respectivè distincta minor. dico, omnes subiectos textus benè explicari, & alludere posse ad intentum Pauli fundantis electionem ad fidem, & gratiam independenter à meritis; non verò ad explicandum locum assumptum à Paulo de Malachia ad promovendum suum intentum; nisi quatenus vt supra, philosophemur cum Augustino Scholasticè ratiocinantes de æterno decreto circa personam Iacob, & Esau (vbi nota, non esse idem electionem æternam de persona, ac electionem de fine æterno illius; cum detur electio æterna, vel ab æterno de re temporali.) Ratio verò est: quia tota historia Esau, & Iacob in Scriptura passim attacta, sunt loca aptiora, & fortiora, vt conferantur, & illustrent textum de Iacob, & Esau allatum à Malachia, & à Paulo. Quod autem in nullo ex textibus obiectis agatur, nisi de electione gratuita ad gratiam, & fidem, vt tenemus ex Augustino, & ex Paulo, brevi constabit textus singulos perpendendo. Itaque primus nobis favet expresse cum dicat: *Vt essemus sancti*, id est, *iusti* non *glorioſi*. Secundus intelligitur de præordinatione ad vitam æternam in via „ ad illam. D. Prosper. *lib. de Libero* „ *Arbitr.* (ait Lorinus *Act.* 13.) hic vi„ detur prædestinationem sumere non „ pro ordinatione, quæ perducat vs„ que ad vitam æternam, vel quæ in„ cludat electionem, aut prædestina„ tionem ad illam; sed solam viam, „ hoc est fidem, quæ non possit obti„ neri, sine ordinatione gratiæ Dei „ quamvis, & à fide recedi posset, & „ sola per se ad vitam non sufficiat. Et ex Græco fonte quid simile placuit Salmeroni, & ipsi Lorino. Tertius textus, vt ex suffragio plurimorum Patrum legi potest apud Cornelium, etiam intelligitur de electione ad gratiam, & fidem. Ita ibidem Cornelius, sic lo„ quutus. Vnde tertio optime S. Au„ gustinus *lib. de Correp. & Grat. cap.* 7. „ & passim alibi, Anselmus, & alij „ per propositum hoc accipiunt æter„ num Dei beneplacitum, liberale de„ cretum, voluntariam, & gratuitam „ Dei constitutionem, quæ *Actor.* 2. „ *v.* 23. vocatur definitum consilium, „ idque vel ex eo patet, quòd 2. *ad Ti„ mot.* 1. *vers.* 9. & alibi Paulus oppo„ nit opera nostra huic proposito libe„ rali, & gratiæ Dei. Propositum er„ go hoc est liberale, & gratuitum Dei „ consilium, & decretum, quo pro„ posuit, statuit, & decrevit Deus „ ab æterno ex mera sua bonitate, „ & clementia omnes peccato per„ ditos per Christum vocare ad gra„ tiam, & sanctitatem, sine vllo

„ eo-

„ eorum merito, vti fusè expli-
„ cat Apostol. *ad Ephes.* 1. Hactenus Cornelius, vbi nota, præscientiam ibi concurrere non motivè, & meritoriè, sed illuminativè: quod discrimen gravissimum est, nunquamque præterendum. *Quartus textus* Math. facilior est: quia illa abbreviatio fuit propter electos, id est, *propter eorum preces*; vel ne diutius torquerentur amici Dei. Constat ergo quam benè exponatur textus Pauli, tùm quoad comparationem Iacob, & Esau, quam interserit: Tùm quoad sui præcipuum scopum, & argumentum. Cui favet illud Petri: *Fratres satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Illud Iacobi: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & hæredes regni?* Illud Ambros. 5. de Fide, cap. 3. *Deum pro nostrorum qualite factorum præmia supliciaque decernere.* Illud Hieronymi Isaiæ 1. *Non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum præmium vel pœnam esse.* Et alia plura. Ad confirmationem facile respondetur, plures PP. & antiquiores Augustino, & viam interpretationis sequentes, nobis favere, simul cum Hieronymo, qui in exponendis Sacris Scripturis legem fert in Ecclesia: præterquamquod etiam ipse Augustinus ad rem nostram venit vt exposuimus; quinimo ipse verbis suis declarat quoque Concilium Valentinum obiectum dicens quæst. „ 2. ad Simplicianum. Vnde datur in-
„ telligi, id quod infrà vtrumque po-
„ suit. *Ergo cuius vult miserətur; &*
„ *quem vult indurat*, ita sententiæ su-
„ periori posse congruere, vt obdura-
„ tio Dei sit nolle misereri: vt non ab
„ illo irrogetur aliquid, quo sit ho-
„ mo deterior, sed tantùm, quo sit
„ melior, non erogetur. Ex quibus est clarum, quod misericordia Dei, id est gratia auxilians, semper debet præcedere meritum bonum; & ad iustitiam Dei semper debere præcedere meritum malum, ne iniustus esset; illa tamen misericordia Dei præcedens ex Augustino benè intellecto non est nisi vocatio congrua.

17 Ex his etiam posset responderi secundo ad argumentum ex Augustino desumptum permittendo gratis, quod D. Augustinus intellexisset prælationem Iacob ad Esau, pro æterna prædestinatione ad gloriam. Cæterum inde nullum incommodum nobis creari, eò quod ipse sic probabiliter senserit, quamvis nos cum tot Patribus aliter sentiremus. Nam propterea non infringitur argumentatio Augustini contra Pelagium: siquidem PP. contra Hæreticos multa in suffragium sanctæ fidei, etiam merè probabilia argumenta tentabant, vt ad evincendam Catholicam Doctrinam quacumque ex parte captarent mentes erraticas; cùm sæpè Deus (veluti per infirma confundit fortia) voluerit argumento etiam debili mentes trahere humanas: scio enim hominem alias hæreticum quodam parallogismo conclusum, effectumque posteà egregium Ecclesiæ pugilem. Manere ergo posset tanto Parenti sua sententia, si ea esset; illibataque simul nobis, & nostra. Cumque hæc lis maximè ducatur ex illa voce *non ex operibus*; lubet notare discrimen summi momenti ad Theologorum certamina. Igitur alia sunt opera materialia, seu materialiter facta. Alia sunt opera facta per vires naturæ. Alia sunt opera salutaria. Prima puto esse illa, quæ toties Paulus ingeminat nihil prodesse Iudæis tanquam vacua, & inania: quia nimirum purè materialiter, sine spiritu fidei ab ipsis observabantur; qui sunt dicti propterea, relinquere graviora legis, scilicèt, misericordiam, iudicium, & fidem, & sic erant *egena elementa*; cæterum ipsa opera legis facta in fide Christi venturi non erant inania, donec suo tempore abrogarentur. Ex qua distinctione nonnulla Pauli loca inclarescunt. Secunda sunt opera naturæ, tam erronee à Pelagio exaltata, vt ipsis meritum salutis adscriberet: vnde quotiescum-

que

que agendo cum Pelagio, vel de eius errore dicitur *non ex operibus*, debet itelligi *per solas vires naturæ*. Tertia sunt opera salutaria facta ex gratia Dei: & hæc sunt, quæ in perpetuo sermone habentur apud Theologos Scholasticos agentes de æterna prædestinatione nostra: hanc enim iuxta Concilia, & Ecclesiam nullatenus sumus obtenturi, nisi per opera salutaria. Solent ergo ex promiscua vsurpatione harum acceptionum ingentes equivocationes oriri, & maximè in Augustino, qui simul loquitur de vtrisque, scilicèt, operibus Pelagianis, & operibus salutaribus, illa vt refutet; hæc vt statuat.

18 Objicies 4. cum replica ad superiora. Noster textus, vt allatus à Paulo, non rectè exponitur, nec salvat, quòd *non ex operibus*; sed *ex vocante* præferatur Iacob: ergo non tenet conclusio. Probatur antecedens. Nos in nostra explicatione non negamus, Deum, qui vult omnes salvos fieri, omnes vocare ad gratiam, & fidem. Atqui nos diximus prælationem Iacob salvari penes electionem ad fidem, & gratiam: ergo non componimus, quod prælatio fiat ex vocante, si omnes æquè vocantur. Ad hoc argumentum respondeo negato antecedenti, distinguo minorem probationis: *Penes electionem quæ sit vocatio congrua*, conced. minor. *quæ sit vocatio absolutè*, neg. minor. & consequent. Igitur audiatur iam non parca manu Augustinus, 1. *ad Simplicianum, quæst.* 2. *ad medium*: At enim, quia non præcedit vo„luntas bona vocationem; sed vocatio „bonam voluntatem; propterea vo„canti Deo rectè tribuitur, quòd benè „volumus; nobis verò tribui non po„test, quod vocamur. Non igitur ideò „dictum est putandum *non volentis, ne„que currentis, sed miserentis est Dei*, „quia nisi eius adiutorio non possu„mus adipisci quod volumus; sed ideò „potius, quia nisi eius vocatione non „volumus (ecce misericordia Dei in „vocatione) sed si vocatio ita est ef„fectrix bonæ voluntatis, vt omnis „eam vocatus sequatur, quomodò ve„rum erit *multi vocati; pauci electi?* „Quod si verum est, & non conse„quenter vocationi vocatus obtem„perat; atque, vt obtemperet, in „eius est positum voluntate; rectè „etiam dici potest *igitur non miseren„tis Dei; sed volentis, atque currentis „est hominis*: quia misericordia vocan„tis non sufficit, nisi vocati obedien„tia consequatur. An fortè illi, qui „hoc modo vocati non consentiunt, „possent alio modo vocati accommo„dare fidei voluntatem, vt & illud „verum sit: *Multi vocati; pauci electi*: „vt quamvis multi vno modo vocati „sint, tamen quia non omnes vno mo„do affecti sunt; illi soli sequantur vo„cationem, qui ei capiendæ reperiun„tur idonei. Et illud non minus verum „sit: *Igitur non volentis, neque curren„tis; sed miserentis est Dei*, qui hoc mo„do vocavit quomodo aptum erat eis, „qui secuti sunt vocationem? Ad alios „autem vocatio quidem pervenit, sed „quia talis fuit, qua moveri non pos„sent, neque vt eam capere apti es„sent; *vocati* quidem dici potuerunt, „sed non *electi*; & non iam similiter „verum est, *igitur non miserentis Dei; „sed volentis, atque currentis est hominis*: „quoniam non potest effectus miseri„cordiæ Dei esse in hominis potesta„te, vt frustrà ille misereatur, si ho„mo nolit: quia, si vellet etiam ipso„rum misereri; posset ita vocare, quo„modo alis aptum esset, vt & move„retur, & intelligerent, & sequeren„tur. Verum est ergo *Multi vocati; „pauci vero electi*. Illi enim *electi*, qui „congruenter vocati: illi autem, qui „non congruebant, neque contempe„rabantur vocationi, *non electi*, quia „non sequuti; quamvis *vocati*. Item „verum est: *Non volentis, neque cur„rentis; sed miserentis est Dei* quia, etsi „multos vocet; eorum tamen misere„tur, quos ita vocat, quomodo eis

„vo-

„ vocari aptum eſt, vt ſequatur. Fal-
„ ſum eſt autem ſi quis dicit *igitur non*
„ *miſerentis Dei, ſed volentis atque cur-*
„ *rentis eſt hominis*: quia nullius Deus
„ fruſtrà miſeretur; cuius autem miſe-
„ retur, ſic eum vocat, quomodo ſcit
„ ei congruere, vt vocantem non reſ-
„ puat. Hucuſque Auguſtinus, qui & argumentum ſolvit, & tanta habet in hac quæſtione, vnde mirè fulciri, & explicari poſsit doctrina Societatis luculentiſsimè; vt locorum pretioſitate allectus decreviſſem huc plura tranſferre, niſi viderem pene transferendam eſſe totã quæſtionem. Igitur conſtat ex dictis primo. Quod, vt ſit Dei *bonum velle noſtrum*, ſufficit, ab ipſo congruè vocari. Secundo. Quod vocatio congrua eſt electio. Tertiò. Quod ideo homo non poteſt fruſtrare miſericordiam Dei erga ipſum: quia ſi vellet ipſius miſereri, poſſet ita vocare eum, vt ſequeretur. Quarto. Quod quando dicit antea. *Quod dictum eſt: Quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video, quomodo ſit dictum, niſi præſcientia* loquitur de prævisione abſoluta meritorum: ſiquidem ante illa verba ait *non tamen electio præcedit iuſtificationem; ſed electionem iuſtificatio, nemo enim eligitur niſi iam diſtans ab illo, qui reijcitur.* Quinto. Quod cum dicit, quod opera non pariant gratiam, ſed pariantur ab ipſa; clarè explicat de vocatione præcedente bonam voluntatem, dum dicit: *non electione meritorum, quæ poſt iuſtificationem gratiæ proveniunt; ſed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur. Gratia enim De ſervi facti ſumus: & hoc non ex operibus, ſed Dei donum eſt.*

19 Poſt quæ teſtimonia (quorum ſuperius tam ad longum, vt nos deſumpſimus de Auguſtino, affert Pereira pro ſe ad *ad Roman. 9. diſput. 8.*) duo dicere placet. Alterum eſt minus iuſtè Pereira noſtrum applicari ſibi ab
„ adverſarijs: Cùm enim (ait ibidem)
„ Deus efficaciter miſeretur alicuius
„ hominis, vocat eum ita vt ſcit con-
„ gruere ipſi, vt vocantem ſequatur:
„ quare nullius vnquam Deus fruſtra
„ miſeretur. Neque verò hac Pauli
„ ſententia tollitur liberum hominis
„ arbitrium, vt hæretici noſtri tempo-
„ ris mentiuntur; ſed adſtruitur gra-
„ tia prædeſtinationis, & vocationis
„ hominum non ex libero eorum arbi-
„ trio; ſed ex mera Dei miſericordia
„ proveniens. Poſtquam autem voca-
„ tus eſt homo, & Dei gratia præven-
„ tus, tunc libero ſuo arbitrio conſen-
„ tit vocationi, & præparat ſe ad iuſti-
„ tiam, & iuſtus iam factus efficit ope-
„ ra bona, & Deo grata quibus vi-
„ tam æternam promereatur. Et alia, quæ ibi legi poſſunt, & quæ maioris ponderis eſſe debent, quam quæ proluſit in Phyſica ſuo lib. de principijs. Alterum eſt, quod Pereira ibi *diſp. 5.* non rectè tribuit Auguſtino reprobationem ante abſolutè prævisa demerita. Nam ipſe ait Epiſt. 106. *Quanquam immeritum, & nulli obnoxium peccato, ſi Deus damnare creditur; alienus ab iniquitate non creditur.* Et lib. 3. contra Iulianum, cap. 18. *Deus poteſt ſine bonis meritis liberare. Non poteſt, ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Ecce quàm clarè D. Aug. dixit contrarium. Colliges ſimiliter talem ſententiam reprobationis non benè attribui D. Thomæ *qui 1. part. queſt. 19. art. 6. ad 6.* ſic ait: *Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvum fieri; ſed conſequenter vult, quoſdam damnari ſecundum exigentiam ſuę iuſtitiæ.* Et quæſt. 23. art. 3. ſolum dicit Deum reprobare in eo ſenſu, in quo aliquibus non vult conferre vitam æternam: qui modus non excludit opera abſolutè prævisa præceſſiſſe.

20 Obijcies 5. Ex Scriptura, & Bullis Pontificis conſtat, quod talis locus maximè, vt à Paulo allatus, intelligendus eſt de electione ad gloriam ante abſolute prævisa opera meritoria, & reprobatione ante abſolutè prævisa demerita: ergo, &c. Antecedens quoad

primam partem de electione constat ex Brevi Benedicti XIII. quòd incipit *Demissas preces*, & ex Bulla *Pretiosus*, *num.* 14. vbi totus est Summus Pontifex in commendanda, & plaudenda ex Augustino, & Thoma tali doctrina. Et quoad secundam quia de Esau constat ex Scriptura *ad Hebr.* 12. non inveniſſe locum pœnitentiæ, quod est æternùm fuisse reprobatum. Sed hoc fuit antequam aliquid boni vel mali egisset: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo, negando anteced. quoad vtramque partem, atque in primis ad probationem secundæ vbi opponitur impœnitentia Esau *ex Epist. ad Hebr. cap.* 12. *vers.* 17. respondeo cum P. Gaspare Sanchez *Malach.* 1. Cornelio Alapide, & Gabriele Vazquez, pœnitentiam hanc non esse Esau, sed parentis Isaac, à quo filius precibus, & lachrymis extorquere non potuit, vt mutaret mentem. & benedictionem, quam Iacob fratri fuerat impertitus, revocaret: neque de peccato tunc dolebat, & lacrhymabatur Esau, sed quod frater sibi primogenituram abstuliſſet. Neque obscura est Pauli sententia si attentius expendatur. *Ne quis* (inquit) *fornicator, aut prophanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua: scitote enim, quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquàm cum lachrymis inquisisset eam.* Id est: non effecit precatione, ac gemitu, vt Pater mutaret animum, & largam illius benedictionem ad se adscriberet. Vbi Vulgatus ait *pœnitentia* Græcè est *Metania*, quæ vox mutationem, aut correctionem significat sententiæ. Neque alio sensu dixit Paulus *ad Roman.* 11. *v.* 29. *Dona Dei esse sine pœnitentia.* Ex quibus constat Esau in sensu æternæ damnationis reprobatum non fuisse, imò aliqui, vt Cornelius, salvum fuisse defendunt.

21 Ad primam probationis partem dico, in primis, quod *Brevia* non solum non sunt Bullæ definitivæ; sed, neque quæ in corpus iuris vnquam cooptentur. Bulla autem *Pretiosus* est ad instantiam partis: & quasi privata, & commendatitia, obiterque attingens punctum doctrinæ. Deinde dico, quòd in Brevi *Demissas preces*, & Bulla *Pretiosus* notoria ex terminis est præcipua intentio Summi Pontificis, qua erga suos fratres piè amans, & commendabilis solicitus est, tanquam erga benemeritos de doctrina, & Sede Apostolica, eos asserere, & vindicare à dicterijs, censurisve, quæ inconsideratè, & iniustè ipsis aspergebantur, & affricari intendebant occasione Bullæ *Vnigenitus*: quasi cum partibus Ianseniſtarum foret ipsis causa communis. Quapropter Summus Pontifex eos bono animo esse iussos voluit; ne in sua causa, & disputatione concidèrent: vnde Sanctitati suæ vnum, alterumvè punctum in quo præsertim talia eis affingi solerent, commemorare placuit, scilicèt de gratia *per se efficaci*, & prædestinatione ad g'o. iam *ante absolutè prævisa merita.* Super his verò assertis directè sumptis nihil omninò roboris, declarationis, aut firmitatis impartitus est Summus Pontifex, alterutram, videlicèt concertantium partem sibi, & Sanctæ Sedi adoptando, vt iam pridem benè norunt DD. & Academiæ; quinimò, & id ipsum ipse proprio oraculo explicuit prout de Viro fidedigno Roma venienti nuper accepi. Duo ergo dumtaxat sunt, quæ ibi præstantur. Alterum est pronuntiatio illa reflexa, *quòd scilicèt Schola Thomistica, & Dominicana laudabiliter se gesserit supradictas theses sustinendo*: alterum autem, *quòd eadem non nisi gloriosè eas Theses ex Patribus præsertim Augustino, & Thoma elicere, firmare, ac propugnare contenderit: quin propterea traduci possit, veluti Ianseniij, Quesnelijque erroribus communicans, à quibus & à S. Thomas, & vera Schola Thomistica longissimè abfuit, vniversis hæresibus, assertisque pernicioſis adversans.* Ex quibus omnibus, quæ in præfato duplici oraculo continentur liqui-

liquidò apparet : quomodo celebre punctum concertationis de efficacia gratiæ, & prædestinatione ad gloriam antè, vel pòst prævisa merita in eodem gradu sistit, ac permanet, quo erat ante ambo hæc desuper pronuntiata.

22 Quæ quidem pronuntiata tantum id clare directè, ac per se evincunt primo, vt nimirùm Schola Thomistica in hisce propugnationibus laudabilis fuerit. Secundo. Necnon, quòd gloriosa semper institerit, vt Augustinum, & Thomam sibi procuret speciales patronos, & tutelares. Tertiò. postremoque, quòd quisquis eorumdem assertiones, quavis, vel Ianseniana, vel Quesneliana labe respersérit; ipsis clarè erit iniurius, Summo Pontifici inobediens, eiusque fulmini, & sententiæ suppositus. Quæ quidem tria tanta æquitate pronuntiata sic explico. *Primum.* Quoniam quis nisi admodum cæcutiat inficiari poterit, nedùm, quòd D. Thomas Doctor sit ita plenè orthodoxus, hæresesque vniversas convellens, vt contra neque mutire quis possit; sed etiam illustrissimam, doctissimamque Scholam Dominicanam tot retrò sæculis Catholicæ Ecclesiæ vindicem, & columen, subinde proximioribus sæculis eadem coluisse partes, hæresique bellum acre indicendo, ea pura theoremata semper propugnare intendisse, quæ non nisi de fontibus Scriptutarum, Patrum, & Conciliorum sibi hausta, & conquisita concrederet? Vnde postea quam Pelagius, Lutherus, atque Calvinus circa concordiam gratiæ, & liberi arbitrij fœdissimè aberravere; ipsi ingenti labore, eruditione plurima, subtilitate magna, & pietate maxima in id incubuerunt, vt dextrorsum, sinistrorsumque zizania Hæreticorum amandantes, pabula salubria servarent, ab ipsisque hæreticis de ore nequam Augustinum, proindeque & Thomam, quos falsò ipsi buccinabant, eriperent. Doctrina ergo quæ id in Ecclesia hucusque præstitit, & præstare non desinit, vim gratiæ non labefactans, & vires arbitrij, libertatisque indifferentiæ semper pronuntians, atque conservans, quomodo non erit in sua confessione, & Scholastica propugnatione laudabilis? *Secundum.* Si postquam Theologia à Patrum dogmatis excerpta, & contra hæreticos sanis ratiocinijs cribrata, sequuta est Scholasticas, & disputatrices vias vberrimo fructu, & potentia mirabili, Augustinus, & Thomas in hoc genere principatum sibi celsissimum vindicarunt; quomodo non erit glorioſum, hos vndique collustrare, & evolvere; hos articulatim discutere, horum sententias perpetua indagine persequi, his dulcè inhærere, hos appellare, his nunquam deesse, neque hos vnquam pati sibi aliquatenus defuturos? Est vtique glorioſissimum, proindeque de eo Scholæ Dominicanæ plurimum gratulandum, optandumque in eò, vt pergant feliciter; nisi ipsi soli pergere malint: naturæ enim ipsi foret iniurius, qui cuperet, in mundo sibi soli esse solem: in quo id est longè nobilissimum, vt eosdem sui radios priscis miserit, ac viventibus. *Tertium.* Quia, ni multum fallor, crassè nimirum, & quodam livore ducti, œstroque disputationis abrepti aliqui, verbo, aut scripto, Doctoribus probè Catholicis erroris notam aspergunt: perinde ac si velut criminosi ad Ecclesiam referri deberent. In quo semper ac res agitur inter personas nulla ex parte suspectas, Catholicosque Doctores; deceptio est plurima. Cum enim vtraque pars Catholica piè concertans, nihil aliud intendat, quam multiplici ratiocinio tutas propositiones excerpere, & quæ ita hinc ab vno scopulo amoveantur erroris, vt vis ratiocinij non faciat eas allidere ad alterum; planè sequitur, quòd si qua ex partibus concertantibus minus subtiliter pronuntiata discernit, minusque tersas, nitidasque propositiones emungit;

pec-

peccatum quidem in partem Scholasticam referri debet; non in Catholicam, quæ vtrobique est sana. Vnde tunc id erit muneris partis adversæ, vt scilicèt presso, explorato, valentissimoque ratiocinio, sibi contrarias, propositiones eventilet, post easque vltrò citròque agitatas, commonstret, qua ex parte declinare videantur à medio tramite inter duos scopulos, vt minus, vel nihil offendant, & nota fiat semita veritatis, quæ semper est media. Cæterùm intendere, & dicere, theses contrarias à sanis Catholicis propugnatas, iam impegisse in vnum scopulum; iam in alterum, easque excipere adunco naso, subsannatione, & censura; quamdiu ipsæ in stado Scholastico, & Catholico integræ perseverant; crimen est, & calumnia iure merito ferienda fulmine Vaticani. In cuius gratiam, & profundissimam reverentiam hæc dedimus non nisi mulrò amore vtrarumque partium iura partiti.

23 Propterquæ Recens Author Dominicanus, isque doctissimus, scilicèt, R. Adm. P. M. F. Caietanus Benitez *in suo opere de Concursu Prævio*: mirum est, quod dicat, & data opera probare conetur, suam doctrinam de efficacia gratiæ esse *evidenter credibilem*: prout solemne est in Scholis, dicere de mysterijs fidei. Quod si ex litteris Benedicti XIII. hæc aura manavit; iam pridem nos alia veteriori, clariorique fuimus gloriosè perfruiti dum Clemens IX. Compluti nobis Cathedras „ erigens in Bulla sic dixit. Atten„ dentes igitur, quod Societas Iesu „ digito Dei ex eodem Sedis Apostо„ licæ Oraculo efformatum institutum „ semper egregiè sustinuit, munijsque, „ disciplinis Christianæ pietatis con„ ciliatis ad ingenij culturam, simul, „ & animarum excrevit, prout publi„ cè testantur perennia Religiosæ sa„ pientiæ monumenta, quibus litte„ raria laureantur theatra, & Catholi„ ca coronatur Ecclesia. Adeò vt pro„ nuntiatum illud Propheticum eius „ professoribus appositè congruat: *La„ bia Sacerdotis custodiunt scientiam, & „ legem requirent de ore eius, &c.* Atque „ insuper, nemo non videt, quantum SS. Papa Clemens XI. in sua Bulla *Vnigenitus* nostris doctrinis, & quam amplissimè suffragetur.

24 Ergo, ne in re gravissima vlla serpat æquivocatio, duo sunt observanda. Primum. Aliud est concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio. Aliud autem est concordia gratiæ efficacis, prout efficaciam explicant RR. Patres Dominicani, cum libero arbitrio. Primum, dogma est in Ecclesia, quod cum cæteris nostræ fidei, sit vtique evidenter credibile. Secundum est systema probabile, neque plus priscum quàm à tempore, quo circa initium nostræ scientiæ mediæ perdoctus Bañez suam prædeterminationem invexit, cui de suis refragati sunt totidem, quot passim libri nostri non silent. Igitur propterea in id operis non hic arbitror latè excurrendum: sivè ne metas Biblicas ipse transiliam; sivè quod tale opus merè defensivum est, vt proprias doctrinas tueatur domusque suæ sarta tecta conservet, non vt ex professo alienas impetat: vnde contingit, quòd ea, nimirum, quæ obiter, sibi consulens, adversum nos retorta commemorat, parùm premant sanè; sed iam dudùm per librorum fasces, & volumina nostrorum sint penitus dissipata, paratissimaque per nos recantari, quoties oporteat. Cumque, ita sit toto terrarum orbe per doctrinas, per Academias, perque incessantia volumina florentissimum systema nostræ doctrinæ; aliæque Scholæ etiam gravissimæ pariter fragrare videantur, quæ Dominicano systemati satis hìc contradicunt; non video cur hocce tam evidenter credibile sit venditandum. Secundum est. Quod forte R. P. M. Benitez, dum id pronuntiat, & fulcit, vtpotè vir sapiens, nihil aliud intentat, quàm opinionem suam esse

evi-

evidenter probabilem, sivè evidenter dignam, vt probabili assensu eam quilibet consectetur. Et in hoc sensu, statim pronuntiata do lubens, cùm ad id sola gravissima Dominicana familia mihi sit affatim suffectura. Præstat autem, multùmque oportet turbæ lectorum similes propositiones, tam graviter allusivas, indistinctas non propinare. Atque reapse non debet, vt tam evidenter credibile proponi id, ad quod in sua sinceritate retinēdum, discriminandumque à falsis, & expediuntur Brevia Apostolica, & speciatim defensiva volumina elucubrantur. Interea autem, dum cuique in hac re liceat ex sua pietate loqui; ego, si non ad authenticam; ad privatam testificationem tamen lubens, sic me recipio. Est enim hominis de tota Scriptura, vt piè creditur, divinitùs repleti, & afflati, Iosephi à S. Benedicto, laici Benedictini, qui desuper in profundis Theologiæ quæstionibus illustratus pretiosa scripta reliquit, *& part. 1. cap. 11. num. 42.* sic ait: *Attamen cum ipse sit decor omnis iustitiæ; iudicans in iustitia, & æquitate, propter æquitatem, & decorem iustitiæ suæ prævidit Deus (& hoc sine dubio) ex parte creaturæ suæ opera, & elegit suos ex operibus prævisis; scilicèt ad æquitatem iustitiæ.* Et alibi, &c.

25 Verum cum ad hæc vsque nos traxerit pia religiosaque disputatio, nullibi reor oportunius inserenda est Epistola illa famosa glorioſi S. Francisci Salesij Episcopi Gebennensium vbi sententiam de prædestinatione post prævisa merita, suam esse aperte declarat. Cumque hanc recens doctus Scriptor R. P. Fr. Ignatius Iacintus Amath de Graveſſon ex gravissima Dominicana Familia in sua Historia Ecclesiastica, *tom. 5 Editionis Germanicæ, ann. 1727. part. 2. colloquio 5. resp. vltim. pag. 142.* tanquam *spuriam, supposititiam, & adulterinam* taxet, inibi & alibi erga nos vsus crisi, eo nempè fundamento ductus, quòd inter Epistolas editas huius S. Doctoris non recensеatur; operæ pretium duxi nedum eam hic inserere integram de cruce ad calcem; verum aperire, quomodo nostri PP. Antuerpienses Societatis Iesu toto Orbi sua eruditione commendatissimi, & celeberrimi in suis folijs volantibus de hac re editis anno 1729. sparsis per Europam, & quorum exemplar penes me est, prædictæ crisis clarissimi vindices extitere. Nam primo, in plenam rei fidem æri incidi totam Epistolam curaverunt, vt cursivi illi characteres, quos propria manus tanti Præsulis, & non ineleganter, duxerat, ad vivum de seratione redderent; & à quoquam habente autographum aliquod S. Doctoris comprobari posset. Secundo. Adiectæ sunt omnes illæ notæ, quæ possent rem contestari, nimirum persona ad quam dirigebatur, scilicèt, P. Leonardus Lessius: locus & tempus, quo exaratæ sunt litteræ: subscriptio: salutatio initialis de more honorifico: sigillum clarissimum cum Epigraphe, & Gentilitijs: suprascriptio demum ita fideliter insculpta vt desint ea verbula, quæ supra papiraceam lingulam (vulgo Nema) Epistolam de more nostro integram transfigentem scripta esse debuerunt, prout ipsamet infra indicabit. Tertio. Deponunt hanc Epistolam fuisse cum multis alijs autographis eiusdem Sancti Epistolis sæpius collatam; eruditorum omnis generis, & gentis oculis tot annis vsurpatam; omnium calculis approbatam; imò Catholicorum plerorumque venerabundis osculis non nihil fœdatam; apud eosdem PP. Societatis Iesu, qui scribunt Acta Sanctorum religiosè asservatam; omniumque adventantium prospectui quotidie expositam. Quarto. Debilitant argumentum oppositum: tùm quia alioqui spuriæ quoque erunt quotquot vsquam existant eiusdem Sancti litteræ, & in Belgio, & alibi, quæ in dicta earum collectione non reperiantur: tùm idem argumentum confici posset de litteris Pontificijs

alijsque monumentis; cum tamen modo duo integra volumina ad Bullarium adiecta sint vbi antiquorum Pontificum multæ Bullæ hactenus ineditæ publicantur: tùm quia nemo nescit quot, & quanta denuo erui soleant, quæ diù latuerunt eo quod tempore editionis, de re non constaret. Et quidem hoc in negotio Epistolarum ferè est necesse, sivè quia hæ ita per Orbem volitando sparguntur; vt penè impossibile sit cuiuslibet Authoris omnes obseruare, & colligere: sivè quia ij ad quos huiusmodi Epistolæ diriguntur plerumque huius thesauri solent ipsi esse absconsores, atque tenaces. Quinto. Denique illud adijci potest validissimum argumentum, quod nimirum eatenus supposititia credi deberet hæc Epistola quatenus eam huic Sancto PP. Societatis adoptassent, vt per eum tàm fama Societatis, quàm doctrina de prædestinatione ex præviſis meritis commendaretur. Id vero protinus evanescit: quia videlicet in operibus editis ipsius nostra Societas, cuius Spiritu innutritus fuit mirificè extollitur; atque singillatim doctrina etiam de prædestinatione post præviſa merita ab eo traditur in libello, quem edidit de amore Dei, & ad quem in eadem Epistola se remittit. Consonat ergo ipse sibi, & ipsi nos doctrina, fidelitate, & amore. Ecce Epistolam.

ADMODVM REVERENDE IN Christo Pater.

„ ATtulit mihi, Paternitatis vestræ litteras Dilectissimus no„ bis Magister Gabriel, quæ vt per„ honorificæ, ita, & iucundissimæ mi„hi fuerunt. Amabam iampridem imò „ etiam venerabar te nomenque tuum, „ mi Pater, non solum quia soleo „quicquid ex vestra illa Societate pro„ cedit magnifacere, sed etiam quia „ sigillatim de vestra Reverentia multa „ audivi præclara primum, deinde „ vidi, inspexi, & suspexi. Vidi nam„ que ante aliquot annos opus illud „ vtilissimum de iustitia, & iure, in „ quo, & breviter simul, & luculen„ ter, difficultates illius partis Theo„logiæ, præ cæteris authoribus quos „ viderim egregiè solvis. Vidi postea „ consilium quod à magni consilij an„ gelo per te mortalibus datum est de „ vera religione eligenda, ac demum „ obiter vidi in Bibliotheca Collegij „ Lugdunensis tractatum de prædesti„ natione, & quamvis nonnisi spar„ sim vt fit, oculos in eum inijcere „ contigerit, congnovi tamen, Paterni„tatem vestram, sententiam illam, anti„ quitate, suavitate, ac scripturarum „ nativa authoritate nobilissimam, de „ prædestinatione ad gloriam post „ præviſa opera, amplecti ac tueri; „ quod sanè mihi gratissimum fuit, qui „ nimirum eam semper, vt Dei mise„ricordiæ ac gratiæ magis consentaI „ neam, veriorem ac amabiliorem „ existimavi, quod etiam tantisper in „ libello de amore Dei indicavi. Cum „ igitur ita erga Paternitatis vestræ „ merita, quam dudum laudaverant „ apud me opera eius, affectus essem, „ mirifice profecto gavisus sum, me „sibi vicissim vtrumque etiam charum „ esse; quod vt semper contingat; & „ dictum Magistrum Gabrielem, com„ mendatissimum habebo, & si quid „ vnquam potero, quod tibi place„ cere cognoscam, id exequar quam „ impensissime. Valeat interim Reve„ renda Paternitas, tua, & te Deus „ vsque in senectam, & senium nun„ quam derelinquat, sed canos tuos, „ benedictionibus cœli ornet, & com„ pleat. Annesi Gebennesium XXVI. „ Augusti 1613. Admodum Reveren„ dæ Paternitatis vestræ. Humilis, & „ addictissi. Frater ac servus in Christo „ Franciscus Episcopus Gebennensis.

„ Supraſcriptio
„ Admodum R. P. in Christo Patri
„ Leonardo Lessio Societatis
logo clarissimo.

QUÆS-

JHS.

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

QVIS EST QVI TE DISCERNIT? QVID AVTEM HABES, quod non accepiſti? Si autem accepiſti; quid gloriaris quaſi non acceperis? 1. *ad Corinth.* 4.

ARTICULUS.

DE QVA DISCRETIONE IN SENSV LITTERALI LOQVATVR hic textus?

1 SUppono 1. D. Paulum iuſſu Dei, prout conſtat *Act.* 18. *verſ.* 9. valdè fructuosè prędicaſſe apud Corinthios ad quos hanc primam epiſtolam miſit ex ſententia Cornelij, antequam ſuam ſcriberet ad Romanos: ad cuius fructuoſam prædicationem multa Dei dona in Corinthios ſubſequuta fuerunt, ac derivata, prout ipſemet exponit *cap.* 1. & 14. Poſtquam autem Paulus in ea Civitate ad ſeſquiannum commoratus inde diſceſsit; ſubintroivit Apollo vir etiam Chriſticola potens, & eloquens in Scripturis, qui propterea ex Corinthijs devinxit ſibi quam plurimos. Hi verò cum inter Græcos eſſent planè eruditi, & Oratoria, Philoſophiaque multùm inſtructi, nempe, inter quos eluxit Periander ille vnus de ſeptem Sapientibus, ambitione, faſtu, & contentione diſciſi ſunt, ita vt alij dicerent eſſe Pauli, alij autem Apollo: faciebantque quamdam diviſionem in Chriſto, quaſi in ſuis Concionatoribus diviſus eſſet; & non omnes illi totum, & vnum Chriſtum reſonarent. Proponentibus ergo Corinthijs Paulo ſuo quaſdam quæſtiones, quibus reſpondet, *cap.* 7. Paulus, prius hic per priora capita eos de deviſione, gloria humana redarguit, oſtenditque cum Chriſto, & ſpiritu Dei adveniſſe altiorem aliam ſapientiam, quæ in cruce Chriſti, & eius abiectione, rudique, & ſincera credentium fide potius ſtaret, quàm in apparatu humanæ eloquentiæ, ſplendidæ nobilitatis, argutiſsimæque philoſophiæ. Ad hæc ergo collimans Apoſtolus hoc *cap.* 4. ſtatuit Miniſtros Chriſti potius debere attendere ad fideliter diſpenſandum myſteria ipſis concredita, quàm, vt inde ipſi ſe extollant, & inflent vnus adverſus alterum, nedum pro ſe ipſis aut dotibus ſuis; ſed neque pro alio, quem ſibi conſtituant ducem, & cuius gratias, & dotes ſibi quaſi ſectatoribus arrogent; vt alios æmulatione, & contentione deijciant. Id quod vſuvenit etiam in rebus ſacris, & ſpiritualibus, atque perſæpè etiam hominibus non multæ notæ, qui cùm de ſe non valeant; alijs adhæreſcunt, vt ex inde

ſu-

ſuperbiant. Quæritur ergo iam: quiſnam ſit germanus ille ſenſus qui verbis ſubſequentibus correſpondeat, quibus inquit Apoſtolus. *Quis eſt qui te diſcernit?* &c.

2 Suppono 2. Senſum illum, qui in Sacra pagina eruitur circa ea, quæ *credenda* ſunt communiter allegoricum recenſeri, vt conſtat ex illis verbis. *Quid credas, Allegoria.* Quatenùs inde eruitur ab Eccleſia, & exponitur ille ſenſus doctrinalis, qui exinde dogmaticè tenendus eſt: non merè probabiliter, inquàm, & opinativè; ſed dogmaticè: propterea enim dicitur quod *credenda* oſtendit Allegoria. Quiquidem ſenſus allegoricus ſic explicatus poteſt dici ſecundo litteralis, & ſic à nobis perſæpè vſurpatur, tam *tom. 2. de Interpretat. Sacrar. litter.* agentes in Apparatu, quàm alibi in toto opere: quatenus, videlicèt, licèt ille ſenſus non fuiſſet intentus ab ipſo Scriptore Canonico; nihilominus fuiſſet intentus ab Spiritu Sancto, & contentus in ipſis verbis; quorum vis ſignificativa perpetuò habenda ipſi Spiritui Sancto eſſet nota. Quæ pluribus profundè, & acutè de more explicat Auguſtinus in libris Confeſsionum vt latè expoſui *tom. 1. quæſt. de Diluvio.* Diſcrimen verò quod intereſt in hoc quod eſt eſſe, ſenſum litteralem ſecundum, vel eſſe ſenſum allegoricum in eo eſt alicuius momenti, videlicèt, ad taxandam exinde vim argumentationis Biblicæ in re dogmatica. Nam erga fideles ſtatim dogma convincitur per ſenſum allegoricum (per Concilia, & PP. declaratum) quatenus inibi ſtatim perſuadentur, vt debent, quòd licèt res geſta, & proprius verborum ſenſus aliud ferat; nihilominus id, quod inde credendum proponitur, re vera ibidem ſignificetur eſſe credendum. Quoad infideles verò de dogmate convincendos hæc argumentatio ſic ducta reſpectu eorum incredulitatis, qui Eccleſiæ non ſe ſubmittunt, minus valet. Quare vt contra ipſos magis energiacè argumentemur opus eſt probare tale dogma revera includi in littera textus, licèt aliud quid litteraliter importetur: cùm vti receptum eſt, vnus & idem textus gemino, vel multiplici ſenſu litterali gaudere poſsit. Cuius ratio eſt ea quæ ex Auguſtino latè diducitur loco citato, ſcilicèt, eadem verba poſſe ſubire plures ſignificationes proprias ex hominum placito, quod eas adinvenit, vſurpat, & taxat: & eo poſito, Spiritus Sanctus vſus his verbis præ alijs, earum ſignificationum quas habitura ſunt perſpicaciſsimus cognitor; eos quoque proculdubio ſenſus ibi voluit intelligi.

3 Suppono 3. Id quod notiſsimum eſt Doctoribus verſantibus ſcripta SS. Patrum: quòd, ſcilicèt, ij Eccleſiæ vigiles pro oportunitate naſcentium errorum multifariam contra obſtinatos Hæreticos dimicabant: & cum viderent ex authoritate Eccleſiæ, & CC. contra Refractarios nihil evincere; toti ſe convertebant adverſandas vndelibet Scripturas; & Spiritu Sancto eorum pietati aſsiſtente, de multis locis in quibus alioquin ibat res geſta, & littera prænarrata, deducebant argumentationes vividas, & potentes, donante etiam Deo ipſis ſplendorem, vt oculos Hæreticorum illuminarent: ſiquidem cum ipſi ad nulla alia argumenta oculos verterent; voluit Deus vt ſua Sacra verba ita fuiſſent diſpoſita, vt per ſuos pios Doctores ita poſſent, eo dante, elucidari, & ſplendeſcere, vt in eis quoque locis, vbi res primò, & exprofeſſo non tractabatur, ibi eis totius veræ doctrinæ lux affulgeret. Ex quo ſequuntur duo obſervatione digniſsima. Alterum pro Theologia Polemica, & controverſa, ſcilicèt, quod in initio SS. PP. multa argumenta promovebant ſuper locis Biblicis merè probabilia; prout apud homines cenſeri debebant, eò quòd ſuo ratiocinio, & mente diducebantur ad aliquod dogma

ſtabi-

ſtabiliendum: quod, vtpotè dogma ſancitum ab Eccleſia, erat fidei; licèt argumentum, & ratiocinatio, qua promovebatur, eſtò pia, tunc tantum eſſet probabilis. Poſtea verò quàm multi SS. PP. in id ipſum vnanimiter conveniebant, ita vt exinde Concilia eundem ſenſum edicerent, & retinerent (licet de primo, & germano litterali non diſputarent) iam talis ſenſus fiebat dogmaticus erga fideles Eccleſiæ auſcultantes; ductus verò ex ſenſu allegorico, quo, quid credendum ſit de Sacra pagina venatur Eccleſia. Alterum eſt, quòd etiam ſi aliquis ſenſus factus ita dogmaticus, vt talis admittatur, & invaleſcat (non enim ita omnes invaleſcunt; quando nec adeſt conſenſus vnanimis PP. aut Conciliaris definitio) non propterea conficitur ex eo ad certamina Scholaſtica diſtincta à dogmate argumentum pluſquàm probabile: neque cogit ſenſus ille, (licèt alioqui ad id, quod dogmaticum eſt, verè dogmaticus ſit, & inter Catholicos in ordine ad id à nemine repelli queat) poteſtque repelli talis ſenſus, qua parte dogmaticus non eſt, ab eo textu in ordine ad alterutram partem cuiuſdam quæſtionis Scholaſticæ ſuſtinendam. Nam cum vtraque pars Scholaſtica inter ſe concertans Catholica ſit; & quidquid Catholicum eſt, æquè vna ſupponat ac altera; hinc fiet, quòd ille ſenſus allegoricus, quem ſtabilivit Eccleſia pro dogmate ſtabiliendo, ad reſolvendam quæſtionem in via Scholaſtica locum non habet neceſſarium; ſed probabilem; ita vt liberum ſit alterutri parti ad ſuam ſuſtinendam textum illum non ſumere in tali ſenſu, ſed in illo primo ſenſu litterali, quem germanitus habet. Quinimo, quoties intra caſtra Scholaſtica diſputatur; melius, & laudabilius eſt ad ſenſum primo litteralem ſe recipere. Ratio à priori eſt: quia ſpeculatio Scholaſtica eſt ſeveriſsima indagatrix veritatis ex præciſiſsima notione verborum, ex eorundem nota ſignificatione qua inter homines pollent: cumque illa alia ſignificatio ducta per allegoriam ſit arcanior, & quæ magis ex authoritate Eccleſiæ, & PP. pendet, quàm ex prima fronte verborum; inde eſt, quod hæc ſignificatio allegorica potiùs retinenda eſt pro dogmate retinendo, quod ſemper magis pendet ex revelatione, quam ex ratiocinio; pro taxanda vero alterutra opinione Scholaſtica, quæ illibatum, & intactum dogma relinquit, extendi non debet, vt argumentum neceſſarium, ſed vt probabile propter Authores, qui eum ſenſum ad Scholaſtica traduxere. Et forte multò probabilius pro parte altera militabitur, ſuffragantibus videlicet alijs Patribus, Interpretibus, & Authoribus. Cuius vltimata ratio à priori eſt: quia Eccleſia adhuc poteſt damnare, vel definire *aliquam opinionem Theologicam ex eis quæ regnant in Scholis deduci, & firmari ex aliquo textu Sacræ Scripturæ*; è contra verò, nec damnare, nec definire poteſt, quòd ex aliquo textu deducatur aliquod dogma, quod Eccleſia inde deducit: nam quod definitum eſt iam definiri nequit, & multò minus damnari. Hæc, ſi obſerventur, plures æquivocationes diſſolvent in rebus momenti.

4 His poſitis varia reperitur in hac re ſententia, quarum prima explicat ea verba de ſenſu diſcretivo, quo diſcernitur prædeſtinatus à reprobo per opera ſalutaria. Ita D. Auguſtinus variis in locis præſertim, *lib. de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 5.* quem ſequuntur apud Cornelium in hunc locum S. Proſper. & S. Fulgentius; necnon Concilium ſecundum Araniſicanum *Can. 6.* Secunda ſententia, quæ eſt Venerabilis Bedæ affinis præcedenti videtur potius conſtituere diſcretionem ex his verbis, quoad vocationem fidei, & exordium iuſtificationis: quatenus ſolus Deus eſt, qui nos hac diſcretione diſcernit. Tertia ſententia duas vias amplectitur interpretandi. Prima eſt omninò tranſcribens verba

Venerab. Bedæ. Secunda eſt, illam diſcretionem ibi ſumi pro diſcretione ex parte Apoſtolorum, ac Miniſtrorum baptizantium, ita vt à Paulo arguantur, ſeipſos non benè gloriari; cùm id, quod haberent, à Chriſto accepiſſent. Ita Anſelmus 1. *ad Corinth.* 4. Et huic congruunt illa verba, quibus Paulus vocans cæteros Pædagogos, ſubiungit: *Sed non multos Patres: nam in Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui.* Quarta ſententia aſſerit diſcretionem illam, de qua ibi loquitur D. Paulus debere intelligi, quoad dona naturalia, & humana, quibus Corinthij confidere videbantur. Hanc amplecti videntur PP. Græci, vt Chryſoſtomus *homil.* 74. *in Epiſt.* 1. *ad Corinth.* Theophilactus, Theodoretus, Oecumenius apud Benedictum Iuſtinianum. Quos ſequuntur ipſe Iuſtinianus, & Cornelius in hunc locum cenſentes in tali diſcretione ſermonem eſſe, quoad materiam de humanis dotibus, & prælationibus; quoad diſcretionem verò de iudicio etiam humano humanitus diſcernente.

5 Sit noſtra concluſio: *Prædicta verba in primo rigore litteræ intelligi debent de diſcretione, quoad dona naturalia, & humana talenta, quibus magis fidebant Corinthij in miniſterio fidei, quàm oporteret.* Probatur primo concluſio à contextu ſic. Totus contextus capitis, imò & Epiſtolæ, dictat hanc intelligentiam eſſe germanam: ergo hæc tenenda eſt. Probo anteced. Totus contextus capitis planè dicit, ſermonem ibi eſſe de miniſterio Chriſti, & eius fidei, minus fideliter acto, & de ſiniſtra tractatione huius miniſterij, tàm ex parte qualitatum, ſcilicèt, humanarum dotum, ad illud adminiſtrandum, quàm ex parte iudicij erronei circa eam rem: ergo totus contextus planè eſt intelligentia germana, quam dat noſtra concluſio. Antecedens patet, tùm ex ipſo *cap.* 4. vbi dicitur primo: *Sic nos exiſtimet homo, vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inveniatur.* Secundo. *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; ſed neque me ipſum iudico. Itaque nolite ante tempus iudicare.* Tertio. Eos ironicè, aut conceſsivè perſtringit Paulus, eos exaltans, & ſe deprimens, ibi: *Iam ſaturati eſtis, iam divites facti eſtis: nos ſtulti propter Chriſtum vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi vos autem fortes: vos nobiles nos autem ignobiles.* Tùm quia in Tribus capitibus præcedentibus totus eſt Apoſtolus in explicando, doctrinam Chriſti non eſſe tradendam in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis: fructum non conſiſtere in plantatione irrigua; ſed in incremento, quod dat Deus: Corinthios ipſos, necdum in fide tractanda robuſtos, & planè ſpirituales eſſe: ac ſi quis videatur inter ipſos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultum fieri, vt ſit ſapiens: denique veram prædicationem fidei non faſtu, & inflatione contentioſa, ſed in cruce, & abiectione eſſe donandam. Atqui hæc omnia clarè innuunt, Corinthios, Græcæ ſapientiæ aſſuetos, fidem tractare inſtar humanæ doctrinæ, ſuo ingenio, & artibus confidentes, & donum Dei minus fideliter diſpenſantes, eò quò plus ſibi arrogabant: ergo, &c. *Confirmatur.* Si ibi foret ſermo quaſi Theologicus de diſcretione prædeſtinati à reprobo, & non potiùs increpatorius ad eradicanda zizania; talem articulum diſcretionis tetigiſſet, & recenſuiſſet Apoſtolus inter ea puncta doctrinalia, de quibus data opera inſtituit Corinthios *cap.* 7. eiuſdem Epiſtolæ. Sed in eo *cap.* 7. nec mentionem facit de hoc puncto tam principali diſcretionis prædeſtinati à reprobo: ergo, &c. Maior conſtat: quia videbatur id non eſſe prætermittendum. Minor etiam patet: quia in toto eo capite præciſsè agitur de matrimonio, & nuptijs.

6 Probatur 2. concluſio ex Patribus 1. ex Chryſoſtomo, ſic aiente: „ Quis

„ Quis eſt, qui te diſcernit? Hoc eſt, i
„ tanta gloria, & laudè dignum iudi-
„ cat? Nonne homines, & plerumquè
„ etiam imperiti? Falli igitur, ac de-
„ cipi poſſunt. Sed fac te meritò lau-
„ dari: nec ſic quidem iure poteris ex-
„ tolli, aut ſupra cæteros efferri. 2. *ex*
„ *Theodoreto, ibi* : Quis enim te diſ-
„ cernit? Quænam te pars elegit? Cur
„ non omnium æquè Doctor voceris?
„ Quid autem habes, quod non acce-
„ piſti? De quanam re te iactitas, &
„ gloriaris? De eloquentia? Sed Deus
„ hanc tibi largitus eſt: at de ſcientia,
„ & cognitione? Et hoc quoque do-
„ num Dei eſt. At de miraculis? Et
„ hæc eſt operatio Spiritus. Si autem
„ accepiſti; quid gloriaris quaſi non
„ acceperis? Nemo de alienis depoſi-
„ tis ſe venditat, aut propterea pluris
„ æſtimat, ſed vigilat vt ea ſalva cuſ-
„ todiat ei, cui tradidit. Iam ſaturati
„ eſtis, iam divites facti eſtis. Nulla re
„ indigetis: omnia bona vobis affatim
„ ſuppetunt. 3. *Ex Theophilacto* aien-
„ te. Qui hunc Doctorem habebat; ad-
„ verſus illum (id eſt álium) Doctorem
„ valdè ſuperbiebat, eumque flocci
„ pendebat ob ſuum Doctorem ad-
„ verſus alterius Doctorem præcepto-
„ remve inflatus. Quis te diiudicat?
„ Aut quid habes quod non accepiſti?
„ Si autem accepiſti quid gloriaris
„ tanquam non acceperis? (Rurſus ad
„ Doctores ſeſe convertit inquiens.)
„ Quis te diiudicabit, aut dignum cen-
„ ſuit vt laudarere? Homo? Atqui fal-
„ lax eſt humanum iudicium. Eſto au-
„ tem quidquam te laude dignum ha-
„ bere; tuum tamen iſtud non eſt, ſed
„ eius qui dedit. Item ſuperius. Quod
„ reliquum eſt *quæritur in diſpenſatori-*
„ *bus, vt fidus quis inveniatur*, hoc eſt
„ vt herilia bona non ſublegant, ſibi
„ non ſubripiant: vt non veluti Do-
„ minus res tractet adoriaturve, ſed
„ veluti aliena, & herilia tantum diſ-
„ penſet, non ſua dicens eſſe, quæ ſunt
„ heri; ſed è converſo quæ ſua ſunt,
„ heri eſſe. Sed ij PP. manifeſtè di-
cunt, ibi ſermonem eſſe de elatione Corinthiorum ſuper donis humanis, vt ſcientia, & eloquentia, fallaci iudicio attributis; imò & contentiosè ad inſtar ſectantium Philoſophos, quorum quilibet ſuum præferebat: deindeque, quòd in adminiſtratione fidei infideles erant ſibi vendicantes, quæ erant dona domini ſui, quaſi potius manu eorum quam Dei manu fieret tantæ gratiæ largitio: ergo ea diſcretio potius concernit prælationem, quam contentiosè, & ſuperbè faciebant inter ſe Corinthij; quàm diſcretionem prædeſtinati à reprobo.

7 Probatur 3. concluſio. Si obſervantur regulæ interpretandi, necnon, & idioma originale huius textus valdè appoſitè cohæret noſtra interpretatio. Sed hic tenor probationis legitimus eſt: ergo & noſtra concluſio. Probo maiorem primo quoad idioma poſtea probaturus quoad reliqua. In prædicto textu pro verbo *diſcernit* Græcè dicitur *diacrinei* quod verbum etiam Græcè ſignificat *anteponere*, & *anteferre*. Sed hæc ſignificatio valdè quadrat cum tota illa contentioſa prælatione, quam Paulus exprobrat Corinthijs: ergo attento idiomate noſtra interpretatio cohærens eſt. Probo iam minorem quoad regulas interpretandi quarum prima eſt Origenis lib. 4. contra Celſum: *Sacra Scriptura pro auditorum viribus, & vtilitate dimetitur quæ denuntiat.* Secunda eſt: *Scire oportet quod frequenter Scriptura vniverſalem repreſentat formam; particularem inſinuat intelligentiam.* Tertia eſt: *Scriptura Sacra cum dubitativè loquitur non ſecundum viſionem Prophetæ cui certum eſt, loquitur; ſed ſecundum eos ipſos, qui monentur.* Auguſtinus *in Pſalm.* 2. Quibus regulis argumentor ſic. Noſtra interpretatio ita ſe habet, vt intelligamus verba textus ſecundum *vtilitatem* Corinthiorum, qui *monebantur* à Paulo, claudente in verbis illis *generalibus* intelligentiam *particularem* reſpectu ipſorum: ergo ſenſus noſter omnino premit veſtigia

gia regularum interpretandi. *Confirmatur.* Sensus noster se accommodat ad vires audientium quæ tunc non erant dispositæ ad intelligendum dogma admodum subtile de discretione prædestinati à reprobo tam præcisivè sumpta; sed potius erant vires, de recenti Gentilismo adhuc debiles, & indigentes consortatione Pauli ad crucem Christi portandam: ergo de primo ad vltimum magis legitima est nostra interpretatio, quæ hoc secundum potius statuit quam primum.

8 Probatur 4. à ratione primo. Non est credibile, quòd Paulus non loqueretur omnino appositè ad statum Corinthiorum, ad interrogationes eorumdem, & ad finem Apostoli, & quod eos in profundiorem quæstionem immergeret. Sed status Corinthiorum erat in contentione inanis eloquentiæ, atque philosophiæ vt describit Cornelius: & interrogationes ipsorum non erant de discretione prædestinati à reprobo: vt constat *cap.* 7. Et intentum Pauli solum erat eos fundare in sancta stultitia, & abiectione crucis Christi. Aliunde verò punctum discretionis prædestinati à reprobo per media opera salutaria punctum est abstrusissimum per longa post sæcula necdum evacuatum. Ergo in illis verbis non de eo egit Paulus sed de monitione, propria ipsius, in Christo ad superbam humanitùs inflationem Corinthiorum. Probatur 2. Si illa verba deberent intelligi de discretione prædestinati à reprobo; textus ille loqueretur de omnibus omnino hominibus generaliter. Sed hoc est falsum: ergo, &c. Maior constat: minor probatur. Penè omnium Intepretum consensus est, ibi solum esse sermonem ad Doctores, & Magistros Corinthiorum, vt constat ex verbis Benedicti Iustiniani, sic loquentis: *Certè hæc pertinere ad Doctores, Magistros omnium fermè Scriptorum sententia firmatum est*: ergo, &c.

9 Obijcies 1. Verba Apostoli iuxta D. Augustinum non minus quàm in iudicio contradictorio, & ex revelatione Dei ipsi facta, debent intelligi de discretione prædestinati à reprobo. Sed hoc posito simul cum interpretatione multorum Patrum, qui eum sequi videntur vt Prosper, Fulgentius, Beda, Anselmus, & D. Thomas videtur respui non posse: ergo nostra interpretatio non est legitima. Maior probatur ex verbis S. Doctoris *in lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap.* 4. vbi sic ait: „ In cuius quæstionis solutione elaboratum est pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia. „ Necnisi ad illud potuit perveniri, vt „ liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus. *Quis enim te discernit: quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quod, volens „ etiam Martyr Cyprianus ostendere, „ hoc totum ipso titulo definivit dicens: *In nullo gloriandum; quando nihil nostrum est.* Ecce quare dixi superius hoc Apostolico præcipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum; cùm de hac re aliter saperem; quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum ad Episcopum „ Simplicianum, sicut dixi, scriberem, „ revelavit. Ex quibus arguo sic Discretio prædestinati à reprobo nihil est aliud quam victoria gratiæ in nostro, & respectu nostri liberi arbitrij. Sed de hac asserit Augustinus, quanquàm alias aliter saperet, à Domino per revelationem accepisse, vt staret pro gratia victoria: ergo, &c. *Confirmatur* 1. Ex eodem S. Doctore *tom.* 2. *Epist.* 46. „ ibi: Quis enim te discernit? Quod „ ideò dicit, quia de massa illius perditionis, quæ facta est ex Adam, non „ discernit hominem, vt eum faciat „ vas in honorem, non in contumeliam, „ nisi Deus. Sed quoniam homo carnalis, & inaniter inflatus cum audisset: *Quis enim te discernit?* Posset „ respondere vel voce, vel cogitatione, „ & dicere: *Discernit me fides mea. Discernit me oratio mea. Discernit me iustitia*

„ *titia mea.* Mox Apoſtolus occurrit
„ cogitationibus eius, & dixit: *Quid*
„ *enim habes quod non accepiſti? Si au-*
„ *tem accepiſti; quid gloriaris, quaſi non*
„ *acceperis?* Sic autem gloriantur, quaſi
„ non acceperint qui ſe à ſeipſis iuſti-
„ ficari putant, ac per hoc in ſemetip-
„ ſis non in Domino gloriantur. Prop-
„ ter quod ego in hac Epiſtola, quæ
„ ad vos pervenit probavi per teſti-
„ monia Scri turarum, quæ ibi po-
„ teſtis inſpicere, & bona opera noſ-
„ tra, & pias orationes, & rectam fi-
„ dem nullo modo in nobis eſſe po-
„ tuiſſe, niſi hæc acceperimus ab illo,
„ de quo dicit Apoſtolus Iacobus *cap.*
„ 1. *Omne datum optimum, & omne donum*
„ *perfectum de ſurſum eſt deſcendens à*
„ *Patre luminum.* Hactenus S. Doctor.
Ex quo ſic. Diſcretio de qua Paulus ex Auguſtino eſt illa, qua credens, & conſentiens diſcernitur à non credente, nec ſalutariter conſentiente. Sed hoc eſt punctum illud præciſum diſcretionis prædeſtinati à reprobo, de quo loquitur controverſia Scholaſtica: ergo de eo intelligendus eſt D. Paulus. *Confirmatur* 2. Ex *lib. de Prædeſtinatione Sanctor.* eiuſdem Auguſtini *cap.* 5. vbi
„ ait: Quis enim te diſcernit? Quid
„ autem habes, quod non accepiſti?
„ Si autem accepiſti, quid gloriaris
„ quaſi non acceperis? In hac Apoſ-
„ toli evidentiſsima intentione, qua
„ contra humanam ſuperbiam loqui-
„ tur, ne quiſquam in homine; ſed
„ in Domino glorietur: dona Dei
„ naturalia ſuſpicari, ſivè ipſam totam,
„ perfectamque naturam, qualis in
„ prima conditione donata eſt, ſivè
„ vitiatæ naturæ qualeſcumque reli-
„ quias; nimis quantum exiſtimo ab-
„ ſurdum eſt. Ergo iuxta S. Doctorem abſurdum eſt dicere in noſtro textu ſermonem eſſe de donis naturalibus.

10 Ad reſponſionem huius argumenti verè capitalis propter authoritatem S. Auguſtini, quam enucleare ſemper oportet, præmittendum eſt primo. Interpretationem ab ipſo factam de diſcretione prædeſtinati à reprobo in textu noſtro fortè tunc primò factam eſſe, prout ad marginem *Epiſt.* 46. adnotatur in editione Pariſienſi anno 1541. Per quod, licèt non tollatur, quod ſit vera interpretatio in ſenſu allegorico, vel ſecundo litterali, ſecundum quod plures ſenſus litterales ex eodem S. Doctore in vno, & eodem textu locum habent; nihilominus ſalvus ſemper relinquitur ſenſus primus, & germanitus litteralis, quem cum tot Patribus Sacra tenuit Eccleſia, quouſque exoriente Pelagianiſmo opus fuit vim prædictorum verborum altius perſcrutari, vti Auguſtinus fecit, profunde obſervans in illis verbis, præter caſum particularem, pro quo adducebantur contra Corinthios, latere altam, & generalem doctrinam de primo dominio, & iure Dei circa omnia, quæcumque ſunt in nobis. Secundo. Præmitto, præter conflictum Pelagianorum, quænam fuit illa occaſio, propter quam non ſine Dei numine incidit Auguſtinus, tunc temporis in illam ſingularem, arcanioremque viam interpretandi, quæ ſcilicèt fuit, eum, cùm anteà ſenſiſſet fidem non ex Deo, ſed ex nobis haberi Evangelio; ſuperiori textu luſtrato, a Domino miſericorditer illuſtratus eſt, vt etiam fidem non niſi ex Dei dono eſſe ſentiret. Audi eius verba *lib.*
„ *de prædeſtinatione Sanctor. cap.* 3. Non
„ ſic pius, atque humilis Doctor ille
„ Cyprianus, qui dixit, in nullo glo-
„ riandum quando noſtrum nihil ſit.
„ Quod vt oſtenderet adhibuit Apoſ-
„ tolum teſtem dicentem. Quid au-
„ tem habes, quod non accepiſti? Si
„ autem accepiſti, quid gloriaris qua-
„ ſi non acceperis? Quo præcipue teſ-
„ timonio etiam convictus ſum, cum
„ ſimiliter errarem, putans fidem, qua
„ in Deum credimus, non eſſe donum
„ Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, &
„ per illam nos impetrare Dei dona,
„ quibus temperanter, & iuſtè, &
„ piè vivamus in hoc ſæculo. Neque

„ enim fidem putabam Dei gratia præ-
„ veniri, vt per illam nobis daretur,
„ quod poſceremus vtiliter: niſi quia
„ credere non poſſemus, ſi non præ-
„ cederet præconium veritatis. Vt au-
„ tem, prædicato nobis Evangelio,
„ conſentiremus; noſtrum eſſe pro-
„ prium, & nobis ex nobis eſſe arbi-
„ trabar. Quem meum errorem non
„ nulla opuſcula mea ſatis indicant an-
„ te Epiſcopatum meum ſcripta. Hac-
tenus ille. Qui cum in eo textu fuerit
ita illuminatus à Deo, & aliunde in
libris confeſsionum per otium oſten-
dat, vt nos primo tomo attulimus,
verba Scripturæ de arcana, & altiſsi-
ma intentione Spiritus Sancti mul-
tos ſenſus ſanæ Doctrinæ, intelligen-
tiæque oportunos involvere; pergit, ea
verba, quæ alioqui videt eſſe gene-
raliſsima, & apta nata vt Pelagianos
contorqueat, ita perſequi, & intelli-
gere, vt pluribus facit in locis; quin
propterea denudanda ſint noſtro ſen-
ſu, qui potius ab ipſo Auguſtino *cap.*
5. de Prædeſtinat. Sanctor. abundè de-
claratur. Tertio. Præmitto D. Auguſt.
licèt ibi loquendo de diſcretione præ-
deſtinati a reprobo, ſemper adſcribat
hanc diſcretionem, ſcilicèt, per mo-
dum doni; tamen non excludit diſcre-
tionem in actu ſecundo ipſius creaturę.
„ Tùm quia *Epiſt.* 47. ait: Rectos curſus,
„ inquit, fac pedibus tuis, & vias tuas
„ dirige: ne declines in dexteram, ne-
„ que in ſiniſtram; averte autem pe-
„ dem tuum à via mala... Ipſe autem
„ rectos faciet curſus tuos; itinera tua
„ autem in pace producet. In his ver-
„ bis Sanctæ Scripturæ conſiderate
„ fratres, quia ſi non eſſet liberum
„ arbitrium non diceretur. Rectos cur-
„ ſus fac pedibus tuis, & vias tuas di-
„ rige, ne declines in dexteras, ne-
„ que in ſiniſtram; & tamen ſine Dei
„ gratia ſi poſſet hoc fieri, non poſteà
„ diceretur. Ipſe autem rectos faciet
„ curſus tuos, & itinera tua in pace
„ producet. Tùm quia *cap.* 3. *de Præ-*
„ *deſtinat. Sanctor.* ait: Et quod paulò
„ poſt dixi. Noſtrum eſt credere, &
„ velle, illius autem dare credentibus,
„ & volentibus facultatem bene ope-
„ randi per Spiritum Sanctum, per
„ quem charitas diffunditur in cordi-
„ bus noſtris, verum eſt quidem, ſed
„ eadem regula. Et vtrumque ipſius
„ eſt, quia ipſe præparat voluntatem:
„ & vtrumque noſtrum, quia non fit
„ niſi volentibus nobis. Tùm quia
„ *cap.* 8. ait: Quid eſt *omnis, qui audie-*
„ *rit a Patre, & didicit, venit ad me,*
„ niſi nullus eſt qui audiat, & diſcat à
„ Patre, & non venit ad me? Vbi vt
„ vides audire eſt *vocari*, & diſcere eſt
„ *noſtrum cooperari.*

11 His poſitis reſpondeo ad ar-
gumentum, diſtinguo maiorem, *ipſo*
libero arbitrio cooperante, & cum viri-
bus gratiæ ſe diſcernente, conc. maior.
ſolum in vi gratiæ, neg. maior. & diſ-
ting. minor. à Domino per revelatio-
nem accepiſſe vt in tali diſcretione *po-*
tius tribuatur viribus gratiæ, quam vi-
ribus liberi arbitrij, conc. min. *in alio*
ſenſu, neg. min. & conſeq. Itaque vt
mentem D. Auguſtini pro mea tenui-
tate melius aſſequerer, ſtudiosè legi
præcipua opuſcula, in quibus agit de
hac re, vt ſunt *Epiſt.* 46. & 47. *lib. de*
Prædeſtin. Sanct. & lib. de Grat. & li-
ber. Arbit. Cumque ex ijs, quæ S. Doc-
tor ſcripſerat, *quæſt.* 2. *ad Simplician-*
num pro defenſione gratiæ, aliqui li-
berum arbitrium everterent; contra
eos procedit in prædictis opuſcu-
lis, valdè ex profeſſo liberum arbi-
trium ſtabiliendo, & ſemper medium
iter ſervando, ne declinetur ad dex-
teram, neque ad ſiniſtram; ſemper
contra Pelagianos, vt totis paginis pa-
tet, ſervando, nimirum, quòd gratia
præveniat; & liberum arbitrium coo-
peretur ad opera ſalutaria; ſed ſub ea
tamen concordia, quam explicuerat
quæſt. 2. *ad Simplicianum*, videlicèt de
vocatione ita congruente, vt vocan-
tem non reſpuat. Dum verò ipeſe S.
D. ſe vrget ſciſcitans *cur alios vocet gra-*
tia congruenti; alios verè ſecus? reſpuen-

do

do merita ſolum conditionatè prævisa, confugit, vt nos etiam facimus, ad inveſtigabiles vias Domini; cæterum ſemper graditur medius, vt defendatur adiutorium gratiæ, & ſalvetur liberum arbitrium, & vtrumque ſit illud quo prædeſtinatus à non prædeſtinato diſcernitur. Quod autem hanc diſcretionem à Domino *per revelationem acceperit*, intelligi debet iuxta præiacta, ſcilicèt, quatenus, cùm antèà erraret Auguſtinus circa donum fidei ex Deo; in talibus verbis noſtri textus accepit lucem, vt noſceret, quòd cuncta opera ſalutaria, & initium fidei gratiæ Dei tribuenda eſſent: in quo ſtat revelatio hoc eſt *velaminis ablatio* quod prius habebat. Ex quibus tantum concluditur, quod talis ſenſus fuerit valde appoſitus, tùm perſonæ Auguſtini adhuc in ea re laboranti, tùm circunſtantijs temporis, quo vigebat hæreſis Pelagiana, & contra quam armabatur à Domino Auguſtinus: vnde ille ſenſus allegoricus, vel, ſi velis, ſecundò litteralis erat veriſsimus, & aptiſsimus, dogmaticuſque quoad extirpandam hæreſim Pelagianam; quoad diſcretionem verò Scholaſticam, quà dicitur in Scholis *quod voluntas prædeſtinati ſub præventione, & adiutorio, & cooperatione Dei, volendo, & conſentiendo ſe diſcernit à reprobo*; tam procul abeſt vt ex Auguſtino infirmetur; quin potius id millies repetat in prædictis operibus, vt patebit legenti.

12 Ex quibus patet reſponſio ad primam confirmationem. Ad 2. confirmationem diſting. conſequens *in ſenſu Pelagiano*, quem confutabat: conc. conſeq. *in verò ſenſu*, neg. conſeq. Itaque ibi Auguſtinus ab initio capitis per longum tractum nobiſcum conſentit in primæva, & germana loci intelligentia, ibi: *Hic certè contra humanam ſuperbiam ſatis clara eſt Apoſtoli intentio, ne in homine quiſquam glorietur... Inde pervenit iſta eius intentio, vt poſtea increpans dicat: adhuc enim carnales eſtis; cum enim ſint inter vos æmulatio, & contentio; nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Sed cum Pelagiani effugia quærerent, intelligendo ly *Quid eſt quòd non accepiſti?* Vel de puris naturalibus in primæ conditione acceptis; vel de puris naturalibus, relictis in natura poſt peccatum; contrà hos, & hæc pura naturalia inſurgit Auguſtinus in talibus verbis confutando ea effugia, dum ſtatim ipſe ſubiungit: Poſſet quippè dicere homo inquit adverſus alterum *diſcernit me fides mea; iuſtia mea*, vel ſiquid aliud: talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor (nempe Paulus) *Quid autem habes*, inquit, *quod non accepiſti?* A quo niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi? Igitur Auguſtinus carpit ibi effugium Pelagianum, quod per pura naturalia Deo tributa parabat viam, vt fides, & iuſtitia eſſet noſtra: & hunc S. D. damnabat peſsimum intellectum. Cæterùm, ibi loquutum fuiſſe Apoſtolum in caſu particulari contra Corinthios, turgentes ſuis naturalibus donis, non ignorabat Auguſtinus: ſicuti neque, quòd error Corinthiorum non tàm erat circa gratiam recipiendam, quàm circa gratiam, & fidem communicandam: quatenus eorum Doctores dona Dei non diffitentes, de ipſis tamen ſuperbiebant, & fidentes ſuæ eloquentiæ, & Philoſophiæ ea ſiniſtrè tractabant: quod & modò inter Doctores Catholicos, ſæculi ſapientiæ deditos, poteſt contingere. Quoad Doctores verò, & Patres Auguſtinum ſequutos nihil dicendum reſtat, ſiquidem eum tranſcribunt in hoc puncto.

13 Reſpondeo 2. ex doctrinis graviſsimorum Interpretum qui ſcripſerunt ſuper Epiſtolas Pauli, dicendo, nimirum, veram fuiſſe eam intelligentiam Auguſtini, non tamen eſſe germanam, licèt appoſitam valdè, & pronam vt ex inde argueret contra Pelagianos. Vnde Benedictus Iuſtinianus „ in hunc locum ſic ait: Mirum eſt „ quàm frequenter Auguſtinus adver-

„ ſus

„ sus Pelagianos hoc Pauli testimonio „ vtatur, vt ostendat, neminem vi li„ beri arbitrij à perditionis massa se„ cerni: quod quàm sit Apostoli instí„ tuto consentaneum, facilè intelliget „ is, qui superiora cum sequentibus „ contulerit. Magnum planè fuit Au„ gustini ingenium, doctrina planè sin„ gularis, & admirabilis: itaque non „ ausim dicere, illum hac sententia „ tam sæpè non benè vsum esse, sed vt „ erat acutus, & perspicax (ego addo „ & specialissima illustratione dona„ tus, tùm pro se, tùm contra Pelagia„ nos) vidit ex his Pauli verbis apertè „ colligi, quòd ipse adversus Pelagia„ nos contendebat. Nam si hæc, de „ quibus in præsentia agit Apostolus, „ planè gratuito ad Deo concessa sunt; „ multò hic profecto magis de prædes„ tinationis gratia existimandum est, „ quæ est omnium gratiarum maxima, „ & prima, & radix atque origo cæte„ rarum, quæ prædestinatis concedun„ tur. Quò igitur Apostoli verba re„ ferenda sint, in paraphrasi perspicuè „ cernitur: de humano enim iudicio „ disputarat. Eo fortè, inquit, cæte„ reris præstare atque eminere vide„ beris? Sit ita. Falli tamen potest „ hominis iudicium: sed fac esse veris„ simum: fac tibi insint omnia, quæ „ omnium suffragio tribuentur, an non „ sunt illa Dei Dona vltro tibi libera„ liter collata? Si ergo illi bonorum „ omnium largitori sunt omnia accep„ ta referenda; quæ tibi quæso relicta „ est gloriandi occasio? Quis te ab alio„ rum numero segregat? Quis te alijs „ præfert? Hactenus Iustinianus. Præ„ terea Cornelius sic ait: Vbi tamen „ nota quod S. Augustinus sæpè, Pros„ per, Fulgentius, & Concilium Arau„ sicanum Secundum, Canon 6. hanc „ generalem Apostoli sententiam *quis „ te discernit?* A discretione donorum „ naturalium, puta, sapientia, & elo„ quentia, de qua propriè hic loqui„ tur, Apostolus, ex qualitate rationis „ transferunt ad discretionem dono„ rum supernaturalium gratiæ, & præ„ destinationis divinæ. Tam enim alia „ naturæ dona, & bona opera solis na„ turæ viribus facta, quàm labor, stu„ dium, & sapientia Magistrorum im„ pertinentia sunt ad gratiam, & sanc„ titatem: &, si illa dona non discer„ nunt hominem, vt in naturalibus „ gloriari possit, quasi sapientior, elo„ quentior, excellentior; multò minus „ ea discernent hominem in supernа„ turalibus rebus, vt glorietur quod „ ex ijs factus sanctus vel sanctior. „ Hac de causa itaque *tò quis te discer„ nit?* refert ad gratiam, & prædesti„ nationem, hoc sensu, quòd nemo se „ à massa perditionis, & peccatorum „ secernere possit, & ordiri initium sa„ lutis suę per se, & viribus naturę suæ, „ vti volebant Pelagiani, Semipela„ giani, &c. Ex quibus omnibus abun„ dè constat mens Augustini, & quomo„ do, intemerata eius dogmatica con„ troversia contra Pelagianos, illibata „ etiam manet nostra conclusio, & ex ea „ germanus sensus cum Scriptura, & Pa„ tribus, scilicet, vt, supposita præven„ tione, & cooperatione gratiæ, præ„ destinatus se discernat à reprobo, quin „ talis textus impediat.

13 Obijcies 2. Interpretatio legi„ tima Sacræ Scripturæ ex sacra doctri„ na Conciliorum petenda est, dum tex„ tus ibi tractantur. Sed in Concilio „ Arausicano 2. tractatur noster textus, „ & ibi exponitur de vera discretione „ quoad dona supernaturalia gratiæ: er„ go sic debet intelligi. Minor constat „ ex Canone 6. eiusdem Concilij sic aien„ te: Si quis sine Dei gratia credenti„ bus, volentibus, desiderantibus, & „ pulsantibus nobis misericordiam di„ cit conferri; non autem divinitus, vt „ credamus, velimus, vel hæc omnia, „ sicut oportet, agere valeamus, per „ infusionem, & inspirationem Sancti „ Spiritus in nobis fieri confitetur; „ aut humilitati, aut obedientiæ hu„ manæ subiungit gratiæ adiutorium, „ nec vt obediens, & humillimus

„ ipsius

„ ipſius gratiæ donum eſſe conſentit; „ reſiſtit Apoſtolo dicenti. *Quid habes „ quod non accepiſti? Et gratia Dei ſum id, „ quod ſum.* Confirmatur. Nequit non eſſe germanior in Textu Sacro ille ſenſus, quo & ſuſtinetur aliquod dogma, & quem vniverſa Caſtra Scholaſtica complectuntur. Sed ita ſe habet ſenſus de diſcretione prædeſtinati à reprobo: ergo, &c. Minor patet: tùm, quia ex tali ſenſu confutantur Pelagiani; tùm, quia omnes Scholæ, Thomiſtica, Scotica, Ieſuitica hunc ſenſum ſtabiliunt, & exinde ſua puncta diſputant. Ad hoc arg. reſpond. diſt. mai. *dum tractantur expoſitivè*, conced. mai. *confirmativè, & declarativè*, ſubdiſting. *aliqua interpretatio legitima*, conc. mai. *omnis vel præcisè illa, quæ magis eſt litteralis*, neg. mai. & reſpectivè diſtincta min. nego conſeq. Concilia enim ſancta paſsim ad ſtabilienda ea, quæ decernunt ſæpè, tùm de Patribus, tùm de Scripturis adducunt confirmativè, & declarativè plura loca, & ſententias, ea in ſua probabilitate relinquendo, quamquàm id, quod definit, & ſtatuit Concilium, & credendum, & agendum ſit: eis enim ſententijs, & probabilibus expoſitionibus Sacræ paginæ, atque Doctorum Spiritu S. illuminantur Patres, vt ea ſanciant, quæ oporteat; licèt propterea definita non ſint ea, quæ vndecumque ad plenam rei notitiam habendam advocantur, & adducuntur. Et hæc eſt methodus ſub qua in Palæſtra Scholaſtica *lib.* 4. diximus excipiendas eſſe plures Authoritates Conciliorum. Quando vero non obiter ſed de ſenſu alicuius loci ſacri reſpuendo, vel tenendo concilium ſtatuit; tunc ille ſenſus innegabilis eſt; reſtat tamen ſcire: an pro litterali, an allegorico, an morali iubeatur habendus? Et, ſi pro litterali, an pro primo, & primigenio, aut pro ſecundo litterali ſumi queat iuxta doctrinas à nobis de hac re ſæpè explicatas. Quibus poſitis plana reſtat reſponſio ad arg. primum, ſiquidem ibi talis textus Pauli cum alio diſsito adducitur *explicativè*, & *confirmativè* pro articulo præſenti, eò quòd generalitas illorum verborum verborum aptè illuc advocari queat: quinimò licèt *expoſitivè*, & *dogmaticè* inducerentur; non oberat quominùs litteralis, & primævus ſenſus ſit ille, quem dedimus: ſiquidem hic deſumendus eſt ex contextu, & caſu particulari, ad quem illa verba trahuntur, prout nos illa expendimus.

14 Ad confirmationem reſpondeo, negando maior. aliud eſt enim, ſenſum eſſe verum, atque germanum; aliud verò eſſe reliquis germaniorem, & quaſi primigenium. Non negamus, verum eſſe ſenſum illum ad quem trahuntur ij textus in Arauſicano Concilio: ſiquidem eorum verba re ipſa talem ſenſum amplectuntur, & ipſe cohæret cum tota, & ſana doctrina Scripturarum, ita vt & PP. poſsint inde talem ſenſum eruere, & Concilia eundem ſibi adoptare, ſivè eum dogmaticè declarando (vt poſſet, licèt hic non fiat) ſivè eum dumtaxat advocando, & adducendo ad meliorem, & pleniorem rei, de qua agitur, cognitionem. Quamquàm verò etiam dogmaticè inſereretur; poſſet id fieri in ſenſu allegorico, vel ſecundo litterali, vt ſæpè diximus, licèt germanior ad litteram eſſet ille ſenſus, quem nos elicuimus. Quod verò Scholaſtici omnes eum ſenſum adoptent; ad rem nihil facit: quandoquidem propterea id præſtant, quòd videant, inde melius armari, vt ab omni pulvere Pelagiano ſe expediant, qui caſtris Scholaſticis poteſt plus imminere, dum de meritis, & peccatis, de gratia, & prædeſtinatione diſſeritur. Cæteroquin non eſt penes Scholaſticos, ſed penes Sacros Expoſitores, de Sacra pagina germaniores ſenſus veſtigare, & eruere: atque propterea cùm ipſi ad eos videant non attinere hoc examen; plures textus ſolent excipere ſub eo communiori ſenſu, quo ſoliti ſunt circunferri: qui interdum moralis aut Anagogicus, in-

terdum verò Allegoricus eſt, & non litteralis. Vnde non rarò contingit, quòd in pulvere Scholaſtico facilè addenſentur nonnulla certamina, quæ germano ſenſu Sacræ paginæ explicito, poſſent facilè diſſipari.

15 Obijcies 3. Nequit non tradi in ſenſu litteraliſsimo, & primigenio Sacræ Scripturæ diſcretio prædeſtinati à reprobo. Sed nullibi proſtat nobis clarius, atque ſimplicius, quàm in prædictis verbis Pauli: *Quis eſt, qui te diſcernit?* Ergo in hoc ſenſu ſunt cacipienda. *Confirmatur.* Diſcretio prædeſtinati à reprobo potius tribuenda eſt Deo, quàm creaturæ. Sed id eſt quod propriſsimè, & immediatiſsimè clauditur in prædictis verbis: ergo eorum ſenſus germaniſsimus eſt de diſcretione prædeſtinati à reprobo. Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinguo mai. *eo modo quo ipſa fit, & debet conſtare dogmaticè*, concedo maior. *Scholaſticè*, neg. maior. vel ſubdiſting. *quoad primas aſſertiones ſeu principia*, conced. maior. *quoad concluſiones inde deductas*, neg. maior. & neg. min. Itaque verum eſt, quòd quidquid tradunt Theologi circa naturam, vt elevatam, revelatum eſt, & conſtat fundamentaliter in Sacra pagina; ſed quæ traduntur ſub controverſia Scholaſtica non poſſunt ibi reperiri *formaliter*; alioquin nulla poſſet eſſe controverſia; ſed ſolum *fundamentaliter*, quoad propoſitiones quaſi primas, quibus combinatis poſtea, deducunt Theologi ſuas concluſiones Theologicas: & ex maiori penetratione earum cum ſolidiori via raciocinandi conſurgit maior probabilitas Scholaſtica alicuius ſententiæ. Igitur cum diſcretio prædeſtinati à reprobo fiat, & coaleſcat ex congrua vocatione ex parte Dei, & cooperatione, ac conſenſu libero creaturæ; ad litteram planè reperietur in Scriptura, ſi non tractu ſimplici, ſaltem ibi, vbi vnaquæque res ſignari debebit, v. g. congrua vocatio prædeſtinatorum planè eſt ad litteram *in Epiſt. ad Roman.* ibi: *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, quos autem vocavit, hos & iuſtificavit, quos autem iuſtificavit, hos & glorificavit.* Cooperatio verò noſtra cum gratia Dei præterquamquod paſsim reſonat in Epiſtolis Pauli expreſsè tamen invenitur *in Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 6.* ibi: *Fratres exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Ecce ſi vis clariſsimè traditam, prout oportet ad litteram in Sacra pagina diſcretionem prædeſtinati à reprobo: quæ vbertim conſtat in tota Scriptura, quoties dicitur vniverſim: *Qui crediderit ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Negavi autem minorem, quia in illis verbis: *Quis eſt, qui te diſcernit?* Non improbabiliter etiam iuxta litteram non fit ſermo de Deo diſcretore; ſed de iudicio humano, fallaciter diſcernente; licèt in verbis ſubſequutis planè omnia Deo referantur accepta. Ad confirmationem conceſſa, vel permiſſa maiori, neg. min. Tùm propter noſtram concluſionem; tùm propter expoſitionem immediatè attactam. Maiorem verò *conceſſi*: quia ſcio talem diſcretionem in actu 1. Phyſico Deo magis tribui; & ſic principaliùs diſcernere. *Et permiſi*: quia id eſſet ingredi ex toto litem Scholaſticam, à qua licet animus non abhorreat; munus autem rigidi Expoſitoris iubet eſſe modo ſuperſedendum.

16 Ad calcem obſerva primo. Quod illa verba ſub obſcura: *Hæc autem fratres tranſiguravi in me, & Apollo propter vos, vt in nobis diſcatis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt, vnus adverſus alterum infletur pro alio.* Hunc ſenſum habere, ſcilicèt, *hæc ſchiſmata, quæ vobis ſignificavi, quaſi fiant iam ſub nomine Apollo, iam ſub nomine meo, &c. Ideò traduxi in noſtras perſonas; quia propter vos ipſos nominare nolui duces veſtrarum factionum; atque, vt melius diſcatis de nobis, quomodo ſe habere debeat, qui Miniſter eſt Chriſti, nihil ſibi tribuens, ſed omnia Chriſto: veluti Apollo, & ego qui tanti ſumus apud vos præſtare ſole-*

ſolemnis, ſicuti cap. 1. *ipſe teſtatus ſum.* Obſerva ſecundo. Illa alia verba: *Iam ſaturati eſtis: iam divites facti eſtis*, ſumi ironicè à Chryſoſtomo, Theophilacto, Anſelmo, Iuſtiniano, & Cornelio; ſed mihi magis arridet Theodoretus, qui magis congruit cum vera humilitate, & ſuavitate, qua Apoſtolus Corinthios admonebat: quare ſic interpretatur verba illa cum ſequentibus: *Nulla re indigetis omnia bona vobis affatim ſuppetunt. Dum nos adhuc laboramus, & pro prædicatione perpeſſiones ſuſtinemus, & affligimur; vos regni fructum percepiſtis, & quoniam hæc pacificè poſuit, quam habet affectionem, aperit. Non ſolum enim vobis non invideo; ſed etiam opto, vt his bonis fruamini. Deinde inſignem oſtendit humilitatem, &c.*

JHS.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET FACTVM EST, CVM CONSVMMASSET IESVS ſermones iſtos; migravit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem; & ſequutæ ſunt eum Turbæ multæ, &c. *Math.* 19. *verſicul.* 1.

ARTICULUS.

V. HÆC PROFECTIO CHRISTI IN IERVSALEM FVERIT eadem cum ea, quam cæteri Evangeliſtæ narrarunt?

1 NOTO 1. Semper eſſe magni momenti apud Interpretes quæſtionem quamlibet, in qua veniendum ſit ad texendam concordiam Evangeliſtarum: eorum enim ſermones, & verba afflante Sancto Spiritu, etiam de eadem re tam diverſimodè data ſunt, vt propterea multa ingenia impia, & indocilia corruerint; è contra vero pia, ac devota nacta inde ſint ſuæ fidei augmentum, & materiam vberem diſputandi: vt ergo impræſentiarum hic articulus harmonicus Evangelij; dilucidè pertractetur; nihil prius præſtandum eſt, quàm promere in medium textus illos quatuor Evangeliſtarum, qui hanc profectionem Chriſti ad Ieruſalem tetigere. Igitur poſt verba ſupra data Mathæi, ea quæ Marcus dederat *cap.* 10. ſic ſe habent: *Et inde ſurgens venit in fines Iudeę vltra Iordanem: & conveniunt iterum turbæ ad eum: & ſicut conſueverat, iterum docebat illos.* Rurſus ſic ſequuntur verba D. Lucæ *cap.* 9. *verſ.* 51. *Factum eſt autem, dum complerentur dies aſſumptionis eius, & ipſe faciem ſuam firmavit, vt iret in Ieruſalem: & miſit nuntios ante conſpectum ſuum, &c.* Poſtremò hæc ſunt verba D. Ioannes *cap.* 7. *verſ.* 10. *Vt autem aſcenderunt fratres eius,*

eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, &c.

2 Suppono 2. Quoad textus Marci, & Mathæi de profectione hac à Galilæa in Iudæam vnanimi consensu convenire Interpretes, & Expositores nullum esse locum dubitationis: tùm propter identitatem relationis vtriusque: tùm propter id, quod satis notum est, scilicèt, Evangelium Div. Marci vix aliud esse quidpiam quam epilogum, & abbreviationem Mathæi. Quare restat lis tota de combinando, & concordando reliquos duos Evangelistas supra relatos, scilicèt, Lucam, & Ioannem. Circa quod statim sunt satis diversa Authorum placita recensenda.

3 His positis sententiarum varietas huiusmodi est in hoc puncto. Igitur prima asserit, tres Evangelistas, scilicèt, Mathæum, Marcum, & Lucam eandem profectionem retulisse; eam tamen esse diversam ab illa, quam retulit D. Ioannes. Ita sentit Ioannes Maldonatus *Mathæi* 19. Secunda sententia, tres quoque Evangelistas tenet esse concordes, scilicèt, Mathæum, Marcum, & Ioannem; Lucam verò non nisi de diversa fuisse loquutum. Ad quam videntur accedere Lira, & Caietan. *Lucæ* 9. *verf.* 53. sed eam manifeste tenet Osiander in harmonia Evangelica. Via vero, per quam pergunt Liranus, & Caietan. in eo distinguitur, quod putent D. Lucam loquutum fuisse de profectione ad solemnitatem Paschalem; Div. vero Ioannem de profectione ad solemnitatem Tabernaculorum. Tertia, & communis sententia vnam, & eamdem profectionem à quatuor Evangelistis fuisse narratam substinet, & propugnat cum communi Doctorum, scilicèt, Toleto *Lucæ* 9. *Annotat.* 118. Barradio *tom.* 3. *lib.* 1. *c.* 1. Baronio anno Christi 33. *num.* 35. Brisonio *in Concordia.* Castro *in Historia Deiparæ, cap.* 6. *num.* 2. P. Salmeronio *tom.* 8. *tract.* 32. Iansenio *in Concordia, cap.* 73. Torniello anno 4083. Adricomio *in Chronico*, anno Christi 33. Illust. Siurio *tom.* 2. *in Evangelia, tract.* 9. *cap.* 1. Cornelio, & alijs *in Mathæum, cap.* 19.

4 Dico cum communi sententia, quam Illust. Siurius solidè, & luculenter illustrat: *Eamdem fuisse profectionem de Galilæa in Iudæam, quam omnes quatuor Evangelistæ in præfatis textibus retulerunt.* Probatur sic. Postrema illa profectio de Galilæa in Iudæam, & Ierosolymam vbi Dominus passus est, non potuit esse, nisi vnica. Sed omnes quatuor Evangelistæ in verbis relatis loquuntur de tali profectione postrema: ergo, &c. Maior patet: quia si præter talem profectionem vlterius restaret alia; non foret postrema. Min. quoad Mathæum, & Marcum in confesso est apud Authores. Probatur vero primo, quoad Lucam. Tùm quia hic, sicut Mathæus, & Marcus, postea nullam mentionem facit de regressu aliquo in Galilæam: & si aliquod gestum narrat de Galilæa, est de illis, quæ prius ibi fecerat Christus, quæ recapitulando interseruit: tùm quia (sicut Mathæus, & Marcus) talem profectionem describit, statim à prædictione Domini de exitu complendo in Ierusalem. Vnde apparet illam profectionem esse postremam. Tùm, quia id in eo expressum est, dum dicit: *Dum complerentur dies assumptionis eius*, &c. Probatur 2. de Evangelista Ioanne: tùm, quia similiter Ioannes nec vllam mentionem facit regressus Christi in Galilæam, aut gesti cuiuspiam, postea ibi patrati: tùm, quia tempus profectionis apud Ioannem (scilicèt in Mense Septembri circa festum Scænopegiæ, seu Tabernaculorum) reliquis Evangelistis benè concordat: siquidem illa Profectio apud alios Evangelistas narratur post trasfigurationem, quæ contigit mense Augusto; & posteà ponuntur nonnulla dicta vel facta, quæ vnius mensis spatio congruenter impleri potuerunt. Ergo de primo ad vltimum talis profectio postrema est, & vnica apud omnes quatuor Evangelistas. Confirm.

Quo-

Quoties in vnam eamdemque conſenſionem, narrationemque trahi poſſunt quatuor Evangeliſtæ, ita teneri debet ad maiorem concordiam. Sed intelligentia Sacri textus planè inoffenſa trahi poſſunt, vt de vna eademque profectione, omninò loquantur; ergo vnica, & eadem eſt profectio relata apud omnes Evangeliſtas. Minor conſtabit ſolutione argumentorum.

5 Obijcies 1. Mathæus, & Marcus loquuntur de profectione poſtrema in Iudæam. Sed Ioannes de poſtrema non loquitur: ergo in ea non ſibi concordant. Probatur min. Div. Ioannes *cap.* 11. *verſ.* 7. loquitur de alia vlteriori profectione in Iudæam per hæc verba: *Deinde poſt hæc dixit diſcipulis ſuis: eamus in Iudæam iterum*: ergo non loquitur de poſtrema. Ad hoc argumentum perſpicue, & ſolide reſpondet D. Siurius, ſic diſt. mai. Loquuntur de poſtrema profectione *à Galilæa in Iudæam*, conced. mai. ab alia regione ad Iudæam, neg. mai. & diſt. min. Non loquitur de poſtrema *à Galilæa in Iudæam*, neg. min. *aliunde*, conc. min. & nego conſeq. Continebat enim, vt tradit Barradas Iſarelitarum ditio, & poſſeſsio tres partes, ſcilicèt, Galilæam Septentrionalem, Iudæam Auſtralem, & Samariam, inter vtramque inter poſitam. Hæc autem Iudæa Auſtralis erat ſtricta Iudæa ſumpta pro Tribu Iuda, & Beniamin contrapoſitè ad Galilæam, Samariam, & Decapolim, quæ in ipſa Ditione Iudææ latiùs ſumptæ continebantur ex Abulenſi. Qui *quæſt.* 2. *in cap.* 19. Mathæi ex Beda, & Remigio notat id, quod prætiri non poteſt, ſcilicèt, quod omnis illa Iſraelitarum Ditio generaliter Iudæa dicebatur ad comparationem aliarum Gentium. Quibus poſitis ſtatim ſub datis terminis diluitur argumentum, dicendo nimirum, D. Ioannem *cap.* 7. narraviſſe, ſicut & cæteros, profectionem Chriſti poſtremam de Galilæa in Iudæam; licet poſteà intrà ipſam Iudæam fieret aliqua vlterior profectio ab aliqua parte Iudææ generalius aceptæ ad ipſam Iudæam ſtrictè ſumptam vbi erat Ieroſolyma, & Chriſtus mortem oppetijt: & de hac loquitur D. Ioannes *cap.* 11. vnde nec ſibi, nec nobis conficitur eſſe contrarius. Nam Regio in quam Chriſtus conceſſerat, & vbi erat Ioannes baptizans, & quo miſi ſunt Nuncij à Martha, & Maria appellabatur *Betharan*, & ſita erat extra, vel ferè, Iudæam ſtrictè ſumptam. Vnde potuit verè in Iudæam iterum remigrare.

6 Obijcies 2. Profectio deſcripta per Mathæum, & Marcum fuit in fines Iudææ trans Iordanem, vt conſtat ex textu. Sed quæ narratur à Luca, & Ioanne fuit citrà Iordanem, ſcilicèt, ad Civitatem Ieruſalem: ergo non fuit eadem. Ad hoc argumentum in quo ſolvendo plures nobiliſsimi Interpretes plus iuſto indulgent rigori præpoſitionis latinæ *trans*, vel *vltra* pace tantorum virorum, dicam ipſe, quod ſentio cum meo Doctiſsimo Maldonato, poſtquam ante oculos habui graviores Interpretes, & in chartula Geographica, tàm modernam Palæſtinam, quàm veterem pervolutavi. Vnde diſt. antec. ly *trans*, id eſt *iuxta*, conc. antec. *trans*, id eſt *vltra*, neg. antec. & conſeq. Sciendum ergo eſt, quòd ſitus totius Palæſtinæ in tota Sacra pagina ſolet ita explicari, vt poſteriores Scriptores Novi Teſtamenti phraſibus anteriorum Veteris Teſtamenti ſe accommodent, quando anteriora recenſent: & quidem iuxta Idioma originale, quo res ſcripta fuit. Quare duo dico: *alterum* eſt, quod in hac re hærendum non eſt in præpoſitione Latina; tùm propter attendendum ad originalia potius; tùm quia eatenus *trans*, & *vltra* eo rigore ſumi deberent, quatenus vſpiam in Sacra Scriptura darentur præpoſitiones correſpondentes, ſcilicèt, *cis*, & *citra*, quæ nullibi reperiuntur, niſi vbi eſt *Cis* pro perſona. Quæ obſervatio ad id eſt magni momenti. *Alterum* eſt, quod

attendendo ad linguas Sacras id magis convincitur: tùm quia, vt conſtat ex Lexico Hebraico Valentini Schilderi, & aliorum, præpoſitio *Beheber* eſt ſignificationis promiſcuæ, ſcilicèt, *vltra*, vel *citra*; imò ſignificat etiam *ad latus*, quod mirificè quadrat noſtro caſui: penè tota enim Ditio Iſraelitica ad latus Iordanis procurrit. Quod clarè patet in multis locis Veteris Teſtamenti, ſcilicèt, *Numeror.* 32. 19. *Deuteron.* 3. 20. 25. & *cap.* 11. 30. Sed ſpecialiter, tùm 2. *Paralyp.* 20. *verſ.* 2. vbi loquendo de regione citra mare, Hebraicè itidem per *trans*, vel *vltra* explicatur: tùm *Deuteron.* 1. *verſ.* 1. vbi quæ dixit Moyſes ad totum Iſraelem *trans Iordanem* Paraphraſis Chaldaica, legit *in latere Iordanis*, & in Novo Teſtamento *Math.* 4. *verſ.* 15. Terra Zabulon, & Nephthali, quæ perſpicue ſita, eſt citra Iordanem dicitur eſſe *trans Iordanem*. Quoad Græcum autem Idioma perticula *Peran*, quæ per *trans* explicatur, in rigore ſignificat quidquid eſt confine, & conterminum: nam *peras peratos* idem eſt, ac *finis*, & *extremitas* ex Lexico Græco: vnde fundatiſsimè procedit noſter Maldonado, qui eruditus de more ſuo addit vlterius, Hebræos, qui ante tranſitum Iordanis eam terram *trans Iordanicam* appellabant, in eadem poſtea vſurpatione perſeveraſſe. Quæ quidem omnia vltra ſoliditatem ſuam, facile vbivis habent exemplum. Et quidem hic Matriti perſpicue quis loqueretur, dicens Virginem Portuenſem, eiuſque Templum ſita eſſe trans fluvium Manzanarium ad finem plani campeſtris de Villa protenſi; quamquàm reapſe tale Templum ſit citra fluvium. Neque obſtat, quod poſtea *Ioannes* 10. dicatur Chriſtus iviſſe trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizans: tùm quia nihil impedit, quominus Chriſtus poſtea Iudæos fugiens, petiverit locum ſtrictè ſitum vltra Iordanem: tùm quia talis locus ita pingitur in charta Geographica, vt penè in vtraque ſit ripa Iordanis, & in eo verè eſſe dicatur quiſquis ſit in alterutra. Vide in noſtro indice Geographico vocem *Bethabara*, vbi id ex Brocardo, aut Bredembachio firmatur. Quæ omnia paulò fuſius attacta ſunt; quòd videam, Illuſt. Siurium, & alias Doctos viros Maldonato noſtro hic non acquieſcentes.

7 Obijcies 3. Profectio Chriſti relata à Ioanne fuit ſolitaria, & occulta; ſed ea quam referunt Mathæus, & Marcus, fuit ſociata multa copia turbarum: ergo non fuit eadem. Maior conſtat ex *verſic.* 10. ibi: *Tunc autem, & ipſe aſcendit non manifeſtè; ſed quaſi in occulto.* Min. autem conſtat ex textu *Math.* 19. ibi: *Et ſequutæ ſunt eum turbæ.* Ad hoc argum. reſp. diſt. min. *turbarum*, quæ cum ipſo venerint de Galilæa, neg. min. quæ in ipſa Iudæa eum ſequerentur, conc. min. & nego conſeq. Itaque ante oculos habendum eſt, D. Mathæum, & Marcum referentes hanc profectionem, non eò reſpexiſſe, vt narrarent aſcenſum Chriſti in Templum ad feſta Tabernaculorum, & Ænceniorum, quod cum alijs geſtis retulit Ioannes. Sed vt narrarent geſta illa, turbarum ſtrepitu ſolemniora, & quæ ad negotium Paſsionis, & mortis Dominicæ plus propinquabant: hæc autem acciderunt poſtquàm Dominus Ieroſolymis ſe prodigiosè manifeſtavit trahens ſua prædicatione, & miraculis turbas. Quæ licèt etiam in Galilæa eum ſequerentur; tamen eas pro arbitratu, dum oporteret, ſolebat dimittere, & *dimiſit turbas*, quod fecit in hac profectione, eo quod quaſi in occulto venire decreverit. Vnde cuncta cohærent, ſcilicèt, quod Ioannes dicat veniſſe in Ieroſolymam, & ad feſta Scænopegiæ, & Ænceniorum; & quod Mathæus, & Marcus referant ſolum veniſſe in fines Iudææ trans Iordanem; & quod hi cum turbis; ille vero quaſi in occulto veniſſe pronunciet; & nihilominus vna omnium à Galilæa in Iudæam ſit relata profectio.

Obij-

8 Obijcies 4. Profectio deſcripta per D. Lucam nequit convenire cum ea, quam refert Ioannes: ergo omnes quatuor Evangeliſtæ non cohærent. Probatur antec. Profectio, quam refert D. Lucas planè fuit vltima; ſed ita non potuit eſſe quam refert Ioannes: ergo, &c. Maior conſtat *Luc.* 9. ibi: *Dum complerentur dies aſſumptionis eius.* Minor probatur: Tùm, quia aſcenſus ad feſtum Scænopegiæ, quod celebrabatur menſe Septembri, diſtabat per ſeptem menſes à Paſchate in quo mortuus eſt Chriſtus. Tùm, qnia ibidem rogatus, vt aſcenderet ad tale feſtum, reſpondit *tempus meum nondum advenit.* Atqui hoc eſt paſsionem eius eſſe diſtantem: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo, negando antecedens, & ad cuius probationem, conceſſ. maior. neg. minor. ad cuius primam probhtionem placet ea reſponſio, qua D. Siurius ait, ſpatium ſeptem menſium à tali profectione vſque ad mortem non obſtare, quominus dicerentur compleri dies aſſumptionis eius; quin potius ipſamet phraſis oſtendit interea tempus aliquod procurſurum, quo tale facinus, & prævia ad ipſum gradatim procederent, & ipſamet verba, & geſta Chriſti D. Iudæorum invidiam accenderent, & provocarent. Ad ſecundam probationem reſpondet Illuſt. Siurius, ibi Sermonem eſſe *de Tempore* aſcendendi Ieroſolimam; non autem *de Tempore* paſsionis, quaſi dixiſſet: *Tempus veſtrum aſcendendi ad hæc feſta vobis ſemper eſt paratum, & liberum, eò quod in vobis nulla ſit difficultas; non autem ita eſt mihi, erga quem tanta eſt invidia, ac perſecutio.* Quæ expoſitio etiam affertur à noſtro Maldonato in hunc locum, *verſ.* 7. Authoribus fulta. Sed verò nonnihil difficultatis adhuc habet, ſi benè introſpicitur (ſaltem quoad adverſativam) ſcilicèt quod ibi eſſet ſermo de non aſcendendo Ieroſolymam, & non de paſſione: ait enim Maldonatus: *Quia ergo cognitos habebat Iudæorum animos, ſciebatque forè, vt, ſi Ieroſolymam iret, ſe occidere conarentur; pro eodem habet Ieroſolymam ire, & ad mortem ire; & quia moriendi tempus nondum advenerat dicit, ſe Ieroſolimam ire non poſſe.* Et præterea in ipſo eodem capite, *verſ.* 30. dicit idem Evangeliſta verba ſimilia, *quia nondum venerat hora eius*: quæ ſunt aperte explicativa priorum; & nihilominus ex ore omnium Interpretum de paſsione loquuntur: qua propter pro præſenti difficultate ſolvenda ſatius eſt, vel, vt ſuprà, fateri tempus paſsionis non ita inſtare, vt non deberet interea ſatis temporis intercurrere, quod non tolleret paulatim initiari, & procedere paſsionem, & mortem. Quomodo vero componatur illa antilogia aſcendendi, & non aſcendendi in diem feſtum? quęſtio eſt à nobis ſeparatim tractãda.

9 Obijcies 5. ex Maldonato. Profectio ex D. Luca nequit eſſe vltima de Galilæa in Iudęam: ergo non cohæret cum cæteris. Antedens probatur: tùm, quia *Mathæi* 26. 2. veniſſe videtur Chriſtus de Galilæa in Bethaniam ante ſex dies mortis eius: vnde prædicationi in Iudæa non erat locus: tùm, quia in hac profectione Martha eum excepit, *Lucæ* 10. *verſ.* 38. & in vltima fuit in domo Simonis Leproſi, *Math.* 26. 6. tùm, quia in hac profectione nec dum videtur facta converſio Samaritanæ, & Samaritanorum, qui in ea ei negarunt hoſpitium, & tamen ante talem profectionem facta eſt: ergo, &c. Hoc argumentum planè corruit ex obſervatis à D. Siurio: quippè neque receptio apud Martham, neque receptio apud Simonem Leproſum fuit ex itinere à Galilæa, ſed ex varijs circuitionibus ipſius Iudææ. Vnde, & ceſſat hoſpitij contrapoſitio, & tempus ad prædicandum in Iudæa non coangustatur. Quoad converſionem vero Samaritanæ planè factam ante noſtram profectionem ceſſat inconveniens, dicendo, Samaritanos negantes hoſpitium vel alios fuiſſe à converſis, vel alios animo à converſione; ſed penitius rem in-

indagando inquit D. Lucas hos Samaritanos Dominum non recepiſſe, quia *facies eius erat euntis in Ieruſalem.* Quæ in bonum Samaritanorum interpretari non poſſumus; quia poſtmodum Iacobus, & Ioannes ignem volebant ſuper eos mitti de Cœlo. Itaque ex Maldonato, & Toleto germanus ſenſus, quem ego quoque præcogitaveram, eſt, quòd Samaritani habentes ſibi templum in Monte Garizin iuxta quem fuit Arca Domin. *Ioſue* 8. 33. contendebant de loco adorationis cum Templo Ieroſolimitano, *vt conſtat Ioannis* 4. & veluti ſi hæreticus nollet excipere Catholicum ad domum Lauretanam peregrinantem; ſic ipſi noluerunt excipere Chriſtum, *quia facies eius erat euntis in Ieruſalem*, id eſt, Hiſpanicè cum energia; *porque la traza de ſu perſona, y viage, era de ir à adorar en Ieruſalem.* Nam Hebraiſmus ille melius Hiſpane redditur, vti & præcedens, ſcilicèt; *cum complerentur dies aſſumptionis eius firmavit faciem ſuam, vt iret Ieruſalem*, id eſt, *acercandoſe el tiempo de ſu paſsion, y muerte, hizo roſtro firme à ir à Ieruſalem.* Quando autem fuit converſa Samaritana, & aliqui de eius Civitate; ibat Chriſtus de Iudæa in Galilæam: vnde modo cum rediret adoraturus in Ieruſalem, facilè potuit denegari hoſpitium, vel in ipſa Civitate Sichar, vel facilius in aliqua alio diſtincta Samariæ.

10 Ad calcem quæſtionis colliges, quod licèt alicubi apud Evangeliſtas dici ſoleat, quod turbæ ſequebantu Ieſum à Galilæa, intelligi debet, vel inibi in ipſa Galilæa; vel ſi à Galilæa in Iudæam, v. gr. Mathæi 27. *Erant ibi mulieres multæ, quæ ſequutæ fuerant Ieſum à Galilæa, inter quas erat Maria Magdalene*, debet intelligi de alia profectione præcedenti diſtincta ab ea, de qua agimus, ſiquidem iam ter iam qua ter refertur Chriſtus iviſſe de Iudæa in Galilæam, & rediviſſe de Galilæa in Iudeam, vt conſtat apul Mald. *Lucæ* 9. Quare oculatus debebit eſſe propugnator, ne ſibi impugnator aliam à præſenti, de qua eſt ſermo, profectionem intrudat. Si autem inſiſtas in eo quod tales Mulieres ſequutæ ſnnt Chriſtum à Galilæa in vltima profectione, eò quòd eius morti, & paſsioni interfuerint. Tripliciter adhuc inde poteſt emergi ſcilicèt. Primò. Quatenus ipſæ ſub idem ferè tempus veniſſent non tamen ad modum turbæ cum Chriſto; ſed paulò ante, vel paulò pòſt, vel per diverſam viam: veluti familiares alicuius legati eum ſequi dicuntur, ſi eo tenore ſequantur. Secundò. Vel quia paucæ illæ Mulieres, quarum in Domini paſsione fit mentio, ad ſummum facere poterant comitatum aliquem privatum, quo iter potius occultum eſſet, quam ſolemne in tanto Magiſtro. Tertio. Vel quatenus Chriſtus in illa profectione licèt ferret ſecum aliquas pias Mulieres (quæ vulgari ſermone poſſunt dici Multæ) tamen neque turbas admitteret, neque doctrinam ſuam, tunc diſſeminaret ſolemni prædicatione, & miraculis confirmatam. Et id eſt, quod dicunt illa verba *quaſi in occulto.* Non enim ſimpliciter occultum erat tale iter; ſed non erat, vt alias ſæpè, cum ſolemni doctrina, & miraculis, & copia turbarum acclamantium, & ſubſequentium. Protereaque fortè cohibuit in eo itinere Iacobum, & Ioannem, ne ignem de Cœlo devocarent ſuper Samaritanos hoſpitium Domino denegantes. Colliges ſecundo. Quod licèt Chriſtus in eo itinere ſanaverit decem Leproſos; hi fuerunt viri occurrentes ei, & indulta eis ſanitas fuit quædam privata, & occaſionalis in eos miſericordia; non autem miraculum ſolemne pro authenticando eius magiſterio, & doctrina.

JHS.

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

CHRISTVS CVM VENERIT NVNQVID PLVRA SIGNA faciet, quam quæ hic facit. *Ioannis 7. verſ. 31.*

ARTICULUS.

V. IVDÆI EX MIRACVLIS CHRISTI COGNOVERINT, IPSVM eſſe Deum atque Meſsiam?

1 SUppono 1. Apud omnes quatuor Evangeliſtas mirificè conſtare, & vbertim quot, & quanta miracula patraverit Chriſtus ipſe dum viveret, quę præterquamquod in quatuor ipſorum Evangelijs fuſe traduntur in ſpecie; ſummatim inſuper commemorantur, *Mathæi 4. & Marci, ac Lucæ 6.* Sed longe amplioribus verbis in fine Evanlij S. Ioannis: vbi ad hyperbolem accedens ita ſe explicuit. Sunt autem, & alia multa quæ fecit Ieſus, quę ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt Libros. Cumque idem Evangeliſta in principio ſui Evangelij, etiam de Chriſto dixerit: *Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, portentoſus ſanè eſt ſpiritus ille incredulitatis, quo omnes homines cæcutientes nihil non moliti ſunt vt tancto lumini contrairent, luentes iuſtas tenebrarum pœnas, qui amore ſcientiæ ſuperbierant, & confirmantes viam providentiæ Divinæ, qua homines qui ſponte ſua tàm mente, quàm ſcientia abuſi ſunt, poſtmodum non niſi cæca fide regantur, captivantes intellectum, vt inordinatus ſcientiæ appetitus merito ita coerceatur, & caſtigetur. Verumtamen adhuc huic medio, & remedio non acquieſcentes, qui Dei opera prius, nunc etiam Dei hominis opera cavillantur, omni via tentantes Chriſti miracula prodigioſa, non tàm credere, quàm enervare, & infringere. Itaque alij vt tradit Origenes *lib. 1. contra Celſum*, blasphemarunt, Chriſti miracula fuiſſe quaſdam ſenſuum ludificationes, atque præſtigias ſubtili quadam arte compoſitas: alij allegorizantes Novum Teſtamentum non ſecus ac Origeniſtę allegorizabant vetus, & prius; talia miracula myſticè interpretantur, quaſi reſurrectio, & cæcitas reſtituta ſolum de vita animæ, & illuminatione ſpirituali debeant intelligi. Quos memorat Lucas Tudenſis *lib. 3. contra Albigenſes, cap. 2.* Alij de quibus Salmeron *tract. 4.* ea miracula virtuti cuidam naturali, vt puta temperamento, imaginatrici, aut conſtellationi tribuebat. Alij demum execrabilius, vt teſtis eſt Origenes

nes *lib. 2. contra Celsum*, & Augustinus *lib. 21. de Civitate Dei, cap. 8.* ea arti Magicæ, seu Diabolicæ virtuti accensebant, idipsum quod Iudæi olim vsurpantes. *In Beelzebub, Principe Dæmoniorum, eijcit Dæmonia.* Contra quos omnes tam Patres, quàm Catholici polemice disputant, & videri potest Salmeron *tom. 6. de Miraculis*, Maldonatus in loca suprà citata Evangelistarum, & D. Siurius *tom. 1. tract. 28.* necnon de Iudæis Iosephus *lib. 18. Antiquit. cap. 4.* Et de Gentilibus ipse Pontius Pilatus *in Epistola ad Tiberium Cæsarem*, quam tradit Egesipus *lib. 5. de Potentia vero ad talia Miracula patranda, in suo loco, ad tract. de Incarnat.* iam diximus. Et de signis discretivis veri miraculi à falso satis etiam diximus *in quæst. de Virgis Magorum in 1. tom. nostræ Palæstræ.*

2 Suppono 2. Iudæos re ipsa, sivè humanitus, sivè divinitus, id est, per fidem Divinam, sivè innixam testimonio divino, vel humanam, sivè innixam testimonio, vt humano, potuisse cognoscere Christum esse Messiam, & verum Deum. Ad id enim commonebantur à Christo, vt scrutarentur Scripturas, quæ testimonium perhibebant de ipso; & quia poterant, & debebant credere Moysi; *& si Moysi crederetis*, inquit Dominus, *Ioann. 5. crederetis, & mihi.* Itaque quoad fidem infusam illi qui erant benè dispositi, & attendebant ad Prophetias priores, & opera Christi eas contestantia, negare non poterant, quin Divinitas Christi, & officium Redemptoris satis ipsis innotesceret, vt per fidem Divinam credi posset, licèt enim miracula per se sola Divinitatem non comprobarent, eò quòd puri homines similia patraverint, neque veritatem doctrinæ, eò quòd vt tenent communiter Theologi cum Hieronymo, *Matthæi 7.* & D. Thom. *1. part. quæst. 110. art. 4.* Gratia miraculorum etiam in peccatoribus reperiatur; tamen vt associata cum Prophetijs erant valde efficacia ad id ostendendum, vt tenent Toletus Ioann. 4. *Annotat. 27.* Suarez *disp. 31. sect. 1.* & Siurius *tom. 1. tract. 18. cap. 2.* Quomodo autem miracula etiam seorsim à Prophetijs testentur de veritate doctrinæ, si fiant in eius confirmationem res est, quæ *ad tract. de Fide* ab Scholasticis agitatur, & quæ modo non vrget. Quoad fidem vero humanam poterant quidem propter ea, quæ tam prodigiosè, & abunde Christus faciebat coram ipsis, ei assentiri de suo munere, & de sua alta generatione testanti.

3 Suppono 3. Pro expedita resolutione quæstionis distingui oportere, cum nostro Suario tres classes Iudæorum, respectu quorum non nisi diversimodè sentiendum esse videtur. Prima classis est eorum, qui sequuti sunt Christum, & crediderunt in eum. Hi autem cognoverunt ipsum esse Messiam, & verum Deum, vt patet *Matthæi 16. in Petro*, aiente: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, & *Ioannis 11.* vbi Martha dixit: *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*: & quidem in Apostolis, & quibusdam alijs de sequentibus Christum certum esse videtur assequutos esse quamdam evidentiam doctrinæ, & Divinitatis Christi propter evidentiam, tùm verborum, tùm miraculorum, sivè Christi, sivè eorum, quæ ipsi faciebant; quin propterea excludatur fides, prout iuxta Theologos componi potest cum evidentia in attestante. Cæterum multi adhuc de Sectatoribus Christi initio, ita visi sunt credidisse Christum esse Messiam, & Deum verum, vt neque evidenter id noscerent ex defectu evidentiæ miraculorum, & notitiæ evidentis de confirmatione doctrinæ, neque forte aliqui crederent fide infusa, & infallibili, sed quasi putantes ipsum propter apparentia motiva dignum esse cui crederetur, non tamen per modum motivi, & articuli ipsis ad credendum de fide in lege sua satis propositi. Et quidem facilius sibi persuadebant esse Messiam,

quam

quam Filium Dei naturalem : namque hanc filiationem confuſo modo agnoſcebant, vtpotè altiorem, & obſcuriorem, & ita etiam de Martha opinatur Div. Chryſoſtomus, licet Auguſtinus *tract.* 49. *in Ioannem*, & Hilarius *lib.* 6. *de Trinitate*, ſentiant eam cognoviſſe filiationem Dei naturalem. Et de hac claſſe non eſt noſtra quæſtio. Secunda claſsis erat eorum, qui Chriſtum non ſunt ſequuti, non tamen erant ex Principibus Sacerdotum, Scribis, & Phariſæis. De quibus cum Div. Thom. & Suario, etiam certum eſſe videtur non agnoviſſe ipſum eſſe Meſsiam, & Deum verum quia, neque vltro, neque coacti ab evidentia, quam non habebant Prophetiarum, miraculorum, & ſenſus doctrinæ, in eum crediderunt. Atque propter famam, quod ipſe eſſet Meſſias, illi qui non erant odio, aut timore Principum præocupati, tantum habere poterant circa id aliquod dubium, vel ſuſpicionem ; licet interea ipſis evidens fuiſſet perſona propter eius dicta, & facta fidedigna ; non tamen notitia eius doctrinæ propter eorum ruditatem. Cum vero motiva eſſent vrgentiſsima, vt in eum crederent meliori modo quo poſſent, & neque odio, & timore Sacerdotum ſe abripi ſinerent, neque ſua ignorantia, quam deponere poterant, non potuerunt eſſe omninò excuſabiles, ſed ad ſummum minui eorum peccatum, & capax fieri pœnitentiæ, prout dicunt Iuſtinus *quæſt.* 108. & Beda *lib.* 6. *in Lucam*, *cap.* 94. Tertia claſsis eſt Principum, & Scribarum, atque Doctorum legis, qui excuſari non poterant.

4 His poſitis triplex in hac re datur ſententia, quarum prima aſſerit Iudæos agnoviſſe Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum. Quam defendunt Origenes *tract.* 19. *in Mathæum*, Chryſoſtom. *homil.* 40. imperfecti. Beda *lib.* 3. *in Mathæum*. Anſelmus *Math.* 21. Secunda ſententia partim convenit cum præcedenti, & partim ab ea diſcedit, aſſerendo Iudæos revera cognoviſſe Chriſtum eſſe Meſsiam, non tamen eſſe verum Deum. Pro qua ſtant Euthymius *cap.* 50. *in Mathæum*. Theophilactus *in Mathæum*, *cap.* 21. Nicolaus de Lira, ibidem. Burgenſis etiam *Math.* 21. Sixtus Senenſis *lib.* 6. *Annotat.* 68. Æſtius *Lucæ* 20. *verſ.* 14. Bartholomæus Petrus *in Actibus Apoſtolorum*, *cap.* 3. *verſ.* 17. Tertia ſententia defendit Iudæos, neque cognoviſſe Ieſum eſſe Deum ; neque Meſsiam. Ita ſentiunt Abulenſis *Math.* 21. *quæſt. vltim.* Caiet. 3. *part. quæſt.* 5. & *Lucæ* 23. ad illa verba : *Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. Medina 3. *part. quæſt.* 47. *art.* 5. Eximius Doct. P. Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 4. Illuſt. Siurius *tom.* 1. *tract.* 28. *cap.* 3. Lorinus *Actor.* 3. *verſic.* 17. & ibidem P. Gaſpar Sanchez, & alij.

5 Sit noſtra concluſio cum hac tertia ſenrentia, cum qua dicimus, Iudæos etiam Principes, & Scribas, neque cognoviſſe Chriſtum eſſe Meſsiam, neque Deum verum. Probo primam partem concluſionis, poſtea probaturus ſecundam. Primo ex diverſis textibus Sancti Evangelij, ſcilicèt. Primo, *ex Ioann. cap.* 5. ibi: *Quia quem miſit ille, huic vos non creditis. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*. Secundo, *ex Ioann. cap.* 10. ibi : *Quouſque animam noſtram tollis, ſi tu es Chriſtus, die nobis palam? Reſpondit eis Ieſus, loquor vobis, & non creditis*. Tertio, *ex Ioann. cap.* 12. *v.* 37. „ibi: Cum tanta ſigna feciſſet corameis „non credebant in eum vt ſermo Iſaiæ „Prophetę impleretur, quem dixit. Do„mine quis credidit auditui noſtro? Et „bracihũ Domini cui revelatũ eſt? Prop„terea non poterant credere, quia ite„rum dixit Iſaias. Excæcavit oculos eo„rum, vt non videant oculis, & non „intelligant corde, & convertantur, & „ſanem eos. Quarto, *ex Math. cap.* 27. ibi : *Similiter, & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & Senioribus, dicebant: alios ſalvos fecit; ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Si Rex Iſrael eſt, deſcendat*

nunc

nunc de Cruce, & credimus ei. Atqui hæc omnia dicuntur de omnibus infidelibus Iudæis, tàm infimis, quàm ſupremis : ergo non cognoverunt eſſe Meſsiam. Confirmat. Quia Iudæi ita erant præocupati exiſtimatione, & iudicio, quod Regnum Meſsiæ futurum erat temporale, vt & diſcipuli etiam Domini id etiam cogitarent : ergo quandiu tale iudicium non depoſuerunt, non poterant credere Chriſtum pauperem, & abiectum eſſe Meſsiam. Anteced. patet *Matth.* 20. 21. in filijs Zebedæi appetentibus ſedes *Lucę* 24. in diſcipulis euntibus Emmaus. *Nos ſperabamus, quia ipſe redempturus eſſet Iſrael*; & *Actor.* 1. *verſ.* 6. *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſrael?*

6 Probo ſecundam partem concluſionis, ſcilicèt, quod non cognoverint eſſe Deum. Primo, ex textu *Ioann.* 10. 33. reſponderunt Iudæi: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu, homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Secundo, ex textu *Matth.* 26. 65. vbi poſt quam Ieſus dixit ſe Filium Dei, ſubijciuntur hæc verba: *Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua dicēs: blaſphemavit.* Tertio, ex 1. *ad Corinth.* „2. 7. Loquimur Dei ſapientientiam in „myſterio, quæ abſcondita eſt, quam „prædeſtinavit Deus ante ſęcula in Glo„riam noſtram, quam nemo Principum „huius ſæculi cognovit: ſi enim cogno„viſſent; nunquam Dominū Gloriæ cru„cifixiſſent. Quarto, ex textu *Actor.* 3. 17. vbi Iudæis, qui occiderant Chriſtum dixit Div. Petrus: *Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri*: ergo ex Sacra pagina conſtat clariſsimè, tàm Populum Iudæorum, quàm Principes Sacerdotum non cognoviſſe Chriſtum eſſe verum Deum.

7 Obijcies 1. Iudæi occiderunt Chriſtum ſub expreſſa cognitione, & ideò, quia miſſus erat à Deo ad regnandum ſuper Iſrael: ergo verè cognoverunt ſaltem, eum eſſe Meſsiam. Anteced. probatur, ex textu D. Mathæi *cap.* 21. *verſ.* 27. vbi facta comparatione de Æterno Patre mittente Filium ſuum pro hæreditate Iſrael reparanda, cum Patre Familias, qui prius miſerat operarios, & deinde „miſit hæredem, ſic ait : Noviſsimè „autem miſit ad eos Filium ſuum di„cens: verebuntur Filium meum. Agri„colæ autem videntes Filium, dixe„runt intra ſe: hic eſt hæres venite oc„cidamus eum, & habebimus hęredi„tatem eius. Sed ex his verbis, non ſolum conſtat, Chriſtum fuiſſe cognitum vt Meſsiam, ſed etiam Filium Dei, ſcilicèt quatenus diſtinctum ab operarijs, qui erant filij adoptivi, & ipſe erat hæres, & filius: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem, conceſſa maior. de Parabolica comparatione, nego minor. Itaque ſuppoſito inibi argumentum fieri de parabola, quæ non ſolet eſſe efficax argumentum ad litteram, ſaltem in omnibus, quæ parabola conſectatur ; ibi argumentum Mathæi ſub ea conſtructum non tendit ad ſignificandum cognitionem claram hæredis vt talis; ſed præcisè confuſam, & ſufficientem vt animoſius, & crudelius inſurgerent in eum, qui efficaciori ſermone, proximiori iure, maiorique poteſtate, quam Prophetæ priores eos redarguebat, potius ibi prædicendo eis factum de futura occiſione hæredis, qui reipſa talis eſſet, & quem vt talem cognoviſſent niſi odio eſſent præocupati; quam teſtando, & declarando quo gradu cognitionis eum eſſent cogniturі. Vnde ignorantes ipſi Chriſtum eſſe Meſsiam, & Filium Dei, tamen adimpleverunt eam occiſionem hæredis, quæ in parabola ſignabatur: licèt enim ipſi apud ſe clarè non dicerent, *hic eſt hæres huius hęreditatis*, tamen odio, & invidiapleni dicebant apud ſe, *hic eſt præ alijs, qui hactenus venerunt, qui nos magis torquet verbis, ſignis, prophetiis, quem vnum ſtatim interficere oportet, ne tota gens pereat,*

reat, quod eorum Pontifex prophetavit, quare hæc facientes, licèt ignorarunt Christum esse Messiam; tamen prophetiam Christi parabolicè factam ipsi nescientes adimpleverunt, non secus ac nescientes adimplebant in Christo antiquissimas prophetias, & licèt non expressè, & signatè dicerent, *hic est hæres*, dicebant tamen id exercitè, & implicitè dum de illo dicebant se ab eo magis vrgeri verbis, signis, & prophetijs. Quod est plusquam satis, vt veritas parabolæ illæsa permaneat, & nihilominus Iudæi ignorassent Christum fuisse Deum, atque Messiam: parabola enim illa, cum esset Prophetica, potius respiciebat eventum, quam intentionem, & cognitionem: & non aliter commemoratur, tùm „ per S. Stephanum *Actor.* 7. Vos sem- „ per Spiritui Sancto resistitis: sicut „ Patres vestri ita & vos: quem Pro- „ phetarum non sunt persequuti Pa- „ tres vestri? Et occiderunt eos, qui „ prænuntiabant de adventu iusti, cu- „ ius vos nunc proditores, & homi- „ cidæ fuistis, & accepistis legem in „ dispositione Angelorum, & non cus- „ todistis. Audientes autem hæc dis- „ secabantur cordibus suis; & stride- „ bant dentibus in eum. Tùm apud „ S. Hieronym. *in Math.* 23. ibi: Facta „ est mihi hæreditas mea, quasi spelun- „ ca hyænæ. Desertam Iudæorum do- „ mum, id est Templum illud, quod „ fulgebat augustius oculis comproba- „ mus, quia habitatorem Christum „ perdidit; & hæreditatem præripere „ gestiens, occidit hæredem. Quasi dixisset Christus ad Iudæos. Sicuti Agricolæ Patris familias, non solum malè tractarunt operarios; sed & hæredem sibi cognitum occiderunt; ita & vos post Prophetas occisos, in re occidetis hæredem, quia in re talis est, licet vos passione occupati eum non cognoscatis verè esse talem.

8 In quam solutionem concordes veniunt Suarius, & Siurius in varijs solutionibus quas congerunt. Prima. Qua exponitur *hic est hæres*, id est, *hic se facit hæredem*, & secunda. Hic est qui in populo primum locum tenet quemque omnes sequuntur, & colunt. Quia nimirum solum ibi datur intelligi quædam cognitio hæredis specificativè sumpti; non tamen expressè, & reduplicativa ipsius vt talis. Deinde tertia Iansenij aientis per ea verba, *hic est hæres*, denotari cognitionem demonstrativam hæredis vt talis in manu Iudæorum fuisse, quiquidem super tali persona Christi eam habere poterant, & debebant. Et ita Iustinus *quæst.* 140. Namque hoc est dicere, quod Iudæi in re occidebant hæredem, quoad personam secus verò quoad qualitatem, quam culpabili ignorantia nesciebant. Et in hanc quoque recidit quarta, quæ ibi subiungitur, quatenus interdum ex vi argumentorum putaretur vt hæres, licèt propter passionem Iudaica cæcitas permansisset. Sed inter cæteras plus quadrat cum superiori ea, quam attulit Caietanus inquiens Christum Dominum sua Parabola prædixisse, id quod postea in Concilio dixerunt Iudæi: *Omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* Vnde dicere, *hic est hæres*, non erat necessario dicere, hic est Messias, sed hic est in quem omnes credent, & ita fiet Dominus, & hæres populi Israel: quare hæc propositio *hic est hæres* iuxta superiora sic venit explicatissimè exponenda. Hic vir est, qui „ si non occurrimus oportunè, hæres „ erit, & Dominus populi Israel, qui, „ totus iam abijt post eum. Vbi, & verificatur *hic est hæres*, id est, hic est quem timemus fieri hæredem: & componitur, quod ignorarent re vera ipsum esse hæredem. Aliter. Apud ipsos erat in proximo hæres quoad factum, quia iamiam integram sibi hæreditatem præripiebat; secus verò quoad ius, quia ipsi verum Messiam, & Deum ignorabant.

9 Obijcies 2. Ipsamet veritas ore suo dixit Iudæos cognovisse, nedum

perſonam ipſius Chriſti, ſed etiam vnde ipſe venerit: ergo cognoverunt ipſum eſſe Meſsiam, & Deum. Antecedens patet, ex *Ioann. cap. 7. verſ. 28. Clamabat ergo Ieſus in templo docens, & dicens, & me ſcitis, & vnde ſim ſcitis.* Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens, & ad eius probationem dico illa verba non inſenſu illo, qui apparet, nobis obiecto eſſe vſurpanda: prout cogit textus capitis ſequentis *verſ.* 19. ibi: *Reſpondit Ieſus, neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan, & Patrem meum ſciretis*; ſed vſurpata fuiſſe in ſenſu figurato per figuram quæ dicitur *conceſsio*, quando nimirum aliquid adverſario indulgemus, quod ſententiam noſtram non labefactat: dixerant enim paulò ante Iudæi: *hunc ſcimus vnde ſit*, alludentes ad eius patriam, atque familiam: quam ipſis notionem non negat, ſed potius concedit per ea verba, *& me ſcitis, & vnde ſim ſcitis*; ſed tamen illico ibi ſubiungit verba vlteriora, quibus oſtendat Iudæos non ſatis eius notionem, & originem aſſequutos, ſic inquiens; *& à me ipſo non veni, ſed eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis.* Atque hæc eadem penè Auguſtinus tetigit, & expoſuit *tract.* 31. *in Ioann.* & Toletus *Annotat.* 20. Quare Chriſtus, vt præclarus argumentator ipſis notitiam de ſe habitam non denegavit, ſed tamen vbi eos audivit dicen-
„tes, *Chriſtus autem cum venerit ne-*
„*mo ſcit vnde ſit*, ſtatim ipſe ſubiun-
„xit. A me ipſo non veni, ſed eſt ve-
„rus qui miſit me, quem vos neſcitis.
„Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum, &
„ipſe me miſit. Vt ſic eos de ſuo adventu, & miſsione certiores faceret.

10 Obijcies 3. Si Iudæi non cognoviſſent Chriſtum eſſe Meſsiam, & verum Deum; non perpetraſſent peccatum Chriſticidij. Sed re ipſa nihil magis decantatum eſt in tota Theologia, quam ipſos verum Chriſticidium commiſiſſe: ergo cognoverunt Chriſtum eſſe verum Meſsiam. Maior conſtat: quia malitia quæ non præcognoſcitur, non contrahitur: ſicuti homicida non eſt, qui occidit hominem dum putaverat eſſe feram. Confirmatur. Si Chriſtus, vt talis non innotuiſſet, Synagogæ Iudæi non redderentur inexcuſabiles, vt Chriſtus prædicabat dicens, *propterea excuſationem non habent de peccato ſuo*, & ſimilia: ergo, &c. Patet antecedens, quia alioqui excuſarentur ex ignorantia. Ad hoc argumentum reſpondeo, negando maiorem, & ad eius probationem, dico verè non contrahi malitiam, quæ in obiecto prorſus invincibiliter ignoratur; ſecùs verò ea, quæ ex ignorantia craſſa procedit, & affectata, qua laborabant Iudæi, qui nolebant intelligere, vt benè agerent; vnde eis dicebat Chriſtus: *Scrutamini Scripturas, ipſæ enim teſtimonium perhibent de me*; ipſi verò temporalibus intenti, & propter peccata ſua, & omiſsionem ſcrutandi, tùm ante adventum, tùm in ipſa perſona Chriſti minus de Meſsia inſtructi, & prophetias, & ſigna prætermittentes, culpabiliter ignorarunt Chriſtum eſſe Meſsiam, licet evidenter cognoſcebant ex miraculis, doctrina, operibus, & teſtimonio proditoris, ipſum eſſe virum iuſtum, & innocentem. Quare ſicut venatori in loco, vbi homines eſſe ſolent, excuſatio non eſt, quod putaverit eſſe feram, ne homicidium incurrat; ita Iudæis ignorantia craſſa non obfuit, quominus Chriſticidium incurrerent. Et hinc patet reſponſio ad confirmationem, nam vt imputetur aliqua cognitio ſatis eſt rem eſſe cunctis ſufficienter propoſitam, & intimatam, licèt aliquis ex malitia applicare ſe nolit ad perfectam cognitionem habendam ex tali propoſitione, veluti ſe geſſerunt Iudæi in quibus ſingulatim verum fuit illud Davidicum: *Noluit intelligere, vt benè ageret.* Quomodo autem dæmones Chriſtum cognoviſſent *ad tract. de Incarnat.* & *Angel.* pertinet.

QUÆS-

JHS.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS
AD ILLA VERBA.

EGO AVTEM NON ASCENDO AD DIEM FESTVM istum : quia meum tempus nondum impletum est.
Ioann. 7. vers. 8.

ARTICULUS.

QVOMODO STARE POSSIT ASCENSVS CHRISTI IN TEMPLVM, cum verbis asserentibus, se non ascensurum?

1 SUppono 1. Rationem dubitandi hic esse ex terminis evidentem, nam textus sic se habet : *Vos ascendite ad diem festum hunc : ego autem non ascendo ad diem festum istum : quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cùm dixisset ipse, mansit in Galilæa, vt autem ascenderunt fratres eius, tunc, & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* Siquidem hic statim apparet oppositio dicti cum factis, si enim verè dixit, se non ascensurum ; quomodo statim ascendit? Si autem in animo habebat ascendere, cur se dixit non ascensurum? Itaque hic nodus est vnus ex difficilioribus S. Evangelij, & verè torquet Interpretes, hæc antilogia tam immediata. Interpretes dico Sanctos Patres, & pios Doctores, nam alios miserè cæcutientes non torquet, sed laxat, vti Porphirium, & alios similes, qui sancta, & vera cavillari non perhorrescunt.

2 Suppono 2. Verba præcedentia ad textum, sic se habere: *Dixerunt autem ad eum fratres eius : transi hinc, & vade in Iudæam, vt & Discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippè in occulto quid facit ; & quærit ipse in palam esse. Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dicit ergo eis Iesus : tempus meum nondum advenit : tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos : me autem odit : quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.* Hactenus verba quæ præcedunt ad nostrum textum : circa quæ notari oportet, tùm aliquid circa litteram, tùm aliquid circa tropologiam. Circa litteram ergo caveri debet opinio Græcorum existimantium ibi fratres intelligi, vel filios alios S. Iosephi, quos *tom.* 1. nos iam exclusimus; vel Iacobum, & Iudam *ex Epist. ad Galat.* 1. 19. Nam excepto Iuda Ischariote, omnes Apostoli in Dominum crediderunt. Censendi ergo sunt cum D. August. & Maldonato fratres Domini hic memorati illi, qui cognati eius erant, seu veri ex parte Ma-

Matris, sivè existimati ex parte S. Ioſephi. Quos tamen omnino diſcredidiſſe non debet intelligi; cum adhuc Chriſti opera, & miracula promoverent, & ſperarent, ſed fide adhuc imperfecta. Quæ, ſi ita fuit, non dedecebat etiam Apoſtolos, qui per totam Hiſtoriam Evangelicam toties in hoc genere deprehenſi ſunt imperfecti. Illi tamen quicumque fuerint mundana ſapiebant, & aucupari adhuc gloriam ſæculi videbantur. Circa tropologiam vero pulchra eſt interpretatio Auguſtini, cum Chryſoſtomo, & Theophilato, propterea non credidiſſe, quia cognati erant. Ait enim Auguſt. *tract. 28. in Ioannem: Loquebatur caro carni, ſed caro ſine Deo carni cum Deo: loquebatur enim prudentia carnis verbo, quod caro factum eſt, & habitavit in nobis.*

3 Suppono 3. Has expreſsiones. *Tempus meum nondum advenit.* Ioann. 7. *Nondum venerat hora eius.* Ibidem. *Nondum venit hora mea* circa Nuptias in Cana, non eſſe intelligendas ſemper ſub eodem ſignificato mortis, & Paſsionis Chriſti D. licèt enim ſæpè *hora Chriſti* pro tempore, mortis vſurpanda veniat, v. g. *Ioann. 7. v. 30. cap. 8. verſ. 20. cap. 12. 23. & cap. 13. verſ. 1.* tamen cum hora, & tempus in rigore oportunitatem ſignificent; germana intelligentia cuiuslibet expreſsionis iſtarum debet ad rem præſentem, de qua eſt ſermo, trahi, & accommodari: itaut in Cana Galilææ *nondum venit hora mea*, idem valeat ac *necdum eſt oportunitas faciendi miraculum.* (Vbi nota Mariam facere ſuis precibus oportuna quæ poſtulat) ly *nondum venerat hora eius* eſt clara paſsionis, & mortis. Noſtra vero expreſsio, quæ hic habetur bis repetita, *tempus meum nondum impletum eſt, tempus meum nondum advenit* paulò incertior eſt quoad eius ſignificatum: & licèt plures nobiliſsimi Authores, vt Cornel. Tolet. Barrad. Ianſen. Caiet. Siurius de tempore aſcendendi Ieroſolymam intelligant (in quo, & tempus mortis eius etiam includitur) tamen libentius ſequor hic Auſtin. Bed. Rupert. Lyr. & Gloſſam Interlinealem Interpretantes de tempore glorificationis Chriſti: tùm, quia eam præcipuè fratres eius ſoliciti intendebant, & hortabantur: tùm, quia id probat illa antitheſis, *tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Non poteſt mundus odiſſe vos; me autem odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala ſunt*, quaſi diceret, *vos intenditis me manifeſtari mundo, in quo nunquam vos odio habebit ſicuti odit me, qui ipſum arguo: vnde tempus gloriæ veſtræ in mundo ſemper paratum eſt; tempus autem glorificationis meæ necdum impletum eſt; nondum advenit.* Tùm denique, quia ſi ſermo eſſet de aſcenſu in Ieroſolymam, potiuſquam de adiecto glorificationis, quam poſtulabant; verum non eſſet, quod tempus aſcenſus eius non adveniſſet, ſiquidem ipſe quoque ſtatim aſcendit. Igitur firmum maneat Chriſtum Dominum potius in ſermonibus, & in intentione, ac doctrina dediſſe repulſam, & increpationem fratribus ſuis, quam in facto aſcendendi.

4 His poſitis variæ ſunt ſententiæ, & viæ, per quas Authores Catholici conantur ſolvere hanc difficultatem. Prima, ait rem componi quatenus poſt illa verbo *ego non aſcendam*, ſubintelligi debet *vobiſcum*, prout ipſi volebant: vnde cum ipſe aſcenderit ſolus non contrariantur facta cum dictis. Hanc tenent Caiet. Claudius Guilliaudus, Gagneius, Ianſen. Mariana, Barrad. Franciſ. Lucas, Cornel. à Lapide, Æſtius, Tirin. Silveyra, & alij in hunc locum, & apud D. Siurium *tract. 9. cap. 3. num. 52.* Secunda ſententia aſſerit Ieſum non dixiſſe, *non aſcendo*, ſed *nondum aſcendo*, quod cum aſcenſu poſteà non pugnat; quin potius indicat, ſe eſſe aſcenſurum. Ita Chryſoſt. *hom. 47.* Thephilact. Euthym. cum alijs Græcis, Tolet. & Riber. *in Ioan.* Tertia ſententia aſſerit illa verba:

Ego

Ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum velle dicere, ſe non aſcenſurum ad feſtum ita glorioſum, & futurum oſtentui, qualis ab eius fratribus pingebatur, quam vim habere videtur ille articulus *iſtum*. Hanc tenet D. Auguſt. *tract.* 28. *in Ioann.* Venerab. Beda, D. Thom. & alij citati apud Siurium. A qua non longe diſtat Maldonat. dicens, Chriſtum dixiſſe ſe non aſcenſurum, *vt purum hominem* veluti credebatur ab eis; aſcendiſſe tamen divinitate plenum, & ſeparatum ita ab omni affectu humano, & ambitu, vt Iudæorum odium nihil, quod humanitus morderent, adinvenirent. Quarta ſententia rem componit, quatenus Chriſtus non ad primos dies feſti, quando invitabatur, aſcenderit, ſed ad diem quartum. Ita Eucherius *in quæſtionibus in Ioann.* Ammonius, Lira, Carteſianus, Salmeron, & alij.

5 Dico igitur 1. *Verba Chriſti Domini in hoc textu, prout debet expendi omninò libera ſunt à quavis contradictione dicti cum facto, quatenus ſenſus eſt: nondum aſcendo.* Probatur ſic verba huiuſcemodi, tam in ſpeciem contradicentia, debent appendi, & expendi ad illa originalia, & verſiones, quæ planiorem earum nobis accommodent intellectum. Atqui ita expenſa vix vllum ſcrupulum relinquunt antinomiæ, ſeu contradictionis: ergo rite expenſa nobis donant facilem intellectum. Probo primo maior. poſtea probaturus minor. Tota vtilitas originalium, & variarum verſionum, quas Eccleſia ſtudioſè ſibi aſſervat, atque complectitur, in eo ſita eſt, vt quotieſcumque in Vulgata locus aliquis difficilis occurrat, & ſalebroſus; inde peti queat auxilium; ſed noſter textus, ita proculdubio eſt ſalebroſus, vt ex eo pij non facile emergant, & impij cœcutiant: ergo, &c. Probatur mai. Eatenus exinde non petendum eſſet tale ſubſidium quatenus Vulgata, vtpotè authentica faciat maiorem fidem, & maior à minori corrigenda non eſt. Sed quod Vulgata ſit authentica ad id non obeſt: ergo, &c. Min. patet: primo ex ſententia Doct. Salmeronis *Prolog.* 3. ſic loquentis de authoritate donata noſtræ Vulgatæ per Concil. Trident. cui ipſe in-
„ terfuit. Ait ergo: Nihil ibi de exem-
„ plaribus Græcis, aut Hebraicis age-
„ batur: tantum inter tot editiones
„ Latinas, quot noſtra ſæcula parturie-
„ rant; quænam ex illis præſtaret, ſer-
„ mo erat, & reiectis reliquis Latinis
„ vnam hanc Vulgatam, tanquam ve-
„ riorem, puriorem, dilucidiorem, &
„ ſuis fontibus, vnde eſt orta, magis
„ conſentaneam pronunciavit: libe-
„ rum autem reliquit omnibus, qui
„ Scripturas Sacras profundius medi-
„ tantur, fontes Græcos, atque He-
„ bræos, quatenus opus ſit conſulere,
„ quo noſtram vitio librariorum, aut
„ temporum iniuria corruptam, em-
„ mendare valeant; non tamen, vt
„ eam tanquam falsò interpretatam,
„ præſertim in rebus ad fidem; vel
„ bonos mores ſpectantibus, aut er-
„ rorem intolerabilem continentem
„ condemnent, vt Hæretici frequen-
„ ter impudentiſsimè faciunt. Et idem ſequuntur Bellarm. Driedo, Serarius, Sixtus Senenſis, & alij. Circa quæ vide etiam, quæ diximus *tom.* 1. *Decad.* 1. *quæſt.* 9. & *tom.* 2. *Decad.* 1. *quæſt* 3. Deinde mai. patet ſecundo ex Vega *in Tridentinum*, *lib.* 15. *cap.* 9. qui apud Hieronymum de la Rua, *tom.* 1. *controv.* 2. poſitiva non ſolum conſtat ipſi Concilio Trident. interfuiſſe; ſed ſuper hac re tam antè, quàm poſt ipſum Concilium conſuluiſſe Cardinalem S. Crucis eius Synodi Præſidem: qui ei reſpondit, mentem illorum Patrum in hac re non fuiſſe aliam, quam quæ ſupra verbis Salmeronis ad longum datis appoſite circumſcribitur.

6 Probo iam minorem, quam promiſi probare. Fere omnes Græci codices habent ſic: *Nondum aſcendo.* Sed verba, ſic expenſa plane cohærent cum facto poſtea aſcendendi; imò illud ſubindicant: ergo, &c. Maior patet:

ex ipſis exemplaribus Græcis, quorum tria ipſe contuli, ibi enim dicitur, id eſt, *Vpo anabano*, quorum prius verbum eſt particula *nondum*, & ſecundum ſignificat *aſcendo* in tempore præſenti. Minor etiam eſt clara, quia qui dicit *adhuc non aſcendo*, non negat, imò indicat ſe poſtea aſcenſurum. Confirmatur 1. Ex verſione Syriaca in Biblijs Regijs Montani, ibi enim ita redditur: *Nunc non aſcendo*: quod verſionem Græcam firmat, atque declarat. Confirmatur 2. Ex contextu, & obſervatione Cardinalis Toleti. Nam quoties in eodem contextu alibi in Vulgata ponitur *nondum*, v. g. *nondum meum tempus impletum eſt. Tempus meum nondum advenit* reperitur eadem particula *Vpo*, quæ in hoc noſtro loco: ergo iuſtè eadem verſione donari poteſt, præſertim ad complanandam difficultatem. Confirmatur 3. Quia particula Græca negans abſolutè, & rotunde eſt particula *ù*, & particula *po* itidem adverbialis eſt loci: atqui in noſtro textu invenitur vtraque compoſita, non ſecus, ac ex particula *non*, & particula *dum* conficitur particula *nondum*: ergo congrua quoque conficitur hic à nobis interpretatio.

7 Dico 2. Standoverſioni Vulgatæ ly *ego autem non aſcendam* intelligendum eſt de aſcenſu humanitùs ſolemni, & glorioſo. Probatur concluſio. Germana interpretatio cuiuſvis reſponſi dati à Chriſto Domino debet fieri non niſi correlativa, & adæquans ad interrogationem ſeu petitionem ſibi factam. Sed petitio à fratribus Domini facta de aſcenſu ad diem feſtum erat de aſcenſu humanitùs ſolemni, & glorioſo: ergo itidem de eodem reſponſio Chriſti Domini venit intelligenda. Min. patet, *Ioann.* 7. 3. ibi: *Dixerunt autem ad eum fratres eius. Tranſi hinc, & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis, nemo quippè in occulto quid facit, & quærit in palam eſſe: ſi hæc facis, manifeſta te ipſum mundo.* Mai. patet: quia quamvis Chriſtus Dominus in ſuis parabolis enigmatis, & myſterijs, ſæpè ſua verba traxerit ad ſenſus altiores; nihilominus ſemper ſuper re quæſita aptiſsimum referebat reſponſum. Confirmatur 1. Ex verbis Chriſti. Nam Chriſtus Dominus loquitur de aſcenſu ſuo correlativè ad aſcenſum fratrum ſuorum, ibi: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum*: quaſi diceret: vos de more cuiuſvis ſolemnitatis palam poteſtis aſcendere; ſecus autem ego. Sed hic aſcenſus eorum erat humanitùs ſolemnis, & manifeſtus: ergo de eo contractè reſpondit Chriſtus Dominus. Confirmatur 2. Ex verbis paulò poſt ſubſequutis: ibi: *Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.* Ergo clare debet intelligi, quando Chriſtus Dominus dixit ſe non aſcenſurum, fuiſſe de aſcenſu ſolemni, & manifeſto, quem à ſe fratres humanitus poſtulabant. Confirmatur 3. Ex verbis Chriſti *verſ.* „ 7. ſic loquentis: Non poteſt mundus „ odiſſe vos, me autem odit: quia ego „ teſtimonium perhibeo de illo, quod „ opera eius mala ſunt. Vos aſcendite „ ad diem feſtum hunc: ego autem „ non aſcendo ad diem feſtum iſtum, „ quia tempus meum nondum advenit. Ex quibus arguitur ſic: aſcenſus, quem fratres Domini poſtulabant, erat, in quo diſcrimini eſſent obnoxij ij quos odio habebat mundus; ſecus vero eius amici, & qui de mundo eſſent. Sed hic aſcenſus non eſt niſi ſolemnis, & manifeſtus, & cum mundi gloria. Atque ad hunc reſponſio Chriſti quadrat, & ſe mirificè accommodat: ergo, &c. Mai. patet, ex cohærentia contextus. Min. quoad primam partem etiam conſtat: quia ſolum aſcenſus, & facinora manifeſta capacia ſunt, vt iuxta geſtorum, & perſonæ qualitatem, vel plaudantur, vel reſpuantur à mundo. Mundus enim, dum pro populis, & Gentibus ſumitur, publicum ſonat. Quoad ſecundam partem declaratur exemplo.

Reſ-

Reſponſio ergo fuit ſic : vos aſcendite ad diem feſtum hunc ; ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum , quaſi dixiſſet : *Feſtum iſtud tanti plauſus , & celebritatis , quod mihi proponitis , veſtrum eſto , ſi vultis ; me autem iſtiuſmodi feſta non trahunt.* Quod etiam nunc temporis in viro Religioſo , aut Chriſtiano laudabile eſſet reſponſum , ſi nimirum rogatus , vt cauſa alicuius ſolemnitatis eo ſe conferret , vbi & theatra , & tripudia , & epulæ apparārentur,graviter „ reſponderet. Ad iſtiuſmodi feſta vos „ ite libenter ; ego enim ad feſta hu- „ iuſmodi planè non pergam , quaſi „ Hiſpanicè dicat: *Cavalleros, yo no voy „ à eſſas fieſtas; vſtedes pueden ir , ſi guſ- „ taſſen.* Et nihilominus ſine animi falſitate poſſet poſteà hic Religioſus , ſivè Chriſtianus ſecretò templum adire , & devotioni ſuæ penitus ſatisfacere.

8 Obijcies 1. contra primam concluſionem. Verſio Vulgata ex Concilio Tridentin. ſaltem ita Authentica debet intelligi, vt nulla aptior habenda ſit ad dirimendas quæſtiones , & dubia , quoties emergant : ergo ſi in hoc textu ocurrit dubium , & quæſtio ; non aliundè ſed ex Vulgata decidendum eſt: proindeque ly *nondum aſcendo* repelli debet. Ad hoc argum. diſtingo anteced. ad dirimendas quæſtiones , & dubia orta ex ipſa Lectione Vulgata , nego antecedens , aliunde orta , concedo antecedens , & nego conſeq. Itaque nunquam poteſt eſſe reſolutivum dubij illud, vnde dubium tale progerminat : quare cum ex Vulgata ipſa oriatur hoc dubium , poterit quidem ea admiſſa ex Doctorum interpretatione reſolvi ; ſed non vnicè ex illa , ſed potius advocando , & conferendo alias verſiones , vnde illa clareſcat. Vbi oportune notandum eſt quæſtionem de alterutra verſione cooptanda , & alterutra removenda ſolum ibi locum habere , vbi earumdem ſit pugna ; quando vero dumtaxat eſt varietas , & quidem talis vt alterutra non evertat , ſed declaret alterutram; tunc nulla reſpuitur: quare, neque etiam in prima concluſione à nobis Vulgata deſeritur , ſed per Verſiones alias dilucidatur,itaut ſermo ille Vulgatæ abſolutus , & reſolutus , *ego autem non aſcendam* trahi debeat ad ſuaviorem ſenſum per circunſtantias. Cuius exemplum paſsim adeſt in Vulgari ſermomone , vbi ſæpè reſolutiſsimè aliquis verba profert , v. gr. *ego nequaquam præſtabo id quod dicitis* ; & tamen id reſolutiſsimum pronunciatum propter circunſtantiarum peryſtaſim mille modis cingitur , & taxatur. Igitur etiam in concluſione prima Vulgata à nobis non deſeritur.

9 Obijcies 2. Si ex Verſionibus res eſt dirimenda , præſtare debet id quod eſt in ſe concordantius , & in correctione vniverſalius , atque recentius: Sed ex maiori concordantia Verſionum , & ex recentiori vniverſalitate earum debet legi *ego autem non aſcendam* : ergo non debet legi *nondum aſcendo.* Maior vera apparet ex terminis. Minor etiam conſtat : tùm quoad primam partem : tùm quoad ſecundam ex Illuſt. Sorio *tom. 1. tract. 9. cap. 3. num. 49.* aiente , omnes Codices Latinos , vna cum aliquibus Græcis , & Cyril. legere concorditer cum Vulgata. Atqui omnes Verſiones Latinæ poſteriores ſunt Græcis : ergo concordantius, vniverſalius , atque recentius legi debet , *ego autem non aſcendam.* Ad hoc argument. reſpondeo primo , negando maior. quæ videtur eſſe certiſſima. Nam eo modo legendum eſt,quo veriùs ſcriptum fuit ; & veritas alicuius ſcripturæ vetuſtiſsimæ , non tam eruenda eſt de concordantia , multiplicitate , & recentiori correctione ectyporum , ſeu exemplarium ; ſed potius ex antiquitate Scripturæ, ex fide incorrupta inſtrumenti perſeverantis , & ex argumentis concludentibus Scripturam concordare cum facto. Vnde , vt liquido patet , veritas alicuius Scripturæ non ex concordia cum alia Scriptura , ſed ex concordia cum facto

to ipſo penſanda eſt. Quo circa cum pleræque lectiones Græcæ legant *nondum aſcendo*, quod facto, & contextui videtur cohærentius: eis planè ſtandum eſſe arbitramur; tametſi Latini codices cum vno, vel altero Græco poſtea aliter legerint. Reſp. ſecundo, diſtinguendo min. debet legi, & intelligi ex illa ſola expreſsione, negando min. Debet legi, & intelligi ad ſenſum aliunde dilucidatum, conced. minor. & diſting. conſeq. Non debet legi neque intelligi, neg. conſequentiam. Non debet legi præcisè, permito conſeq. Hic enim agimus potius de re, & facto quam, de ipſis verbis dumtaxat, vt verbis factum accommodetur: verba enim alia cum alijs valde non diſcrepant: Itaque de ijs, quæ diximus præcedenti argumento reſumi poterit clara doctrina, vt, nimirum, dummodo verba illa Chriſti ad ſenſum veritati accommodum veniant; ex alijs, quæ rem dederint explicatiùs; vtra lectio vſurpetur, nullius eſt negotij.

10 Obijcies 3. contra eamdem primam concluſionem. Talis lectio Græca *nondum aſcendo* perperam accommodatur ſenſui, & Hiſtoriæ Evangelij: ergo vſurpanda non eſt. Probatur antecedens. Totus ipſe contextus declarat in fratribus Domini firmum animum aſcendendi cum eo, vt tantæ eius gloriæ in prodigioſis operibus fierent ipſi participes; & hos à Domino tuliſſe repulſam per illa verba, *ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum*. Sed ſi hæc verba explicantur per illa alia *nondum aſcendo*: Chriſtus D. per ea non tam prompte ſe expediviſſet à petitione fratrum ſuorum: ergo, &c. Probatur min. Si Chriſtus D. ſe explicuiſſet, dicens *nondum aſcendo*; fratres eius illicò repoſuiſſent ei *quando ergo es aſcenſurus?* Et expectarent, vt cum eo aſcenderent. Atqui per verba Chriſti ſtatim à ſua petitione, & animo deſtiterunt: ergo quia reſponſio Chriſti non fuit, quaſi ſuſpenſiva dicens, *nondum aſcendo*, ſed verè definitiva prout important verba illa Vulgatæ, *ego autem non aſcendam*. Ad hoc argument. quod ingeniosè promovet Illuſtriſ. Cordubenſis. Reſpondeo negando anteced. & min. probationis: ad cuius probationem vlteriorem, diſt. maior. Si prius non fuiſſent notificati de eo quòd Chriſtus in ea re nolebat eis animum ſuum manifeſtare, conc. maior. Si fuiſſent, vt re ipſa erant, neg. maior. & conceſſ. minor. neg. conſeq. Itaque obſervandum eſt, quomodo Chriſtus D. antequam protuliſſet verba illa negativa quoquo modo ſui aſcenſus, dixit fratribus, *tempus meum nondum advenit*; & rurſus talia verba negativa ſic claudit, *ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum, quia meum tempus nondum impletum eſt*. Vbi ipſe Dominus voluit geminata expreſsione, eos in ea re pendere animi, neque vllam de ſe rei certitudinem aſſequuturos. Quoquidem cognito facilè iam eſt intelligere; quomodo fratres non niſi fruſtra iam amplius ſuas circa id petitiones vrgerent. Procumbit ergo ingenioſa obiectio, quam cum Maldonato noſtro D. Siurius promovere conatur.

11 Obijcies 4. contra ſecundam concluſionem. Explicatio illa qua dicitur, ſtando ſoli Vulgatæ, Chriſtus D. loquutus de aſcenſu humanitus glorioſo, non cohæret contextui: ergo legitima interpretatio non eſt. Probatur antecedens. Chriſtus D. negavit fratribus ſuis illum aſcenſum tunc, quem poſtea fecit. Sed poſtea non fecit aſcenſum humanitus glorioſum: ergo cum fratribus non fuit de tali aſcenſu loquutus. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem, diſting. maior. Illum eundem aſcenſum quoad phyſicum, & perſonale aſcendendi, conced. maior. eundem quoad intentionale aſcendendi, neg. maior. & conceſſ. minor. neg. conſeq. Verum enim eſt quod in ordine ad aſcenden-

dum

dum in Templum, physicè loquendo fratres sui petebant eundem ascensum personalem, quem postea fecit Christus; sed simul in sua petitione intentionalia miscebant, volentes Christum ascendere ad opera prodigiosa patranda, & se mundo manifestandum: cui complexo postulationis apte respondit Christus, *ego autem non ascendam ad diem festum istum*, in quo verbo postremo signat, se in respondendo, ad postulata respicere. Cum autem quando Christus ascendit non humanam gloriam, sed altiores fines habuisset in mente; idcirco quoad physica, & personalia ascendendi idem fuit ascensus prius negatus, & postea factus; secus vero quoad intentionalia, vt patet ex dictis. Replicabis. Dum Christus dicit: *Tempus meum nondum advenit*, significat saltem possibile ipsi fore tempus illius ascensus, quem suis fratribus denegavit; sed ascensus ad humanam gloriam ex industria quæsitus Christo Domino erat metaphysicè impossibilis: ergo, &c. Resp. dist. mai. Illius ascensus *omninò eiusdem*, quoad physica, & personalia, conc. mai. quoad intencionalia suddist. Sumpta Gloria, prout à fratribus intendebatur, neg. maior. Sumpta Gloria in sensu vero, sed altiori, & abscondito, conc. mai. & dist. respectivè min. neg. conseq. Itaque verum est, quod quando Christus Dominus dixit suum tempus necdum impletum, aliqua ex parte correlativè respondit ad postulata fratrum, & ad ascensum quem ipsis denegaverat; at postquam ipsis denegavit in eodem ipsissimo sensu in quo postulaverant; non est necesse in verbis quæ subiungit, sensum eundem animo servare ac tenere; sed sufficiebat (cum nollet se aperire fratribus suis) verba proferre in sensu verè importato in verbis subiunctis. Hic autem duplex erat alter de ascensu physico, & personali: quia is necdum advenerat: alter autem quoad intentionalia, sivè quia loqueretur de sua glorificatione divinitùs, quæ iam propinquabat, sivè quia loqueretur de sua glorificatione humanitus (non tamen ab eo quæsita, sed à turbis sponte, & reverenter exhibita) quæ cito erat futura, vel à doctrina, & miraculis, vel à triumpho in die palmarum. Et ideò postquam ascendit, vt dicitur *vers.* 18. statim dedit hæc verba: *Qui à semetipso loquitur gloriam propriam quærit, qui autem quærit Gloriam eius, qui misit eum hic verax est, & iniustitia in illo non est.* Atque huc August. oportunissimè, sic pronuntiat *tract. 28. in Ioann. Tempus meum nondum venit, illis respondit, qui ei consilium de gloria dabant (& quidem humana, vt infrà constabit) tempus gloriæ meæ nondum venit... in die festo hoc gloriam vos humanam requiritis: meum vero tempus id est gloriæ meæ nondum venit: ipse erit dies festus meus non diebus istis percurrens, & transiens, sed permanens in æternum. Hactenus August.*

12 Obijcies 5. Explicatio data de ascensu humanitus manifesto, & glorioso, non salvat omninò contradictionem, quæ apparet in Christo verborum cum factis: ergo germana non est. Antec. probatur. Postquam Christus *in cap. 7. Ioann.* ponitur à nobis negans ascensum manifestum, atque glorioſum subiungitur inibi Christus secundò ascendens, si prius quasi in oculto; statim palam, & cum ingenti admiratione Iudæorum: ergo non videntur cohærere facta cum dictis. Anteced. constat ex illis verbis *festo autem mediante ascendit Iesus in Templum, & docebat, & mirabantur Iudæi.* Ad hoc argument. respond. negand. anteced. ad cuius probationem, dist. mai. ascendens publicè ad pompam, & humanam gloriam, neg. mai. ascendens publicè ad tradendas salutares doctrinas, conc. mai. & dist. respectivè min. neg. conseq. Quæ solutio expressa est August. vbi supra in illis verbis: *Et ipse ascendit ad diem festum non manifestè,*

ſed quaſi in occulto. Idcò non ad diem feſtum hunc, quia non gloriari temporaliter, ſed aliquid docere ſalubriter, corrigere homines, de die feſto æterno admonere, amorem ab hoc ſæculo avertere, & in Deum convertere cupiebat. Igitur in media feſtivitate, quæ in Templo, vrbe, & campo cum Tabernaculis celebrabatur ex Maldonato, aſcendit Ieſus palam in Templum: aſcenſus verò, quaſi in occulto accommodatiùs, & expeditiùs ponitur ab eodem ſtatim ab initio feſti, nedum ad Civitatem, ſed etiam ad Templum ſecretò, ne, vel quatriduo iam tranſacto iret Chriſtus, vel quatriduo eſſet in feſto, quin in Templo adoraret: quorum neutrum congruit. Cur tamen quatriduum expectaret, vt palam aſcenderet? Ratio litteralis eſt, quod ad talem, & tantam doctrinam prædicandam ſolùm in medio feſto plenitudo confluentium colligeretur; multis forte ſero venientibus, & alijs cito abeuntibus. Huc explicationis gratia venit ſanè non importunè hiſtoriola, quæ in quodam Collegio noſtro etiam mecum alijſque Socijs acta eſt. Agebatur ergo in celebri Sanctuario ſito ad leucam noſtri Collegij celebre feſtum, quo populi finitimi concurrebant: ad quod proinde Parochus, è noſtris aliquot invitavit, quorum vnus ſpeciali zelo tactus, neque Parochi, neque noſtris precibus, vt nobiſcum iret, voluit aquieſcere; ita quidem, vt ſine ipſo cæteri perrexerimus. Et ecce in medio feſto, in medio fervore diei, & in medio concurſus adeſt coram nobis noſter ille Socius parata concione, & Crucifixi Imagine præparata ad intonandam legem Dei in medio concurſus: ad quem finem ipſe quaſi in occulto, & ſeorſim à nobis venire decreverat. Ecce hic multa noſtro caſui correſpondentia. Primo. Hic Religioſus zelo plenus noluit ire quaſi manifeſtè ad ſolum cultum ſolemnitatis cum fratribus ſuis. Secundo. Voluit ire quaſi ſeorſim, & in occulto, vt pro fine ſuo obſervaret oportunitatem. Tertio. Expectavit quaſi medium feſtum, vt totus eorum populorum cætus in vnum collectus ipſum audiret: ergo ſuperiùs à nobis dicta hinc optimè quadrant, atque clareſcunt.

13 Obijcies 6. Si aſcenſus, quem Chriſtus ſuis fratribus denegavit, eſſet publicus ad aucupandam humanam gloriam; non eum fratribus ſuis, aut iuſſiſſet, aut indulſiſſet ille, qui infinita ſanctitas eſt. Sed vel iuſsit, vel ſaltim indulſit dicens: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc.* Ergo hæc via ſolvendi inoffenſa non eſt. Ad hoc argumentum reſp. diſt. mai. Non indulſiſſet conceſſivè, conc. mai. permiſsivè, neg. mai. & diſt. reſpectivè minor. neg. conſeq. Nam loquendo de aſcenſu ad humanam gloriam, planum eſt Chriſtum talia concedere non potuiſſe, etiam eo modo quo ſine præcepto *Geneſ.* 9. carnes in dulſit, quia quæ mala ſunt à bono concedi non poſſunt; poſſunt autem permitti etiam in verbis reſpectu illorum, qui alioqui ad tale quidpiam firmati ſunt. Ita eſt in caſu noſtro: ſi quidem fratres ſuos Ieſus manifeſtè corripit dicens: *Non poteſt mundus odiſſe vos; me autem odit, quia ego teſtimonium prohibeo de illo, quod opera eius mala ſunt.* Super quo ſic Auguſt. vbi ſupra, ibi: *Non poteſt mundus odiſſe vos: quid eſt hoc, niſi non poteſt mundus odiſſe amatores ſuos, teſtes falſos ſuos? Bona enim dicitis, quæ mala ſunt, & mala, quæ bona ſunt... vos aſcendite ad diem feſtum hunc, vbi gloriam humanam quæritis. Quid eſt tunc? vbi extendere vultis carnalia gaudia; non æterna cogitare.* Et paulò ſuperius littera F, ſic loquitur: *Neque enim fratres eius credebant in eum: quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant. Nam, & quod eum videntur monere fratres, gloriæ ipſius conſulunt: fac mirabilia innoteſce: id eſt, appare omnibus, vt laudari poſsis ab omnibus.* Ex quibus omnibus videtur fundatiſsimè ſubinferri, quod

quod etiam ſtando ſolis illis verbis, *ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum*, per ly *iſtum* attento contextu ſatis conſtaret, quomodo Chriſtus negaverit ſe aſcenſurum, quin ſuo facto poſteriori contrairet. Præterea reſponderi poſſet ſecundo. Quod licet ipſi à Chriſto quærebant aſcenſum humanitus glorioſum, quia ſua doctrina, & miraculis talis eſſet futurus; non tamen iſtiuſmodi eſſe poterat aſcenſus, qui permittebatur diſcipulis; cum ipſi ſoli ſine Chriſto nullo motivo plauſus, & humanæ gloriæ gauderent.

***

JHS.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS
AD ILLA VERBA.

ASSVMPSIT IESVS PETRVM, ET IACOBVM, ET IOANNEM Fratrem eius, & duxit illos in Montem excelsum seorsim, & transfiguratus est ante eos. *Mathæi* 17. *vers.* 1.

ARTICULUS.

IN QVONAM MONTE DOMINI TRASFIGVRATIO contigerit?

1 SUppono 1. Mysterium Trasfigurationis Dominicæ in Monte aliquo contigisse, vt habetur in ipso textu: doctrinale enim erat Discipulis, quos volebat Dominus ad frequentiam orationis semper allicere, vt viderent suismet oculis, illic, vbi Dominus, & Magister orare consueverat, tantum, & tam admirabilem contingere Gloriæ Cœlestis illapsum. Et insuper: quia cum vellet Dominus hoc mysterium non vsquequaque manifestari, nedum turbis, sed neque omnibus eius discipulis; se de more recepit cum eis, quos solebat sibi consociare frequentius, vt cum in domum Archisinagogi eos tulit secum, vt eius filiam suscitaret, & postea in horto eosdem adhibuit, videlicet Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem eius, quos tùm regimine Ecclesiæ, tùm martyrio ante cæteros, tùm virginitate præ reliquis pòst decoravit. Atque hic præteriri non potest id quod, & firmandum venit in suppositione subsequutura.

2 Suppono 2. In expositione Sacrarum Scripturarum, nulli Lectori, aut Interpreti mirum esse debere, si in aliquo viro doctissimo vel Doctore Sancto lapsum quemdam inveniat alicubi, à quo vix invenio penitus immunem virum aliquem ex illis, qui nobis ediderunt docta, & plura volumina: ea enim est humana conditio propter aciem mentis tam modicam vt copia doctrinæ, & specierum se ipsam obruat, & non cuncta omnino in suis loculamentis valeant semper esse reposita. Vnde emanant duo fructus non contemnendi: alter quod prudens ille scriptor, qui alterum vspiam lapsum esse cognoverit, in suis ipse timeat sibi tantumdem: Alter est, quòd sicubi in aliquo Doctore etiam Sancto res vndelibet lustrata, & excusata adhuc forte subsistineri non valet, non instar criminis reputetur, eum reverenter deserere; & sicubi aliquid eis exciderit non obstinatò inficiari, licèt, vt in fine dicam, charitas dabit ingenium, vbi sit pia affectio ad excusandum. Quæ quidem dixi, quia in hoc nostro articulo

&

& textu proposito aliqua huiuscemodi D. Siurius obseruavit. Qui vir grauissimus, & perdoctus Antistes *tom. 2. tract. 7. cap. 9. num. 32.* ita loquitur: „ Illud hic est obseruandum, Iacobum „ assumptum à Domino in Montem „ cum Petro, & Ioanne esse Iacobum „ maiorem Filium Zebedæi, & Ioannis „ fratrem, vt aperte patet ex Mathæo „ dicente: *Assumpsit Iesus Petrum, & „ Iacobum, & Ioannem Fratrem eius.* Ita„que memoria lapsi putantur Ambros. „*in cap. 9. Luca*, August. *in Epistol. ad „Galatas cap. 2.* & Author Glossæ inter„linealis aientes, hunc Iacobum trasfi„gurationis testem, fuisse primum Ie„rosolymorum episcopum; nimis enim „notum est, Iacobum primum Ieroso„lymorum Episcopum, qui propter „cognationem cum Domino Frater Do„mini cognominatur, esse alium à Ia„cobo maiore Ioannis Fratre, vt dixi„mus *tom. 1. tract. 34. cap. 8.* Præterea etiam hic circa montem vbi transguratus est Dom. S. Ephren, Syrus *tom. 3. serm. de Transfigurat. scribit.* Hanc accidisse in Monte Sina; cum tamen hic manifestè sit extra terram promissionis, & Iudæorum vbi Christus D. versabatur. Itidem de T.T. Bonacina *tract. de Incarn. disp. 3. quæst. 2. punct. 5. num. 10.* ait: *Euangelistas expressisse, montem transfigurationis fuisse Tabor* & P. Suarez *tom. 2. in 3. part. disp. 32. sect. 3.* sic habere ait Siuri: *Addunt præterea Euangelista illum fuisse Montem Tabor*; cum tamen ipsi non dixerint nomen Proprium, sed solum fuisse iam montem excelsum, iam montem Sanctum. Item de nostro Maldonato aiente, pro Monte Tabor nullum satis antiquum Authorem inuenisse ait D. Siurius citans PP. veteres, mirum est latuisse eos eruditissimum Maldonatum. Itaque quemadmodum hæc opportunitas protulit, vt possit nos alicubi, accusare, & excusare, si ruimus; ita ipsa oportunitas postulat, vt non nisi piè, & discretè sint intellecta, scilicèt vt de Sancto Patre aliquo quis non de facili proferat errauisse, nisi postquam profunde in eo versatus, & calculo piorum Doctorum deprehenderit errorem esse palmarem: sicut enim hæretici statim pios Patres temere, & irreuerenter traducunt; sic pij Doctores debent nullum non mouere lapidem vt eorum pronuntiata sustineant, quandiu ea Sancta Scriptura, & veritas sustinebit. De quo vide in fine huius quæstionis.

3 Suppono 3. In quæstionibus Biblicis sæpè moueri iuste aliquas, in quibus in alterutram partem solet esse traditio Vulgi, veluti sacra, & penè inconcussa, eò quòd de re, quæ in Scriptura non sit definita, tempore prævaluerit illa sententia, quæ tùm argumentis, tùm Authoribus videatur magis esse fulcita; proindeque cooptata ab Ecclesia: Cuiusmodi est nostra præsens quæstio de monte in quo transfiguratus est Dominus; cum nihil aliud sit in ore Catholicorum, quam eam in Monte Tabor contigisse. Verùm hoc ipsum, vnde videtur res in dubium non esse vertenda, est quod potius nos cogit aliquomodo ipsam expedire, & tractare: Ea enim quæ Catholicum Vulgus pie credit, & seruat, solent vel hæretici, vel spiritus aliqui nimis critici, & increduli argumentis hinc inde conuellere, quasi boni Catholici credant de facili ea, quæ sint minus firma. Vnde, & eos paulatim secum trahunt in dubia, quæ tandem poterunt sinceram fidem labefactare. Quo circa, tùm propter hæc, tùm quia nonnulli Interpretes docti contra sentiunt, videtur hic articulus non immerito disputandus vt res clarescant, & pij habeant quo suas traditiones seruent.

4 His positis duplex in hac re datur sententia prima. Substinet, non fuisse Montem Tabor vbi transfiguratus est Dominus, sed vel Montem Libanum, vel alium quempiam proximum Cesarææ Philippi, vbi tunc erat Christus Dominus, & vnde valde dis-

tat Mons Tabor ſitus in media Galilæa, vel vt melius dicam ad confines Samariæ, iuxta Nazareth. Hanc ſententiam defendunt graves Authores, vt ſunt Franciſcus Lucas, Æſtius, Iacobus Tirinus, Claudius Guilliaudus in Mathæum *cap.* 17. Cornel. Ianſenius *cap.* 69 *ſuæ Concordiæ in initio*, Faber Stapulenſis, *Marci* 9. Secunda ſententia, vel planè vniverſalis conſenſus tener, hanc transfigurationem in Monte Tabor contigiſſe. Ita Cyril. Ieroſolymitanus *Cathecheſi* 12. Hieron. *epiſt.* 27. Philo Carpatius *Canticorum* 8. Damaſc. *de Transfigurat.* Proculus *Sermone de Transfiguratione.* Beda *de Locis Sanctis cap.* 17. Euthimius *Pſalm.* 88. Albertus Magnus, & Abulenſ. *in Mathæum* 17. *quæſt.* 10. & penè inmuneri Doctores partim in hunc locum, partim alibi prout eos recenſet ac ſequitur Illuſtriſ. Siurius *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 8.

5 Dico cum hac ſecunda ſententia. Montem vbi Chriſtus D. transfiguratus fuit fuiſſe Montem Tabor. Probatur primò concluſio. Non minus credi debet ac retineri id quod expreſsè invenitur in textu, quàm id quod nobis conſtat ex traditione Apoſtolica; ſed ex hac conſtat, fuiſſe Montem Tabor, vbi transfiguratus eſt Dominus: ergo ita fuit. Maior eſt certa, quia quando aliqua eſt traditio Apoſtolica, & non merè Eccleſiaſtica tenemur ex fide aſſentiri, non minus quam Sacro textui, ne coincidamus cum Hæreticis, qui repellentes traditiones prætendunt, ſe pure admittere id quod purum eſt Verbum Dei. Atqui hæc eſt traditio Eccleſiaſtica ita vniverſalis, vt eodem tenore, & ritu ſuſcepta ſit apud omnem Eccleſiam ſeu Syram, ſivè Græcam, ſivè Latinam. Et huiuſmodi traditio ſic Eccleſiaſtica eſſe non poterat, quin ſit Apoſtolica: ergo, &c. Maior conſtat. Minor quoad primam partem probatur per partes. 1. Quoad Syriam tum ex idiomate. Quia verſio Syriaca dum pervenit ad transfigurationis hiſtoriam, ſic appendit in titulo *Ceriana ie tor Thabor*, id eſt, *lectio Montis Tabor*, prout tradit noſter Serarius. 2. Petri *cap.* 1. Licèt in Biblijs Regijs à me conſultis Syriacam verſionem talis epiſtolæ invenire non potui; ſed tantum Græcam. Deinde quoad terram Sanctam, ſive quoad Sacros Geographos putà Brocardum, Bredembrachium, Adricomium, Quareſmium, conſtat, tùm hos in eo vnanimes convenire, vt Montem Tabor pro dominica transfiguratione deſignent, tùm quoad ipſam terram à fidelibus peregrinationis cauſa luſtratam, & Chriſtianos Incolas ibi degentes, quibus id in perpetua traditione eſt. 2. Quoad Græcos tùm quia id ſupponitur tanquam manifeſtum in principio Concilij Florentini; tùm quia ex Nizephoro *lib.* 2. *cap.* 30. conſtat Hellenam illam pijſsimam, quæ tam ſolicita inveſtigavit ea loca, quæ Dominus conſecraverat, ædificaſſe in Monte Tabor Eccleſiam in honorem trium illorum Apoſtolorum ante quos transfiguratus eſt Dominus. 3. Quoad Latinos: quia præterquamquod id in omnium fidelium auribus inſonat; expreſsè Mater Eccleſia tàm in Martylogio Romano, quàm in Breviario id ipſum tradit, atque confirmat, tàm in feſto transfigurationis, quàm in Feſto D. Iacobi. Min. prima probatur. Talis traditio in Eccleſiam manare non potuit niſi ex ipſo ore trium Apoſtolorum, qui tali myſterio interfuerant: neque aliter proponi ab Eccleſia, niſi vt inde tradita: ergo, &c. Probatur antecedens. Tales Apoſtoli qui interfuerunt myſterio nedum ſecreto admiſi ſunt ad myſterium, ſed inſuper à Domino prohibiti, quominus ea, quæ viderant, divulgarent, quouſque Dominus ſurrexiſſet: quod, & reapſe ſic præſtiterunt: ergo non aliunde talis traditio poterat manare in Eccleſiam, nec ab hac, quaſi aliunde hauſta proponi, niſi ex ore Apoſtolico. Hi enim Apoſtoli dum rem tantam, & talem evulgare, & cõfirmare

mare vellent, non poterant, non indigitare, & locum, & tempus, & reliquas circunſtantias, vt fideles de ea re manerent omnino perſuaſi.

6 Confirmatur. Hi Apoſtoli tempus, quo res acciderat, tradiderunt vt conſtat, ibi: *Et poſt ſex dies*, &c. ergo expreſsè apud ſocios, & turbas tradiderunt, & locum. Conſequentia videtur indubitata. Cui non obſtat, quòd Evangeliſtæ non expreſſerint nomen proprium, veluti taxaverunt tempus: quia, vel propter myſterium ille mons ſtatim habitus eſt vt *Sanctus*, qui ſub nomine *Tabor* antea potius ad Aucupium ſignabatur: vel ne fortè, apponendo nomen æquivocatio ſuboriretur: erat enim in tribu Zabulon Civitas ſic etiam vocata Thabor, vt conſtat ex Valentino Schildero in radice *Tabor*. Confirmatur ſecundo. Quia ſi res omnino introſpicitur, Evangeliſta expreſsit Montem *Tabor*: ergo, &c. Antecedens probatur ſic. Radix Tabor apud Valentinum Schilderum efformat hoc nomen *Tabor*, quod dicit ipſe in Biblijs tantum vſitatum eſſe, & cuius ſignificatum eſt per Analogiam ad vmbilicum hominis, locus aliquis prominens in media planitie: veluti à Hieronymo, Abulenſ. hic, & ſacris Geographis, deſcribitur Mons *Tabor*, ſcilicèt ſolus prominens, & rotundus aſſurgens in media planitie. Sed Evangeliſta hoc expreſsit: ergo, &c. Maior fit manifeſta, tùm ex textu Iudicum 9. 37. in quo vbi Vulgata ponit, *& populus deſcendit de vmbilico terræ*. Hebraice legitur *de Tabor*: tùm ex textu Ezechielis 38. in quo vbi legimus *habitante ſuper vmbilico terræ*; ſimiliter Hebraice dicitur *Tabor*, &c. Minor patet, Quia ex vna parte conſtat apud Interpretes, Mathæum Hebraice ſcripſiſſe ſuum Evangelium: Atqui in illis verbis quibus explicat montem dicens *excelſum ſeorſum*, eum planè vocat prominentem, & ſolitarium: ergo quia Verſio Latina vocem *Tabor* in Hebraico fonte repertam ſic tranſtulit, & nominavit. Minor inde conſtat, quia idem eſt *excelſus* ac *prominens*, & ly *ſeorſum* potius cadit ſupra montem quaſi ſolitarie exiſtentem, quam ſupra verbum *duxit* à quo diſtat, vt poſsit verbum modificare. Præterquamquod ſi ſic deberet intelligi *aſſumpſit ſeorſim Petrum, Ioannem, & Iacobum*; niſi adijceret *ſeorſim à cæteris* deberet intelligi ex vi talis appoſiti quod quilibet eorum trium aſſumebatur *ſeorſim* à reliquis duobus. Et propterea cùm hæc particula tàm Latinè, quàm Græcè ſignificet iam *privatim*, quod proprius ad animata; iam *diviſim*, quod ad inanimata etiam refertur; hic poſterius intelligo. Et confirmatur hæc intelligentia: quia D. Marcus rem explicat, *cap. 9. v. 1.* quando poſt illa verba *excelſum ſeorſum* addit *ſolos*, oſtendens per ly *ſolos* diſcipulos illos tres privatim aſſumptos, & per ly *montem excelſum ſeorſum*, montem vnum prominentem, & ſeparatum. Confirmatur 3. Chriſtus Dominus tunc temporis verſabatur in Galilæa; ſed per vias quas Chriſtus D. ibi perambulaſſe refertur, talis Mons Tabor invenitur, & memoria ſolemnior, & congruentior ſitu, vt patet in charta Geografica: ergo, &c.

7 Obijcies 1. Chriſtus Dominus transfiguratus fuit extra Galilæam. Sed Mons Tabor in Galilæa eſt: ergo Chriſtus non potuit transfigurari in Monte Tabor. Probatur minor. *Mathæi 16. verſ. 13.* dicitur: *Venit autem Ieſus in partes Cæſarææ Philippi*, & finitis, quæ ibi contigerunt, ſtatim poſt ſex dies transfiguratio enarratur; ſed intra tempus tam modicum non poterat ſuperari à Chriſto diſtantia illa viginti quinque leucarum, quibus Mons Tabor ſeiungitur à Cæſaræa Philippi, quæ ad Libanum, & AntiLibanum ſita eſt: ergo. Min. conſtat. Nam dies recenſiti dicuntur ſex, & Chriſtus Dominus prædicans, & docens turbas non poterat ſingulis diebus continenter quatuor leucas conficere. Ad hoc argument. reſp. neg. antec. quod in

ſua

ſua expreſsione non benè probatur, ſiquidem Cæſaræa Philippi intra Galilæam eſt ad finem Tribus Nephtali prope AntiLibanum, quo à Syria ſeiungitur. Verum ad argumentum diſtantiæ reſpond. negand. minor. & ad eius probationem, dico non eſſe argumentum firmum ex textu *cap.* 16. vt ab eis, quæ dicta ſunt in partibus Cæſaræe Philippi, ſolum procurriſſet tempus aſsignatum ab Evangeliſtis ſex, vel octo dierum: vnde ceſſat obiectio. Ratio eſt: quia facta confeſsione divinitatis à Petro in partibus Cæſarææ Philippi, à *verſ.* 21. eiuſdem capitis dicitur: *Exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oportebat ire Ieroſolymam, & multa pati, &c.* In quibus verbis ſatis conſtat, quòd ibi in ea narratione tantum habetur ratio narrandi ea colloquia Chriſti, & Apoſtolorum quæ iam erant ſummi momenti, & quaſi extremi circa Hiſtoriam Chriſti, ſcilicèt, de divinitate eius plane cognita, de paſsione clariſsimè prænuntiata, de diſcipulatu Chriſti Apoſtolico, & vero, & conteſtatione promiſsionum factarum. Quare ly *exinde* eſt dicere: ab illo tempore, id eſt, poſt confeſsionem divinitatis cœpit Ieſus, &c. Minime vero conſignando tempora, & dies: quia hoc nihil ad rem faciebat, ſed ſolum intererat enarrare quomodo hæc doctrina, & colloquia tranſigebantur. Quando vero Evangeliſta ſubiungit interiectos fuiſſe ſex, vel octo dies, prout diverſimodè computantur ab eis; id valdè oportune inducitur immediatè poſt illa verba, in quibus dixerat Chriſtus: *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem donec videant filium hominis venientem in Regno ſuo*: quia hæc verba licet alias in quæſt. de Ioanne Evangeliſta, pro eo ſuperſtite comprobando dederim, vt cum varijs Patribus id tenentibus, irem; nihilominus videntur plane ſponſoria transfigurationis immediatè poſt ſubſequutæ. Vnde Evangeliſtæ perbellè dum transfigurationem inchoarent, ediſſerunt tempus illud tam modicum, quod interceſsit inter Chriſti promiſſa de ſpecimine Regni ſui à vivis Apoſtolis præguſtando, & tranſfigurationem, ſeu tale ſpecime ſubſequutum; non autem tollitur, quod plus temporis excurriſſet ab eo in quo erat in Cæſaræa Philippi. Secundo. Reſponderi poteſt ex D. Siurio, quod cum Chriſtus non eſſet in Cæſaræa, ſed in partibus Cæſarææ, & illi ſex dies iuxta alios Evangeliſtas aſciſcant ſibi alios duos (licet non completos, vt ſex intermedij, quos Mathæus enumerat) ſatis illa diſtantia poterat à Chriſti, & Apoſtolicis pedibus ſuperari.

8 Obijcies 2. ad idem aſſumptum. Chriſtus Dominus transfiguratus eſt extra Galilæam: ergo non in Monte Tabor. Probatur anteced. Ille locus vnde proficiſci oportet ad eumdum in Galilæam, extra Galilæam eſt. Sed locus vbi transfiguratus eſt Dominus erat huiuſmodi; ergo extra Galilæam erat. Min. patet ex *Marc.* 9. *verſ.* 29. ibi: *Et inde profecti pretergrediebantur Galilæam.* Sed ibi loquitur de loco vbi transfiguratus eſt Dominus, & vbi curaverat lunaticum in deſcenſu de Monte: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpond. negand. anteced. ad cuius probationem, diſting. mai. *In Galilæam adæquatè ſumptam*, conc. ad eumdum *in Galilæam inadæquatè ſumptam*, neg. mai. & diſtinc. reſpectivè minor. neg. conſeq. Nam verba D. Marci nullatenus ſignificant aliquod iter in Galilæam, quaſi ad Provinciam vbi Chriſtus Dominus non verſaretur; ſed dumtaxàt, quod ex illo Monte Tabor decrevit Chriſtus Galilæam obambulare: non ſecus ac ſi de Miſsionario quopiam, qui Matriti ad populum verba feciſſet, diceretur, *& inde profectus pretergrediebatur Caſtellam*, per quæ non evincitur Matritum eſſe extra Caſtellam. Cuius ratio eſt: quia ſignificatio illius verbi *prętergredi* eſt idem ac *ambulare iuxta*, quod in proprijſsima ſignificatione eſt *circa*, ſed dextrorſum,

vel

vel siniſtrorſum, vt ſi quis diceret *præter amnem, vel præter radices Montis toto mane iter fecimus*, vbi ſignificatur *iuxta ripam fluminis*, vel *ad latus Montis* viam, & ſemitam illam eſſe protenſam: atque cum ſignificatio verbi ſit, ad ſiniſtram determinatè, ſivè ad dextram; etiam iure adaptatur quando quis intra aliquem terminum, ſivè dextrorſum, ſivè ſiniſtrorſum pergit; ita vt de venatore rectiſsimè diceretur *diluculo de villa profectus prætergrediebatur nemora, & ſilvas*, quamquam & villula eſſet intra eas, & quamquam ipſe de eis, neque vno dumtaxàt paſſu fuiſſet egreſſus. Sic ergo deſcendens Chriſtus de Monte Tabor, ſito intra Galilæam hanc ipſam prætergrediebatur.

9 Obijcies 3. ex Tirino. Ille Mons credendus eſt fuiſſe vbi transfiguratus eſt Dominus, qui magis exprimitur in textu, magis concordat toto contextui, & magis firmatur ex locis alijs Sacræ paginæ; ſed hæc omnia magis quadrant Monti Libano, quàm Monti Tabor: ergo in Libano facta fuit transfiguratio. Mai. patet: & min. probatur per partes primo, quoad primam. Quia ex D. Hieronymo *in Zachariam* 11. Libanus celſiſsimus Mons eſt Paleſtinæ; ſed Mons transfigurationis nobis non niſi à celſitudine datur intelligi, ibi: *In Montem excelſum ſeorſum*: ergo, &c. Secundo, quoad ſecundam. Nam contextus *cap.* 16. continuati cum 17. poſtulat, quod transfiguratio, relata paulò poſt ad eventum in Cæſaræam Philippi, & acta in Monte, contigerit in Monte proximiori Cæſaræę Philippi, ſi hic erat excelſus. Sed Mons Libanus omninò erat huiuſmodi: ergo, &c. Tertio, quoad tertiam partem ſic. Apud *Iſaiam* 35. 2. dicitur de Monte Libano: *Quod videbit gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Sed hæc potius quadrant transfigurationi, quàm alteri rei: ergo, &c. Maior conſtat ex illis verbis Iſaiæ *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron. Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Ad hoc argument. reſpond. conceſſ. maior. neg. minor. ad cuius primam probationem reſp. In textu magis ex primi Montem *Tabor*, quàm Libanum propter ea, quæ ſuperius iecimus in concluſione firmanda: nam mons non indicatur ſolum à celſitudine, ſed à celſitudine quaſi ſolitaria de planitie terræ aſſurgens inſtar vmbilici; ideoque dicitur *excelſus ſeorſum.* Ad ſecundam probationem dico: Montem Tabor magis cohærere contextui, tùm quia licet non expreſsè ponatur *in cap.* 16. reditus in interiorem Galilæam; ſatis ibi intelligendus relinquitur: & præterea ad rem ipſam Libanus non erat aptus: ſiquidem Libanus non eſt mons vnus licet excelſus, ſed montium iuga, quæ ad lacum quendam veniunt, & inde alia iuga conſurgunt, quæ *Anti Libanus* nuncupantur: vnde montana loca potius appellanda ſunt. Quare cum pro Monte Tabor clamet textus ipſe, atque figura Montis, & ſitus; pro eo nobis ſtandum eſt. Ad tertiam probationem reſp. Quod textus ille Iſaiæ aplicari non poteſt ad transfigurationem Domini; alioqui eodem modo dicenda eſſet contigiſſe in Monte Carmelo, qui à Monte Libano diſtat tota Galilæa intermedia. Quod ſi alio textu pro nobis reclamante opus eſſet ad noſtrum intentum, ſatius eſt cum Damaſceno, Proclo Conſtantinopolitano, & alijs intelligere de transfiguratione textum *Pſalm.* 88. vbi dicitur: *Tabor, & Ermon in nomine tuo exultabunt cum potentia.* Itaque ad textum obiectum dico, quod apud Iſaiam adducitur Libanus, & Carmelus quoad pulchritudinem ſuam comparativè; quatenus de terra Gentilica prius exuſta prędicitur, quod refloreſcet inſtar *Libani, Carmeli, & Saron*: qui eſt ager etiam amœnus, & pinguis, vt notat Sanchez.

10 Pro qua quæſtione abſolvenda obſervabis nonnulla, quæ pro diſcuſſione præiacta in notabilibus poterunt deſervire. Primo. Quod eximius Doct.

P. Suarez minime lapsus est, prout Illustris. Dominus Siurius adnotavit, quod nescio vnde hauserit, nisi forte ex duobus verbulis in quibus idem dicit Lorinus 2. *Petri* 1. qui tamen in eo non verum dixit: siquidem consulens citatum ibi locum, scilicèt, *tom. 2. in 3. part. disput. 32. sect. 3. §. Incipiente secundo loco.* In editione Matritensi 1598. sic habet: *Primum Evangelistæ dicunt Christum, transfiguratum esse in Monte. Cuius rei Sancti Patres varias rationes morales, & mysticas asserunt..... Addunt præterea Expositores Evangeliorum ex historia, vel traditione recepta, illum fuisse Montem Tabor.* Ecce non dicit *Evangelistæ.* Quod officium sanè reddere debeo tanto meo Magistro. Secundo. Circa nostrum Maldonatum video eum sic loquentem: *Quis hic mons fuerit Evangelistæ non dicunt, neque vllus quod sciam, satis antiquus, & gravis Author.* In quibus verbis fortè sensus est, quod hæc traditio, vtpotè quæ ab ore Apostolico manare debuit, non potest haberi satis firma, quandiu fere per quatuor sæcula Ecclesiæ, sivè ad quadringentos annos primi Patres, & Doctores idem non dixerunt: siquidem si traditio firma veniret, potius deberet in primis sæculis resonare. Vnde quamvis noster Maldonatus noverit Cyrillum Ierosolymitanum *Chatechesi* 21. didixisse transeunter de Moyse, & Elia transfigurato *præsentes facti in Monte Tabor*; cùm ipse insuper nosset Cyrillo hunc Scriptorem esse quarti sæculi iam cadentis, & eo posteriores Philonem Carpatium, Proclum, &c. potuit eius gravissima maturitas, & multum solida, & concocta puritas Commentarij considerare prædictos Authores, necdum *satis antiquos* prore, quæ per tria retro sæcula plus clarere debuisset. Tertio. Obsservabis, quod cum hæc dederim pro meis Authoribus, & Magistris excusandis; consonum est ad superiora, etiam Patres sicubi possumus excusare. Cum ergo Tostatus, *Math.* 17. q. 13. Augusttinum, & Ambros. quasi loquentes pro Iacobo Alphæi in transfiguratione sibi obiecisset. Ita respondet *ad secundum dicendum, quòd Ambros. & August. non loquuntur asserendo, sed aliorum opinionem referendo.* Quam excusationem à tanto viro datam statim amplector. Vtinam similem invenirem circa Eprem Syrum; sed vere hic loco supra citato in principio sic fatur: *Imperavit enim Cœlo, & Eliam deduxit; innuit terræ, & Moysem suscitavit: ipsosque in Montem Sina adduxit, vt eis ostenderet se esse Filium Dei.* Circa quod id solum notare licet, quòd cùm sæpissimè in eodem sermone repetat *duxit eos in Montem*; nusquam alias *Sina* commemorat, nec verbum quod ad *Sina* Montem referri queat: quare Sanctus Doctor tradens ibi transfigurationem potius cathechetice, quàm expositivè, de nomine proprio Montis non multùm curavit. Vel dicito (& hoc est probabile) Sanctum Doctorem Montem illum transfigurationis, ex Scriptura sibi iam notum, appellavisse *Sina*, non quidam proprie; nam cùm esset Syrus; de propinquo rem noverat, & quàm disiunctus esset Mons *Sina* à locis in quibus Christus Dominus versabatur; sed *metaphoricè*, & *similitudinariè*, quasi mons ille, qui in se habebat Dominum, & Moysem, & gloriam Domini iure posset dici alter *Sina*, vel *Sina* absolutè, propter metaphoram. Vnde Lorinus noster 2. *Petri* 1. 16. ait sic: *Comparat idem Abulensis claritatem istam Christi cum ea, quam habuit Moyses in Monte Sina.*

11 Quarto obsservabis Cornelium Iansenium citatum pro adversa sententia *cap.* 96. in principio non solum ibi pro ea satis non stare, vt patebit legenti, sed *cap.* 67. planè stare pro nostra, ibi: *Porrò mons iste, quis fuerit non explicatur in Scripturis; creditur tamen communiter fuisse Mons Tabor clarus victoria Barach, & Deborę, qui & Ithaburius dicitur Iosepho: de hoc Monte sic scribit Brocardus, &c.* Et latissimè si quis alius in Montis descriptione procedit.

cedit. Quæ omnia dixi ex pia benignitate excusandi in hoc casu; sed doctrinam generalem ex observatis à D. Siurio supra datam non retracto. Imò quamvis dixi pro Maldonato nostro ea, quæ decent; tamen, etiam si ipse nec Cyrillum, nec Philonem Carpathium, aut Proclum legisset in se, aut in alijs, mirum mihi non esset: Longum enim esset, ac prope interminabile super omni apice omnes omnino Authores, tàm modernos, quàm priscos evolvere, aut nosse, aut pro ipsis fideiubere. Observabis 5. Quod si ex dictis de eo quòd per tria priora sæcula non lecta sit, neque extet talis traditio, velit infirmari nostra conclusio. Respondendum est aliud esse traditionem non esse, quam nemo negat; aliud esse non inveniri Scriptam in Tribus primis sæculis. Circa primum ipse Maldonatus cum cæteris talem traditionem affirmat; & licet *Vulgi* eam appellet non est, quia ignoraverit, eam quoque esse Ecclesiasticam, & ab Ecclesia susceptam, vt nos supra diximus; sed quia ea tam communis, & nota sit vt passim apud Vulgus etiam circumferatur. Circa secundum vero mirum non est, quòd in Tribus illis sæculis, in quibus tota res erat de summa doctrinæ, parum de tradenda hac, vel illa circunstantia loci disputaretur: præsertim cum vnus, vel alter, & breviuscule admodùm scripserint in Evangelia, vt Theophilus Antiochenus, qui dedit quasdam allegorias, & Tatianus, & Ammonius, qui harmoniam Evangelicam concinnarunt.

12 Circa quæ genera Traditionum, quamquàm ipse alias me in hoc opere satis distinxisse, nunc memini; tamen peroportunus, atque pererauditus nostræ Societatis Author, hesterna, vt ita dicam, die prodijt in Lucem, quando nimirum, postremi duo hi tomi sub manu typographorum ad præsentes ferè paginas pertingebant. Is ergo Author nempe P. Christophorus Grangèl, Rector nostri Collegij, & Vniversitatis Gandiensis tomum edidit inscriptum: *Historia, & Chronologia Sacræ Scripturæ ad vsum Scholæ propugnata*, in quo tomo Pentateuchum plene, perspicuè, graviter, ac omninò fœliciter expedit reliqua Deo dante persequuturus. In hoc ergo opere ad illa verba *Deuteron. cap. 4. vers. 2. Non addetis ad verbum, quod loquor vobis; nec auferetis ab eo: custodite mendata Dei vestri, quæ ego præcipio vobis* perpulchram, dilucidamque de Traditionibus digressionem facit eas explicando, ac subdividendo ex parte Authoris, ex parte materiæ, item alias perpetuas, alias temporales, alias vniversales, alias particulares, alias necessarias, alias liberas. Si vis ditescere, vbique eum lustra.

QUÆS-

JHS.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET RESPLENDVIT FACIES EIVS SICVT SOL.
Mathæi 17. verſ. 2.

ARTICULUS.

V. CHRISTVS D. DIVRNO, AN NOCTVRNO TEMPORE transfiguratus fuerit?

1 SUppono 1. Quod ſi diurnum tempus à ſola luce illuminante taxandum eſt; noſtra quæſtio non habebit locum, ſiquidem ex textu conſtat, quandiu transfiguratio duravit, Chriſtum D. inſtar ſolis fulgentiſsimi refulſiſſe, atque hinc inde nubem fuiſſe expanſam puriſsima claritate perfuſam, & quidem talem, vt Regnum Gloriæ, quod Chriſtus promiſerat, ibi ſui daret ſpecimen. Nam hæc oſtenſio Gloriæ proculdubio colligata eſt, & correlativa cum poſtremis verbis capitis præcedentibus vbi Chriſtus dixerat: *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in Regno ſuo.* Quod præterquamquod ſic tradunt graviſsimi, & litterales In-Interpretes, ita etiam tradidit S. Ephræm *ſermone de Transfiguratione in initio*, ibi: *Viri etenim, quos dixit non guſtaturos mortem, donec videant figuram & adumbrationem adventus eius, ſunt ij tres Apoſtoli, quos aſſumptos duxit in montem, & oſtendit eis, quo pacto venturus ſit in die noviſsimo in Gloria Divinitatis, vt in corpore humanitatis ſuæ.* Ad quod accedit, quòd licèt apud Mathæum alia verba ſint ab alijs in capite diverſo ſeiuncta, ſcilicèt alia in fine prioris, & alia initio capitis poſterioris; tamem apud D. Lucam *cap.* 9. intra idem caput alia alijs ſubiuncta immediatiſsimè reperiuntur. Vnde, licèt hæc verba vſurpaverim. *tom.* 2. *Decade* 4. *quæſt.* 4. *num.* 5. pro roboranda opinione de Ioanne Evangeliſta adhucvivente; duo hic ſubiungo: alterum eſt quod talia verba ibi ex mente aliquorum confirmativa inducuntur; ſed ſenſus ſupra traditus eſt litteralior. Alterum eſt quod licèt noſter Maldonatus dixerit talem opinionem de Ioanne Evangeliſta non inveniſſe, niſi apud Strabum; tamen verum eſt (vt conſtabit ex verbis, quæ ibi produximus) eam tradidiſſe Sanctos Patres, & pervetuſtos, vt Hypolitum, Hilarium, Damaſcenum, Gregorium Turonenſem, item Prochorum eius hiſtoriographum: cum quibus, & nos tunc ire maluimus, vt hoc privilegium amoris præcipui huic Apoſtolo aſſereremus.

Sup-

2 Suppono 2. Satis doctrinale esse posse id, quod, & litterale etiam est nimirum, in transfiguratione Domini simul cum die claritatis suæ concurrisse etiam noctem illam Passionis Dominicæ : siquidem colloquium quod ibi habitum est fuit de excessu quem Dominus completurus erat in Ierusalem. Circa quæ verba observandum est quod, quamquam frequens est præsertim apud Concionatores, sensus ille quo Passio Domini, & mors dicuntur *excessus* quasi eis amor Divinus erga nos omnes omnino mensuras excesserit, & superarit, quod & verissimum est, ac dignum vt ore nostro nunquam excidat, & pariter corde nostro nunquam excedat; tamen sensus litteralissimus, & purè historicus est quod ipsa mors Christi erat *excessus* non in significatione *præstandi* aut *superandi*, quæ sanctæ, & veræ nostræ contemplationi relinquitur; sed in significatione moriendi: quia *excedere è vita*, & *mori* plane sunt idem, & de hoc *excessu è vita* mirabili, & mirabiliter complendo erat colloquium.

3 Suppono 3. Quod licèt Evangelistæ discrepent circa dies, post quos facta fuit transfiguratio alio dicente *post sex*, alio vero *post fere* octo, id facilè componunt Interpretes, & Sancti Patres quatenus Alter Evangelista solum sex intermedios; alter vero recensuerit insuper, tùm illum in quo Christus dixerat superiora, tùm illum, in quo accidit, sed non integros; quare apposuit particulam *fere*. Quoad annum vero is sumi poterit vel de Chronologia à nobis insinuata, vel de anno Baptismi Christi etiam à nobis separatim hìc disputando. Quoad mensem alij apud D. Siurium tenent ad secundam quadragesimæ Hebdomadam contigisse. Alij Iulio iam terminante, alij communius cum traditione Ecclesiæ die sexta Augusti, quam diem Veneris sive Feriam sextam fuisse resultat ex regulis Kalendarij. Ex quibus iam solum restat inquirere: *An noctu, an interdiu se transfiguraverit Christus?* Cui dubitationi ex vna parte ansam præbet somnus Apostolorum, *Lucæ* 9. 32. *Petrus vero, & qui cum illo erant gravati erant somno*, ex alia parte quod transfiguratio tam solemnis non videbatur eventura quasi præstigiæ nocturnæ.

4 His positis duplex datur sententia, quarum prima sustinet, transfigurationem nocturno tempore contigisse, quam tenent P. Salmeron *tract.* 33. *in tom.* 6. Franciscus Lucas Brugensis, Caietanus, Stella, Toletus in Lucam *cap.* 9. & alij. Secunda vero sententia perropositum substinet, eam accidisse diurno tempore. Et hanc substinent multi Patres vt sunt Epiphan. *hæres* 66. Chrysost. *homil.* 57. *in Mathæum*, Euthim. *Mathæi* 17. Sanct. Ephræm *tom.* 3 *serm. de Transfiguratione*, Sanctus Thom. de Villa Nova *in serm. de hoc Mysterio.* P. Lorinus secunda Petri *cap.* 1. Cornelius *Mathæi* 17. Martinus Garcia Episcopus Barcinonsis, *serm.* 95. Dom. Siurius *tom.* 2 *tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 5. Cum quibus sit etiam mea sententia, & sic eam. Probo primo ab Authoritate SS. PP. locis supra citatis. Primo ex D. Epipphanio *hæres* 69. vbi dicit transfigurationem contigisse hora 3. vel quarta diei, quæ licèt esset matutina nimis in æstate lucesceret. Secundo, ex Chrysost. aiente: *Non nocte sed media die.* Tertio, ex D. Ephræm, ibi: *Duos soles in monte videbant Discipuli vnum ex consuetudine in Cœlo resplendentem; alterum præter consuetudinem: vnum qui eis lucebat, & vniversum mundum illuminabat in firmamento, & vnum qui ipsis solis tunc resplendebat, faciem nimirum Iesu inter ipsos.* Quarto, ex S. Thoma de Villa Nova aiente: *Adumbratum fuisse eius claritate solarem radium.* Atqui in re minus discussa, & multùm secreta tanta hæc Authoritas est ingens pondus: ergo ei standum esse videtur. Confirmatur. Quia Evangelistæ satis indicant, id interdiu accidisse: ergo transfiguratio Domini diurna fuit. Probatur antece-

dens. In primis Mathæus, & Marcus, sic dicunt: *Et post dies sex assumpsit Iesus*, &c. Sed hic modus narrandi de se indicat, rem accidisse die altero subsequente, & quidem die artificiali, & illuminante; alioqui in bona lege Historiæ exprimi deberet, si noctu fuisset, semel ac nominaverat *diem*: ergo, &c. Deinde D. Lucas, sic ait: *Factum est autem post hæc verba ferè dies octo.* Quod à Patribus ita componitur, vt post diem sermonis, & sex integros subsequutos alius medius dies esset, in quo res accidisset; sed medius dies, vel bona pars diei dum absolutè ponitur stat pro Luce: ergo satis ex Historia Evangelica colligitur transfigurationem interdiu contigisse.

5 Probatur 2. conclusio. Hæc transfiguratio fuit singularissimum testimonium à Deo electum circa personam, & Doctrinam Domini, & veritatem promissionum eius. Sed ad hæc contingere oportebat in die, & non per noctem: ergo ita contigit. Maior certissima patet, tùm ex verbis postremis capitis præcedentis *sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*, &c. Vbi satis se, & sua aliquo experimento comprobare promiserat: tùm in eodem capite ex voce delapsa, & testificante *hic est filius meus dilectus*, &c. tùm ex Epistola 2. Petri *cap.* 1. vbi talis trasfiguratio prout testificativa citatur à D. Petro dum dicit: *Non doctas fabulas sequuti, notam fecimus vobis D.N. Iesu Christi virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem, & Gloriam voce delapsa ad eum huiusce modi à magnifica Gloria: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de Cœlo allatam cum essemus in ipso in Monte Sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem*, &c. Probo minor. Si noctu contigisset transfiguratio non posset esse testimonium eiusmodi vt rem evinceret, & Discipuli manerent de vera Dei Gloria persuasi; sed ita fuit: ergo noctu non accidit. Probo maior. Si noctu accidisset; æquivoca res esse posset cum mille præstigijs nocturnis: & præterea non poterat facilè comprobari, eam lucem atque fulgores maximè superasse illuminationem Solis: quandiu enim Sol in prospectu non esset, non poterat fieri comparatio; sed potius haberi ille splendor, vt micantissima quædam apparitio ludificans sensus: ergo, &. Confirtur 1. Dies iudicij, in quo adeundum est Regnum Dei, interdiu quidem, & Iudicem exhibebit, & introitum in Gloriam præparabit; sed talis transfiguratio erat plane correlativa exhibitionis illius Gloriæ, quam iusti in fine sunt accepturi, prout docet Lorin. 2. Petri 1. *transfigurationem typum fuisse iudicij*: ergo, &c. Confirmatur 2. Quando alterum testimonium de Christo simille allatum est; diurno tempore contigit iuxta Evangelistas: ergo similiter nunc eveniisse credendum est. Antecedens patet ex Historia Evangelica Christi D. quando baptizatus fuit in Iordane, vbi similis vox fuit audita, ac in nostro casu; & baptismus coram plurimis celebratus.

6 Obijcies 1. Transfiguratio facta est cum Christus oraret in Monte. Sed de nocte in montibus orare consueverat: ergo sub nocte evenit. Mai. patet ex textu *Lucæ 9. vers. 29. Et facta est, dum oraret species vultus eius altera.* Et min. patet tùm *Lucæ 6. 16.* ibi: *Exijt in Montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*, tùm ex oratione facta in Monte Olivete. Ad hoc argumentum resp. conc. mai. dist. min. solum de nocte, neg. min. tàm nocte, quàm die, conc. min. Nam Christus Dominus, qui iugem orationem suis Discipulis commendabat, eam ipse tàm die, quàm nocte peragere, & docere solebat; sivè diluculo in deserto *Marci* 1. 34. sivè in Monte priusquam pasceret turbas *Ioann. 6.* vnde sic ait Lorin. loco citato: *Montibus delectatus est Christus, quippe sponsus, de quo cantatur.*

Ecce

Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, vt Orig. obſervavit confirmans iſtud exemplo. In monte tentatus dicitur, prædicaſſe, oraſſe, turbas paviſſe, cœnam myſticam celebraſſe, crucifixus eſſe, Diſcipulis poſt reſurrectionem apparuiſſe, ex monte in Cœlum aſcendiſſe, in montem Spiritum Sanctum miſiſſe. Qua propter ſivè die, ſivè noctu quoties in orationem præſertim prolixam, & ſeparatam ſe volebat recipere, montes adibat, vbi ab ſtrepitu viarum eſſet magis remotus, & quietus: atque in hunc ex Tertulliano 4. contra Marcionem cap. 22. ideò ad ſe transfigurandum aſcendit: nam, & priſtinum populum apud montem, & viſione, & voce ſua creator initiarat: oportebat in eo congeſtu conſignari Novum Teſtamentum in quo conſcriptum vetus fuerat: vnde, vt vides, habet hic Mons Tabor ſuam analogiam cum Monte Sina, iuxta dicta de Monte Tabor. Quod ſi ſæpè dicitur de Chriſto ſub noctem in montem ſe recepiſſe, vt oraret; potius inde firmatur noſtrum aſſumptum: quia Evangeliſtæ, quando aliquid notatu dignum noctu peractum eſſe inveniebant, eam circunſtantiam nocturni temporis explicabant: quare in textu in quo Evangeliſtæ non ſolum, non memorant noctem, ſed memorant dies, & aliunde res enarrata in ſe ſublimis, commendabilior apparet ſi in medio ſole irradiante contigiſſet; præſtat rem ſic intelligere.

7 Obijcies 2. Ipſe Sacer textus clare explicat myſterium hoc contigiſſe de nocte: ergo non in die. Probatur anteced. ex textu *Lucæ 9. In quo*, ſic dicitur: *Petrus, & qui cum illo erant gravati erant ſomno.* Sed ſopor præſertim altus, atque profundus non ſolet occupare homines, etiam feſſos, & fatigatos, niſi in media nocte: ergo non niſi in ea contigit transfiguratio Domini. Confirmatur. Ibidem S. Lucas *verſ.* 37. ait: *Factum eſt in ſequenti die deſcendentibus illis de monte, &c.* Sed hæc verba plane indicant myſterium de nocte fuiſſe: ergo, &c. Probatur min. Illa arguunt clare, tota nocte antecedente fuiſſe Chriſtum in monte, ſed ſi die antecedenti peractum fuiſſet myſterium, non erat cur tota nocte poſtea in monte perſeveraret; ſed veroſimilius erat, quod redirent ſtatim ad ſuas: ergo, &c. Ad hoc argument. reſp. diſt. min. ſopor naturalis, conc. min. myſterioſus, & deſuper immiſſus, neg. min. & conſeq. Itaque ille ſopor non fuit à natura poſtulante conceſſus, ſed immiſſus à Domino, qui rem altiſsimè diſponebat. Et, ſi licet philoſophari in tam ſacris, non eſſet diſcurſus incongruus, quòd fortaſsis oculi debiles Apoſtolorum ferre non poſſent illam grandem tranſmutationem de extremo ad extremum phyſicè, & inſtantaneè eventuram circa obiectum, circa medium, & circa potentiam: vnde oporteret, quòd tranſmutatis prius medio, & obiecto, & inſuper reparata potentia beneficio ſomni, eò altioris quò profundioris, atque, à Domino ſuaviter temperata, & diſpoſita poſtmodum evigilaret, & quaſi connaturaliter cerneret tantæ gloriæ ſpectaculum. Hæc ſane non videntur incongrua. At ne ſomnum cælitùs immiſſum arbitratu noſtro inducamus; ipſa Sancta Scriptura eſt in promptu: namque in die certè formavit Deus Evam matrem viventium, proindeque in die immiſit ſoporem in Adam: quo non indigebat niſi iuxta ſuas ideas ſemper altiſsimas pro formanda Eva de coſta Adæ, & replenda carne pro ea. Placuit ergo Chriſto Domino ſimiliter ob ſuos fines in Apoſtolos in noſtro caſu ſoporem immittere. Firmatur ſecundo, ex D. Chryſoſt. apud & cum noſtro Maldonat. *Math.* 17. Vbi Sanctus Doctor ſomnum accipit pro ſtupore, ſivè illapſu quodam divinitùs ſtupefaciente: aitque ipſe Maldonatus: *Quomodo in tanta gloria dormirent? Niſi forte interim dum Chriſtus orabat, dormire cœperint, quemadmodum paſsionis tempore feſerunt*, Mathæi 26. verſ. 40. & 43. *idque divino permiſſu, vt inte-*

interim, & Moyſes, & Elias venirent, & ſeſe Chriſtus transfiguraret. Quod, & Lucas indicat dicens, & vigilantes viderunt maieſtatem eius, & duos viros, qui ſtabant cum illo. Quod ſi apud Lucam prius enarrantur Moyſes, & Elias viſi in maieſtate; & poſteà ſomnus Petri cum alijs, id eſt, per manifeſtam anticipationem, qua ſeponitur, & poſtponitur enarratio de Petro dormiente, vt poſtea ſub eodem filo ſequatur de illo evigilante ea narratio de tribus illis Tabernaculis inibi conficiendis.

8 Ad confirmationem reſpond. neg. min. ad cuius probationem, neg. mai. nam diligenter notandum eſt, diverſimodè accipiendum eſſe apud D. Lucam illa verba *deſcendentibus illis de monte*, ac accipiuntur apud Mathæum, & Marcum, ſiquidem ſunt diverſa verba, & hiſtoriæ, quæ cum ipſis vtrobique iunguntur: ſiquidem apud Mathæum, & Marcum dicitur in deſcenſu de monte ſilentium imponi diſcipulis, ne viſionem dicerent donec Chriſtus reſurgeret; apud Lucam vero dicitur occurriſſe quemdam de turba ad impetrandam ſanitatem pro filio. Quamobrem iudico diem ſequentem memoratum à D. Luca fuiſſe quidem diem, vel immediatè, vel fortè mediate (nam vulgaris modus loquendi id etiam admitit quaſi diceret *in vna ex diebus ſequentibus*) ſubſequutum ad diem illum memoratum à Mathæo, & Marco, in quo, finita transfiguratione, refertur deſcenſus de monte, & præceptum impoſitum Apoſtolis de ſilentio; ita vt dixerit D. Lucas in illo participio *deſcendentibus illis de monte* ſumpto deſcenſu, prout in vulgari ſermone: *Et in die ſequenti poſtquam deſcenderant de monte, occurrit, &c.* Ratio eſt primo. Modus vulgariſsimus ſic accipiendi, & conſonus regulis à nobis traditis pro intelligendis Sacris Scripturis. Secundo. Quod poſt illa verba *ſequenti die* ſequitur inciſum, vt evadat oratio implicita participij tam prorſus abſoluta (præſertim inciſo altero ſubſequente) ac ſi intra parentheſim clauderetur, & non ligaretur tale factum cum ly *ſequenti die*. Tertio. Quia à fortiori talis occurſus de turba narratus à D. Luca non poterat eſſe, niſi iam peracto deſcenſu de monte: ſiquidem nemo de turba illuc aſcenderat; ſed extra montem turbæ expectabant; quando vero diſcipulis indicebatur ſilentium erat quidem in ipſamet via, & deſcenſu, priuſquam accederent ad turbas, quibus id poterant revelare: quare in diſtincto ſenſu debet accipi ly *deſcendentibus de monte* apud D. Lucam, proindeque non ita vt tota nocte poſt transfigurationem finitam Chriſtus in monte cum diſcipulis permanſiſſet.

9 Obijcies 3. Conformius eſt Sacro textui, quòd transfiguratio noctu contingerit: ergo ita tenendum eſt. Probatur anteced. Conformius eſt Sacro textui, vt ita accideret in ſilentio, vt reſciri non poſſet à circunſtantibus turbis. Sed pro tali ſilentio nox erat aptior: ergo, &c. Mai. conſtat ex ipſo textu aiente: *Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.* Min. patet: quia ſi res in die contigiſſet, turbæ circunſtantes vidiſſent nubem lucidam, & reſcire potuiſſent, quæ agebantur in monte; nocte vero ſomno occupati talia percipere non valerent: ergo, &c. Ad hoc argument. reſp. negand. anteced. Ad cuius probationem, conceſſ. mai. diſt. min. pro *ſilentio ſumpto pro defectu mundialis ſtrepitus*, conc. min. ſumpto pro occultatione, & ignorantia turbarum, neg. min. & conſeq. Nam cùm res tanta non niſi myſticè ageretur; nubes illa, & glorioſa maieſtas, quæ ibi oſtendebatur, quamquàm eſſet eiuſmodi, vt oculis corporeis Apoſtolorum à Domino confortatis cerni poſſet; non tamen erat eiuſdem ordinis cum cæteris nubibus, quæ communiter proſpectui humano patere ſolent. Atque ſi coram omni cætu filiorum Iſrael apparebat,

&

& præibat nubes tenebrosa, & illuminans, quæ ipsos dirigebat, neque erat eiusdem rationis eum cæteris, quas videmus; sed eadem tenuissimè fabrefacta antrorsum illuminabat Hebræos, & retrorsum obtenebrabat Ægyptios; cur oculis Apostolorum in monte elevatis ad prospectandum sublimia, non concedamus à Domino nubem mirabiliorem tali splendore perfusam, quæ communi turbarum prospectui denegaretur, ita vt ipsæ, quamvis mons ille totus esset in gloria, nihil circumquaque perciperent?

10 Colliges 1. Somnum illum Apostolorum congruentius, & verius dici somnum veru n, & realem, tametsi quoad modum miraculosus ipse fuerit: quamquàm enim supra adduximus Chrysostomum *homil.* 58. *in Mathæum*, talem somnum pro stupore interpretantem; id solum ibi vsurpavimus, quatenus verba D. Lucæ etiam opinabiliter salvat, licet transfiguratio in nocte contingerit; sed vt litteralius, atque communius censemus, fuisse somnum verum. Colliges 2. Quod licet verbum Græcum pro *transfiguratione* videatur potius *transformationem* dicere, in quam lectionem inclinant aliqui Heterodoxi; tamen ea translatio semper meritò fugienda est, ne videatur narrari hic tale quidpiam quale Ovidianæ Metamorphoses confixere; sed in rigore loquendo *transformatio* etiam dici posset, sed solum accidentalis: quia figura, vt norunt Philosophi, est forma accidentalis: atque etiam de splendore vultus congruentissimè dicitur *speciosus forma præ filijs hominum*. Colliges 3. Plures circa eam lucem moveri quæstiunculas, quas abunde resolvit D. Sixtus. Interea ego iudico, supernaturalem illam fuisse saltem quoad modum, licet in re fuisset verè corporea, & propter maiorem intensionem deberet confortari potentia. Item placet totum hominem in Christo fuisse transfiguratum splendore, tùm præcipuè in vultu, tùm etiam in toto corpore, & vestimento modo nobis ineffabili, refulgente. Colliges 4. Quamquàm in eo monte Sancto apparuisset tanta Gloria; tamen ibi non vidisse Apostolos Divinitatem, licet aliqui Patres videantur aliter dicere, & Glossa. Ratio est ea multiplex quam dedimus 1. *tom. de Moyse*, Paulo, & alijs: vnde Patres aliter dicentes intelligendi sunt de visione non intuitiva, sed discursiva, & abstractiva, qua manerent de Christi Divinitate persuasi. Vide Lorinum 2. *Petri* 1.

)(§)(

JHS.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET ECCE APPARVERVNT ILLIS MOYSES, ET ELIAS, cum eo loquentes. *Mathæi* 17. *versic.* 3.

ARTICULUS.

V. MOYSES IN VERO SVO, ET PROPRIO CORPORE in Domini transfiguratione apparuiſſet?

1 SUppono 1. Præter illos tres Apoſtolos, qui transfigurationi interfuerunt, apparuiſſe etiam ibi Moyſem, & Eliam loquentes cum Ieſu, quos nubes lucida poſt obumbravit, & poſtquam cum Ieſu de ſua morte ſunt colloquuti, intrantes in nubem diſparuerunt, antequam illa vox reſonaret: *Hic eſt filius meus dilectus in quo bene mihi complacui*, & cognita tanta re, & maieſtate, Apoſtolos fuiſſe conterritos. Circa quæ nonnulla ſunt prælibanda. 1. Hunc terrorem humilitatis, & reverentiæ paſſos fuiſſe Apoſtolos ſæpè in toto illo actu, vt indicare videntur Evangeliſtæ. 2. Cognoviſſe Moyſem, & Eliam Dei illuſtratione, vt expreſſe aſſerit Tertullianus, 4. *contra Marcionem, cap.* 22. & cum eo Gloſſa, Abulenſ. Tolet. Maldonat. 3. nubem illam præcipue deſerviſſe ad referendam ſpeciem glorioſi Throni occupandi in Regno Cœleſti, ad portandam vocem Æterni Patris, & quaſi vehiculum Moyſis, & Eliæ. 4. Vocem illam fuiſſe miniſterio Angelico prolatam, vt alias de cunctis apparitionibus à nobis 1. *tom.* diſputatum eſt in quæſt. de Moyſe; & contigiſſe poſtquam diſparuerunt Moyſes, & Elias, ex verbis, *Lucæ* 9. *v.* 36. *Et dum fieret vox, inventus eſt Ieſus ſolus.* 5. Id quod benè obſervavit D. Siurius contra noſtrum Barradas, ſcilicèt, quod ly *intrantibus illis in Nubem* intelligi debere de Moyſe, & Elia, vt ſub ea diſcederent, non autem de Apoſtolis. 6. Colloquium illud de morte Chriſti ſubeunda fuiſſe exterius, & in lingua vernacula: totum enim id agebatur pro perſuaſione adhuc rudium Apoſtolorum. 7. Voluiſſe Petrum pro his tribus Chriſto, Moyſe, & Elia facere tria tabernacula: de quo apud Lucam ſubiungitur *neſciens ipſe quid diceret.* Quatenus non conſiderans, vel ignorans illam Gloriam ſtatim diſpariturum, miniſterium permanens præparabat: in quo, ne audias Calvinum perperam interpretantem, inquit pius Ambroſius, *Lucæ* 9. *Et quamvis neſciret quid diceret, tamen pollicebatur officium in quo non inconſulta petulantia, ſed præmatura devotio fructum pietatis accumulat: nam quod ignorabat conditionis fuit, quod promittebat devotionis.*

2 Suppono 2. Apparitionem Moy-

Moyſis, & Eliæ non fuiſſe merè vtriuſque repræſentativam, ſed verè perſonalem quoad perſonam vtriuſque, ſaltem quoad animas: licèt enim Gloſſa Ordinaria, ex libro de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, qui falſo tribuitur D. Auguſtino, aſſeruiſſet vice Moyſis, & Eliæ duos Angelos in corporibus aſſumptis, ibi adſtitiſſe: quod & Hugo Cardinalis idem tribuit Ambroſ. tamem Suarius noſter qui in Ambroſio talia non reperit, vt ipſe teſtatur *tom. 2. in 3. part. diſp. 32. ſect. 2.* & Illuſt. Siurius *tom. 2. tract. 8. cap. 3.* eam ſententiam putant reijciendam eſſe, vt erroneam, cùm vacillet fundamẽtum Authoritatis; & aliunde ratio, & traditio id potius firment, vt totum illud myſterium fuiſſet res vndequaque vere peracta. Atque exinde ſtatim ſupponitur, Eliam qui adhuc erat ſuperſtes, in vero corpore, & anima comparuiſſe. Quoad Moyſem vero poteſt eſſe aliqua difficultas non tam quoad animam (ſiquidem id quod ex Chryſoſtomo tradit Hugo Cardinalis, nullam animam de ſinu Patrum exituram ante adventum Chriſti, intelligitur de exitu ad Gloriam.) Sed quoad corpus eſt difficultas, ſuppoſita vera morte Moyſis, quam clarè dixerat Scriptura *Deuteronomij* 34. ſiquidem vera reſurrectio pro functione tàm brevi duratura, apparet difficilior, quàm quòd fuiſſet Moyſis apparitio communis cum reliquis animarum, quæ iuxta Theologos verè quidem, ſed non niſi in corporibus aſſumptis, apparuiſſe dicuntur.

3 His poſitis duplex in hac re invenitur ſententia. Altera eſt Animam Moyſis non in proprio corpore apparuiſſe, ſed in quodam aereo ad inſtar humani fabrefacto. Hanc tenet Tertulian. *de Reſurrectione carnis cap.* 55. Auguſtin. *de Cura pro mortuis cap.* 15. S. Thom. 3. *part. ad* 2. Abul. *qnæſt.* 54. & 55. Ianſen. *cap.* 61. Salmer. *tom.* 6. *tract.* 33. Stella *in Lucam, cap.* 9. Viegas *in Apocalypſ. cap.* 11. *comment.* 5. *ſect.* 7. *num.* 2. D. Siurius *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. Altera ſententia tenet Moyſem in vero corpore ibi apparuiſſe. Hanc tenet Epiphan. cum Proclo, & Methodio, *hæres* 64. Damaſcen. *Oratione de Transfigurat.* Hieron. *Mathæi* 17. Sotus *in* 4. *diſt.* 43. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 2. Auguſt. *de Mirabilibus Sacræ Scripturæ lib.* 3. *cap.* 10. Alphonſus Mendoza *quæſt.* 5. *Scholaſtica, num.* 7. Barradas *tom.* 2. *lib.* 10. *cap.* 26. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 32. *ſect.* 2. Petrus Thyræus *de Apparitionibus, cap.* 2. *num.* 36. Toletus *Lucæ* 9. *Annotatione* 61. Maldonatus, Franciſcus Lucas, Cornel. Gordonus, Æſtius, Tirin.

4 Sit mea concluſio cum ſecunda ſententia, & dico Moyſem verè in ſuo corpore ſurrexiſſe. Probatur 1. ab Authoritate SS. PP. 1. Hieronymi ſic ſe explicantis *Moyſe ab inferis reſurgente*: quæ expreſsio eſt clariſsima. 2. ex Epiphanio, ibi: *Nil Dominus mentitus eſt, quare non ſpectrum, aut viſum oſtendit Diſcipulis in Monte Eliam, & Moyſem, quo ipſos deciperet, ſed id quod erant extra falſitatem.* 3. ex Damaſceno, ibi: *In hoc monte mortuorum reſurrectionis fides adſtruitur, ac vivorum Dominus eſſe declaratur, vt qui ſcilicèt ex mortuis Moyſem aſſumpſerit, vivum autem Eliam teſte adhibuerit.* 4. Ex libro de mirabilibus Sacræ Scripturæ, qui tribuitur D. Auguſt. qui, licèt eius non ſit, tamen Authoritatẽ habet ſatis receptam & vniverſim ab Authoribus, & Interpretibus ſuſcipitur: Hic enim *in lib.* 3. *cap.* 10. propoſita re in terminis ſub „ hac forma: Sed dum Elias manens in „ corpore vel ad talem conductionem „ venerat: quid de Moyſe dicendum „ eſt: vtrum in corpore iterum ad hanc „ oſtenſionem aderat? An ex aere ſi„ ſimulatum, ſicut Samuel viſus eſt, „ habitum fingebat. Et, ſi ſuo corpore „ venit indutus, ſi hac vice reſurrec„ tionem ſuam, quæ cæteris, non niſi „ in noviſsimo eſt futura, complevit? Subiungit, quod dum Dominus cum tribus Diſcipulis ſuis, & Helia, non cum imaginatis, ſed veris corporibus con-

conveniſſet, non dubitanter, & ipſe Moyſes in ſuo vero corpore de ſepulchro reſumptus videtur. Sed Dominus Ieſus primogenitus mortuorum recte creditur. Moyſi iterum poſt hanc viſionem corpus ſepulturæ commendaſſe, & ipſum in noviſsimo die, quando reſurgent mortui, aſſumere ſperatur. Confirmatur. Multi Patres vt ſunt Tertullianus contra Marcionem *lib. 4. cap. 22. & lib. contra Prax. cap. 14.* Irenæus *lib. 4. contra Hareſes, cap. 37.* Cyril. Ieroſolym. *Cathecheſi 10.* Orig. *homil. 12. in Exodum aiunt*: hanc oſtenſionem Gloriæ factam Moyſi in transfiguratione fuiſſe adimpletivam illius promiſsionis, quam Deus ipſi fecerat de oſtendenda ipſi Gloria, *Exodi 33. & Num. 12.* ſcilicèt loquendi os ad os cum illo. Sed hæc non merè intelligunt de viſione intellectuali, ſed de corporali etiam: ergo, &c. Minor pro cæteris probat D. Irenæus, ſic loquutus. *Quando vero tranſierit claritas mea, tunc videbis quæ ſunt poſteriora mea, facies autem mea non videbitur tibi: non enim videt homo faciem meam, & vivit: vtraque ſignificans quoniam, & impoſsibile eſt homini videre Deum; & quoniam perſapientiam Dei in noviſsimis temporibus videbit Deum homo in altitudine petræ, hoc eſt in eo, qui eſt ſecundum hominem eius adventus: & propter hoc facie ad faciem confabulatus eſt cum eo in altitudine montis, aſsiſtente etiam Elia quemadmodum Evangelium retulit, reſtituens in fine priſtinam promiſsionem.* Atqui hic clarè dicitur, quod confabulatio habita in monte talis fuit vt permitteret, Moyſem in ſuo corpore vivere: ergo de viſione corporali loquutus fuit.

5 Probatur 2. A ratione illa apparitio Moyſis eo modo debet intelligi in ordine ad corpus eius, quo ſit conformior ipſi Moyſi, & textui, & ſocio ſecum comparenti, deinde Chriſto, cum quo loquebatur, ac poſtremò ipſi myſterio illic celebrato. Sed congruentius eſt ad hæc omnia, quod Moyſes in proprio ſuo corpore apparuiſſet: ergo ita fuit. Mai. videtur fundatus modus interpretandi id quod littera textus expreſſe non tradit. Min. ſic. Probo per partes, & in primis primam. In primis quoad planiorem acceptionem textus congruentior eſt Moyſes verus, tàm corpore, & anima, quàm ſolum in anima apparens; ſed deinde perſona Moyſis ea fuit, vt nedum aliàs videret fulgores, & audiret vocem de Cœlo delapſam; ſed cum ipſo Deo, & in magnifica Gloria loqueretur cum ipſo vivus animo, & corpore, vt conſtat *Exodi 32. num. 12.* & ex noſtra quæſt. de Moyſe, *tom. 1.* tradita: ergo, &c. Probo ſecundam partem: ſocius talis apparitionis erat Elias. Sed hic vtpotè adhuc ſuperſtes veniebat animo, & corpore præſentandus: ergo, & ſimiliter Moyſes. Conſequentia patet: quia tàm promptum erat voci Dei, & miniſterio Angelorum corpus ibi ſimul cum anima Moyſis præſentare, quàm deportare illuc animo, & corpore Eliam alibi extantem. Probo tertiam partem ſic. Nulla creatura hactenus eſt perſonaliter loquuta cùm Deo, nec loqui poteſt per ſubſtitutum, atque phantaſma; ſed tale ibi fuiſſet corpus aſſumptum: ergo Moyſes in vero corpore cum Chriſto, & Domino Deo ſuo colloquutus eſt. Probo mai. in qua eſt difficultas. Aliquem loqui pro alio non delegativè, neque interceſſorie, ſed perſonaliter in propria perſona dicendo: *Ego ſum, ego dico, ego facio*; minimè eſſe poteſt creaturæ ad creatorem, ſed ſolus eſt creatoris ad creaturas in ſtatu viæ: ergo, &c. Probatur anteced. Hæc loquutio per ſubſtitutum ſic perſonale ſolum eſt eius perſonæ, quæ propter altitudinem ſuam omninò eſt ſupra ſphæram audientis, vt conſtat in opinione noſtra, & aliorum dicentium propterea, omnes Dei apparitiones factas fuiſſe per Angelos. Sed implicat, quod creatura cum Creatore ſic ſe habeat, & quod coram ſuo Domino proprietatis altiſſimo, & occulatiſsimo ſe ſiſtat cum eis, quæ

quæ non ſunt ſua. Quia omnia nuda ſunt, & aperta oculis eius: ergo, &c. Confirmatur, & explicatur. Ideò vna creatura, v. g. anima Purgatorij poteſt in corpore aſſumpto perſonaliter loqui cum altera, quia nimirum ſtatus in quo illa verſatur eſt vltra ſphæram viſivam, & auditivam audientis; & aliter loqui nequiret: ergo coram illo, qui infinitè excedit omne ens, & omne intelligibile, nulla perſona poteſt loqui, perſonaliter per corpus aſſumptum, licet poſsit loqui, interceſſorie rogando; non tamen delegativè propter defectum authoritatis in creatura, & immediationem immenſitatis in Deo. Quorum ratio à priori eſt: quia talis loquutio in creatura per ſubſtitutum, eſſet falſitas; ſed in Deo reſpectu creaturæ, & in Angelo, & anima ſeparata reſpectu viatoris eſt veritas, quæ ab eis explicatur modo quo poteſt. Probo denique quartam partem: quia tale myſterium fuit quædam ſtatuta teſtificatio Mediatoris, & Salvatoris exhibenda à Cœlo, & terra, & omnibus ſæculis eo vſque prolapſis, ita vt inibi quaſi in ſæculorum tripode conſediſſent, lex per Moyſem, Prophetæ per Eliam, & Evangelium per Dominum Ieſum, citatis interea, & collocatis graviſsimis teſtibus auritis, & oculatis Petro, Ioanne, & Iacobo; ſed hic conſeſſus conteſtariſsimus ſæculorum veram ſibi conteſtationem non adrogabat, ſi non omnis omninò perſona ex colloquentibus eſſet omninò eadem, & adæquatè individua, prout per ipſam geſta fuerunt ea negotia, & facta, quæ ibi in ſolemniſsimam conteſtationem adducebantur: ergo ratio ipſa myſterij etiam poſtulat Moyſem in vero corpore, & anima comparuiſſe.

6 Obijcies 1. Iuxta noſtram ſententiam Moyſes non ſemel tantum, ſed bis mortuus eſſe convincitur; ſed hoc videtur dici non poſſe: ergo in ſuo corpore non apparuit. Maior eſt clara; nam, ſi poſtquam mortuus fuerat, in illa apparitione reſurrexit; etiam quando diſparuit rurſus datus fuit ſepulturæ, vt expreſsè tradidit ſupra Author de mirabilibus Sacræ Scripturæ. Probo min. Quando multi SS. PP. expreſsè defendunt Moyſem nunquam mortuum fuiſſe, videtur quis minus reverenter, & nugatoriè interpretari Scripturas, eliciendo ex eis, ipſum, non ſemel tantum, ſed bis mortuum fuiſſe. Nam eſt quaſi tacitè incuſare illos PP. quodminùs diligenter ſcrutati ſint Scripturas, dum negant ſemel mortuum, eum qui ex ipſis bis mortuus eſſe convincitur. Sed reipſa multi SS. PP. dicunt Moyſem non mortuum fuiſſe: ergo, &c. Minor patet ex noſtro Suario, qui *tom. 2. in 3. part. diſp. 32. ſect. 2.* recenſet id ſuſtinentes Hilar. *Canon 20. in Matthæum.* Ambroſ. *lib. 1. de Cain, & Abel, cap. 2.* Hieronym. *ſuper Amos 9.* & Niſſenum *lib. de Vita Moyſis*, cum alijs Authoribus. Ad hoc argument. reſp. primo negand. maior. dici enim poteſt, quod quamquàm ipſe in transfiguratione reſurrexiſſet, tamen rurſus non fuit mortuus; ſed pariter cum Elia translatus, & reſervatus in finem, vt cum eo eſſet duplex ille teſtis, qui *cap. 11. Apocalyp.* dicitur in fine ſæculorum eſſe venturus. Ad quem diſcurſum invat primo. Quòd cum Elia pariter nubem intraſſet, & modo ſimili diſparuiſſet. Secundo. Quia, ſi ij, qui cum Domino ſurrexerunt, ex tanta gratia, & conſortio iterùm non rediere ad ſepulchrum; ſimilis favor poterit ex tam magnifica gloria in Moyſe cogitari. Tertio. Quod, ſi purus homo, ſcilicèt, vir ille Sanctus Epiſcopus Stanislaus Polonus poſtquàm hominem ſuſcitavit, ei liberum reliquit, ſi rurſus vivere vellet; congruentius eſt, credere de Authore vitæ, non iterum miſſurum eſſe amicum ſuum Moyſem in corruptionem, & cineres. Quæ omnia fulciuntur cum verbis graviſsimis „ Maldonaij: Veriſsimam ego cauſam „ cur Moyſes, & Elias apparuerint eſſe „ arbitror, quam doctus quidam noſ-

„ tri temporis interpres indicavit. „ Quod voluerit Chriſtus futuri adventus ſui imaginem repræſentare; „ ante ſecundum autem eius adventum Moyſes, & Elias venturi ſunt: „ quemadmodum ex *Apocalyp. cap.* 11. „ 3. 4. 5. 6. haud obſcurè colligitur. „ *Et dabo*, inquit, *duobus teſtibus meis*, „ *& prophetabunt diebus mille ducentis* „ *ſexaginta amicti ſaccis*; *hi ſunt duæ* „ *olivæ*, *& duo candelabra in conſpectu* „ *Domini ſtantes*, *& ſi quis eos nocere* „ *voluerit*, *ignis exiet de ore eorum*, *&* „ *devorabit inimicos eorum*, *& ſi quis* „ *voluerit eos lædere*, *ſic oportet eum occidi. Hi habent poteſtatem claudendi* „ *Cœlum*, *ne pluat diebus prophetiæ ipſorum* (quibus verbis Elias) *&* „ *poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem*, *& percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint* (quibus verbis Moyſes apperte „ deſcribitur.) Hactenus Maldonatus. Et vero negari non poteſt; quin hæc præter Eliam magis deſignent Moyſem, quàm Enoch; licet hic propter illa alia *Eccleſiaſtici* 44. *Enoch translatus eſt in Paradyſum, vt det Gentibus pœnitentiam*, iure venturus quoque eſſe credatur; quin propterea de noſtro etiam Moyſe ex tali textu, & tanto Interprete probabilitas excidat.

7 Reſpondeo 2. Ad idem argumentum permiſſa mai. neg. min. ad cuius probationem. Reſp. diſt. maior. ſi ad præſentem quęſtionem debet præſupponi cum alijs PP. & DD. ſententia contraria talibus PP. neg. mai. Si non debet ſupponi, ſubdiſt. eam ſimul cum probatione ſubiuncta: ſi adſit Sacra pagina expreſſa pro parte contraria cum cætu Doctorum, neg. maior. alias, conc. maior. & conc. minor. neg. conſeq. Itaque non poteſt noſtra quæſtio locum habere niſi præſupponatur, quòd Moyſes verè mortuus fuit; alioqui planè ipſe in corpore ſuo veluti Elias comparuiſſet: non ergo obſtare poteſt dicta ſententia Patrum, contra quam id ſupponitur: præterquam quod hæc non ita recepta ſit à Doctoribus, quando expreſſa eſt Scriptura in contrarium, *Deuteronomij* 34. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes in terra Moab, iubente Domino.* Solent enim non rarò SS. PP. in eis locis Sacræ Scripturæ, in quibus littera textus non ſe pandit omninò, ſed portendit ſe ſibi quaſi diſcrepantem; id in ea meditari, & ſentire quod magis pium, & glorioſum eſt Deo, & electis ſuis, & operibus eius: quia cum ſint plane ſancti, quæ vera ſapientia eſt, & pleni pia affectione, & fide; dum per textus licet, vergunt ad pia: contra, ac faciunt Hæretici, qui in eiſdem tractibus ſtatim vergunt ad impia, & quadam, quam ipſi vocant Criticam, tumeſcentes non verentur Patres, & ipſorum ſapientiſsima pronuntiata cavillari, parvipendere, & ſubſannare. Quod vellem hic notari à plurimis, qui forte pias, & plures interpretationes Patrum non probent alicubi, lubentius interim ſuffragantes queiſdam, qui homines magis emunctæ naris appellari, & ſe appellare conſueſcunt. Nam quamquàm labentibus ſæculis, ita vt iuxta *Danielem* 13. *Multiplex pertranſeat ſcientia*, ſenſus alicubi litteralis magis clareſcat, & probetur cœtui Doctorum; nihilominus nedum mihi veneratione ſunt maximæ, ſicuti, & alijs plane eſſe debent, non ſolum illæ interpretationes Sanctorum Patrum, quæ pietate potius, & devotionis oleo magis quàm humano cerebro, & ſevera criſi redundant; ſed & illæ vbi doctiſsimi homines cuiuſmodi Hieronymus, & Auguſtinus, ſtupenda humilitate in quibuſdam quæſtionibus plane pronuntiant eas eſſe inſolubiles. Atque fremant licet heterodoxi, hic eſt modus interpretandi Scripturas, hic eſt donum ſcientiæ, & intellectus, vt nimirum, quæ non aſſequitur mens humana pio ſcrutinio, aſſequi poſtmodum non deſperet, ſi in ſui iudicij iuſta diffidentia, & in ſua humilitate permaneat: quia ſemper fuit, & eſt, & fu-

futurum eſt verum illud, quod confeſſus eſt Chriſtus Dominus: *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater quoniam ſic fuit placitum ante te.* Ego etiam itidem fateor me fuiſſe digreſſum; ſed lector Catholicus iudicabit hanc rem eſſe ſummi momenti, neque prætereundam dum venit ad calamum, & non importune vt modo fit. Nam prædicti illi PP. cernentes Moyſem ex Verſione Septuaginta dici mortuum cum quodam inſolito adiecto, ſcilicèt, *mortuus eſt ibi iuxta verbum Domini.* Quod Verbum vivificat, vt dicit Ambroſius; & aliundè noverint ſepulchrum eius nuſquam comparuiſſe, & verba Apocalypſis ſupra data; pium iudicarunt Moyſi Legislatori electiſsimo adſcribere privilegium illud, quod de Enoch, & de Elia Scriptura decantat. Igitur præſuppoſito ad noſtram quæſtionem, quod Moyſes mortuus fuiſſet; probabile fit authoritate, & ratione à nobis tradita, quod in vero corpore reſurrexerit, & quidem non pluſquam ad teſtificandum, velut ille Polonus, qui ab Stanislao ſuſcitatus in teſtem, poſtquàm teſtificatus eſt, rurſus quievit in pace: vnde, ſi Moyſes nihil iam erat acturus in ſæculo, rurſus in ſepulchro dormivit, ſi autem ſecùs; à Domino erat cum Elia tutiſsime conſervandus.

8 Obijcies 2. Quando textus aliquis poteſt legitimè ad litteram intelligi cum ea divina providentia quæ in Eccleſia eſt ſolemnis, & receptiſsima, non debet induci miraculum quod eſt difficilimum. Sed huiuſmodi eſt miraculum ſuſcitandi mortuum, & aliunde ſolemnis eſt recepta Theologia eſt, quòd Angeli, & Animæ ſeparatæ appareant in corporibus aſſumptis: ergo apparitio Moyſis in Monte ſic dicenda eſt contigiſſe. Confirmatur, ex doctrina Illuſt. Siuri. Animæ ſeparatæ non ſecùs ac Angeli propter eminentiam ſupra ſenſibilia, & corporea poſſunt ſibi de Elementis corpora aſſumere quæ moveant, & quibus vtantur tanquam inſtrumentis ad commercium cum rebus corporeis. Sed pro re, & tempore brevi id erat connaturalius animæ, ſivè à ſe ipſa, ſivè à miniſterio Angeli, quam proprium corpus reformare, & informare: ergo, &c. Ad hoc argument. reſp. diſting. mai. Quod eſt *difficilimum ſolum reſpectu creaturæ.* Neg. mai. quod eſt *difficilimum reſpectu Dei*, ſubdiſtingo, *quoad quid eſt.* Nego ſuppoſitum; *quoad an eſt* iterum, ſubdiſting. *per ſe loquendo*, conc. maior. *In circumſtantijs*, neg. mai. & diſt. min. reſurrectio mortui patranda per medium creaturæ eſt difficilimum, id eſt, *rariſsimum*, conc. minor. *reſpectu Dei*, ſubdiſt. Eſt difficilimum *quoad an eſt*, quia rariſsimè Deus hæc facit, conc. min. Eſt difficilimum *quoad quid eſt*, neg. min. Quia perinde eſt Authori vitæ reanimare membra iam mortua, ac ſanare infirma, quod videmus paſsim. Et neg. conſeq. Pro cuius quidem ornatu, & confirmatione doctrinæ, pulcherrimum eſt, *cap.* 37. *Ezechielis*, in quo ad illa duo verbula: *Oſſa arida audite verbum Dei*: à quatuor ventis venit ſpiritus, & ſurrexit, & ſtetit ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde.

9 Itaque pro explicanda doctrina huius argumenti duo exponenda ſunt: alterum quod in transfiguratione non ſufficiebat ſolita apparitio animarum: alterum quod miraculoſa reſurrectio Moyſis ibi eſſet facilis, & oporteret. Quoad primum. Dico quod in primis permitto animas ſeparatas poſſe ſibi aſſumere corpora, ſivè id ſit Angelico miniſterio, prout ad rem hic ſatis erat, ſivè à ſe ipſis: & dixi *permitto*: quia licèt Illuſt. Siurius in ſua Theologia de Noviſsimis, & de Angelis id vbertim atque erudite promoveat, nihilominus ego pace ſua cenſerem id non eſſe tam facile: ſiquidem vnicuique rei manet, & eſſentialis eſt ſua ſphæra. Animæ autem rationali omnino interdicta eſt ſphæra, & communicatio

ad

ad ſenſibilia, & corporea niſi in ſtatu informationis ad corpus. Quare ipſa in ſtatu ſeparationis poterit operari in linea intelligibili; ſed nullatenus erit neque activa corporeè vt patet, neque activa in corporea niſi rurſus informet, ad quod eſſentialiter deſtinata eſt. Quo circa, quemadmodum Deus creans hominem, non prius animam creavit, quæ poſtea per ſe ſibi de limo terræ corpus aptaret, ita cum Deus decernit aliquam animam apparituram, prius miniſterio Angelorum aereum corpus, ſive vehiculum eius aptat, & format, quod ipſa poſtea ingrediens, non informat, ſed movet. Angeli vero cum ſint miniſtratorij Spiritus inter Deum, & mundum, corporis expertes ſunt, ſed tamen deſtinati ad tractanda, & movenda corpora pro iuſſu Dei: vnde, & appellari conſueſcunt *intelligentiæ motrices*. Permiſſa autem ea doctrina dico, non ſufficiſſe pro myſterio transfigurationis celebrando apparitionem Moyſis ſolum in corpore aſſumpto propter totam ſecundam noſtram probationem rurſus hic refricandam. Quo accedit quod actiones præſtitæ in corpore aſſumpto, vt conſtat ad tractatum de Angelis, ſolum ſunt ſimbolicæ eorum corporum quæ imitantur, non tamen vitales. Quomodo ergo credi poterat Moyſem adductum ad teſtificationem ſolemniſsimam ſæculorum, & promiſſionum Meſsiæ, quas ipſe fecerat vivens, tùm recitando, Geneſ. 2. *Ipſa conterat caput tuum*, tùm Prophetando, Deuteron. 18. *Prophetam de fratribus tui ſicut me ſuſcitabit tibi.* ibi coram Deo ſuo non humanitus, & vitaliter, ſed ſpectro quodam inanimi comparuiſſe; cum tam facilis fuiſſet ſibi à Domino reſurrectio? Quoad hoc igitur ſecundum iam explico terminos datos circa difficultatem miraculi: eius enim vel oportunitas, vel neceſsitas ex ſuperioribus, & ex noſtra ſecunda probatione iam conſtitit. Aio ergo 1. Quod inter homines dicitur, & eſt hoc genus miraculi difficilimum, quia quid altius eſt in eo genere, & non in communi gratia miraculorum comprehenſum: quippè quod ſit illud quaſi primum diſcerniculum, quod datur veri miraculi à falſis: proindeque etiam Sanctis viris non facilè indultum. Secundo. Quod hoc miraculum *reſpectu Dei* abſolutè loquendo implicat quod ſit difficile: quippè omnipotenti totidem ſunt facilia, quot ſunt factibilia. Tertio. Dico, quod tale genus miraculi etiam reſpectu Dei, poteſt in ſano ſenſu dici difficillimũ in ſenſu comparativo, & relativo ad creaturas, & miracula quæ ipſis indulget: vnde idem eſt ipſi eſſe difficillimum, ac eſſe rariſſimum, & nobis impetratione difficilius, quam alia multa. Quarto denique. Dico *reſpectu Dei* ſe ſolo operantis tam facillimam fuiſſe reſurrectionem vel animationem ſecundam, quam fuit in quolibed animatio prima. De quibus omnibus de primo ad vltimum confici videtur plena reſponſio ad argumentum, & confirmationem, oſtendendo quod licèt generatim loquendo non ſtatim credenda, & inducenda eſt reſurrectio mortui vbi non conſtat; tamen credi debuit in tali myſterio. Ad confirmationem patet ex dictis.

10 Obijcies 3. Eatenus in transfigurratione dici deberet Moyſes in vero corpore adfuiſſe, quatenus non eſſet propriè Moyſes niſi ſuo proprio corpore conſtaret, ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Min. probatur. Quia ad veritatem, & proprietatem apparitionis ſufficit anima eius in corpore aſſumpto: tùm quia verè deſcendit Ieſus ad inferos; & deſcendit ſola anima, tùm, quia 1. *Regum* 28. Samuel verè apparuit Sauli cum ſola anima, quin reſurrexerit: tùm, quia ex communi doctrina Eccleſiæ ſic fiunt apparitiones Sanctarum, & animarum: ergo, &c. Confirmatur. Eatenus ibi talis apparitio non eſſet ſatis, quatenus deberet eſſe verè teſtificativa. Sed ſic poterat eſſe in corpore aſſumpto: ergo, &c. Min. patet, quia Angelus apparens Paſtoribus,

Lu-

Lucæ 2. & apparens Deiparæ, *Lucæ* 1. 26. & apparens Zachariæ, *Lucæ* 1. 11. & alij plures apparuerunt in corpore aſſumpto; ſed tamen fuerunt teſtes locupletiſsimi illorum myſteriorum: ergo ſimiliter potuit eſſe Moyſes in transfiguratione. Ad hoc argumentum reſp. diſting. mai. Quatenus non eſſet verus Moyſes coram Deo, & prout poſtulabat myſterium, conc. maior. quateuus non eſſet verus Moyſes quoad animam partem principaliorem ſui, neg. maior. & reſpectivè diſtincta minor. neg. conſeq. & ad probat. planè, conced. mai. In quibus recenſentur apparitiones factæ in corpore aſſumpto, & diſting. minor. Fuerunt teſtes coram hominibus, & in tempore, caſu, & teſtificatione particulari, conced. minor. coram Deo ipſo, & in teſtificatione omnia ſæcula concernente, & convocante, neg. minor. & conſeq. Itaque non negamus ſolitas apparitiones veras quidem eſſe, quando ſpiritus ille proprius apparet, licèt in corpore aſſumpto, eò quòd apud homines tunc caſus nihil petatur vlterius, quandoquidem Spiritus eſt qui pro Angelo vel homine maximè ſupponit; attamen veritas perſonæ in Moyſe, quæ ibi poſtulabatur erat longè maior: ſiquidem coram factore ſuo non poterat dici omnino vera perſona Moyſis, quæ in vno ſuppoſito claudat corpus, & animam, illa quæ ibi appareret relinquens corpus in ſepulchro, & portans ſecum geſtatorium figmentum; & inſuper, quia in eo myſterio non tam requirebatur aliqua loquutio Moyſis, quam ipſamet exhibitio, & præſens conſenſus legis, Evangelij, atque Prophetarum. Ad confirmationem. Reſpondeo primo, cum ſupra dictis, quod in teſtificatione transfigurationis, tùm propter Creatorem præſentem, tùm propter ſæcula quæ in perſona Moyſis, & Eliæ protrahebantur in medium, debebat eſſe teſtificatio quoad perſonã ſimplicior proprior, & purior. Reſpondeo ſecundo, conceſſa maiori, neg. minor. ad cuius probationem, conceſ. maior. & min. nego conſequentiam. Quia iuxta ſupra dicta anima non poteſt ita vt Angelus adduci ad teſtificandum in corpore aſſumpto, licèt alias apparere poſsit, & ideo ille defunctus Polonus qui ſuſcitatus fuit in teſtem corpore, & anima reſurrexit. Ideoque, & Lazarus tam idoneus teſtis Domini fuit. Angeli vero cum potius ſint deſtinati ad commercia humana, & quaſi humanitus nequeant ſe gerere, niſi in corpore aſſumpto; ideo congruentes fuerunt teſtes ibi relati, ſicut & Raphael in itu, & reditu cum Tobia.

11 Al calcem obſerva primo. Quod præter rationem datam, quare tres illos Apoſtolos aſſumpſit Dominus, tradit aliam non incongruam noſter Lorinus, 2. *Petri* 1. dicens propterea his delicijs, & quaſi ſemine Gloriæ fuiſſe hos tres Diſcipulos circumdatos, & obarmatos: quia nimirum ipſi forent qui cum eo pariter in horto cum tribulatione, angore, & mæſtitia erant congreſſuri. Secundo. Quod cum prohibuiſſet Chriſtus Diſcipulis dicere talem viſionem vſque ad tempus reſurrectionis; Suarius, & Siurius, ex Damaſceno eam rationem probant, videlicèt, ne cæteris Diſcipulis ſtimulus invidiæ aut zelotipiæ adhæreſceret; atque id Iudam magis ageret in furorem. Ego ſanè quæ tales Authores probant ſemper revereor. At video, primo Chriſtum D. de Gloria humana inde reſultante ſemper caviſſe, tùm hic, tùm cum Paralytico, cui etiam id inhibuit, tùm cum dœmonibus, cum eos increpans *non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Video ſecundo, quod Chriſtus generatim, & non ſolum reſpectu Diſcipulorum id dixerit. Vnde conijcio, pro illo magiſterio ſuæ humilitatis perpetuo. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*, ſemper caviſſe, & docuiſſe Diſcipulos, ne etiam in miraculis Gloria humanitus quæreretur.

***

JHS.

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET HABEMVS FIRMIOREM PROPHETICVM Sermonem, cui bene facitis attendentes. 2. *Petri* 1. *verſ.* 19.

ARTICULUS.

QUOMODO INTELLIGENDUM SIT, QUOD SIT FIRMIOR ſermo propheticus, quàm vox Patris audita in Monte Tabor?

1 SUppono 1. Rationem dubitandi in hac quæſtione ſponte naſci ex ipſo contextu, ſiquidem prius dixerat Apoſtolus Petrus in eodem capite *verſ.* 17. de Chriſto Domino in ſua transfiguratione hæc verba: *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipſum audite, & hanc vocem nos audivimus de Cœlo allatam cum eſſemus cum ipſo in Monte Sancto*, & poſt hæc verba ſtatim ſequuntur ea, in quibus dicit Apoſtolus habere ſe firmiorem Sermonem propheticum, in teſtimonium Chriſti. Ex quibus ſtatim oritur dubitatio. Nam ſi teſtimonium de Chriſto præſtitum in Monte Tabor, fuit tàm evidens in magnifica gloria, & tàm expreſſum per verba illa, tàm præciſa, & clara: *Hic eſt filius meus dilectus*, necnon à Deo Patre prolata quomodo eſſe poteſt, quod ſermo quiſpiam alius, licet propheticus, evadat firmior, aut certior, quàm ille qui ab infinitè ſapienti, & potenti pronuntiatus eſt? Alias claritas veritatis magis reſideret in aquæductu, quam in fonte: ſiquidem Prophetæ non fuerunt niſi organa, per quæ humano medio ſe aperuit nobis divina veritas. Quæ certe nequit non eſſe purior quando ex ipſo ore altiſsimi prodierit. Præterea in ipſa transfiguratione per Moyſem, & Eliam convenere illuc ſuper perſona Chriſti teſtimonia, & oracula prophetarum: Si ergo hæc Petrus ibi bene intellexerat, quo ſenſu poteſt nunc dicere loquendo de Sacris Scripturis, ſe habere ſirmiorem propheticum ſermonem? Nam hic ſe ipſo firmior eſſe non poteſt. Fit ergo inde quæſitum in hac re ſatis dignum, & doctrinale. Vnde clareſcat doctrina, tùm circa Scripturas, tùm circa revelationes.

2 Suppono 2. Quod circa obligationem credendi, & virtutem fidei ſump-

ſumptam quidditativè pro habitu, quo credimus veritates nobis à Deo revelatas, eodem modo Theologicè diſcurrendum eſſe de fide tàm novi, quàm veteris Teſtamenti. Vnde prout conſtat ex P. Benedicto Iuſtiniano in hunc locum plurimi SS. PP. eamdem fuiſſe aiunt priſcorum Patrum fidem eum fide noſtra, niſi quod illa erat aliquantò obſcurior, noſtra explicatior, & dilucidior; illa tempus futurum ſpectabat; noſtra præteritum. Quod patet primo ex Irenæo *lib. 4. contra Hæres, cap. 13.* ibi: *Et nos eamdem fidem accipientes, quam habuit Abraham*: ex Epiphanio initio Panarij, ibi: *Operabatur tunc pietas, & impietas; fides, & incredulitas, fides quidem Chriſtianiſmi imaginem obtinens.* Et tandem fuſius ex D. Auguſt. *tract. 45. in Ioann.* & alibi vbi de more ſuo, ſic loquitur: *Ante adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo humilis venit in carne, præceſſerunt iuſti, ſic in eum credentes venturum; quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata ſunt, non fides, quia & ipſa verba pro tempore variantur, cum varie declinantur. Alium ſonum habet venturus eſt; alium ſonum habet, venit: mutatus eſt ſonus. Venturus eſt, & venit: eadem tamen fides vtroſque coniungit, & eos qui venturum eſſe, & eos qui veniſſe crediderunt.*

3 Suppono 3. Id quo ſolet eſſe non infrequens, ſcilicèt eos, qui ad Sacras Scripturas accedunt ſpiritu nimis critico, & iudicij humani ſectatore pluſquam oportet, quandoque hallucinari, & ceſpitare in tractibus planis, creando ſibi difficultates: vnde ait Benedictus Iuſtinianus: *Torquentur hoc loco nonnulli ſeque verſant in omnes partes vna Apoſtoli vocula perterriti.* Itaque Eraſmus ille Roterodamus, quem Salmeronius noſter appellat cenſorem mundi, & qui propterea in ſuis operibus ſcatet, & litteris, & litturis, in hoc loco quaſi manu tentans hac, & illac viam non adinvenit, qua vocem illam *firmiorem propheticum Sermonem* catholicè, & veraciter retineret; ſed primo *firmum* pro *firmiorem* putavit eſſe legendum: vnde & irrepſere nonnulli codices Græci ita ſcribentes: huiuſcemodi enim critici, & facilius Hæretici non morantur, quæ cogitant ipſi, ſtatim recudere. Secundo mutato Omicron in Omega elicit hunc ſenſum *firmiorem propheticis Sermonibus*, quaſi vox Patris fuerit confirmativa Sermonis prophetici. Tertio corrumpens interpretationem dicit, firmiorem propheticum Sermonem fuiſſe, quem Pater Æternus dixerat, prophetans verba, & opera filij ſui ſibi eſſe placitura, huncque Sermonem Patris ideò eſſe firmiorem Sermonibus prophetarum, quatenus hi ſunt ſpiritualiter intelligendi. Ecce quò ruunt ingenia male feriata: nam Eraſmus in hoc tertio magis ille conquieſcit, in quo intervenit ex alia parte ſtupenda abſurditas vocandi Patrem Prophetam Filij, & ex alia tanta ſubverſio Scripturarum, vt oracula Prophetarum de Chriſto ſolum ſpiritualiter ſint intelligenda; atque adeò cum dixit Chriſtus Iudæis *ſcrutamini Scripturas, ipſæ enim loquuntur de me* non niſi ad ſpirituales ſenſus inibi intelligendos remiſiſſe illos. Quod quis dicere audebit?

4 Atque huc cum venerimus; ſubit animum adiungere cauſam, propter quam Eraſmus, & alij ſimiles multis litteris humanioribus onuſti, & ianuas linguarum ſine fræno ingreſſi, ſæpè in exponendis Scripturis ſolent impingere: quippe, nimirum, vt ad penetralia, & ad arcem veritatis accedant largos miſcent Sermones cum vilioribus ancillis, quæ in infimo atrio conſidentes eos illicio falſo decipiunt, & totam arcem in gyro circumeunt, nunquam intrantes; & famulam illam fideliorem, & prope Dominam aſſidentem amandant, atque contemnunt. In quo licet proceſſi allegoricus, tamen mox ſum clarus: quia nemo neſciet; quin dicam, huiuſmodi homines plus iuſto indulgere amænioribus litteris

ris, à quibus solent circumveniri; & Theologiam Scholasticam, in qua cardines super firmes extat fidele ratiocinium veritati propinquans, non solum negligunt, sed illam mordent, & criminantur. Vnde ipsi potius hæc crimina incurrunt: veluti in hoc præsenti casu contingit. Si enim Scholasticas positiones habuisset bene perspectas, non veniisset in eas torturas, siquidem vt carni potest apud Cornel. Lorin. Benedict. Iustinian. & alios in hunc locum; illa loquutio Petri omninò retenta, prout iacet in sana veritate, & Theologia, pervia est intellectu. Quo circa noverint eruditi quantam opem, & auxilia præstet Theologia Scholastica ritè diducta ad expositionem Scripturarum. Neque enim par est, vt hæc propter vnam vel alteram quæstionem, vel hypothesis subtilioris, vel ingenij plusculum luxuriantis, negligantur margaritæ, quas continet: longè enim plus, & cum peiori iactura se dedunt ingenia amænioribus litteris vbi disolvuntur, quam spinetis Theologicis vbi cinguntur, & coarctantur.

5 His positis pro diversis vijs expositionis assignari potest diversitas sententiarum. Et quidem pro prima poterit recenseri illa, quam primam posuimus ex Erasmo, quatenus aliqui Doctores non respuere videantur id, quod dixerat de positivo legendo pro comparativo, pro quo citantur apud Lorin. hic Fevardenc. Gagneius, Saa, & Salmer. quamvis vt subnotat, id cursim probent, ea nimirum ex parte quatenus inter Hebræos talis Idiotismus notus est; at ipsi cum August. & Beda aliàs partes sequuntur. Secunda sit simili modo Titelmani, qui cum Isidoro clario secundam illam intelligentiam susciperet, qua vox Patris Æterni firmaret cæteras Prophetias de Christo: & hoc ritè intellectum verum est; quandoquidem firma cum æque firmis ritè confirmari dicuntur; Titelmanus autem etiam sequitur communiorem sententiam. Tertia sententia asserit ly *firmiorem Propheticum sermonem*, loquendo de illis verbis. *Hic est filius meus dilectus* concernere ad verba David dicentis. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quasi hic clarius quam alij Prophetæ, & non per visiones imaginarias, sed ex illustratione intellectus id dixerit. Ita Hugo Cardinalis, Nicolaus de Lyra, Cartusianus, apud Lorinum. Quarta sententia. Intelligit ly *firmiorem* referendo firmitatem non tam obiectivè ad obiectum seu rem, seu sermonem credendum; sed subiectivè ad personas credituras, & de certitudine subiectiva, & adhæsiva assensus. Ita D. August. *serm.* 27. *de Verbis Apostoli, cap.* 4. Oecumenius, Beda, Iustinianus in hunc locum. Quinta. Sumit ly *firmiorem sermonem propheticum* comparativè ad verba D. Petri, & sermonem eius ita etiam Nicolaus de Lyra.

6 Sit nostra conclusio ly *firmiorem propheticum sermonem intelligi debere respectivè scilicèt cum respectu copulativo ad dicentem, & audientes, ita vt sensus sit. Et habemus de hac re etiam propheticum sermonem, qui vobis firmior est, quam noster vobis factus de relato mysterio.* Probatur hæc nostra conclusio, primo ab Authoritate SS.PP. primo Au-
„ gustini vbi suprà, sic loquentis: Quis
„ enim nostrum non miretur, delata
„ voce de Cœlo certionem Propheti-
„ ticum sermonem ab Apostolo dic-
„ tum esse? Certiorem sane esse dixit
„ non meliorem, non veriorem. Tàm
„ verus ille sermo de Cœlo, quàm
„ sermo Propheticus, tàm bonus, tàm
„ vtilis: quid est ergo certiorem, nisi
„ in quo magis confirmetur Auditor:
„ quoniam sunt homines infideles, qui
„ sic detrahunt Christo, vt dicant eum
„ Magicis artibus fecisse, quæ fecit:
„ possent ergo infideles etiam istam
„ vocem delatam de Cœlo per con-
„ iecturas humanas, & illicitas curiosi-
„ tates ad Magicas artes referre. Sed
„ Prophetæ antea fuerunt; non dico

„ an-

„ antea ante iſtam vocem, ſed ante „ Chriſti carnem, nondum erat homo „ Chriſtus, quando miſit Prophetas; „ quiſquis eum dicit Magum fuiſſe, ſi „ ergo Magicis artibus fecit vt colere- „ tur & mortuus; nunquid Magus „ erat antequam natus? Ecce quare „ ait Apoſtolus Petrus. Habemus cer- „ tiorem Propheticum ſermonem. Vox „ de Cœlo, qua fideles admoneantur. „ Propheticus ſermo, quo infideles „ convincantur. Ecce hic Sanctus Doctor putat reſpectivè ad infideles Prophetiam fuiſſe certiorem quam vocem de Cœlo: quippè hanc poterant cavillari; ſed prophetias impletas denegare non poterant. Secundo. Ex Oecumenio idem dicente his verbis. *Propterea quod ex rebus ipſis, & experientia cognovimus quæ à Prophetis fuerunt pronuntiata, certiorem omnem eorum Prophetiam habemus.* Tertio ex Beda, ibi: *Si quiſpiam* (ait) *noſtro teſtimonio diſcredendum putaverit, quod in ſecreto Gloriam Redemptoris noſtri conſpeximus Divinam, quod vocem Patris ad eum factam audierimus; certe ſermoni Prophetico nemo contradicere, nullus de hoc ambigere audebit. Quem Divinis Scripturis iam olim inſertum omnes verum eſſe teſtantur*: ergo de primo ad vltimum illud comparativum *firmiorem* potius ad perſonas loquentis, & audientis referendum eſt, quam ad rem ibi narratam.

7 Probatur 2. concluſio. Modus Magis legitimus hunc locum intepretandi eſt ille, qui magis Scripturæ textus componit ad veritatem; qui melius fundat aſſenſus fidei circa myſteria, & qui melius ſe accommodat ad ſtylum familiarem Epiſtolæ vel concionis. Sed omnia hæc melius expediuntur, referendo illud comparativum copulativè ad perſonas loquentis, & audientium: ergo, &c. Probo primam partem. Melius componit textus ad veritatem ille modus, qui, relicta voce, & ſenſu comparativo, relinquit ſine offenſione ad invicem infallibilia, tùm vocem Æterni Patris, tùm ſermonem Prophetarum, tùm ſermonem Apoſtoli. Sed omnia hæc manent, ſi tale comparativum ſolum ſit reſpectivè ad loquentes, & audientes: ergo, &c. Minor patet, quia certitudo abſoluta ſermonis Patris infallibilis in ſe, diſtincta eſt plane à certitudine reſpectiva audientium. Probo ſecundam partem. Tunc melius fundatur aſſenſus fidei, quando melius diſcriminatur veritas revelata ſecundum ſe, & propoſitio facta revelationis. Nam hoc conſtat *ex tract. de Fide*, vbi ad talem aſſenſum opus eſt, quod res ſit in ſe revelata, & inſuper quod detur certitudo moralis de exiſtentia revelationis. Sed ſi comparativum refertur ad perſonas, manet intacta veritas revelata ſivè à voce Æterni Patris, ſivè à Prophetis, & ſolum fit comparatio quoad propoſitionem de exiſtentia revelationis, vbi ritè fieri poteſt: ergo, &c. Probo tertiam partem. Nil communius in Epiſtola ſuaſoria, & concione in genere deliberativo ad audientes, quam oratorem reflectere ſupra ſermonem ſuum, iam illum teſtando audientibus, iam per figuram conceſsionis illum permittendo debilem tanquam ſuum, vt ad alia ſibi ſuffragantia recurrat, v.g. ſic dicendo: *Nolim mihi credatis, ſed tamen interea audite hunc Doctorem veſtrum*, & ſic etiam Paulus citabat Gentiles. Sed in hoc ſtat noſtra intelligentia illius comparativi, illud referendo quaſi copulativè ad colloquium ſive alloquium Petri ad audientes: ergo de Primo ad vltimum hæc via eſt melior interpretandi.

8 Obijcies 1. Iuxta hunc modum interpretandi non eluditur difficultas de eo, quòd videtur induci aliquis ſermo firmior, quam ſermo Dei clarus, & expreſſus: ergo non eſt recta. Probatur antecedens. In ea dicitur planè quòd ſermo propheticus eſt firmior quàm ſermo ipſius Petri; ſed ſermo huius nullus erat alius, quam illa teſtificatio Æterni Patris: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum au-*

dite. Et hanc vocem nos audivimus de Cœlo allatam, &c. ergo non declinatur difficultas. Ad hoc argum. resp. negando antec. ad cuius probationem, dist. mai. Quam sermo ipsius Petri sumptus obiectivè, & ex parte rei, neg. mai. subiectivè, & ex parte personæ, conc. mai. & dist. min. Erat idem sermo vtriusque sumptus obiectivè, & ex parte rei saltem inadæquatè, conc. min. subiectivè sumptus, neg. min. & conseq. Itaque cuivis mediocriter Scholastico patet, duplicem considerari certitudinem: aliam obiectivam, & absolutam rei in se, aliam respectivam, subiectivam, & personalem: quæ rursus locum habet vel *in loquente*, & tunc est certitudo testificativa maior vel minor iuxta eum modum quo talis persona consueta est maiorem, vel minorem facere fidem; vel *in audiente*, & tunc dicitur certitudo adhæsiva iuxta maiorem, vel minorem firmitatem, qua credit quisque quod audit. Iam ergo certitudo obiectiva, & absoluta solum pendet à conformitate sermonis cum eventu: Quare si loquens infallibilis sit, vel per essentiam vt Deus, vel ex assistentia Spiritus S. vt Propheta, aut Apostolus, non habet maiorem aut minorem firmitatem res dicta secundum se, quia metaphysicè repugnat falsitati: certitudo autem respectiva potest considerari maior aut minor, quando persona loquens potest facere maiorem, vel minorem fidem, vel quia non est infallibilis, vel quia non est cognita vt talis: & similiter certitudo adhæsiva potest esse maior, aut minor iuxta plus vel minus sui ponderis, & adhæsionis ad rem testificatam. Iam ergo dico quod sermo D. Petri, & Æterni Patris obiectivè, & ex parte rei erat idem, sed solum inadæquatè: quia Æternus Pater solum dixit: *Hic est filius meus: ipsum audite*; sed Petrus insuper ennunciavit totum illum sermonem reflexum, nimirum *quod ipse audiverat hæc, & suis oculis speculator fuit magnitudinis*, &c. Vnde in ea parte in qua est idem sermo Petri, & Æterni Patris non ingreditur comparatio maioris firmitatis, sed solum in ordine ad sermonem Petri superadditum, & in ordine ad loquentem, & audientes, quatenus Petrus præ humilitate sua nolebat se parem constituere cum Prophetis à sęculo probatis; sed potius cum testimonijs à sæculo probatis comprobari mysteria, quæ volebat audientibus intimare, eo præsertim quo considerabat audientes maiori pondere adhæsuros esse sermoni prophetico, quam suo. Quasi dicat Petrus, ait Salmeron: *Nemo putet, hanc confictam esse fabulam à nobis, aut vanas Philosophorum disputationes speciem veri habentes, sed mendacijs involutas, & quales etiam sunt Poetarum Metamorphoses.... Quæ enim tunc Apostoli apud Iudæos fideles, aut faciebant, aut dicebant non erant tanctæ auctoritatis quantę veteres Scripturæ, quæ confirmatę, & comprobatæ erant, & in summum authoritatis vestigium evectæ.* Hactenus Salmeron.

9 Obijcies 2. Licèt divinum Oraculum Patris Æterni non gauderet sufficiente propositione, vt audientes à Petro tenerentur credere; tamen D. Petrus non poterat appellare firmiorem propheticum sermonem comparatione facta ad loquentem, qui erat ipse: ergo interpretatio non constat. Probatur antec. D. Petrus æque tenebatur credere fide Divina sermonem Patris in monte habitum, ac sermonem Prophetarum: ergo respectu loquentis, qui erat ipse non poterat sermonem propheticum appellare firmiorem. Ad hoc argum. dist. antec. Ad loquentem vt loquentem, neg. antec. Ad loquentem, & credentem, conc. antec. & neg. conseq. Nam diversimode considerandus est D. Petrus, vel in ordine ad se, vel in ordine ad alios, vel vt audiens revelationem in monte, vel vt loquens ipsam ad populum: vnde quando dixit, esse firmiorem propheticum sermonem respectivè ad audientes, & ad se, non fuit quidem ad se *vt credentem* tali revelationi, sed ad se vt prædicatorem eius

ad

ad populum, perinde ac si diceret: *Habetis sermonem Prophetarum in hac re, qui vobis firmior est, quam ille, quem, de ea ipse facio.* Quapropter concedo lubens quod D. Petrus non posset non habere assensum de mysterio ipsi in monte manifesto, sive quia vita, & miracula Christi testimonium Moysis, & Prophetarum, & tam prodigiosa signa in eo monte contingentia redderent illud mysterium evidenter credibile; sive quia ibi interveniebat evidentia in attestante, hoc est, personæ revelantis revelationis, & sensus verborum, cum qua stare potest fides, vt tenent Graves Theologi; sed hæc omnia licèt faciebant, vt privatus assensus Petri esset firmissimus, & infallibilis; cæterum non obstabant iuxta superius atacta quominus ipse Petrus, vt loquens maiorem vel minorem faceret fidem apud audientes, ipsum diversimode aceptantes: quare, & potuit sine offendiculo dicere firmiorem propheticum sermonem, non solum respectivè ad audientes, sed etiam ad se ipsum loquentem vt talem. Vbi obiter observabis quantum res huiusmodi clarere possint de meditatione Scholastica, & quam iure Cornel. eam ingreditur, & quam sine illo noster Lorinus ad hæc accedens, dicat, se non indigere subtiliore quæstione. Nam profecto famula maior, & fidelior Sacræ cripturæ quæ est Theologia Scholastica non est negligenda quando vtilem navat operam, & suum exhibet famulatum.

10 Obijcies 3. Hæc interpretatio impingit quasi per Tautologiam vt dicat sermonem propheticum esse firmiorem se ipso; sed hæc videtur nugatoria interpretatio: ergo est reijcienda. Probatur mai. D. Petrus in suo sermone, quem ibi facit de transfiguratione, implicitè narrat attestationem Moysis, & Prophetarum super persona Christi: ergo si sermo propheticus in aliquo vero sensu est firmior toto sermone, & historia habita in Monte Sancto, quam Petrus recenset; erit firmior se ipso. Vrgetur. Sermo vivus Prophetæ firmior planè esse debet, quam sermo mortuus, & traditus Scripturæ: ergo sermo Propheticus latens in Scripturis non poterat esse firmior, quam sermo propheticus ex ore Moysis, & Heliæ ibi resonans. Consequ. patet ex verbis D. Petri, ibi: *Sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines.* Ad hoc argum. respond. neg. maior. ad cuius probationem resp. primo dist. anteced. Narratione formali, neg. antec. quasi de materiali, & per concomitantiam, conced. anteced. & neg. consequ. Nam vt patet ex textu ibi cingitur D. Petrus, & contrahit speculationem illius magnitudinis subdens: *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & Gloriam voce delapsa ad eum huiusceemodi à magnifica Gloria: hic est filius dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite, & hanc vocem nos audivimus de Cœlo allatam, cum essemus cum ipso in Monte Sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, &c.* Vnde constat, Petrum ex Tabor solum desumpsisse testimonium de Cœlo, & tam expressum, de filiatione Dei, & ad alia non repexisse per ennuntiationem formalem etiam implicitam; sed tantum ibi credi possunt attacta per intelligentiam implicitam; sed non producta ad testificandum. Responderi posset secundo, sermonem propheticum omnium Prophetarum priorem, quorum eventus iam predicti comprobati sunt, fuisse firmiorem sermone prophetico Eliæ, & Moysis, qui iam ad veniebat post res, & eventus præteritos, & non tàm erat prophetare, quàm testificari: & quidem testificatio de Prophetijs antea factis, & iam adimpletis sumenda erat. Hinc respondetur ad vrgentiam, sivè confirmationem negando propositionem, quę prima fronte videtur esse vera, evidens, & innegabilis: itaque falsum est dicere firmiorem esse sermonem vivum Prophetæ, quam sermonem mortuum eiusdem, & traditum Scripturis (supposito quod vterque sit personæ eiusdem.)

dem.) Ratio eſt clara: quia ſermo propheticus habet ſuam firmitatem à veritate prædictionis, quam facit de re valde diſtanti, & futura: quare quouſque per longa tempora videtur, an eventus correſpondeat prædictioni; ſermo ille, licet fuiſſet propheticus, & ab Spiritu Sancto, quo loquuntur Dei homines, non habetur vt talis, quouſque comprobatur eventus, quod fit poſt mortem ipſius Prophetæ: quia res, quæ accidunt ſub vitam eius cadere forte poſſunt ſub naturalem, & peracutam vim cognoſcendi: *Annuntiate nobis, quæ ventura ſunt, & Dij eſtis nobis.*

11 Ad calcem huius quæſtionis ſubdo verba noſtri Tyrini in hunc locum D. Petri pulchrè explicativa noſ-
„ træ ſententiæ. Sed præter hanc noſ-
„ tram ocularem viſionem Gloriæ
„ Chriſti (inquit nomine Petri) & au-
„ ditionem vocis cœleſtis, quia forte
„ poſſent vobis de illuſione, vel adu-
„ latione ſuſpectæ eſſe, habemus alia
„ de Chriſto eiuſque divinitate teſti-
„ timonia, non quidem veriora in ſe
„ (vt ait S. Auguſtinus) ſed tamen reſ-
„ pectu veſtri firmiora, nempè pro-
„ pheticum ſermonem, v.g. illud *Pſal.*
„ 2. *Filius meus es tu ego hodie genui te,*
„ & ſimilia Prophetarum innumera
„ oracula de verbi Incarnatione, paſ-
„ ſione, morte, mundi Redemptione,
„ &c. quæ omnia pro indubitatis, &
„ infallibilibus teſtimonijs vltrò ad-
„ mittitis, & bene facitis attendentes
„ Scripturæ cœlitùs revelatæ, quaſi
„ lucernæ ſaltem modicæ, & ſub obſ-
„ curæ (non vero inſtar ſolis claræ, &
„ amplæ) lucenti in caliginoſo loco.
„ Id eſt in nocte, & in tenebris huius
„ ſæculi; vbi bene notat S. Ambroſ.
„ *lib.* 7. *in Luc. cap.* 52. Scripturam eſ-
„ ſe lucernam, ſed ſupra candelabrum
„ publicè, atque infallibilis authori-
„ tatis Eccleſiæ, non ſub modio iudi-
„ cij cuiuslibet hominis privati poſi-
„ tam. Hucuſque Tyrinus. Obſerva 2.

Verba Lorini hoc loco adducta forte alicubi deſervitura, & hic non impor-
„ tuna. Hoc præterea notandum, non
„ ideò nos Petro credere, vel Ioanni,
„ quod ſe vidiſſe, vel audiſſe teſtentur,
„ quæ ſcribunt; ſed quia nobis Eccle-
„ ſia eorum proponit ſcripta, tanquam
„ Canonica. Nam Lucas fatetur, ſe ab
„ ijs, qui viderant, Evangelium ſuum
„ didiciſſe. Et Auguſt. 1. *contra Fauſ-*
„ *tum, cap.* 3. Fauſto neganti, creden-
„ dum Mathæo quædam, quæ narrat
„ contigiſſe antequam vocatus eſſet,
„ reſpondet, *ſi nemo de Chriſto vera di-*
„ *cit, niſi qui eum præſens vidit, vel au-*
„ *divit; hodie de illo nemo vera dicit.* Di-
„ cit præterea in libro contra Epiſto-
„ lam fundamenti, *cap.* 5. *Quod evan-*
„ *gelio non crederet, niſi Catholicæ illum*
„ *Eccleſiæ commoveret Authoritas.* Quare
„ iam revelatio facta Petro nobis eſt
„ propheticus ſermo, neque ea firmior
„ eſt alius, quoniam æquè, vt quivis
„ alius, Divinæ rationem habet Scrip-
„ turæ, & publici teſtimonij. Valent
„ nihilominus eiuſmodi particulares
„ revelationes ac teſtimonia partim ad
„ confirmandam infidelium infirmita-
„ tem, partim ad conſolationem fide-
„ lium. Quare Valdenſis, *tom.* 1. *lib.* 2.
„ *Doctrinæ fidei, cap.* 20. & 21. Driedo
„ 4. *de Eccleſiaſticis Dogmatibus, cap.*
„ 4. Durandus non ſatis verè docent
„ primitivam Apoſtolorum Eccleſiam
„ maioris authoritatis fuiſſe, quam
„ quæ nunc eſt ad approbandas Scrip-
„ turas. Regitur etiam modo Eccleſia
„ eodem ſpiritu, nec minus certo de
„ Sacris libris, deque neceſſarijs alijs
„ rebus iudicare poteſt, & conſtat, mul-
„ to tempore poſt Apoſtolos dubita-
„ tum de nonnulis libris, ac tandem
„ Eccleſiæ decreto iudicatos pro Ca-
„ nonicis. Lege Stapletonum *lib.* 9. *de*
„ *Principijs Fidei, cap.* 12. & *ſequentibus.* Hactenus Lorinus.

*

DE

JHS.

DECAS IV.

QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

VENERVNT IN SOLITVDINEM SINAI.

Exod. 19. verſ. 1.

ARTICULUS.

VTRVM MONS SINAI SIT IDEM CVM MONTE HOREB?

1 SUppono 1. Rationem dubitandi in hac quęſtione conſurgere ex varijs locis Sacrę Scripturæ, in quibus iam dicitur lex vetus data in monte Horeb, iam in monte Sinaì. Nam imprimis, *Exod. 16. verſ. 1. vbi ſuprà*, & *verſ. 18. & 22.* dicitur: *Totus autem mons Sinaì fumabat eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne*, &c. Deinde, *Actor. 7.* dicitur etiam lex data in „ monte Sina, *verſ. 38.* ibi: Hic eſt qui „ fuit in Eccleſia in ſolitudine cum „ Angelo, qui loquebatur ei in mon„ te Sina, & cum Patribus noſtris, qui „ accepit verba vitæ dare nobis. Ex alia verò parte dicitur lex data in monte Horeb, *vt Malach. 4. Mementote legis Moyſis ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb.* Et Deuteron. 4. ibi: *Docebis eam filios, ac nepotes tuos à die qua ſtetiſti coram Domino Deo tuo in Horeb quando Dominus loquutus eſt mihi.* Et ſimiliter 3. Reg. 19. Vnde promovetur hic articulus diſputandus: *An videlicet mons Sinaì, & mons Horeb ſit vnus, & idem duplici tamen nomine ſignificatus?*

2 Suppono 2. Ex noſtro Cornelio montem Sinaì eſſe valde celebrem in Sacris litteris: quippè in eo multa contigerunt, quæ etiam nunc temporis cum reddunt valde commendabilem. Nam primo inibi apparuit Deus Moyſi in rubo: rubis enim, ſive rubetis ille mons abundavat; & Hebræa radix id notare videtur. Secundo. Ibidem percuſſa petra, ait ipſe, fluxiſſe aquas largiſsimè, *cap. 17.* Tertio. Ibidem levante Moyſe manus, Ioſue delebat Amalecitas, *cap. 17.* Quarto. Ibi data eſt lex à Deo, *cap. 19.* Quinto. Ibi Moyſes quadragenario ieiunio emenſo accepit tabulas legis. Sexto. Ibidem propter vitulum aureum fregit tabulas, & plures homines trucidavit. Septimo. Ibi Elias ſub ſibilo auræ tenuis Deum vidiſſe narratur. Octavo. Etiam in lege gratiæ huius montis celebritas perſeverat, tùm à ſepulcbro D. Catharinæ ibi per Angelos tumulatæ. Tùm à celebri cœno-

bio ibi ſito, vbi Ioannes Climacus Monachos inſtituebat. Obſervari etiam debet ex eodem Cornelio, *Exod.* 16. *verſ.* 1. quod inibi diſtinguit duplex deſertum *Sin* alterum inter Sinai, & mare rubrum, vbi fuit manſio octava; alterum verò quod *Cades* dicitur, & vbi fuit manſio 33. *Numer.* 20, & 34. Ea vero quæ Cornelius affert de Sina tradit in verbo *Horeb*, *Exod.* 3. & ab eo vterque putatur eſſe idem.

3 His poſitis. Triplex in hac re apparet eſſe ſententia ſuo vnaquæque gravi patrono ſuffulta, qui non poterit, non ſibi alios aſſeclas corrogare. Prima igitur aſſerit, duos illos montes Horeb, & Sinai, tametſi fuerunt proximi, fuiſſe re vera diſtinctos in Arabiæque deſerto locatos. Hanc tenet Euſebius Cæſarienſis in locis Hebraicis translatis per D. Hieronymum cum alijs ſupreſſo nomine: qui addere videntur, vtriuſque montis radices ſibi eſſe cohærentes. Secunda ſententia aſſerit, eſſe inadequatè diſtinctos quatenus Sinai eſt præcipua pars elevatior, & vocata Eloim; Horeb autem fuiſſe alteram partem minorem inſtar monticuli; & in quo Deus apparuit Moyſi in flamma rubi. Hanc ſententiam tenet Caietanus, *Exod.* 3. & ex parte adhærent Adricomius, & alij apud Pererium, *Exod.* 3. *diſput.* 2. Tertia ſententia ſuſtinet vtrumque fuiſſe vnum, & eundem montem duplici vocabulo nuncupatum. Hanc ſententiam tenet D. Hieronymus de locis Hebraicis in verbo Horeb, & Ioſephus *lib.* 2. *Antiquit. cap.* 5. *aliàs* 12. Suarez *lib.* 9. *de Legib. cap.* 5. *num.* 11.

4 Sit mea concluſio cum tertia ſententia, cum qua dico, eundem montem fuiſſe. Probatur primo. Authoritate tum D. Hieronymi alentis loco ſuprà citato in hunc modum. *Mihi autem videtur, quod duplici nomine idem mons nunc Sina, nunc Horeb vocetur.* Quæquidem verba non obiter dixit; ſed poſt memoratam ſententiam Euſebij, atque relictam. Tùm ex Ioſepho. Nam hic ait apparitionem Moyſis in rubo contigiſſe in monte Sina. Sed ex Sacra pagina clare conſtat, & conſtabat etiam Ioſepho, quod talis apparitio facta fuit in monte Horeb, vt conſtat *Exod.* 3. ibi: *Venitque ad montem Horeb, apparuitque ei Dominus.* Ergo, &c. Probatur ſecundo. A ratione ſic: iuxta textus ſupra relatos aperte dicitur, quod lex data fuit in Horeb, & quod lex data fuit in Sinai. Sed hæc ſtare non poſſunt niſi quatenus talis mons fuiſſet vnus, & idem: ergo ita fuit. Maior coſtat ex primo notabili: minor probatur primo. Lex certiſsimè non data fuit niſi ſemel in monte vno: nam non aliter datam tota pagina Sacra commemorat. Atqui negari non poteſt quod data fuit in Sinai; & rurſus negari non poteſt, quod data fuit in Horeb propter textus vtroſque ſuprà iactos: ergo, &c. Probatur ſecundo eadem minor. Idem modus videtur debere ſervari in componendo aliquam antilogiam per identitatem loci, ac ſervari ſolet in ea componenda quoad identitatem perſonæ. Sed ponendo eandem perſonam duplici vocabulo nuncupatam ſæpè aliqua loca biblica conciliantur, vt in Laban, & Ietro in Gedeon, & Hierobaal, & alijs multis: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Probatur tertio. Nihil eſt quod aliquatenus cogat ponere diſtinctos hos montes. Sed aliunde pro eorum identitate militat authoritas, & vetuſtas in Hieronymo, & Ioſepho: ergo idem fuit Sina, & Horeb.

5 Obijcies 1. Non poteſt eſſe idem mons ſi ex Sacra pagina conſtat verus diſceſſus, & vera profectio de monte Horeb ad montem Sinai, tanquam ad maſiones diſtinctas. Sed ita conſtat: ergo non eſt idem mons. Minor probatur: nam Horeb fuit in Raphidim. Sed de Raphidim vera profectione perrexit Populus in Sinai: ergo, &c. Maior conſtat, *Exod.* 17.

illis

„ illis verbis. Populum Iſrael profec-
„ tum de deſerto *Sin* caſtramentatum
„ eſſe Raphidim, vbi dixit Deus. En
„ ego ſtabo ibi coram te ſupra pe-
„ tram Horeb, percutiamque petram,
Minor conſtat ex alijs verbis, *cap.*
„ 19. *verſ.* 2. Profecti de Raphidim,
„ & pervenientes vſque ad deſertum
„ Sinaì caſtramentati ſunt in eodem
„ loco... totus autem mons Sinaì
„ fumabat. Ad hoc argumentum reſ-
pondeo diſtinguendo maiorem, ſi
mons fuerit quaſi vnicus, & ſepara-
tus collis, concedo maiorem, ſi mons
fuerit in longum protenſus, & habens
plura loca montana, colles, & iuga,
nego maiorem, & diſtincta reſpecti-
vè minor. nego conſequentiam. Di-
citur enim ſæpè mons quædam emi-
nentium collium continuata proten-
ſio, ad quorum radices dierum itinera
confici queant, & ſic appellatur mons
Pirineus, mons Libanus, qui per mul-
ta iuga protenditur, & à nivium can-
dore ſic appellatur: quare potuit op-
timè Populus proficiſci de loco, vbi
erat petra Horeb, ſic appellata, quia
erat in monte Horeb, & nihilomi-
nus per radices eiuſdem montis, ap-
pellati quoque Sinaì, venire ad de-
ſertum appellatum Sinaì ab eodem
monte Sinaì nuncupato. Circa quæ
Suarez ſolidè, & ingeniosè conijcit
nomen Sinaì fuiſſe quaſi appellati-
vum, & donatum tali monti à deſer-
to in quo reperiebatur; montem ve-
ro Horeb ſpecificè ſic appellatum fuiſ-
ſe totum illum, & eundem montem
quoque modo protenſum, & ad cu-
ius radices variæ potuerunt eſſe man-
ſiones. Id tamen vnum ſatis inde cla-
rè conijcitur, convinciturque, ſcili-
cèt, petram illam Horeb, de qua in
menſione Raphidim egreſſæ ſunt aquæ
largiſsimæ, ſatis diſtare à parte illa
montis eiuſdem, in quo data eſt
lex.

6 Obijcies 2. cum replica. Per nos
pars montis Horeb ſatis diſtabat à Si-
naì, in quo data eſt lex, ſed hoc ipſo
Scriptura rectè ſalvari non poteſt ergo
& explicatio non cohæret. Min. probat.
Nam ſi pars montis Horeb diſtabat à
Sinaì, vbi data eſt lex; hæc dari non
potuit in Horeb ita diſtanti: ſed ex
Scriptura ſupra iam conſtitit, legem
in Horeb datam fuiſſe: ergo, &c.
Mai. conſtat, quia lex in vnica tantum
parte fuit lata. Ad hoc argumentum
reſpondeo diſtinguendo mai. Diſta-
bat à Sinaì, ideſt, ab alia parte eiuſ-
dem montis Horeb appellati quoque
Sinaì, conced. maior. Diſtabat à Si-
naì, ideſt, à parte, quæ non eſſet
montis Horeb, nego mai. & conceſſa
minor. neg. conſequentiam. Itaque
explicando pluſculum ſuperiora, ob-
iectio diſſolvitur: dicimus ergo quod
verè fuit duplex pars eiuſdem mon-
tis iam vocati Horeb, iam vocati Si-
naì, vnde, & vtraque erat Sinaì, &
vtraque erat Horeb; ita vt hæc duæ par-
tes inter ſe ex montis protenſione diſta
rent; & in altera rupes aquas effudit;
in altera vero lex fuit data: & ideo
rectiſsimè dicitur, legem fuiſſe datam
in Horeb, & petram fluxiſſe aquis in
Horeb: atque ſicut dictum eſt, legem
datam eſſe in Sinaì, dici etiam potuit
aquas fluxiſſe de rupe in Sinaì: non
ſecus ac *Exod.* 3. dicitur Deum Moyſi
apparuiſſe in Horeb, & tamen in Ac-
tib. Apoſtolor. *cap.* 7. dicitur Deum
in rubo apparuiſſe Moyſi in Sina.

7 Obijcies 3. Longe convenientius, &
verius eſt dicere, duplicem fuiſſe mon-
tem, licèt radicibus cohærentem, al-
terum Horeb, alterum Sinaì: ergo
non fuit vnicus mons adequatè ſump-
tus, & duplici nomine compellatus.
Probat. ant. quoad primam partem. Si
Horeb, & Sinaì fuerunt quaſi duo iuga
vel cacumina diſtincta ſibi cohærentia
in terra ad latitudinem prominenti; fa-
cilius expeditur iter de Raphidim in
Sinaì vt patet: ſed quod facilius loca
conciliat, convenientius eſt: ergo, &c.
Probatur quoad ſecundam partem,
quia præter Euſebium, qui ponit duos
montes diſtinctos, Authores præter

Hie-

Hieronymum, vt Caietanus, Adricomius, Serarius apud, & cum Bonfrerio, *Exod.* 3. & ibidem Cornelius, nec non Salmeron in Prolegomenis parte Geographica admittunt, & vltrò conveniunt in hac partitione montis quoad duo iuga Horeb, & Sinaì. Sed quod tanto pondere Authorum, & numero iam fulcitur, etiam non ignorata sententia Hieronymi, verius esse videtur: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo negando maior. & ad probat. primæ partis permissa maior. disting. min. Si loca vndequaque concilientur, conced. min. si secus, nego minor. & conseq. Nam licèt permittamus id, quod re vera non est, scilicèt, sub ea divisione componi facilius iter populi de vna mansione in alteram; nihilominus non benè componitur id, quod sustinere semper oportet, scilicèt, & legem fuisse datam in Sinaì; & legem fuisse datam in Horeb, prout textus supra dati commemorant. At sola vnica legis datio, & promulgatio in Sacra pagina recensetur: non ergo potuit dari in duobus illis iugis, nedum distinctis, sed ita separatis, vt dari potuerit de vno in alium vera profectio. Ad secundam probationem alterius partis sub eadem doctrina respondeo permittendo maior. circa quam Suarius ait, se non vidisse eum dicendi modum ab alijs probatum; sed tamen P. Salmeron, etiam allata sententia D. Hieronymi ei partim adhæret, & quidem vt communiori. Ea ergo permissa absolutè, neg. min. Nam licèt probabilitas ex numero, & pondere AA. inficianda non sit; tamen vt obseruat Suarez, qui nobiscum est cum Hieronymo accola Palestinæ, AA. sic opinantes non bene accommodant legem verè fuisse vtrobique latam, & datam semel: quare non est cur sententia nostra, tùm verior, tùm expeditior proindeque convenientior non sit reputanda.

8 Ad calcem obserua 1. nostræ sententiæ non parum fauere id, quod notavimus ex Cornelio de duplici deserto Sin: nam sic congruentior apparet illa suspicio aut coniectura quam cum Suario diximus nomen Sinaì inditum fuisse tali monti à deserto, in quo iacet totus, quatenus protenditur. Secundo. Quod mons Dei appellatur: tum à celsitudine, & eminentia iuxta phrasim Scripturæ, quæ per illum genitivum *Dei* primum, & excelsum in vnoquoque genere significare consuevit. Tum quia inibi Deus suæ maiestatis atque potentiæ fecit ostensionem. Tertio. Mansionem illam apud Sinaì, quando lata est lex, toto anno integro duravisse, & paucis diebus, vt ai. P. Salmeron: sub eaque clauditur media Exodus, totus liber Leuitici, & prima pars Numerorum, vsque ad prosectionem prius ibi commemoratam.

***

JHS.

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

EMITQVE PARTEM AGRI, IN QVA FIXERAT TABERnacula à filijs Hemor Patris Sichem. *Geneſ.* 33. *v.* 28.

ARTICULUS.

VTRVM PATRIARCHÆ SEPVLTI FVERVNT IN SICHEM; an in Hebron?

1 SUppono 1. hunc locum eſſe ex difficilioribus, qui occurrunt in Sacra pagina: & antilogia videtur eſſe penè inextricabilis effformata videlicet ex ijs, quæ *Actor.* 7. D. Stephanus dixit, comparatis cum illis, quæ reperiuntur *Geneſ.* 23. & 33. *Ioſue* 24. In primis enim in textu Actuum Apoſtolorum ſunt hæc verba: *Et translati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham à filijs Hemor filij Sichem.* Vbi videtur ſermo eſſe indiſcriminatim de Iacob, & filijs eius; cum tamen conſtet *Geneſ.* 49. & 50. Iacob ſepultum fuiſſe in Hebron cum Abraham, & Iſaac. Deinde licèt Abraham *Geneſ.* 23. emiſſet pretio argenti ſpeluncam illam duplicem in ſepulchrum; id tamen non fuit à filijs Hemor; ſed ab Ephrom Hethæo, & quidem quadringentis ſiclis. Qui verò emit à filijs Hemor partem agri (vbi reipſa ſepultus fuit Ioſeph. Ioſue 24.) fuit Iacob; vt apertè conſtat *Geneſ.* 33. *verſ.* 18. *Tranſivitque Iacob in Salem vrbem Sichimorum, quæ eſt in terra Canaam, poſtquam reverſus eſt de Meſopotamia Syriæ: & habitavit iuxta oppidum. Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filijs Hemor Patris Sichem centum agnis.* Poſtremò à Div. Stephano dicitur Sichem Pater Hemor: nam ait *à filijs Hemor filij Sichem.* Et *Geneſ.* 33. dicitur à filijs Hemor *Patris Sichem* Qui ergo eſſe poterit de funiculo triplici nodus intricatior? Nam alia ex parte militat D. Stephanus plenus Spiritu Sancti; ex alia verò Scriptor Canonicus: vnde meritò in hac re, & torquentur, & diſtrahuntur interpretes; atque ego ipſe, multis luſtratis, multa in hanc rem cogitavi; non tam vt fugam capeſſerem, id enim non foret tàm arduum, quàm vt in re lubriciſsima attingerem meliora.

2 Suppono 2. Pro filijs Hemor non debere intelligi filios naturales ab ipſo genitos; ſed quaſi eius ſubditos, & eius ditioni, & iuſſui parentes, tàm in ſe, quàm in poſteris ſuis: vt tenet Abulenſ. *Geneſ.* 33. & *Ioſue* 24. & tradit Cornelius, & Gaſpar San-

chez vbi ſupra. Bonfr. *Geneſ.* 33. eſt enim phraſis ſatis vſitata in Scripturis intelligere aliquam nationem ſub hoc nomine *filij*, v. gr. per *filios Edom* Idumæos, per *filios Moab* Moabitas, & per *filios Heth* Hetheos prout expresè ſignificatur *Geneſ.* 23. Vbi vtiliter nota, quod ibi dicitur empta ſpelunca ab Ephron Hethæo; & 25. 7. dicitur empta à *filijs Heth*. Cuius ratio eſt. Quia in lingua Hebraica hæc vox *Pater*, & hæc vox *filius* latiſsimè excurrunt in ſignificando quidlibet, quod quomodolibet veniat ex quovis, etiam in rebus inſenſibilibus, vt alias me monuiſſe nunc memini. Itaque filij Hemor congruentiſsimè intelliguntur Amorræi, quæ erat gens, quaſi generaliùs protenſa in terra Canaam, prout ex lib. Ioſue ſatis conſtat, & ex *cap.* 24. reſultat clara probatio, quia vbi Vulgata noſtra ſic habet *Quem emerat Iacob à filijs Hemor Patris Sichem*, legunt Septuaginta Interpretes. *Quem acquiſivit Iacob ab Amorrẹis habitantibus in Sichimis*: vbi conſtat non ſolum, quod pro filijs Hemor intelligunt Amorræos; ſed quod per ly Hemor Patrem Sichem intelligunt Septuaginta Interpretes non Patrem generatione (licèt talis Hemor verè habuerit filium appellatum Sichem, qui rapuit Dinam) ſed pro *Patre* id eſt *Fundatore*, aut *Principe* Sichimitarum; quaſi talis Hemor de Stirpe Cananæa, Pater fuerit Amorræorum, qui habitaverunt in Sichimis. Neque obſtat, quod in Hebræo vox ſignificans Amorræos ſcribatur per Aleph, & vox Hemor per Chet. Tùm quia, cùm vtraque ſit aſpiratio lenior, aut fortior; non videtur officere pro ducenda ethimologia in nomine proprio; nam alioqui ſi ſermo foret de ſignificato appellativo diverſitas radicalium ſatis obeſſet: vnde Hemor cum *Chet* poterat eſſe nomen perſonæ illius, quæ fuit caput Sichimitarum, & inde ſuavius per *Aleph* derivata vox gentilitia ſignificans Amorræos. Tùm maximè quia in eodem *cap. Ioſue* 24. vbi inveniuntur *Amorræi* per *Aleph*; & filij Emmor cum *Chet*, hos vertunt Septuaginta *Amorræos*. Imò in *Emmor* nulla aſpiratio apparet apud eoſdem Latinè. Vbi obiter obſerva quod in modo loquendi, & phraſi Hebraica Princeps alicuius Civitatis, v. g. Gabaon, vel alterius cuiuſpiam æquè dici poteſt *Pater Gabaon*, & *filius Gabaon*: *Pater* quia caput Civitatis; *filius* verò, quia eiuſdem indigena. Quod pro noſtraquæſtione notatu valdè eſt opportunum.

3 His poſitis in hoc loco ſalebroſo viæ ſunt plurimæ Interpretandi, & plures ſententiæ. Quarum prima ſuſtinet, nullum fuiſſe inconveniens in eo, quòd D. Stephanus (cuius intentum non erat facere Scripturam Canonicam, & Sacram Hiſtoriæ narrationem poſteris ttadendam; ſed ſolum revincere Iudæos præſentes, eos commonefaciendo per ſynopſim relativè deſultoriam de hiſtoria in hiſtoriam, quas Iudæi benè notas habebant) quod ſcilicet hic S. Levita verba miſcuerit, vtramque emptionem Iacobi, & Abraham quodammodo miſcens, atque confundens. Ita Venerabilis Beda, Rabanus, Euthimius, Theophilactus, Melchior Canus *lib.* 3. de locis *cap. vltim.* Secunda ſententia aſſerit hunc locum Actuum Apoſtolorum aliquam paſſum eſſe corruptionem. Ita Eugubinus, & Lippomanus in Catena in Geneſim Andræas Maſsius in Ioſue *cap.* 24. Nec diſſentit P. Salmeron *in Epiſtol.* ad Antonium Carrafam Cardinalem. Tertia ſententia rem componit, quatenus putat, idem fuiſſe ſepulchrum Hebron, & Sichem, quatenùs videlicet tale ſepulchrum, prius fuerit emptum ab Abraham veniente de Charram: ſiquidem ibi dicitur *Geneſ.* 12. *Et per tranſivit vſque ad locum Sichem*, poſteaque Iacob idem ſepulchrum ob memoriam avi ſui, qui illud iam dimiſerat, redemiſſe. Hanc tenent aliqui, quos ſuppreſſo nomine refet noſter San-

Sanchez, & expresè eam tradit Ioannes Gagneius, & Valentinus (alias Heterodoxus) Schilderus in suo Lexico Pentaglotto in radicè Sacham. Quarta sententia sustinet, tàm in Genesi, quàm in Actibus Apostolorum eumdem esse sensum, licet verba quodammodo discrepare videantur. Hanc sequitur D. Hieronimus. *Epist.* 101. P. Gaspar Sanchez *in Actor. Apost. cap.* 7. Vatablus necnon, & Cantapetrensis *lib.* 6. Hypothiposeon *cap.* 1. Et Hieronimus de la Rua, quatenus dicunt, nomen Abraham ibi esse in Genitivo, & more Hebræo sumi patronimicè pro Iacob. Quinta sententia asserit D. Stephanum loqui de spelunca illa duplici, quam verè emit Abraham *Genes.* 23. ita vt Patriarchæ sepulti sint in Hebron. Ita D. Gregorius *lib.* 7. *Epist.* 26. Lyra, Ioannes Lorinus in hunc locum, Pererius *Genes.* 26. iungique potest Caietanus quatenus binomines putat Ephronem, & speluncam, quam emit Abraham. Et potiori iure novissimè P. Christophorus, Grangel tractator doctus, & dilucidus Pentateuchi: hic enim *tract.* 1. *differt.* 5. *sect.* 12. putat, *Seor* Ephronis Patrem fuisse alio nomine appellatum *Hemor*: vnde, & à filijs Hemor verificetur emptum tale sepulchrum.

4 Sit nostra conclusio Patriarchas *sepultos fuisse in Hebron: nec exinde aliquam antilogiam in textibus resultare, sed cuncta compeni.* Probo primam partem postea probaturus secundam: & quidem primò ab authoritate sic. 1. D. Stephanus expresè dicit, & ita habent omnes codices, quod Patriarchæ sepulti sunt in sepulchro quod emit Abraham. Sed constat ex *Gen.* 23. quòd Abraham solùm emit speluncam illam duplicem in Hebron, ab Ephron Hætheo: ergo in Hebron sepulti sunt. 2. Quia Iosephus *lib.* 2. *Antiquitatum cap.* 8. sic habet de Fratribus Ioseph: *Reliqui etiam Fratres, vita fœliciter exacta, in Egypto sunt mortui, quorum corpora, filij, & nepotes in Hebronem relata sepeliverunt. Iosephi autem ossa postea translata sunt in Cananæam per Hebræos, dum ex Ægypto populariter migrarent.* Sed Iosephi authoritas, quando Sacræ paginæ non adversatur; sed eam potius declarat, fidem facit præsertim fulta priscis Doctoribus, vt Petro comestore, Lyra apud Glossam, Dionysio Cartusiano, Gagneio, Andræa Massio, apud Perer. *Genes.* 25. Ergo, &c. Probatur 2. Eadem pars ab eversione fundamenti contrarij sic. Eatenus sepulti fuissent Patriarchæ in Sichem, & non in Hebron, quatenus verba D. Stephani clarè signant sepulchrum in agro Sichem empto à filijs Hemor; & ibi eum emit Iacob. *Genes.* 33. sed in primis de agro empto à Iacob sermo talis esse non potest. Et verba, quæ id indicant, congruam pro sepulcro Hebron interpretationem excipiunt: ergo, &c. Minor quoad 2. partem postea constabit in probatione 2. partis conclusionis. Primam sic probo 1. Quia expresse omnes codices dicunt emptorem fuisse Abraham. 2. Quia ager emptus à Iacob propè Sichem non fuit in sepulchrum, vt constat *Genes.* 33. ergo, &c. 3. Quia D. Sthephanus commemorat emptionem pretio argenti factam, & sic fuit quam fecit Abraham; secus verò ea, quam fecit Iacob *centum agnis*: ergo, &c. 4. Quia Iacob, si ad sepulchrum Patrum suorum sepeliendus esset, vt reipsa fuit, non emisset sepulchrum; vel si emisset in eo ipse primus sepeliendus fuisset. 5. Quia quòd inibi appareat ex circunstantijs loci, & personarum fuisse emptionem illam factam à Iacob *Genes.* 33. longè minus probat, quàm si diceretur expresè de Iacob, ipsum sibi emisse tale sepulchrum. Sed hoc etiam invenitur dictum de Iacob, & tamen est de sepulchro expresè empto ab Abraham, & sic etiam pronuntiato ab ipso Iacob: ergo, &c. Maior est certa, & eo magis quo tales circunstantiæ etiam ad emptionem factam ab Abraham ac-

com-

commodantur, vt postea videbimus. Prob. min. Ex textu in *Genes. cap.* 50. Vbi Ioseph loquens de Patre suo Iacob ait: *Pater meus adiuravit me dicens. En morior: in sepulchro, quod fodi mihi in terra Canaam sepelies me.* Ecce Ioseph ait de Iacob Patre suo, hunc fodisse (vel *emisse*, quia, etiam id significat radix Hebræa Charah) sepulchrum in quo sepeliendus erat. Atqui vt constat ex *Genes.* 49. & 50. Iacob sepultus fuit in sepulchro, quod emit Abraham: ergo etiam id quod verè emit Abraham, proponitur, quasi à Iacob emptum fuisset: ergo quod D. Stephanus proponat talem emptionem sepulchri, quasi à Iacob factam ex circunstantijs; id non tollit, emptorem fuisse Abraham à D. Stephano memoratum, præsertim si circunstantiæ ibi relatæ facilè componuntur, pro vt iam expendo.

5 Probo iam secundam partem conclusionis scilicèt, quòd nulla restat antilogia in Textu Sacro. Posito quod Abraham vetè fuerit, de quo loquitur D. Stephanus, triplex solum videtur obstare antilogia. 1. Scilicèt quod ille non emerit à filijs Hemor; sed ab Ephron Hethæo, vt constat *Genes.* 23. Iacob autem emerit à filijs Hemor, vt constat *Genes.* 33. Deinde. 2. antilogia staret in eo quod Hemor *Genes.* 33. dicitur Pater Sichem, & à D. Stephano dicitur filius Sichem. 3. Antilogia apparet in eo, quòd tàm *Actor.* 7. quàm *Genes.* 33. & *Iosue* 24. videtur sepulchrum fuisse in Sichem; & tamen emptio sepulchri facta per Abraham non fuit in Sichem, sed in Hebron, satis distanti. Sed adhuc stante nostra sententia, omnes eæ antilogiæ penitùs dissipantur: ergo nulla resultat. Probo minorem singulatim, & in primis quoad primam sic. Si solidè componitur quod Abraham emit suam speluncam duplicem à filijs Hemor; hæc antilogia disparet. Sed ita fuit: ergo, &c. Prob. min. Ex solida interpretatione, & versione constat, per tales filios Hemor aptè intelligi Amorræos: Sed Abraham planè emit speluncam ab Amorræis: ergo, &c. Discursus est legitimus, & maior apertè constat ex Versione Septuaginta Interpretum, tamdiù authentica, & modo etiam in Ecclesia, tàm celebri. Hæc enim *Iosue* 24. sic habet: *Et ossa Ioseph extulerunt filij Israël de Ægypto, & defoderunt in Sichimis in parte agri, quem acquisivit Iacob ab Amorræis habitantibus in Sichimis, agnabus centum* Sed lectio Hebraica, & Vulgata ponit *filios Hemor*, vbi septuaginta *legunt Amorræos*: ergo filij Hemor pro Amorræis solidissimè intelliguntur. Minor constat ex ipsa Vulgata *Iosue cap.* 10. *vers.* 5. vbi sic dicitur *congregati igitur ascenderunt quinque Reges Amorræorum: Rex Hierusalem, Rex Hebron, Rex Ierimoth, Rex Lachis, Rex Æglon, &c.* Sed spelunca quam emit Abraham fuit in Hebron *Genes.* 23. ergo licet ipsam emerit ab Ephron; hoc non tollit quominus eam emerit ab Amorræis. Probo iam de secunda antilogia in hunc modum. Ex rigorosa phrasi Hebraica penè in idem recidit significatum, quòd Hemor dicatur iam *Pater Sichem* iam *filius Sichem*: ergo hæc antilogia similiter evanescit. Probatur Antecedens. Tàm *Genes.* 33. vbi Hemor dicitur *Pater Sichem*, quàm *Actor.* 7. vbi Hemor dicitur *filius Sichem*, vel sermo est de Civitate vocata *Sichem*, vel de persona vocata *Sichem*? Sed vtroque modo penè idem significatur in illis verbis *ab Hemor Patre Sichem*, ac in illis à *filijs Hemor filij Sichem*: ergo, &c. Prob. 1. de Civitate vocata *Sichem*, in quod magis inclino; de persona postea probaturus. In loco *Genes.* 33. & in loco *Act.* 7. manifestè exprimitur Civitas *Sichem*, vt inibi constat expresis verbis, ibi *vrbem Sichimorum*, & ibi *translati sunt in Siebem.* Sed stando tùm phrasi Hebraicæ; tùm Versioni Septuaginta penè in idem recidit significatum, quòd Hemor sit Pater Sichem, vel filius Sichem:

chem : ergo, &c. Minor quoad phrasim Hebraicam patet nedum ex notabilibus, sed etiam ex lexico hebraico vbi vox *Ab* ideſt *Pater* sæpè Civitati adiungitur, & significat *caput talis Civitatis* : itemque vox *Ben*, ideſt, *filius* etiam Civitati adiungitur, & significat *indigenam*, vel *incolam Civitatis* : vnde patet quod esse *Patrem Sichem* non opponitur cum esse *Filium Sichem* Civitatis; licèt superaddat quod sit *caput talis Civitatis*, prout re vera fuit Hemor, *Geneſ.* 34. *verſ.* 2. Quoad versionem Septuaginta res etiam constat : quia *Ioſue* 24. vbi dicitur in Vulgata *à filijs Hemor patris Sichem* legunt Septuaginta *ab Amorræis habitantibus in Sichimis*. Vbi esse *patrem Sichem* intelligitur ab ipsis, quasi pro incolatu, & possessione.

7 Et confirmatur totum hoc ex Versione Græca dupliciter primo, quia Græcè non dicitur *filius Sichem*, sed TOV ΣΥΧΗΜ quod est indifferens ad filium, & patrem, & potius significat *Sichimitam*. Secundo. Forte non incuriosè, quia, cum Græci vtantur genitivo pro ablativo, quo locus efferri solet; & verbum *ſeparari*, seu *collocari ſeparatim*, genitivum amet, potest sic construi *translati ſunt in Sichem*, & *de Sichem poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham*, &c. Et concordabunt hic AA. dicentes translatos fuisse de Sichem in Hebron. Probo iam quoad personam appellatam Sichem idem assumptum sic. Nam textus Actuum Apostolorum sic ait : *A filijs Hemor filij Sichem*. Sed hoc potest stare cum eo, quod Hemor fuerit pater Sichem: &, si potest, ita debet intelligi: ergo etiam loquendo de persona vocata Sichem benè conveniunt textus, *Geneſ.* 33. vbi dicitur Hemor *pater Sichem*, & textus Actuum Apostolorum, vbi videtur dici *filius Sichem*. Probo minorem quoad secundam partem, postea probaturus quoad primam : quia, si Hemor dicitur *pater Sichem* non solum, *Geneſ.* 33. sed signatissimè quoad officium *patris*, *Geneſ.* 34. Et idem repetitur, *Ioſue* 24. nequit esse liberum eo loco aliter intelligere personam Hemor relatè ad personam Sichem; si ad id potest trahi, & accommodari: quippè vnus textus præsertim valde posterior debet exponi iuxta plures sibi concordes, & valde anteriores: cum nunquam possit præsumi, quòd Scriptor Canonicus posterior non scripserit concorditer ad priores. Ergo, &c. Probo iam quoad primam. Illa verba *à filijs Hemor, filij Sichem*, ita possunt intelligi vt filiatio non cadat supra Hemor, sed supra Sichem: ergo, &c. Antecedens patet primò ex maiori correspondentia cum originali Græco, vbi solum dicitur *à filijs Hemor Sichemi*. Quia non est infrequens in Scriptura parentes indigitari per filios notos, & sic indicabatur *Maria Iacobi* à Iacobo filio suo, & Simon Cyrenæus Pater Alexandri, & Ruffi à filijs. Sed ille Sichem, cuius pater fuerat Hemor notissimus habebatur propter raptum Dinæ Abulensis ex *Ioſue* 24. *quæſt.* 21. ergo, &c. Secundò : quia si diceretur in Historia Hispanica : *Hæc empta ſunt ab Oeconomis Philippi Caroli Quinti*, posset esse duplex sensus scilicèt vel ab Oeconomis Philippi secundi, qui fuit filius Caroli Quinti; vel ab Oeconomis Philippi Pulchri, cuius filius fuit Carolus Quintus. Atqui tunc, si ex alijs locis historicis constaret de Philippo Pulchro esse sermonem aptè intelligerentur illa verba, *ab Oeconomis Philippi filij Caroli Quinti*, applicando filiationem potius Carolo, quam Philippo : quasi per famosiorem filium indicaretur pater : ergo similiter in nostro textu poterit fieri talis interpretatio, præsertim quando pro ea alia loca Scripturarum expressa conclamant. Hæc dixi de Sichem personaliter sumpto, vt nihil non tentem pro concordia Canonica Scripturarum, sed tamen loquendo de Sichem civitate videtur res ire expeditior.

8 Tertia antilogia stabat in eo

quod emptio Abraham facta fuerit in Hebron; & translatio relata à D. Stephano facta fuerit in Sichem, ab Hebron satis distanti. Hæc antilogia multiplicem habet evasionis viam: sed hoc ipso statim dissipatur: ergo, &c. Minor patet, quia quotiescumque adsunt non improbabiles explicationes, quibus eluitur aliqua contradictio, statim hæc ex prævalente veritate Sacræ paginæ cogitur disparere: nulla enim intercedit pressura contradictionis, vbi multiplex occurrit ratio explicandi. Maior vero probatur primò, quia facile cuncta conveniunt Scriptura, Iosephus, & nobiles AA. vt Gagneius, Cartusianus, Masius, & alij qui, vt constat apud Pererium, *Genes.* 23. dicunt ossa Patriarcharum, prius ducta fuisse in Sichem, & postea translata in Hebron. Sed ad id credendum, & faciendum videtur occasio non defutura Sichimitis, quibus posteritas Iacob erat infensa: ergo, &c. Secundò, quia *Genes.* 33. dicitur vrbem Sichimorum, prope quam emit Iacob agrum à filijs Hemor, fuisse *Salèm*, sed *Salèm* quæ probabiliter apud Interpretes est Ierusalem, sita est prope Hebron, vbi emit sepulchrum Abraham: ergo quando, *Genes.* 50. dicit Ioseph quod pater suus Iacob fodit vel emit sepulchrum, scilicèt illud quod emerat Abraham, potest intelligi, quod prope sepulchrum patris sui ipse emerit vel foderit sibi sepulchrum & consequenter Sichimitæ indistent ab ipsa Hebron, & Ierusalem. Nam quod Sichem dicatur esse eadem cum Sichar Civitate Samariæ non tam firmiter potest stabiliri; cum adhuc inter Interpretes dubium sit, *an duplex, an vnica fuerit Sichem*, teste Lorino, *Actor.* 7. *vers.* 17. Quare cum de Sichem sit tanta varietas, neque negari possit, esse iuxta Hebron, ex verbis, *Genes.* 37. *Missus de valle Hebron venit in Sichem* (& quidem non maiori distantia, quam ea, qua Greges circumcirca Domum Domini sui pasci solent) res accommodata est, vt licèt Patriarchæ translati fuerint in Sichem; tamen dici potuissent à D. Stephano tumulati in Hebron, seu sepulchro Abraham. Tertiò. Quia, si res benè perpenditur, duplex Sichem esse convincitur, altera distans à Ierusalem, & Hebron; altera vero prope: ergo, &c. Antecedens patet quoad primam partem. Quia descriptio terræ Sanctæ, & plerique AA. ponunt Sichem in media Samaria iuxta Sichar patriam Samaritanæ, & hæc multùm distat ab Hebron, vbi erat sepulchrum Abraham, & fortè posita est in chartis, confundendo eam cum Sichar. Probo quoad secundam ex nuper dictis: tùm quia Salem est Ierusalem, quæ non valde distat ab Hebron; & *Genes.* 33. Salèm dicitur vrbs Sichimorum: tùm quia de Hebron mittebantur filij Iacob pascere in Sichimis: tùm quia prope Ierusalem reperitur *Socoth* vbi fixerit Iacob sua tabernacula in Sichimis. Ergo de primo ad vltimum vel vnica fuit Civitas Sichem, vel saltem aliqua, quæ non longe ab Hebron sita, potuit verificare, quod Patriarchæ translati in Sichem sepeliri potuerint in Hebron. Demum ex congruentijs confirmatur conclusio, & superiores doctrinæ. Primò. Quia licèt sit alia *Socoth* seu fixio tabernaculorum iuxta Iordanem, vel vltra; tamen congruentius videtur quòd illa, quo venit Iacob ad figendum tabernacula sua, fuisset prope Ierusalem, quæ futura erat Sedes, & Curia Israelitica omnium tribuum descendentium ex Iacob. Secundò. Quia ita componitur quod est magis congruum, scilicèt, Ioseph, & Patriarchas appositos fuisse ad Patres suos in Hebron, & ad hunc finem iussa esse deportari ossa Ioseph, non secus ac de se ipso præcepit fieri Iacob. Tertiò. Quia colluſtratis Geneſi, & Mappa Terræ Sanctæ, magis correspondent itinera Iacob, pascua gregum ipsius, sepulchrũ Rachel, &c. ad loca circum Hebron, & Hierusalem, quam in ea, quæ sunt in Samaria: ergo, &c.

Obij-

9 Obijcies 1. Patriarchæ ex D. Stephano translati in Sichem non potuerunt ſepeliri in Hebron; neque quia de Sichem eo fuiſſent traslati: neque quia Sichem fuerit ſatis iuxta Hebron, vt inibi ſepelirentur: ergo, &c. Antecedens quoad primam partem patet ex defectu fundamenti ad id aſſerendum, quia nullus Author Hiſtoricus id tradit; ſed eſt meditatio doctorum volentium ea via evacuare difficultates. Probo ſecundam partem primò. Quia ſi Salem vrbs Schimorum *Geneſ.* 33. fuiſſet Ieruſalem non longè ab Hebron; ea fuiſſet, in quam primum veniſſet Iacob de Meſopotamia. Sed iuxta nos id nequit eſſe: ergo, &c. Probo min. Iuxta nos ſuprà, quando Ioſeph de valle Hebron miſſus eſt à Iacob ad fratres paſcentes in Sichimis, *Geneſ.* 37. fuit circum Hieruſalem, & domum ſuam. Atqui tunc ipſe iuſſu Dei iam perrexerat de Salem vrbe Sichimorum, & in diſceſſu ſepelivit Deos alienos, & inaures ſub terebintho poſt vrbem Sichem, vt conſtat *Geneſ.* 35. Ergo, &c. Secundò. Quia ſi *Salem* fuiſſet talis Sichem; profecto fuiſſet Civitas illa, quam Simeon, & Levi cum cæteris deleverunt propter ſtuprum Dinæ. Sed hæc de Ieruſalem non traduntur: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens, quoad vtramque partem. Et ad probationem primæ, nego non dari fundamentum. Quia ſi ex vna parte conſtat ex Sacra pagina, Patriarchas translatos fuiſſe in Sichem, *Actor.* 7. & ex alia conſtat ex Ioſepho Iudæo, & Hiſtorico pervetuſto vniverſimque accepto, vbi Scripturam declarat, eos quoque translatos fuiſſe in Hebron: deinde cùm ſimultates habitæ cum Sichimitis, & mos ſepeliendi vnumquemque ad Patres ſuos ſatis fundent, translationem eorundem de Sichem ad Hebron perſuaſu eſſe facilem; ſi ſufficienti authoritate inveniuntur iam translati in Sichem, iam in Hebron, cordatiſsimè inducitur à DD. hæc translatio de Sichem in Hebron, præſertim ad textum difficiliorem totius Sacræ paginæ conciliandum. Ad primam probationem ſecundæ partis conceſſa maior. neg. min. & concedo præmiſſas inductas ad huius probationem ex quibus nil ſequitur quod obſtet, quominùs primus adventus Iacob cum filijs ex Meſopotamia fuerit in Ieruſalem, ſeu Salem vrbem Sichimorum. Quia quod hinc prius perrexiſſet, & poſtea ibi circumcirca manſerit, non opponuntur. Nam Iacob de Salem vrbe Sichimorum iuſſu Domini, *Geneſ.* 35. perrexit in Luzam ſeu Bethel diſtantem ad ſex vel octo leucas, & magis prope Hebron; & poſtea venit Hebron, vbi erat Iſaac Pater ſuus, & inde miſit filios Paſcere in Sichimis. Imò ſi Hiſtoria Geneſis benè obſervatur; perperam cohæret ille primus adventus Iacob in illam *Sichem*, ſeu *Sichar* Samariæ; benè vero cohæret noſter primus adventus in Sochoth iuxta Salem, ſeu Ieruſalem. Ratio eſt, quia tùm Luza ſeu Bethel vbi Deus apparuit Iacob, *Geneſ.* 28. tùm terra Seir vnde occurrit Eſau Iacob, *Geneſ.* 32. tùm Bethleem, & ſepulchrum Rachelis, *Geneſ.* 35. omnia ſunt magis propè Socorth Ieruſalem, & Hebron, quam propè Sichar, vt conſtat in deſcriptione terræ Sanctæ. Atque, *Geneſ* 35. iubetur pergere Iacob ad eandem Luzam, ſeu Bethel vbi fugerat Eſau; licèt detur alia prope Hai. Potuit ergo non incongruè de Socoth propè Salèm, vel Ieruſalem illuc à Domino mitti. Quin ad hęc obſtent quod Iacob venerit, amne tranſmiſſo contra montem Galaad, quia id eſt, indifferens, vt hic vel alibi poſtmodum in Palæſtina conſtitiſſet.

10 Ad ſecundam probationem reſpondeo primo, negando antecedens, & aſſumptum: quia, licèt nos pro ſalvandis verbis D. Stephani ſcrutinio multo, & diuturno adlaboraverimus, omnia quæcumque rem fulcire poſsint advocantes; nihilominus veritas noſtræ aſſertionis non pendet eſſen-

eſſentialiter ex eo, quod illa Civitas *Salèm* vrbs Sichimorum fuerit eadem cum Ieruſalem; ſed quod re ipſa non longè ab Hebron fuerit aliqua Sichem vbi paſcebant greges filij Iacob; nam ita componitur quod Patriarchæ tranſlati in Sichem potuerint ſpeliri in Hebron. Imò neque ad id alligata eſt concluſio niſi ex ſuppoſitione, & placito diſputantium. Quoniam, vt prius ſupra inſinuavimus, liberum nobis eſt dicere cum pluribus AA. Patriarchas translatos fuiſſe de Sichem, vbicumque illa exiſteret, in Hebron, & ſic verificàre verba D. Stephani: quæ cum prius dicant, *translati in Sichem*, & poſtea, *& poſita ſunt in ſepulchro quod emit Abraham* non videtur eius modi ſenſum omnino reſpuere. Igitur licèt Sichem fuerit Salem; vel fuerit vnica vel duplex, & deleta prius per filios Iacob, poſtea per Abimelech, &c. hæc non tollunt aſſertionem noſtram; ſed ad ſummum de aliqua ratione probante poterunt miſcere diſputationem, & quidem non de re definita. Reſpondeo ſecundò, negando aſſumptum, quia licèt Salem, ſeu Ieruſalem fuerit vrbs Sichimorum non inde concluditur quod illa fuerit Civitas deſtructa, ſed alia Civitas diverſa, in qua circumcirca per regionem illam habitaſſet Hemor Pater Sichem, qui opreſſit Dinam: & qui non tàm dicitur, *Geneſ.* 34. *Princeps Sichem*, quàm princesp totius terræ illius, in quo denotatur fuiſſe principem alicuius provinciæ appellatæ Sichimitarum continentis varia oppida, & vrbes in quibus capitalis eſſet Sichem, vel Sichar; vel illa alia Sichem Civitas refugij poſita in monte Ephrain, *Ioſue* 20. ita tamen vt reliquæ civitates alio nomine fungentes poſſent dici vrbes Sichimorum prout, *Geneſ.* 33. expreſsè nominatur Salem *vrbs Sichimorum*, non ſecus ac in Provincia, & Regno Toletano, quamvis vnica ſit vrbs totius regni Capitalis nomine *Toletum*; hoc non tollit quominus Complutum, Caracca, &c. dicantur vrbes Toletanorum. Cumque ex textu Sacro, *Geneſ.* 34. non conſtet cuius nominis fuerit illa civitas, quam habitabant Hemor, & Sichem; & ex communi Interpretum dicatur eſſe Sichem; potuit non eſſe illa *Salèm*, licèt hæc eſſet vrbs Sichimorum: ſicuti vaſtato Toleto, non rueret Complutum vrbs Toletanorum. *Replicabis*, quomodo ergo dicitur, *Ioſ.* 24. & *Actor.* 7. oſſa fuiſſe translata in Sichem? Reſpondeo id fuiſſe in Sichem Provinciam; non præciſsè in Sichem civitatem: quia de viro Sichem principe totius terræ illius *Sichima* appellaretur Provincia. Ad quod faciunt duo; primum quòd in Vulgata, & Septuaginta pro varijs locis dici ſolet *in Sichimis*: & ſecundum, quòd propterea Interpretes nimis variant in collocando Sichem civitatem: & duplicem diſtinguunt Euſebieus, Hieronymus, Arias Montanus, apud Lorinum, *Actor.* 7. qui poſtremus in Oſſeam, *cap.* 6. negat Sichem Samaritanam, ſeu Sichar fuiſſe illam quò translata fuerunt oſſa Ioſeph. Itemque iuxta hæc fortaſsis etiam componitur id quod dicit D. Hieronymus *in Epiſt. ad Paulam* ſcilicèt, quod pergens de Sichem viſitaverit Patriarcharum ſepulchra, ſivè quia remanſerint vacua propter tranſlationem in Hebron; ſivè quia pergens de Sichem, & veniens per loca Sichimorum venerit in Hebron.

11 Reſpondeo tertiò, concedendo ſequelam, reſpectu cuius nihil in Sacra pagina eſt contrarium convincens. Et licèt communiter DD. Interpretes, ſequuti Ioſephum, id non tradant de Ieruſalem, fortè eſt primo propter ipſum Ioſephum; ſecundo propter correſpondentiam quæ datur inter prædium Iacob ſublatum ab Amorræo, *Geneſ.* 48. & datum Ioſeph prope civitatem Sichar, *Ioan.* 4. *verſ.* 5. cum emptione facta à Iacob, *Geneſ.* 33. Sed tamen non videtur omnino improbabile quod in Salem illa vaſtatio contingerit facta per filios

Ia-

Iacob. Tùm quia ex Sacra pagina nihil contrarium elicitur, ſed ſolum inter Interpretes varia opinio circa Sichem; cum tamen Salem dicatur *orbs Sichimorum*; & *Salem*, cuius fuit Rex Melchiſedech, primò fuit acquiſita per Ioſue, occiſo Adoniſedech cum alijs quatuor Regibus, anno mundi 2484. Deinde fuit recuperata à filijs Iſrael de Iebuſæis, excepta munitione *Iebus*, quæ duravit vſque ad tempora David: vnde potuit ſine inconvenienti anteà deſtructa eſſe à filijs Iacob; quin obſtet, quòd eam occupaverint Iebuſæi: quia hæc nomina in terra promiſsionis videntur, vel valde promiſcue, vel de ijſdem gentibus ſucceſsivè vſurpata, vt conſtat ex Toſtato in Ioſue. Tùm quia Ioſephus rem ſcripſit ex opinione, & ſententia, quæ daretur inter Rabbinos, ſic vel aliter accommodantes nomen Sichem tam vſurpatum in varijs locis. Tùm quia hoc quod eſt, Sichem veterem, facere eandem cum Sichar Samariæ, non fit niſi admittendo aliquam corruptionem, vt notat Maldonatus, *Math.* 4. Tùm quia vt conſtat ex noſtra Deſcriptione *in* 2. *p. Apparat.* nulla Civitas toties in orbe everſa legitur, vt Hieruſalem: vnde, & à Simeon, & Levi everti potuit. Tùm quia cum Hieruſalem fuerit Civitas celebrior totius veteris legis, ab exordijs totius Sacræ paginæ indicata nomine *Salem*, & poſtea in decurſu nomine *Hieruſalem*; videtur non incongruum intelligere, quod illa Sichem (ſi non ea tam celebris ex primo hoſpitio Abraham, *Geneſ.* 12.) nota ex tabernaculis Iacob, *Geneſ.* 33. ex corruptione Dinæ, nece facta per filios Iacob, *Geneſ.* 34. vbi huius hiſtoria, & vindicta fusè deſcribitur: ex translatione oſsium Ioſeph, *Ioſ.* 24. non ſit alia quam Hieruſalem, ſeu Salem: quia hæc expreſsè dicitur *orbs Sichimorum*, & quia Sichem, & Salem idem ſunt teſte D. Hieronymo de locis hebraicis. Neque poterat non eſſe civitas Sichimorum illa Hieruſalem celebris, licèt alioqui inter deſignatas, *Ioſue* 20. non reperitur, vbi reperitur altera Sichem. Contra quæ nil ex Sacra pagina definitum excerpi poteſt; ſed ſolũ quod Authores id non tradant. Illa vero Sichem, vbi prius Abraham conſtitiſſe narratur *Gen.* 12. planè videtur diſtingui à Salem propter convallem illuſtrem, & Civitatem Hai, ibi citatas.

12 Quamobrem hæc omnia doctioribus offerre non piguit, hinc, & illhinc multa tentando, vt ipſi ſeligant probatiora. Primo quia P. Gaſpar Sanchez in hunc locum ſic ait: *Hic multa ſunt quę Doctorum hominum, & torſerunt iam dudum, & nunc etiam graviter torquent ingenia. Neque enim facilè conciliari poſſunt cum ijs quæ varijs locis à Moyſe traduntur.* (Et infra) *Locum aggredimur difficilem, tentatum à multis, nequedum ita expeditum, vt non quicumque paulò doctior in eo aliquid requirat.* Ex quibus verbis conſtat, quod in locis huiuſcemodi ſalebroſis, quæ nedum ex toto ab interpretibus enodata ſunt; hi potius amant, & petunt à Doctoribus ſubſequuturis, vt ſi qua ipſis occurrit via ad ſolvendum, & conciliandum; eam aperiant, & ſub debita modeſtia, docilitate, & diſiunctione proponant, vt Doctiores viri, & S. Mater Eccleſia id quod malit, adoptet. Secundò. Quia quando preſſura taliſeſt, vt aliqui Doctores, vt Beda, Euthymius, Theophilactus, Rabbanus, Canus, ita vndique coangustatos ſe videant, vt nequeant non adſcribere S. Stephano aliquem ſpecierum lapſum; quando illo ſuo ſermone revincebat Iudæos; quanto magis piè, & gloriosè, magiſque è re Biblica, & Eccleſiaſtica erit, ingredi ſemitam Scripturarum, quam veſtigando diligenter, & perſequendo conſtanter, illibata, & cohærentia reddantur verba D. Stephani? Ego quidem quot abhinc diebus huic rei incubuerim, quot AA. luſtraverim, quot tentamenta fecerim; non facile dixerim, vtinam, Deo dante, non fruſtrà.

13 Obijc. 2. Eatenus nulla antilogia reſultaret ex noſtra ſententia, quatenùs per filios *Hemor* intelligerentur Amorræi, & Abraham emiſſet à filijs Hemor ſpeluncam duplicem. Sed vtrumque eſt falſum : ergo, & ſententia noſtra. Prob. min. quoad primam partem. Eatenus per filios Hemor intelligerentur Amorrhæi, quatenus, vel ſubditi Viri Hemor fuiſſent Amorrhæi ; vel quaſi Etymologicè *filius Hemor* Amorrhæus eſſet quaſi de Hemor venerint Amorrhæi. Sed neutrum ita ſe habet : ergo, &c. Minor quoad primum patet, quia Hemor, *Geneſ.* 34. dicitur *Hevæus* quæ eſt gens diſtincta ab Amorrhæis: & quoad ſecundum etiam, quia longè ante Hemor invenitur *in Geneſ.* 10. Amorrhæus filius Cham. Probo iam ſecundam partem primæ minoris. Iacob *Geneſ.* 33. emit agrum à filijs Hemor, ideſt viri ſic appellati, vt expreſsè ponirur, *Geneſ.* 34. Sed emptio Iacob fuit poſt multos annos à morte Abraham : ergo hic non potuit emere à filijs Hemor ſpeluncam duplicem. Ad hoc argument. reſp. neg. min. quoad vtramque partem. Ad cuius primam probationem, conced. maiorem, & neg. minor. etiam quoad vtrumque extremum. Et ad primi probationem breviter dico, quod, vt infra conſtabit in ſequenti argumento, non obſtat, quod Hemor eſſet Hævæus, vt eſſet Amorrhæus : quia vox Amorrhæus, ſicut, & Cananæus licèt alioqui pro gente determinata terræ promiſsionis ſupponeret; tamen tranſijt in commune nomen pro omnibus illis gentibus teſte Abulenſi poſtea dando. Ad probationem ſecundi non inficior, longè ante Hemor fuiſſe Amorrhæos; ſed nihil prohibet, quod vel ipſe Hemor, vel aliquis proavus ſic vocatus magis ſignanter, & etymologicè ferret nomen ſeu ſpeciale, ſeu generale Amorrheorum, vt videtur ſupra conſtare ex LXX. Ad probationem autem ſecundę partis primę minoris reſp. permiſſa maiori, diſting. min. *Ita vt Abraham, & Hemor potuiſſent convivere*, conced. min. *Secùs vero*, neg. min. & conſequentiam. Hæc ſatis infringunt vim probationis. Sed Ephron, à quo emit Abraham ſpeluncam, ſi non filius, debebit eſſe ſaltem ſubditus talis Hemor, & eius ditionis, vt Amorrhæus appelletur. Permiſi mai. quia reſponderi poteſt ſecundo negando maior. & melius, ſe accommodando Verſioni LXX. quæ pro filijs Hemor vertit Amorrhæos: vnde talis emptio non ibi debet intelligi facta à perſonis determinatis ſub ea expreſsione; ſed ab Amorrhæis ſaltem genericè, conſideratis.

14 Obijcies 3. Sententia noſtra prout eam componimus, & meditamur, facit Hemor ſimul Cananæum, Pherezæum, Amorrhæum, Hethæum, Hevæum, & Iebuſæum. Sed omnes hæ erant gentes diſtinctæ in Terra Canaam : ergo noſtra ſententia non benè componitur. Probo mai. per partes. De Cananæo, & Pherezæo, quia *Geneſ.* 34. *verſ.* 30. Increpans filios ſuos Iacob de nece Hemor, & Sichem ait: *Odioſum feciſti me Cananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius.* De Amorrhæo, quia ſumimus filios Hemor pro Amorrhæis. De Hethæo. Quia Ephron Hæthæus *Geneſ.* 23. ponitur à nobis ſubditus Hemor, à quo emit Abraham Speluncam. De Hevæo. Quia *Geneſ.* 34, expreſsè dicitur Hemor Hevæus. De Iebuſæo. Quia per nos Salem vrbs Sichimorum, quorum princeps erat Hemor, erat Civitas Iebuſæorum, ſiquidem erat Hieruſalem. Ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo præmittendo id quod affert Toſtatus, *Deuteron.* 7. ſcilicèt: *Quod nomina gentium multoties mutantur ; ideo illi qui vocabantur tempore Abrahæ ſic ; vocarentur forte aliter tempore, quo Iudæi introierunt terram promiſsionis : & quia multoties aliquæ gentes multis nominibus nominantur, vt Troiani, Teucri, Dardanides.* Iuxta quæ

cum

cum viderim de ſeptem populis Cananæis in tota Sacra pagina valde promiſcuam vſurpationem ita, vt qui alibi eſt de vna gente, alibi compelletur nomine alterius; non poſſumus non obſervare; quod in prædictis ſeptem populis contingere potuit talis promiſcua vſurpatio, *vel ratione perſonarum*, quia nimirum inter ſe inirent coniugia, atque contubernia vtpotè ex eodem progenitore Canaam deſcendentes: *vel ratione locorum*, quatenus donatione, dotatione, aut rerum viciſsitudine aliorum termini tranſirēt ad alios: *vel quatenus* aliqui eorum fierent vniverſaliores, & generaliores, ita vt ſub eorum nomine cæteri ſæpè intelligerentur: vel propter maiorem famam, aut maiorem extenſionem, & numerum. Et ſic ſe habebant Amorrhæi, Cananæi, & Hethæi quorum nomina etiam reliquis tribuebantur, vt latè expendit Abulenſis, *Ioſ.* 1. *q.* 24. & 25. & *Ioſ.* 10. *quæſt.* 4. & 5. Ex quibus ad argumentum reſpondeo concedendo maiorem, qua parte ait Hemor fuiſſe Hevæum: quia expreſsè id aſſerit Scriptura, *Geneſ.* 34. quin propter ſupra dicta id obſtet quominùs poſsit reputari inter Hethæos, & Cananæos, atque Amorrhæos: quod nomen Amorrhæorum perinde ac Cananæorum generaliſsimè vſurpari conſuevit. Quoad Pherezæum autem non convincitur, ipſum fuiſſe talem gentem, & ſtirpe; ſed ſolum principem regionis illius, in qua habitabant Pherezæi: in qua tamen regnare poterat quamvis eſſet Hevæus, veluti modo Gallus potitur Hiſpanis. Et eſt ſolutio Toſtati, *Geneſ.* 34. De *Iebuſæo* autem minus premit argumentum, tùm propter modo dicta, quia alicui Hevæo poterant eſſe ſubditi Iebuſæi. Tum quia incolæ Hieruſalem non tàm dicti ſunt *Iebuſæi* à Iebuſæo filio Canaam; quàm à *Iebus* Philiſtæo de poſteritate Achimelechi, durante etiam inter filios Iudæ vſque ad tempora David. Vbi nota inſuper, quod fortaſsis, Gen. 10. recenſetur à Moyſe poſteritas Canaam non tam per perſonas excepto Sydon primogenito; quàm per gentes inde ortas Amorrhæorum, &c. à Moyſe per anticipationem ſic generatim nominatas in ſuo capite, ex nominibus, quæ longo poſt tempore ſunt conſequutæ.

13 Obiicies 4. In noſtra ſententia non benè componitur quod Hemor ſit *pater Sichem*, Geneſ. 33. & *filius Sichem*, Actor. 7. ergo omnis antilogia non ceſſat. Probatur antecedens. In primis non poteſt componi ſumendo Sichem pro civitate, ſed neque ſumendo pro perſona: ergo nullatenus. Probo primam partem antecedentis: quia vt bene obſervavit Serarius, ſi ſumeretur Sichem pro civitate deberet habere articulum fœmeninum ΤΗΣ in textu Græco; ſed non habet niſi maſculinum ΤΟΥ: ergo, &c. Deinde probo quoad perſonam: quia vna, & eadem perſona nequit eſſe pater, & filius reſpectu eiuſdem: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo, negando antecedens, ad cuius primam probationem reſpondeo, in re Grammaticali eſſe a primè fundatam; ſed cum in interpretatione Sacræ Scripturæ commendatum ſit non multū Grammaticationibus adligari, quæ ſolent eſſe veluti Prothæus litterarum; id nunc magis vrget, eò quòd verſio Septuaginta contra reclamet vbi Ioſ. 24. *Hemor patrem Sichem* vertit *habitantem in Sichimis*: qui tamen Septuaginta Interpretes fuerunt Græcè periti. Quare cum in omni lingua, quæ vſurpat articulos non rarò maſculinus cum fœmenino nomine coniungatur, v. g. Hiſpanicè *el alma*, & de o pidis etiam *el Villar*, el *Recuenco*, el *Caſal*; videtur eiuſmodi Grammaticatio non debere eſſe ita in pretio, vt à ſuaviori conciliatione iam propoſita nos remoretur. Ad ſecundam probationem reſpondeo ex dictis in vtroque textu non dici Hemor iam *patrem*, iam *filium* Sichem, quod fatemur ęgrè poſſe ſalvari;

ſed

ſed, *Geneſ.* 33. dicitur *pater Sichem. Et Actor.* 7. dum dicitur à filijs Hemor *filij Sichem* talis filiatio non cadit ſupra Hemor, ſed ſupra Sichem, vt datæ regulæ interpretandi depoſcunt. Quod ſi contra primam partem ſolutionis dicas Sichem, *Geneſ.* 33. non poſſe ſumi pro Civitate: quia ſtatim, *Geneſ.* 34. ſumitur pro perſona. Nego aſſumptum: quia cum detur civitas Sichem, & perſona Sichem; poteſt, *Geneſ.* 33. vbi paulò ante nominatur *vrbs Sichimorum* ſumi pro civitate; licèt infra ſumi debeat pro perſona à qua fortè, & Civitas, & Provincia nomen accepit.

16 Obijcies 5. Oſſa Patriarcharum conſepulta ſunt cum oſsibus Ioſeph. Sed hęc ſepulta fuerunt in Sichem contradiſtincta ab Hebron: ergo non fuere ſepulta in Hebron. Minor patet, *Ioſ.* 24. ibi: *Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerant filij Iſrael de Ægypto, ſepelierunt in Sichem in parte agri, quam emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem.* Ad hoc argumentum reſpondeo primò, negando maiorem, quia licèt conſtet ex Ioſepho *lib.* 2. *Antiqit. cap.* 8. oſſa duodecim Patriarcharum lata fuiſſe in Hebron; tamen non conſtat comportata fuiſſe cum oſsibus Ioſeph, qui clarè conſtat ex ſuperiori textu ſepultus in Sichem. Quod ſi aliquo tempore poſt oſſa Ioſeph, ducta fuerint in Hebron oſſa Patriarcharum, etiam illuc de Sichem potuerunt transferri oſſa Ioſephi. Reſpondeò ſecundò, conceſſa maioti, & minori, nego conſequentiam: quia potuerunt oſſa Ioſeph, & Patriarcharum eſſe vtrobique ſepulta, prius in Sichem, & poſtea translata in Hebron, vt tradunt ſupra dati AA. Reſpondeo tertiò quod ex Verſione Septuaginta textus ille, quo probatur minor, vertitur dicendo, *quod Ioſeph fuit defoſſus in Sichem*: iam autem diximus quod Sichima ſupponeret quaſi pro regione, & Provincia, & quidem ita, vt ſatis eſſet prope Hebron ex illo, Geneſ. 35. *Miſſus eſt Ioſeph ac Valle Hebron in Sichem*, quia fratres eius paſcebant greges in Sichimis non valde diſtantibus ab Hebron. Quę Hebron, ſi empta fuit de filijs Hemor principis Sichimitarum non eſt cur, non pertineat ad Sichimam, ita vt Ioſeph ſepultus fuerit in locǫ qui ſimul eſſet Sichem, & Hebron, id eſt, *de regione Sichimitarum.* Replicabis. Si Hebron erat in Sichimis, quomodo Ioſeph dicitur miſſus de Hebron in Sichem? Reſpondeo, quia miſſus fuit circumcirca Salem vrbem Sichimorum licèt Hebron eſſet quodammodo in Sichimis; & etiam in Sichimis, ſivè alio loco ditionis Sichimitarum paſcerent filij ſui greges. Sicuti etiam de ipſa Compluto poſſet quis mitti ad paſcendum in Toletanis, ſeu circa Toletum; licèt ipſum Complutum ſit etiam in Toletanis. Reſp. quartò, negando min. ad cuius probationem dico, Ioſeph ſepultum fuiſſe prope Sichem, ſicuti, *Vrna habens Manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat*, ad Hebr. 9. dicuntur eſſe in Arca, quia eſſent iuxtà. Ratio eſt, quia D. Hieronym. in Epitaphio Paulæ ait: *Inde* (id eſt Sichem) *divertens viſitavit ſepulchra duodecim Patriarcharum*: ergo extra Sichem erant: vbi notandum eſt, quod non dicitur in Sichem viſitaſſe ſepulchrum Ioſeph: ergo quia cum cæteris extra Civitatem erat. Et quidem licèt Serarius *Ioſue* 24. mille *fortaſsis* geminet, vt inveniat rationem, quare Ioſeph ſepultus fuiſſet in Sichem ſpeciatim; tamen ea omnia longe minus valent, quam vt vellet quoque Ioſeph more Maiorum apponi ad Patres ſuos in Hebron.

17 Rogabis quomodo deſcriptiones terræ Sanctæ, & Authores multi ſeparant Sichem; & omnino contratra diſtinguunt ab Hebron. Reſpond. id eſſe ex ſupratactis, & nonnullis Rabbinis, & AA. ſubſequutis idem aſſumptum occaſione putei Iacob extantis prope Sichar, ſeu Sichem. Sed vt conſtat ex Maldonato, *Ioan.* 4. *v.* 6. Hoc prædium non eſt idem cum eo

quod

quod emerat Iacob, *Geneſ.* 33. quia hoc *Geneſ.* 48. dicitur ſublatum ab Amorrhæo in gladio, & arcu Iacob. Quod quidem mille caſibus, etiam in Sacro Textu non explicatis, potuit contingere. Replicabis ſecundo ad ſuperiora. Quomodo Iacob, qui iuſſu Domini perrexerat de Sichem, vbi necem patraverant filij *Geneſ.* 35. rurſus mitteret charum filium ſuum Ioſeph in Sichem? Reſpondeo, quia cum inde fugeret in Bethel; expertus fuerat, vt ibi dicitur, quod terror Domini occupaverat Sichimitas erga Iacob, & filios eius: quare ſine timore illhuc Ioſeph ad paſcendos greges excurrere poterat. Neque præteriri debet quandam Luzam, ſeu Bethel iuxta deſcriptionem Philippi de la Rue, quam luſtravimus, ſitam eſſe à Hieruſalem verſus meridiem, & Toſtatus credens, iter à Hieruſalem in Luzam debere eſſe Verſus Septemptrionem, dixit Hieruſalem eſſe Bethel ſecundam, licèt refragetur Torniellus: vnde apparet; tùm quod poteſt fieri iter ab vno loco ſic nominato ad alium eiuſdem nominis; tùm quod Iacob admonitus exire de Salem vrbe Sichimorum in Bethel; ire potuerit de Hieruſalem. *Inſiſtes.* Datur Salim, & Socoth iuxta Iordanem, & magis prope Sichar: ergo eo primum venit Iacob. Reſp. neg. conſeq. quia textus non dicit, quod Salem, vel Salim erat prope Sichem, ſed ipſa vrbs Sichimorum.

18 Ad calcem obſerva primò in noſtra ſententia etiam ceſſare difficultatem de translatione Iacob in Sichem, quam cum reliquis videtur commemoraſſe D. Stephanus. Nam ſub eodem tenore, & narratione de eo ac de alijs Patriarchis verba D. Stephani intelliguntur. Obſerva ſecundo, fructũ verè magnum huius modi conciliandi eſſe inoffenſam accommodationem omnium verborum D. Stephani de quibus texitur tam dira tortura apud Interpretes. Vnde Paraphraſis eſt in hunc modum, vel potius gloſſa. *Et translati ſunt Patres noſtri tàm Iacob, quàm Ioſeph, & Patriarchæ ex Ægypto in Sichem, id eſt Regionem Sichimorum, intra cuius ditionem, vel iuxtà, erat Hebron: & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor, id eſt Amorrhæis, habitantibus, vel dominantibus in Sichem, & terra Sichimitarum.* Iuxta quem ſenſum non ſine multa colluſtratione erutum, videtur pia, accomoda, & in offenſa elici interpretatio. Obſerva tertio. Nos indecurſu totius huius diſputationis nobiſcum trahere, & religare pleroſque AA. relatos, vt Lorinum, Cornelium, Pererium, Sancium, Ioſephum, Gagneium, Carthuſianum, Andræam Maſsium, &c. ponentes Patriarchas ſepultos in Hebron. Et licèt in deſignando loco Sichem meditatio ſit ſingularior; tria debent præ oculis haberi: primum fructus ſummi momenti, qui elicitur de loco tam arido, & ſpinoſo. Secundum ipſos Hiſtoricos, Geographos, & Interpretes non omnino convenire circa Sichem eam confundentes cum Sichar, & forte Rabbinorum ſententia, quæ de re vetuſtiſsima ſatis erit, ſi ſit probabilis, prout ab eis ſolum dicta. Tertium quod noſtra meditatio non id tantum perfunctorie, & quaſi ex quadam mentis fulguratione compingit; ſed profundo examine omninum locorum Sacræ paginæ ad rem attinentium, & multorum Nobiliumque interpretum obſervatione. Quæ ſemper debent attendi magis, quam Chartæ Geographicæ, quæ ex varijs intelligentijs variari poſſunt. Licèt etiam in ea invenio circa Hieruſalem, quæ dicitur *Salem*, tùm Luzam, ſeu Bethel, tùm Sochoth, tùm Hebron: quare ad cuncta coordinanda reſpicimus.

19 Quod ſi fortè nihilominùs quis putet, quòd rem tracto minus ſolide, & graviter, ſtatim me omnino Doctioribus fideli docilitate ſubmitto; & iubeo vt res non habeatur

pro ſententia ; ſed pro ſpecimine, quo vitantur ſententiæ duriores , & ſtudium, & pietas in Sacras litteras cuncta in anguſtijs pertentat , vt probentur potiora , & tutiora eligantur. Huc oportune Pererius *in Geneſ. lib. VII. in fine , quæſt.* 7. Qui alibi à nobis affertur , & cum ibi dixerit cum Lyrinenſi conſenſum Patrum non in quibuslibet quæſtionibus; ſed in ijs, quę ad fidem pertinent ſequi oportere, & poſſe quem à veteri ſententia diſcedere , ſi ex adverſo opinio valde probabilis aſſurgat ; proſequitur tamen circa huiuſmodi ſententias magna vtendum eſſe cautione tutiſsimumque forè non ſtatim eas , vt planè veras , & certas divulgare, præfractèque, & mordicus tueri, veteri ſententia non ſolum poſthabita; ſed etiam faſtidiosè , ſuperbeque reiecta. Verùm eas opiniones cunctanter , lentè , ac morosè examinare , ac probare oportere , neque niſi vt probabiles tantum prodere, expectareque Doctorum , piorumque hominum, & florentiſsimarum Academiarum iudicia , atque ſuffragia, vt ſi ab illis repudiatæ , damnatæque fuerint, prorſus abijciantur, æternoque premantur ſilentio : ſin autem laudatæ, approbatæque pervulgentur, tunc inoffenſe ac ſecurè non tantum privatim approbari ; ſed etiam publicè doceri , & defendi queant : verum ita vt nihilominus tamen debitus veteri ſententiæ honor , & reverentia ſemper exhibeatur. Ecce meum ſenſum in quæſtione ardua in qua deſunt nobis duo illi celebriores duces Scripturarum ſcilicèt Abulenſis , qui hanc antilogiam non tetigit , & D. Hieronymus qui tetigit eam quidem , *Epiſt.* 101. ſed diſtulit reſolutionem , quam non habemus , dicens interea Moyſen , & D. Stephanum ſenſis non diſcrepare. Quoad id tamen quod affert in epithaphio Paulæ poteſt inſuper notari ex Toleto, *Ioan. 4. verſ.* 5. quod Sichem temporibus Hieronymi vaſtata erat, & prope eam alia nova *Sichar* extructa : vnde nec multam fidem facère poteſt notitia data Paulæ de ſepulchris poſt tantam ruinam.

20 Obſerva 5. Quod ſi de contraria ſententia quaſi de perpetua traditione impugneris. Reſpondendum eſt traditiones eſſe in quadruplici differentia. Aliam Apoſtolicam , & dogmaticam , aliam purè Eccleſiaſticam, aliam doctrinalem , aliam Vulgi. Prima eſt illa , quæ nedum ab Apoſtolis manat ; ſed inſuper ab Eccleſia cooptatur inſtar articuli , & dogmatis , cui vt Verbo Dei non ſcripto fideles credere tenentur. Secunda eſt aliqua pia perſuaſio , & ſententia ita prævalens , vt etiam ab Eccleſia cooptetur, vt translatio domus Lauretanæ. Tertia eſt quando abſque ſuffragio ſpeciali Eccleſiæ aliqua perſuaſio , & ſenſus currit ſine vlla contradictione inter Doctores , & ſic regnat , & prævalet. Cui tamen, ſi offendiculum poſtea apparet , vel melior via , prudentiſsimè, licèt reverenter , contradici poteſt. Quarta vero eſt , dum perſuaſio tanta eſt, & circa rem cunctis fidelibus communem , vt res nota ſit Vulgo. Hæc autem vtpotè à ſemper inconſtanti, & indocto , fidem non facit , niſi multo examine rata habeatur. De quibus omnibus ad tertium genus remitti poterit traditio de Sichem priſca diſtincta à Hieruſalem , ſeu diſtanti , & in Samaria exiſtente , & eadem cum Sichar : quare ceſſabit obiectio. Obſerva 6. Cùm Ioſeph , *Gen.* 48. dicit de Patre ſuo , fodiſſe ſibi ſepulchrum , & poſtea ſignificatur , eundem Iacob ſepultum fuiſſe in Hebron cum Patribus ſuis; id verum eſſe , vel quia in agro quod emerat Abraham in Hebron, erat tantum duplex ſpelunca pro ſe , & Sara ; vnde vlterius fodere inibi oportebat ſibi quemcumque inibi tumulandum : vel quia re ipſa ibi quoque ipſe emiſſet ſepulchrum: poſtea enim *Geneſ.* 33. non emit niſi agrum ad

ha-

habitandum. Atque demum quemadmodum Abraham veniens de Mesopotamia fixit se, & sua quodammodo in Hebron; ita verisimile est, & Iacob venientem postea vxoratum non nisi ad locum Patris sui Isaac venisse scilicèt in Hebron, & circa eum locum agrum emisse ad habitandum, & fixisse tentoria illa quæ prope Hierusalem (seu Salem vrbem Sichimorum) vocantur Sochorh.

21 Observa 7. quod si superiora fortè tibi non placent, do manus, & mentem lubens: atque in genere conciliationis Verborum D. Stephani cum Moyse, quamlibet amplector sententiam, sivè Lorini, Pererij, &c. sivè Vatabli, & Martinij; sivè Gasparis Sancij, qui Iacobum intelligit Abrahamum, vt tam propinquum; & per *filium Sichem* intelligit Sichimitam, sivè Authorum, qui binomium faciunt Seor, & Hemor. Quoad AA. verò qui vel corruptionem aliquam fatentur in textu, vt Salmeron, & alij; vel lapsum memoriæ in D. Stephano non diffitentur; ego sic rem pie temperare percuperem: in primis negando corruptionem textus: deinde etiam lapsum memoriæ propter talem. Quid enim est hic lapsus rigorosè explicatus, nisi quando quis volens ex professo enuntiare aliqua sibi ante visa, aut audita, fallitur reminiscentia specierum: quod in D. Stephano non fuit. Pro quo favent verba Cornelij, *Act. 7. S. Stephanus concisè loquitur, & paucis multa conglomerat, & perstringit.* Idest loquitur concisim, truncatim, conglomeratim: qui modus sufficiebat intento. Nam ille S. non intendebat scientibus historiam, & legem, illam exprofesso enarrare, enucleare, & aperire; sed citare, recapitulatim, & cursim, atque obiter, & commemorativè ea, quæ ipsi non ignorabant vt, quæ Deus cum ipsis egisset, non desinerent tunc observare, & conferre. Igitur ad rem attingendam *cursim, obiter, excitativè*, & per saltum, imò, & *remissivè* ad nota Scripturæ loca, vbi explicatè tradita invenierentur; nil aliud requiritur, nisi quod omnia verba, quæ glomeratim proferuntur re ipsa satis excitent, & in memoriam revocent facta præterita; quin opus inibi sit aliqua enuntiatione formata, & concordi; eò quòd sit excitatio, & remissio ad iam factas. Cum ergo circa Patres Iudæorum vera fuerit translatio in Sichem ossium Ioseph *Iosue 24.* Vera emptio sepulchri facta ab Abraham *Genes. 23.* vera item emptio facta à Iacob à filijs Hemor Sichemi vel *Tou Sichem*, aut Sichimitæ, vt habetur in originali Græco; hinc est quod accomodando singulis casibus, singula verba quæ hic *desultorie, commemorativè, cursim, & excitanter* glomerata sunt; resultat plana conciliatio eorum verborum: *Et translati sunt in Sichem: & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham à filijs Hemor filij Sichem.* Nam licèt Vulgata addat ly *filij* habet tamen id verum sensum, quatenus vel idem est ac *Sichimita*, vel filiatio cadit supra *Sichem*; non supra *Hemor.*

22 Rem ergo operosam hodierna dies Palmarum declaret exemplo: posset enim Concionator volens brevi recapitulatione significare fidelibus quem passionis dolorem subsequuturum haberet palmarum triumphus; sic ipsis iam scientibus historiam, per saltem copulando verba, rem excitare ex solo *cap. 27. Mathæi. Audite quomodo mane facto consilium inierunt Principes Sacerdotum: & exuentes eum clamydem coccineam circumdederunt ei; exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem: hunc angariaverunt &c. quidam stantes, & audientes dicebant Eliam vocat iste. Et exeuntes de monumentis viso terremotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes. Verè filius Dei erat iste.* Igitur ex hac concisa desultoria, & convoluta copulatione verborum quot enuntiationes falsæ non resultabunt, si inter se quasi iugi filo concordantiæ Grammaticæ copulen-

lentur; & non efformetur potius quam *vnum per se Grammaticale*, vnum quoddam *per accidens* coacervatione conglobatum. Nam apparebit. Primò. Quod Sacerdotes imposuerunt Clamydem. Secundò. Quod ipsi invenerunt Simonem. Quod hunc angariaverunt illi, qui dicebant *Eliam vocat*. Quarto. Quod hi exibant de monumentis aliqui bus propter terremotum. Et quintò. Quod ipsi dicebant, *Verè filius Dei erat iste*. Cum tamen omnium appareat veritas, si verba per distributionem accommodam concidantur, & donentur singula singulis. Scilicèt demus Sacerdotibus Concilium; Militibus Prætorij illusionem clamydis; Cohorti Christum ferenti in supplicium, inventionem Simonis, & quod hunc angariaverunt. Testibus populi in crucifixione intelligentiam de Elia vocato. Corporibus mortuis exitum de monumentis. Et Centurioni cum alijs confessionem filij Dei. Quam quidem accommodationem statim audientes Passionis Domini periti ipsi facerent; neque talis Concionator alia nisi planè vera dixisset; licèt ea (præsertim voce tenus, vbi deest interpunctio) quasi confusè, & glomeratim protulisset: neque vllus eum de lapsu memoriæ postularet. Sic poteris meditari in nostro textu D. Stephani ad Iudæos similiter concionantis. Et hoc est ni fallor quod voluit D. Hieronimus dicere, cum *Epist.* 101. dixit D. Stephanum, & Moysem non discrepare quoad sensum.

23 Observa 8. Verba illa *Psalm.* 49. *Deus loquutus est in Sancto suo Lætabor, & partibor Sichimam, & convallem tabernaculorum metibor.* Non egrè admodum ad superiores excursus nostræ meditationis accommodari: siquidem Deum loqui *in Sanctuario suo* non male aptatur Hierusalem, &c. Observa 9. quod *Genes.* 28. *vers.* 22. vbi dicitur, quod Ioseph dedit Iacob Pater suus partem præ fratribus suis, quam tulerat de Amorrhæo in gladio, & arcu, littera Hebraica pro voce *partis* habet Sechem; scilicèt eamdem vocem per quam significatur Sichem. Et quamquam dici solet quòd vox Hebrea significans arcum significat quoque agnum vel nummum; id ni fallor æquivocatio est confundens litteram Thau, cum littera Thet: siquidem hæc vox *Kesceth* significat arcum, & vox Kescitah significat nummum, &c. Præter quæ omnia hactenus tradita nequit non observari quod *Reg.* 3. *cap.* 12. ponitur Sichem ædificata à Ieroboam in tribu Ephraim, quæ manifestè est distincta à Salem, & videtur eadem de qua procedit quæstio: siquidem translatio ossium Ioseph in Sichem de ea communiter intelligitur, quæ vocatur Sichar, seu Neapolis. Et hæc de hac quæstione.



QUÆS-

JHS.

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

VIR ERAT IN TERRA HVS NOMINE IOB.
Iob cap. 1. *verſ.* 1.

ARTICULUS.

VTRVM ID QVOD IN LIBRO IOB TRADITVR SIT HISTORIA, an Parabola?

1 SUppono 1. Quod, quamquam noſtri animi, & operis non ſit quæſtiones polemicè diſputare; vt cum Hæreticis congrediamur; ſed mere intra cancellos Catholicos dubia diſcutere; nihilominus licèt in libro Iob aliquid apparcat, in quo fere non ſit, niſi cum Hæreticis concertandum, præſertim in hoc præſenti articulo; neceſſarium duximus de ea re diſputare. Optamus enim, vt in noſtris quæſtionibus Quodlibeticis diſcutiendis cùm diſputentur loca illa ſanè graviora, & implexa; tum nullus liber explicatu operoſus prætereatur intactus. Huiuſmodi ergo eſt liber Iob *de Conſenſu Interpretum*, propter plura. Primò. Quia quoad Grammaticam nedum Hebræas, ſed & Syriacas, & Arabicas voces contexit. Secundò. Quoad Poeſiam quia hæc Hiſtoria præter morem poæticè traditur phraſibus, & ligaturis quæ à communi modo loquendi multum diſcrepant. Tertiò. Quoad eloquentiam, quia abundat Tropis, & Figuris loquutione emphatica. Quartò. Quoad Dialecticam; quia continet mutuam, & ſubtilem diſſertationem inter Iob, & Amicos vltrò citroque iactis, reiectiſque ſententijs, & argumentis. Quintò. Etiam quoad Theologiam: quippè inibi tractatur, tùm Theologia ſpeculativa valde ſublimis, quæ ſcrutatur opera Dei, & eius altiſsimam providentiam; tùm quoad Theologiam practicam, & moralem circa virtutes ſimplicitatis, patientiæ, humilitatis, paupertatis, &c. Sextò. Quia in decurſu diſputationum ſeruntur plura ita difficilia intellectu, vt non parum negotij faceſſant, vt cum expeditione ſolvantur. Propter quæ omnia ſanè præteriri non poterat hic ſacer liber, quin ex inde aliquid attingeretur, proindeque primo loco non niſi id quod primò ſolet in diſputatione adduci: *Num ſcilicèt fuerit vera Hiſtoria; an ſolum Parabola doctrinalis pro exercitatione virtutum?*

2 Suppono 2. Id in quo Catholici omnes conveniunt, ſcilicèt Sanctum Iob fuiſſe celeberrimum Typum Chriſti: eius namque rectitudo, & ſimplicitas

citas per Deum ſolemniter declarata ſimul cum turba paſsionum, atque dolorum, quos ſuper eum ſponte ſe offerentem, Deus ipſe congeſsit, procul dubio figurabat Chriſtum Dominum Redemptorem Agnum innocentiſsimum, in quo poſuit Deus iniquitates omnium noſtrum, vt dolores noſtros ipſe ferret, & languores etiam noſtros ipſe portaret. Conſtat enim, libri capita decurrendo, quomodo Iob habitus fuerit pauper atque deſpectus quaſi noviſsimus virorum; quomodo dolore, & mærore viſcera eius tabeſcerent, & cor eius fieret tanquam cera liqueſcens in medio ventris eius; quomodo item ſuper dolores vulnerum eius addiderunt; quomodo Noti, & Amici improperabant ei: ac tandem quomodo in altiori paſsione exprobrata fuit ei ſpes, & fiducia in Deum. Quorum omnium tam typicam expreſsionem minimè labefactaret quod Iob defectus aliquos, & leviores maculas incurriſſet, de quo agemus poſtea: ſiquidem vt benè notavit Salmeron ſolent typi repreſentare res multò maiores, & excellentiores, quàm ſint illæ, quæ inveniuntur in typis. Vera autem typica expreſsio videtur potius cadere deberet in hiſtoriam, quam in parabolam: typus enim dicit rem veram, & realem, adumbrativam tamen alterius; parabola autem de integra fictione conficitur.

3 Suppono 3. Hunc librum Iob longè diverſam partitionem capitum inter Latinos, ac inter Græcos obtinuiſſe: ſiquidem apud illos in quadraginta, & duo capita diviſus eſt: apud hos vero in triginta duo. Ex his vero Athanaſius maluit eum librum ſecare in Viginti Colloquia, quorum vnus ſit Dei cum Satan, Iobi ad amicos novem; Eliphaz ad Iob tria; Sophaz ad eumdem Iob duo; Baldad ad Iob duo; Eliu ad Iob vnum; vnumque tandem Dei ad Iob, ſimul, & amicos. Atque ex vetuſtiſsimo Patre Græco Origene non parum digna notatu ſunt verba, quæ *lib. 1. in Iob* ini-
„ tio affert: nempe. Adhuc vſque in
„ hodiernam diem B. Iob tolerantia
„ ante eos, qui ſunt in dolore, & luc-
„ tu, atque planctu legitur pro con-
„ ſolatione, atque exhortatione do-
„ lorum illorum, & pro ablatione an-
„ guſtiæ cordis eorum. Similiter au-
„ tem, & in conventu Eccleſiæ in die-
„ bus Sanctis legitur paſsio Iob, in
„ diebus Ieiunij, in diebus abſtinen-
„ tiæ, in diebus in quibus tanquam
„ compatiuntur ij, qui ieiunant, &
„ abſtinent admirabili illi Iob, in die-
„ bus, in quibus in ieiunio, & abſ-
„ tinentia Sanctam Dei noſtri Ieſu
„ Chriſti paſsionem ſectamur. Hactenus Origenes: de quibus verbis pro ratione dubitandi ſatis videtur conſtare, non fuiſſe Parabolam: non enim tam vetuſtiſsima traditione, & rita inſtitutum eſſet, vt tentaretur verum ſolatium pro veris doloribus, & paſsionibus, de exemplo merè Parabolico, atque confiſto; præſertim cum Eccleſia hoc exemplum, & exemplum Tobiæ pro vero exemplo, & ſolatio tribulatorum ſemper vſurpet. Pro parte vero ſuadente parabolam fuiſſe, militant ea, quæ ſalebroſa loca ſunt vt, Deum cum diabolo ſuper ea reconcilium habuiſſe: deinde multa quæ etiam attento communi hominum more incredibilia apparent, atque confiſta: poſtremòque vſus ille communis apud Nationes, vt per apologos, & parabolas multa ſalubria documenta, & inſtitutiones inſtillarentur. Ex quibus manat articulus merito diſputandus.

4 Suppono 4. Sacras Scripturas multis parabolis abundare: ſiquidem in veteri teſtamento multas inſeruit Sapientiſsimus Salomon, de quo etiam ad tria millia parabolarum ſcripſiſſe fertur: in novo autem teſtamento ſunt frequentiſsimæ in ore Domini Noſtri Ieſu Chriſti agentis cum diſci-

pulis

pulis ſuis, ita vt ferè ſine Parabolis loqueretur nihil: quapropter eruditiſsimus noſter Salmeron integrum tomum elaboravit, quem de Parabolis Domini maluit inſcribere. Itaque non videtur hæc præſens quæſtio tàm futura eſſe iuris, quàm facti: hoc eſt non diſputando: an liceat aliquid etiam de Teſtamento Veteri parabolicè interpretari; ſed an talis liber Iob in re, & in facto fuerit vera Hiſtoria; an ſolum aliqua contexta Parabola? Ad hæc fuit doctrina illa Chryſoſtomi *tom. 2. homil. 1. de Divite, & Lazaro*, vbi explicat, tunc potius cenſeri debe Hiſtoriam, quam Parabolam; quando nimirum in principio adhibentur nomina propria perſonarum atque locorum ac res tota quaſi digito monſtrata pro„ currit. Hæc ſunt eius verba. Repre„ henſus fuerat Ieſus à Phariſæis; quia „ avari erant: propterea ponit exem„ plum, imò in exemplum Parabolæ „ veritatem. Neque enim in Parabo„ la dicenda nomina ſunt. Parabolæ „ illæ ſunt vbi exemplum ponitur, & „ tacentur nomina, vbi autem dici„ tur Abraham, & Prophetæ, & La„ zarus, & Moyſes, hic ſi verus eſt „ Abraham; verus eſt, & Lazarus. In quibus verbis adhuc res magis vrgebitur pro noſtro caſu, vbi nominatur, & ſignatur qualitatibus ſuis propria illa perſona, & præcipua in qua, & de qua narratio inſtituitur; in ſuperioribus autem verbis Chryſoſtomi licèt benè probetur Abraham, & Lazarum ibi inductos, fictos non eſſe, tamen de perſona Epulonis determinata vera, & reali nihil inde convincitur.

5 His poſitis, ſi ad dividendas ſententias veniendum ſit, non apparet diſsidium aliquod inter Catholicos Interpretes, & Doctores; ſed omnes videntur vnanimiter convenire in eo, quod non fuerit Parabola, ſed vera Hiſtoria: quanquàm enim, licèt quis eam vt Parabolam doctrina vberrimam, & mirificam reputaret, & exinde ſibi polliceretur, ſanè, & tuto poſſe ſibi obiecta argumenta diſſolvere; tamen res male tuta iret: quandoquidem in has partes, atque ſententiam duntaxat Gens malè feriata venit, cuiuſmodi ſunt furfur Rabbinicum de fœtido Thalmude prognatum, Anabaptiſtarum cæcitas, atque peſtilentia Lutheri. In contrarias vero partes, atque ſententiam Catholici vnanimi, & ſana mente confluunt, atque concurrunt: ita vt neque vetuſtiſsimus ille Græcus, & primævus Commentator Scripturarum Origenes, qui in eum ſcopulum impegit, vt multa Sacræ paginæ plane hiſtorica verterit in allegorias, auſus fuerit veram Iobi Hiſtoriam debilitare, vt ex ſuperioribus eius verbis non parum liquet: cuius quidem ſententiæ inter cæteros ſunt nobiliores Aſſeclæ, & Tractatores Pater Alphonſus Salmeron *Prologomen. 10. canon. 25.* Cardinalis Robertus Bellarminus *lib. 1. de Verbo Dei, cap. 5. in 5. hæreſi.* Ioannes de Pineda, copioſiſsimus Iob Interpres *in Præfat. ad ſua Comment.* Venerab. P. Gaſpar Sanchez *in Prologom. ad ſua Comment. in Iob, Prologom. 1.* P. Balthaſar Corderius *in ſua Præfat. ad Catenam per eruditam, quam in hunc lib. Iob*, ipſe compoſuit.

6 Sit noſtra concluſio: *Librum Iob veram Hiſtoriam fuiſſe, non verò meram Parabolam, ſeu figmentum.* Probatur concluſio 1. ex Sacra Scriptura in hunc modum. In Veteri, & Novo Teſtamento per alios Scriptores Canonicos fertur teſtimonium de narratione libri Iob, tanquam de vera Hiſtoria, & reali exemplo. Sed Scriptores Canonici falli non poſſunt: ergo vera Hiſtoria fuit. Probo mai. primo, quoad Vetus Teſtamentum, tùm ex textu Ezequielis 14. *verſ. 13.* ibi: *Terra cum peccaverit mihi, vt prævaricetur prævaricans; extendam manum meam ſuper eam, & conteram virgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentum. Et ſi fuerint tres viri iſti in me-*

dio

dio eius Noe, Daniel, & Iob, ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas. Tùm ex textu Tobiæ, *cap. 2. verſ. 12.* ibi: *Hanc autem tentationem ideo permiſit Deus evenire illi, vt Poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicuti, & Sancti Iob.* Ex quibus vtriſque verbis, ſic argumentor. In vtroque textu patet, quod Perſona Iob fuit realis, & vera, & Hiſtoria quoque dolorum, & tentationum eius fuit vera: ergo, &c. Antecedens patet, tàm de primo, quia Deus ipſe recenſet Iob cum Noe, & Daniele, & horum trium iuſtitiam æquè potentem prædicat ad liberandum; de ſecundo, ſiquidem Scriptor Canonicus Libri Tobiæ, tàm reale, & Hiſtoricum facit exemplum patientiæ, in tribulationibus Iob, quàm exemplum patientiæ Tobiæ. Sed teſte noſtro Corderio *de vera Hiſtoria Tobiæ* (non dico de Authoritate Canonica) neque Iudæi, neque Chaldæi, neque Græci, nequc Latini dubitarunt: ergo de Hiſtoria Iob ſimiliter eſt nobis ſentiendum. Probo iam 2. illam maiorem de Novo Teſtamento, ex Epiſt. Iacobi, *cap. 5. verſ. 11.* ibi: *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt: ſufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Ex quibus arguo ſic. Scriptor Canonicus non poterat adunare in vnum exemplum heroicæ ſuſtinentiæ rveram paſsionem Salvatoris cum alia re, & narratione fictitia, atque ad ſpeciem compoſita. Sed Apoſtolus Iacobus ſub eodem tenore hortatur ad ſuſtinendum, repræſentans paſsiones Iob, ac paſsionem Chriſti Domini Redemptoris: ergo de vtraque quoad realitatem Hiſtoriæ itidem ſentiendum eſt.

7 Probatur 2. ex traditione. Datur quædam traditio plenè, & planè characteriſtica de perſona Iob, & narratione geſtorum eius, quæ licèt non ſit Apoſtolica; tamen ad id accedit, & in Eccleſia eſt ingentiſsimæ authoritatis; ſed hoc eſt multi ponderis argumentum ad ſuſtinendum fuiſſe vetam Hiſtoriam: ergo re ipſa fuit. Probatur mai. In Editione Septuaginta, & Theodotionis datur Græcè quædam Appendix, quæ latinè reddita ſic ſe „ habet. Hic fertur, ex Syriaca Co- „ dicis interptetatione in Auſitide „ habitaſſe in finibus Idumææ, & „ Arabiæ; eratque illi nomen Iobab: „ cum autem accepiſſet Vxorem Ara- „ biſſam; generavit filium, cui nomen „ Emmon: erat porrò ipſe ex Patre „ quidem Zare de filijs Eſau filius, ma- „ tris verò Boſorra: ita vt ipſe ſit „ quintus ab Abraham: & ij ſunt Re- „ ges qui regnaverunt in Edom, cuius „ Regionis ipſe quoque principatum „ tenuit: primus Balac filius Beor, & „ nomen Civitatis eius Dannaba: poſt „ Balac autem Iobab, qui vocatur Iob: „ poſt hunc autem Aſon, qui erat Dux „ ex Regione Thæmanitide, poſt hunc „ autem Adad filius Barad, qui ſcidit „ Madian in campo Moab; & nomen „ Civitatis eius Getham. Amiti verò „ qui ad eum venerunt Eliphaz de „ filijs Eſau Thæmanorum Rex, Baldad „ Tyranus Suchæorum, Sophad „ Rex Minæorum. Sed hæc traditio ex vna parte videtur accedere ad Authoritatem traditionis Apoſtolicæ, vtpotè quæ erat appendix ad editiones Septuaginta, & Theodotionis, quas Apoſtoli reverebantur. Et ex alia parte eam amplectuntur, vt legitimam partem Hiſtoriæ, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Polychronius, Olympiodorus, Iulianus, Severus, Evagrius *in Catena.* Noſterque Bellarminus *lib. de Verbo Dei, cap. 4.* non immeritò Canonicam tertij ordinis cenſendam docet, vt quæ pro tali iam recepta ſit, non publico quidem Eccleſiæ; ſed plurium Doctorum iudicio. Quæ omnia planè ſunt ingentiſsimæ authoritatis: ergo huiuſmodi de re noſtra datur quoque traditio. Maior, & min. Græcuſque textus talis appendicis comprobatæ inveniuntur apud Corderium in Præfat. ſuæ Catenæ. Confirmatur 1. ex vetuſtiſſimis PP. Eccleſiæ, vt ſunt Origenes,

quem

quem ſupra retulimus, & Tertullianus *lib. de Patientia, cap.* 14. ergo, &c. Confirmatur 2. Ex authoritate in ſe minus valida, ſed pro re præſenti forſitan validiori, ſcilicèt Averrois. Nam hic Arabs ſtirpe in Moralibus Ariſtotelis, loquendo de animi magnitudine, adducit Iob tanquam exemplum patientiæ, ac beatum prædicat. Sed in tali Philoſopho Arabe potius credendum eſt citaae Hiſtoriam probatam, receptamque, quàm Parabolicè loqui præſertim ibi, vbi Philoſophum agit: ergo illa vera Hiſtoria fuit. Confirmatur 3. Sancta Mater Eccleſia Iob colit vt Sanctum Templo, ſolemnitate, & aris honorat, & eius patrocinium invocat. Atqui hæc omnia, non niſi erronee fierent niſi talis perſona fuiſſet: quod de Eccleſia dici non poteſt: ergo, &c.

8 Probatur 3. à ratione. Tota narratio lib. Iob intrinſecè, & extrinſecè conſiderata Hiſtoriam eſſe teſtatur. Ergo vera Hiſtoria fuit. Probat. anteced. Quod in primis patet quoad extrinſecam cooptationem inter Hiſtorias, prout re vera hic liber recenſitus eſt in Sacra pagina, ſeiunctas, & non continuas, cuiuſmodi ſunt liber Tobiæ, & Iudith. Quoad intrinſeca verò probatur: quia in decurſu narrationis dantur quotquot notæ poſſunt deſiderari, vt ſit vera Hiſtoria, ſcilicèt, Patria propria, Nomina Perſonarum, menſura Facultatum, Anni definiti quos vixit, Numerum Filiorum cum proprijs nominibus, ac tandem commemoratio diei Nativitatis ſuæ. Sed vix erit in Sacra pagina alia Perſona hiſtoricè attacta, quæ per tot characteres plus demonſtretur: ergo verra illa Hiſtoria fuit. Confirmat. 1. Quia exemplum Tobiæ Hiſtoricum eſt: ergo, & Iob. Confirmatur 2. Ex verbis inventis Tertulliani in *lib.* tamen de *Reſurrectione carnis, cap.* 33. Vbi inquit: *Si nomina abſoluta ſunt rerum, vt nihil eorum in parabolam comprimi poſſit, nec ea in parabolis comprimuntur.* Quaſi dicat; Vbi nomina ſunt, Parabolas non eſſe. Confirmatur 3. Quia vt obſervavit Pineda conſtat ex Fretelio, Breidembachio, Adricomio, & Abulenſi, extare in Arabia ſepulchrum Iob. (Nota verò alium Iob Mahometanum fuiſſe ſepultum Conſtantinopoli, quem Mauri colunt.) Ergo de primo ad vltimum non Parabola, ſed vera Hiſtoria fuit. Et contrarium dicere, carpitur à D. Thoma, Lyra, Cajetano, Sixto Senenſi, Bellarmino, & Pineda, qui ſua ætate refert nonnullos exiſtimaſſe tale quid erroneum non eſſe.

9 Obijcies 1. In Novo, & Veteri Teſtamento dantur libri Canonici penitus Parabolici: ergo nihil obeſt quominùs ſimiliter poſsit intelligi liber Iob. Probatur anteced. & ad maiorem vim comparandam argumento non loquor de libro etiam quoad ſpeciem Parabolico, quippè hic certiſsimè eſt liber Proverbiorum, ſed de libro, qui ſub facie Hiſtoriali Parabolam ſeu Typum ferat. Sed huiuſmodi datur in Veteri Teſtamento liber Canticorum, & in Novo Teſtamento, liber Apocalypſeos: ergo, &c. Minor quoad librum Canticorum ſatis communis eſt inter PP. vt conſtat ex Noſtro Sherlogo *Anteloq.* 1. *ſect.* 4. *num.* 25. Et quoad Apocalypſim conſtat ex Noſtro Ludovico Alcazar *Notatione* 6. Proœmiali. Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinguendo anteced. Dantur libri in vtroque Teſtamento Parabolici, id eſt, ænigmatici, & ſub ſtilo verè Parabolico, & enigmatico conc. vel permitto anteced. ſub ſtilo, & tenore currentis Hiſtoriæ, neg. anteced. & conſequent. Itaque verum eſt, quòd liber Canticorum ſatis Parabolicus eſt, & quidem ita, vt, licet in eo claudatur vera Hiſtoria Epithalamij, & Nuptiarum Salomonis cum filia Pharaonis prout vbertim id oſtendit P. Sherlogus in Anteloquijs; nihilomi-

nus tota libri ſtructura ſtilo minimè Hiſtoriali, ſed prorſus Parabolico inducta eſt, atque compoſita: quare, & incipit illis verbis: *Oſculetur me oſculo oris ſui*: Nulliſque notis Hiſtoricis ſigillata illius Dialogi viciſſitudo procedit, hinc inde ſpargendo effata, & ſententias, in quibus myſticè, & arcanè latitet ſpecioſa doctrina. Similiter etiam liber Apocalypſeos, quamquam incipiat Hiſtoricè de perſona Ioannis, & Inſula Pathmos; tamen ſtatim elevatur atque attollitur argumentum ad ænigmata viſiones, atque myſteria: proindeque nullus ibi miſcetur ſtylus Hiſtoricus; ſed cuncta pergunt ænigmatis convoluta, ſub quibus alij Parabolam alij verò Eccleſiæ Hiſtoriam dilucidant. Non ita verò eſt liber Iob, qui ab initio vſque ad finem ſtylo planè decurrit Hiſtorico, & nulli parcit Hiſtorico characteri.

10 Obijcies 2. Saltem in hoc puncto problematicè diſcurri poterit, & alterutram partem ſine inconvenienti defendere: ergo non ita reſolutoriè tenendum eſt, veram Hiſtoriam fuiſſe. Anteced. probatur. 1. Eatenùs ſuſtineri non poſſet, quod ſit Parabola; quatenus inde Hæretici huius libri authoritatem Canonicam enervant, & labefactant. Ergo inter Catholicos, qui tanquam Canonicum hunc librum recipiunt benè poteſt problematicè pars vtralibet ſuſtineri: prout cenſuerunt nonnulli quos ſupreſſo nomine refert Pineda. 2. Quia ſivè ſit Parabola, ſivè ſit Hiſtoria, æquè tutum atque perfectum eruitur doctrinale exemplum patientiæ. Atqui ſalva exhibitione doctrinæ; hæc erit vniverſalius acceptanda, ſi ſub Problemate relinquatur: ergo ita magis oportet. 3. Quia in varijs libris Sacræ paginæ dummodo ſalva concedatur libri doctrina, problema poteſt eſſe circa Authorem talis libri: ergo itidem diſcurri poterit circa quæſitum: *an ſit Parabola, vel Hiſtoria.* Ad hoc argumentum reſpondeo negand. antec. & ad eius prim. probat. diſtinguendo anteced. ~~& ad eius prim. probat. diſtinguendo anteced.~~ Ideò præcisè, neg. anteced. ideò, & quia veritas Sacræ paginæ omnino ſervanda eſt, conc. anteced. & nego conſeq. Verum enim eſt, quòd Hæretici videntes ex vna parte in libro Iob ſublimes ſententias, & alta Myſteria; ex altera verò parte totius patientiæ Chriſtianæ excelſum Prototypum, & germanæ ſubiectionis ad iudicia Dei mirabile exemplar; cum ipſi tùm ad credendum tum ad humiliandum ſe Deo ſint imparatiſſimi; elevare intendunt huius libri authoritatem Canonicam, & vt ſimulatius id conſequantur, Hiſtoriam negant, & Parabolam fingunt: non enim valdè recuſant concedere doctrinas ſpeculativas, & idæales quantumvis perfectas; fugiuntt tamen, & cavillantur heroicas virtutes Sanctorum, ne quod ab alijs hominibus, Deo iuvante, præſtitum fuit, ab ipſis exigatur poſtea præſtandum. Catholici verò, qui hunc librum Canonicum ſicuti, & cæteros nullo examine, & fide obſequentiſsima reverentur, aliunde ſibi putant hanc tenendam eſſe vt Hiſtoriam, eo quòd æquè criminoſum ſit in Sacra pagina rodere veritatem, quàm labefactare doctrinam: cumque in hoc libro appareant Hiſtoriæ omnes ſimpliciſsimi characteres; Religionem ſibi putant huic veritati detrahere. Et metito quidem: nam, vt ſupra oſtendimus, primores DD. talem ſententiam de Parabola inurrunt cenſura, & iuſta quidem, quoniam opponitur ipſi Scripturæ varijs locis citanti Iob vt veram Perſonam, & realem: deinde opponitur vnanimi conſenſui SS. PP. in re attinente ad fidem, & mores, cuiuſmodi eſt fingere Authorem Canonicum, & exhibere fidelibus exempla conficta. Ad 2. probationem reſpondeo negando mai. quia non manet aliquod facinus, tàm efficax ad movendum, quando con-

convincitur ficta Perſona, quæ illud patraſſe perhibetur: vnde nec practicè doctrinale eſſe poteſt: & licet doctrina præciſsè ſpeculativè tradita, & quaſi per modum iuris circa facienda, & vitanda, vera doctrina ſit; tamen ſi exhibetur vt practica, & per modum facti; deſinit eſſe efficax ſi, & factum, & perſona ſint planè conficta. Ad 3. probationem diſtinguo antec. quando dantur fundamenta probabilia vtrimque conc. anteced. aliter, nego antec. & conſeq. Eſt enim longe diverſum, quòd de aliquo libro Canonico ſit problema fundatum circa Scriptorem talis libri eo quòd, neque Scriptura, neque vnanimis ſenſus PP. aliquid in hac re definierit; & quod velit intrudi problema circa rem, de qua Scriptura in proprio loco oſtendit eſſe Hiſtoriam; & in alijs libris ita citatur; ab vnanimi conſenſu PP. ſic excipitur; ab Eccleſia ſit traditur; ab Interpretibus, imò à Gentiliſmo ſic ſuſtinetur. Quare de primo ad vltimum non videtur liberum opinari eam fuiſſe Parabolam, & non Hiſtoriam. *Replicabis.* Viri Catholici apud Pinedam in præfat. *cap.* 1. ſentiunt, aliquas partes huius libri non poſſe ſuſcipi Hiſtoricè, ſed Parabolicè, vt Concilium Angelorum, colloquium Satanæ, &c. Ergo, &c. Reſpondeo permiſ. antec. neg. conſeq. Quia tàm in Sacris, quàm in prophanis permixtio alicuius Parabolæ non tollit Hiſtoriam prout memini me dixiſſe *tom.* 1. *Decad.* 3. *queſt.* 8. *num.* 10. rem firmante Hieronimo, & Auguſtino, illo apud Oſeam *cap.* 10. ſic loquente: *Hanc habet conſuetudinem ſermo divinus vt per tropologiam, & metaphoram Hiſtoriæ exprimat veritatem.* Hoc verò *lib.* 9. *de Geneſi ad litteram cap.* 31. ſic pronunciante: *Propter vnius verbi translationem non totus locus figuratè accipiendus eſt.*

11 Obijcies 3. Multa, & valida ſigna ſunt in libro Iob comprobantia fuiſſe Parabolam: ergo reipſa fuit. Probatur antec. Probant fuiſſe Parabolam libri nomina, exordium libri, ſtylus ipſius, ſtylus Nationum, & inveriſimilitudo argumenti. Sed hæc multa ſunt, & valida ad comprobandum fuiſſe Parabolam: ergo, &c. Probatio maioris per ſuas partes ſigillatim expenditur. In primis Nomina apparent eſſe inventitia, & ad Parabolam accomodata vt *Iob.*, qui ſignificat *dolens.* Hus quod ſignificat *conſilium*; & etiam nomina Filiarum, quæ videntur quoque accommodatitia in ſignificationibus ſuis. Exordium libri Iob eſt ad inſtar narrationis anilis *Erat vir* quod de Hiſpauiſmo vrget Pineda ſibi obijciens illud exordium fabellarum *erase que ſe era.* Stylus libri eſt metricus, & ligatus, quo ſolent pangi poëmata pulchrè compoſita, ingenioſeque confícta. Stylus, & mos Nationum fuit omni ætate vt in perſonis fictis veræ virtutis exemplar proponatur, vt patet in Hercule quem patientiæ, & laboris exemplum poſuere Gentiles. Itidem Homerus in Agamemnone prudentem Imperatorum, in Achile robuſtum Ducem, in Vliſſe aſtutum hominem repræſentavit. Denique in ipſa narratione aliqua inveriſimilia confluunt, nempè, quòd ſeptem diebus, & noctibus amici Iob ſtetiſſent immoti, & impranſi; quod ſanitas, & facultatum integritas, tàm copioſè reparata ſit nullo medio; quòd in cladibus, & iacturis Iob ſemper vnus evaderet liber, vt foret nuntius. Et alia id genus. Ergo, &c. *Confirmatur.* Incredibile eſt, quod de Hiſtoria vetuſtiſsima, & pro Iudæis afflictis conſcripta ſileant Iudæi, vt Ioſephus, & alij Parabolam putent, & non dicant fuiſſe veram Hiſtoriam: ergo quia reipſa non fuit.

12 Ad hoc argumentum reſpondeo negando maior. ad cuius probationis partes ſigillatim quoque reſpondeo. Atque in primis ad primam reſpondeo, nomina Vrbium, & Reginum, quæ ibi citantur, planè vera eſſe,

&

& quę proinde fuffectura forent ad fictionem declarandam; ſi fictio fuiſſet, præſertim quando nomina perſonarum, quæ fingerentur non eſſent gentis ignotæ, ſed Principum, & Regulorum. Quod verò nomina perſonarum ſignificationem claudunt, & quidem proportionatam alicui caſui perſonæ; hoc ſolitum eſt ab exordijs Hebræi idiomatis, in quo vnaquæque res nominabatur ab eo, cuius ſpecimen dabat, vel ad quod alludebat, vt *Adam* à terra; *Abel* à planctu, *Moyſes* ab aquis, *Benoni* à dolore partus, & mille huiuſmodi. Quod præterea in perſonis notiſsimis, & Deo inſpirante factum eſt, vt nomina ipſa eventus portenderent: quemadmodum, & nomen Ioſeph, id eſt *augmentum*, quia fecit in Ægypto; & Nomen *Ieſu*, quod ſalvationem ſignificat. Ratio verò cur in exordijs perſonæ nominarentur, vel ab eventu, vel ab aliquo charactere perſonæ, eſt quia, vel nondum prodierant viri famoſi, quorum nomina alij geſtare prę-riperent: vel fortè audentius quid reputabant talia ſibi nomina arrogare: quouſque alij homines aliorum geſta imitari cupientes; & Patres optantes filios ſuos, ſeipſos imitari; & conſervare memoriam; nomina impoſuerunt potiùs à voce, & ſono, ac ſyllabis, quam à ſignificatione. Ecce ergo quomodo, tàm ab exemplo verarum perſonarum, quàm ab ipſa ratione fundata evadit non impeditivum Hiſtoriæ, quod Iob, & alia nomina ſuæ hiſtoriæ polleant ſignificatione ibi congruente. Ad ſecundum de libri Exordio reſpondeo facile cum Pineda Ly *erat vir* in originali eſſe in præterito perfecto *Fuit*. Et ſic incipiunt Hiſtorici libri 1. *Reg.* Ioſue, Iudicum: imò, & expreſsio *erat* paſsim invenitur vſurpata in Verſionibus; quam reor magis accommodam, dum ipſa res ſeu perſona, quæ ſic monſtratur, ponitur, vt ſuper ea aliquid attexatur; quando verò ponitur vt abſolvatur; magis congruit præteritum perfectum? quod res illa perfectè, & ea abſolutè præterita fuit; per *erat* verò quod necdum ſit perfecta præteritio, & narratio. Quoad Hiſpaniſmum verò obſervatum à Pineda, qui verè ita ſe habet; dico, quòd illa expreſsio *eraſe que ſe era*, clarè dicit rei incertitudinem; & hæc *erat* potius veritatem. Quia illa introductio fabellarum eſt quaſi permiſsiva falſitatis, & liberativa fidei faciendæ in narrante: veluti diceremus *ſea de eſſo lo que ſe fuere*, quando rei veritatem, & conteſtationem in nos non ſuſcipimus. Quando vero dicimus *erat* aut *fuit* ſemper fidem facimus, & atteſtamur. Ad tertium de compoſitione Metrica, & ligatura, hæc nihil probat: quia, & ſoluta, & metrica oratione currunt fabellæ, & Hiſtoriæ: neque Pſalmi, qui libros Hiſtoriales Veteri Teſtamenti reſumunt, definunt eſſe ſatis Hiſtorici, licet ad metrum, & cantum ſint allegati. Prudentius item, & alij Sacras Hiſtorias eleganti carmine cecinerunt. Imò ſolitum eſt id, quod maximè cupimus, memoriæ inſculpi, ad numeros trahere, vt rem ligatura trahat, atque præſentet: quod in exemplo patientiæ, tàm luculento veriſimiliter optandum erat. Ad quartum nimis verum eſt Gentiles, & præſertim Græcos etiam de perſonis veris multos invenisſe apologos, & Parabolas, vt doctrinas morales elicerent: ſtudioſiores planè ipſos alicuius apothegmatis moralis inſculpendi, quàm retinendæ veritatis; vnde, & invaluit *Fides Græca* pro mala fide: & notum eſt multos Græcos opinatos olim fuiſſe, licuiſſe officioſa mendacia. Hebręi verò typos, & figuras in more habebant, hoc eſt veris factis multa figurare, ac prædicare, vt obſervari poteſt in Sacra pagina; ſed eos fingere perſonas, & Hiſtorias non ita nobis conſtat ſicut de Græcis. Quod ſi de Syris dicitur ipſos Sermone Parabolicos eſſe vt in Novo Teſtamento comprobatum eſt; de-

bet

bet intelligi de ſimilitudinibus propoſitis, planè vt talibus, nempe de ſagena, de ſemine, de zizanijs: vbi deſunt nomina, perſonæ notæ, locus, & tempus. Imò, & de Divite epulone, ait Pineda omnes PP. præter Theophilactum vnanimiter ſentire non fuiſſe quid confictum, in quo, & verus Abraham, & verus Lazarus interloquebantur. Ad quintum denique reſpondeo, quod in rebus abſtruſis, & arcanis Sacræ paginæ non habet locum argumentari ab inveriſimilitudine humanitus appenſa, eò quòd Biblica argumenta ſuperent humanæ mentis aciem; &, ſi ex vi noſtræ capacitatis, & intellectus caſus, & hiſtorias ibi contextas metiri vellemus; ſtatim multa convelleremus. Quapropter, ſi adhuc in difficilioribus, & quibus exitum parare non poſsimus, fidem tamen damus vt faciunt Auguſtin. Hieronymus, Abulenſis, Pererius, quantò potiori iure requirenda eſt fides noſtra in ijs, quæ, dum per huiuſmodi Doctores attinguntur, & excutiuntur, probabilem ſibi exitum parant? Huiuſmodi autem ſunt inveriſimilitudines nobis obiectæ, quas vide explicatas congruenter apud Pinedam, Sanchez, Stunicam, Corderium, Cornelium, & alios: & plures nos infrà attingimus. Ad confirmationem vero reſpondeo, Iudæos non potuiſſe facere commemorationem magis ſolemnem, quam illum librum in ſuo Protocanone recenſere, vti per Eſdram inibi adiunctus eſt. Thalmudici autem Rabbini forte inde hiſtoriam negant, vt ait Sanchez, quia nullum ſanctum fateri volunt, qui non venerit de Iacob: Iob autem de illo non venit; ſed de Eſau. Quod vero Ioſephus Iob prætermittat, Pineda iure non æſtimat: vapulat enim hic Author in multis, & à multis quoad fidem ſuæ Hiſtoriæ, vt nos tomis præcedentibus abunde dedimus.

13 Rogabis 1. An Iob fuerit de ſtirpe Gentilica; an verò de filijs Abrahæ? In quo quæſito duo ſunt placita diſcrepantia. Alterum eſt ipſum ducere originem de ſtirpe Gentilica, quatenus deſcenderit ex Hus filio Nachor fratris Abraham. Quæ eſt traditio Hebræorum, & quam ſequuntur Hieronymus *in quæſtionib. in Geneſ.* Rupertus, & Rabanus *in cap. 36. Geneſ.* Philippus Præsbyter, & Nicolaus de Lyra, *Iob. cap.* 1. Alterum verò placitum eſt, verè Abrahamidem fuiſſe de poſteritate tamen Eſau, non verò Iacob. Cuius ſententiæ eſt Origenes cum pleriſque Græcis. Item de Latinis S. Gregorius Magnus, Sedulius, Gregorius Turonenſis, Raphael Volaterranus, Abulenſis, Albertus Magnus, & alij quos citat, & ſequitur noſter Ioannes Pineda, *in Iob cap. 1. verſ. 1. num.* 32. Quæ quidem ſententia apparet eſſe fundatior, atque receptior, aptaque ad ſuſtinendam noſtram ſententiam de vera Hiſtoria potius, quam Parabola: ſiquidem expeditè ſic diluitur Iob ſtirps, & generatio dignoſcitur, quæ ita ſe habuit. Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Eſau, Eſau autem genuit Raguel, Raguel genuit Zare, Zare genuit Iobab ſeu Iob, vt conſtat Geneſ. 36. vbi generationes Eſau exponuntur. Circa matrem verò ipſius nonnihil dubij eſt: licèt enim alij facile Boſoram eſſe affirment; id merito in dubium revocat noſter Pineda, qui Boſaram, ſeu Boſ. ram Geneſ. 36. poſitam, potius perſonam quam Patriam iudicat: conſtat autem eius vxorem fuiſſe Arabiſſam ex Septuaginta, & Iuliano *in Catena, cap.* 42. Rogabis 2. Quænam terra Hus, & à quo dicta fuerit, vbi erat Iob? Reſpondetur quod licèt alij putent quod fuerit ſic dicta ab *Hus* filio Nachor; id potius videtur naſci ex traditionibus Rabbinorum. Deinde licèt id alij dixerint ab Huſan qui regnavit in Edom poſt Iobab, vt dicitur Geneſ. 36. Nihilominus veriſimilius

apparet quod dicta fuerit talis terra ſic ab *Hus* filio Aram, & nepote Noe qui primus fundaſſe videtur, atque coluiſſe Traconitidem, & Cœleſyriam inter quas terras Hus interiacet: quam opinionem tenet Ioſephus *lib. 1. Antiquit. cap.* 14. apud, & cum noſtro Pineda *cap. 1. v. 1. n. 36* cum D. Hieron. *in quæſt. Hebraicis Geneſ.* 10. vnde, & argumentum ducit ipſe Pineda quod Hieronymus quoque ſit in ſententia de Genealogia Iob potius ducenda ab Eſau quam à Nachor: licèt autem talis Hus fuerit poſterior Iob; tamen quando Moyſes, vel Author libri Iob ſcripſit; iam erat illa terra ſic nominata.

14 Rogabis 3. Quo tempore vixit Iob? Reſpondeo omnes convenire, eius tempora vetuſtiſsima fuiſſe, ita vt alij, vt Hieronymus, & Chriſtianus Adricomius eius ætatem pœnè ad Patriarchas, vt Iacob, & Eſau referant; alij verò vt Sulpitius, & Burgenſis circum tempora Moyſis. Alij plures vt Chryſoſtomus, Auguſtin. Ambroſ. Theodoret. Origen. & Euſeb. ſatis ante Moyſem illum conſtituant: prout, & nos fecimus etiam Iob quintum ab Abraham. De quo vide Titelmanum copiosè, & ſubtiliter differentem in Iob. Rogabis 4. Quomodo inteligendum ſit illud quod dicitur, *cap. 7. verſ. 1. Rurſus Iob aſſumens parabolam*; ſi ſua Hiſtoria parabola non fuit? Reſpondeo ibi tantum dici, quod Iob ibi proſequebatur illum ſermonem emphaticum, & tropicum ac eloquentem, quem cœperat; nil enim obſtat, quominus in aliqua vera hiſtoria interſeratur veræ perſonæ aliqua peroratio elegans emphatica, & parabolica, qua ſua ſenſa depromat.

JHS.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

CVMQVE SEDEREM QVASI REX, &c. *Iob, cap. 29.*

ARTICULUS.

VTRVM SANCTVS IOB FVERIT REX?

SUppono 1. Rationem dubitandi in hac queſtione reſultare ex toto contextu capitis præcitati, vbi inveniuntur clauſulæ ita diverſæ in hoc puncto, vt rem in dubio ſatis prudenti reliquiſſe videantur. Nam, *verſ. 7.* ſic habetur. *Quando procedebam ad partem Civitatis, & in Platea parabant Cathedram mihi; videbant me iuvenes, & abſcondebantur; & ſenes aſſurgentes ſtabant: principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo.* Ex quibus verbis videtur manifeſtè concludi, ipſum fuiſſe Regem; alioqui quomodo ipſi deferren-

rentur tanta obſequia, reverentiæ, & inclinationes factæ à Principibus, & quidem ita profundæ, vt neque mutire auderent coram ipſo Iob, poſtquam huic media in Platea locum paraverant eminentem. Quæ valdè fulciuntur ex verbis, *cap. 1. verſ. 3.* vbi dicitur. *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.* Ex altera verò parte militant alia verba in eodem *cap. 29.* quæ ſunt huiuſmodi. *Si voluiſſem ire ad eos; ſedebam primus: cùmque ſederem quaſi Rex, circunſtante exercitu eram tamẽ mœrentium conſolator.* Vnde apparet, non verè Regem fuiſſe Iob; ſed potius ipſum ſe deſcripſiſſe inſtar Regis, dum ipſe Iob in circumfuſa multitudine verſaretur, non ſecùs ac ſolet Rex in caſtris ſuis verſari circumfuſo ſuo exercitu, & circumſtante. Præterea verò Regi non videtur aptari, fuiſſe quaſi habitualiter, & miniſterialiter mœrentium conſolatorem: licèt enim actus conſolandi aliquem mœrentem non dedeceat Reges, & Principes; tamen dici mœrentium conſolatorem, quaſi antonomaſticè videtur inſinuare actum, & miniſterium, quæ potius ad perſonam privatam referri debent. Huc accedit, quòd calamitates illæ, quæ ipſi contigerunt, & neque à populo, neque ab hoſtibus finitimis; ſed ab vxore, amiciſque; veriſimiliores fiunt pro perſona privata, quàm pro poteſtate Regia.

2 Suppono 2. Quod licèt apud Hebræos nomen Regis natum ſit multò ſerius eo quòd, populo petente Regem, Saul ipſi Rex primus à Domino donatus fuerit; tamen inter Nationes ſtatim ab exordio mundi cœperunt homines alij alijs parere; alij alijs ius dicere, & imperitare, vt quoquo modo hominum convictus, & ſocietas retineri poſſet: ſubindeque etiam alij, qui alios regebant, vni cuidam primori viro, ſibique in caput aſſumpto, tempore procedente auſcultabant. De quibus patet in Geneſi, quomodo exigui Reguli ſimul quatuor, & quinque pro re modica præliari ſolebant: vnde Rex Regum ſolebat aliquis nominari. Atque vt huius vocis *Rex* etymologiam melius comperiamus; de Hebraico, Græco, & Latino fonte, id eſt veſtigandum. Itaque in primis vox *Melech* orta de radice *Malach* conſiderata etiam ex dialecto Chaldaica, & Arabica, idem eſt, vt ait Valentinus Schilderus, ac Rex, Imperator, omnis dominator, qui vel ditioni, vel etiam vrbi alicui dominatur, gubernator, dux, Præfectus, Conſul. Quia nimirum talis radix ambit omne quod eſt conſilio, prudentia, & legibus regere. Neque inde longè abeſt dialectus Syriaca, quæ ſignificat *cogitare, conſilium dare, deliberare, polliceri*: ſiquidem omnia hæc regenti populum congrue adaptantur. Sed ex dialecto etiam Arabica apta ſignificatio reſultat, nempe *acquirere: vendicare: poſſidere*: quæ Regi Thronum occupanti conveniunt. In Græca verò origine Rex dicitur Baſileus; ſed ibi potius ſonat Imperatorem exercitus, vel eum qui præerat ſacrificijs, vt conſtat ex Lexico Græco aucto per Adrianum Iunium. Ad Latinos autem deveniendo Rex idem eſt ac Princeps Imperans ex legum præſcripto: vnde, & *regiones* dictæ ſunt, quæ ipſis parebant, & Regna appellabantur: dicebantur verò Reges non ſolum qui vnius tantum vrbis Imperium habebant, ſed, & viri etiam ditiores, ac potentiores prout in quæſtione de Regibus Magis à nobis attactum eſt. Ex qua notione vocis melius adhibita clarius procedet articulus diſputandus.

3 Suppono 3. Quod præter Etymologiam ſupra diductam, vberi eruditione pergit noſter P. Gaſpar Sanchez, vt firmet tam de Sacris Litteris, quàm de prophanis, poſſe appellari, & reipſa fuiſſe appellatos Reges, multos, qui non ita amplam ditionem poſſiderent, vt alios ſub ſe haberent Duces, Comites, Optimates, qui opibus

bus, & iuriſdictione pollerent; ſed illos etiam, qui vni vrbi, vel modicis Populis præerat. Quodquidem in primis ex Sacris Litteris ſtatim evincitur: tùm quia Ioſue 12. dicitur, ipſum Reges triginta, & vnum ſuperaſſe: quiquidem in tota, & ſola terra promiſsionis non poterant niſi modica dictione eſſe contenti. Tùm quia Gen. 14. Quinque Civitatibus Reges quinque cenſentur, qui cum alijs quatuor in brevi terræ ſpatio congreſsi dicuntur. Quinimo, & Abraham cum ſolis vernaculis ſuis Reges huiuſmodi ſuperabat. Tùm quia Iudic. *cap.* 1. dicitur quod Adonibecec Septuaginta Reges ſibi ſubactos de menſæ reliquijs ſuſtentabat. Vnde pronum eſt intelligere, in illis mundi exordijs, & diviſione Gentium ad Gentes, vnumquemque ſibi, prout poterat, Regniculum cudere, quouſque tempore procedente per amicitiam, aut inimicitias vires, potentiæque copulatæ Regna celeberrima formavere: quæ etiam nunc temporis per coniugia, aut bella creſcere, aut decreſcere paſsim cernimus. De Prophanis verò etiam inter Græcos modici homines Reges dicebantur, vt Laertes, & eius filius Ulyſſes, teſte Homero, & Tullio, qui eum terram vomere ſcindentem deſcribunt. Ex quo obſervabis fortè non inveriſimile fuiſſe Saulem quoque fuiſſe Bubulcum. Atque inſuper ex Martiali *lib.* 2. *Epigram.* 28. conſtat etiam viros ditiſsimos, & potentes, licèt nulli populo dominantes, ſalutatos Reges fuiſſe ab ijs, qui eos ſibi Patronos elegerant. Cuius quidem Regij nominis amplitudo ad Sorores, & fratres Regis extendebantur teſte Ariſtotele 3. *Polit. cap.* 10. & 11. imò Plautus in Truculento Patres, & Matres familas Reges, ac Reginas dici poſſe indicat. Quamobrem explicita iam tota Regia Etymologia, & Origine pervium erit, facilius reſolvere præſentem Articulum diſputandum.

4 His poſitis non deeſt in hoc puncto aliqua varietas ſententiarum licèt alterutra pars ſit parum fulta. Hæc ergo eſt pars, & ſententia negativa, quæ ait Iob Regem non fuiſſe, & hanc tenet Eminentiſsimus Caietanus ſolus, quem ipſe viderit, vt ait Pineda: neque Nos alios eis Aſſeclas poſt tempora noſtræ Pinedæ valemus adiungere. Secunda ſententia ait abſolutè Regem fuiſſe, quam tenent ferè omnes Græci, vt Theophanes Nicenus *Epiſt.* 2. *de Patient.* Iſidorus *lib. de Vita*, & *Morte Sanctor.* Cæſarius frater S. Gregor. Nazianceni, Gaudentius Brixianus *in Præfat. ad tract. de Scripturis*, D. Proſper *de Promiſſionibus*, Beda, Nizetas in fine *cap.* 42. Olympiodorus *in Catena*, Corderius *de præfat. ad ſuam Caten.* Gaſpar Sanchez, Ioannes de Pineda, & alij communiter. Videturque etiam hanc ſententiam non deeſſe omninò in Codicibus Sacris: licèt enim non extet in Græcis Codicibus Complutenſi, & Vaticano; nihilominus à Theophane Niceno traditur quædam clauſula Septuaginta Interpretum in fine *cap.* 42. poſtea danda in probatione concluſionis noſtræ mox ſecuturę.

5 Sit noſtra concluſio. S. Iob fuiſſe verum Regem cum aliqua vera iuriſdictione. Probatur concluſio primò. Eo modo debemus ſuſtinere Iob fuiſſe verum Regem, quo illud ſuadent plura, & gravia argumenta Scripturarum. Sed plura, & gravia S. Paginæ argumenta perſuadent, illum fuiſſe Regem aliqua vera iuriſdictione pollentem: ergo ita fuit. Probatur min. Quando de aliqua re non datur in Sacra pagina textus expreſsè affirmativus ad reſolvendum; nihilominus rectè dicitur plura, & gravia de Sacra pagina argumenta ſuppetere ad aliquod dubium reſolvendum; ſi nimirum, & alicubi ex Verſione Septuaginta vetuſtiſsima res clarè apponitur; & prætetea in Vulgata Noſtra multa loca eandem rem ſonant, ad eamque concernunt atque colludunt.

Sed

Sed res ita se habet in nostro casu: ergo pro ea plura ex Sacra pagina, & gravia suppetunt argumenta. Probo min. primò de Versione Septuaginta postea probaturus de Vulgata editione. Igitur teste P. Gaspare Sanchez *Prologom.* 4. in Iob Versio Septuaginta in aliquibus Editionibus *ad cap.* 2. Iob sic pronuntiat. *A capite enim vsque ad pedes insanabilis, & doloribus plenus, & nudus super simum sedet, qui paulò ante potens, & Rex erat.* Deinde clarius constat ex Versione Septuaginta quam affert, & citat Theophanes Nicenus, *Epist.* 2. *de Pœnitentia, vbi ad cap.* 4. Iob apponit hæc verba. *Hi sunt Reges, qui regnaverunt in Edom, cuius Regionis etiam ipse Iob dominatus est.* Ergo ex Versione Septuaginta tam vetustissima saltem quoad aliquas Editiones constat Iob, nedum Regem fuisse; sed etiam huiusmodi, vt aliquam iurisdictionem haberet. Nunc sic: sed hæc non est vnde positivè, & definitivè infirmentur; quin potius in locis de Vulgata mox dandis multùm elucidantur. Ergo, &c. Probo iam de Versione Vulgata in hunc modum. Primum quia *Gen.* 36. vbi sermo est de generatione Esau, *v.* 31 sic dicitur. *Reges autem, qui regnaverunt in terra Edom antequàm haberent Regem filij Israel, fuerunt hi, Bela filius Beor, nomenque vrbis eius Denaba. Mortuus est autem Bela, & regnavit pro eo Iobab filius Zaræ de Bosra. Cumque mortuus esset Iobab regnavit pro eo Husan de terra Themanorum.* Ex quibus verbis arguo sic: iuxta hæc verba Iobab regnavit cum vera ditione, & iurisdictione. Sed vt constat ex P. Pineda, vbi suprà, & ex P. Salmeron, Iobab idem est quod Iob prout firmant ibi Chrysostomus, Origenes, & Augustinus itemque Gregorius *lib.* 1. *Moralium.* Ergo, &c. Probatur secundò ex eadem Vulgata quia de Iob *cap.* 1. dicitur quod fuit vir Magnus inter omnes Orientales. Sed id probat fuisse Regem cum vera iurisdictione: ergo ita fuit. Minor probatur primò à ratione, quia constans est, multos tunc fuisse Reges ad Orientalem Plagam versus Arabiam, Persiam, Syriam, &c. Ergo si ipse Iob magnus fuit inter omnes Orientales vnusquoque fuit ex Regibus eorum. Probatur secundò. Nam talis magnitudo inter Orientales accipienda, & explicanda est de regia potestate, & dignitate; si id alij textus de eodem loquentes circumsonant, & circumferunt. Sed re vera ita est: ergo tenendum est, Regem fuisse. Probatur minor. Id sonant, & referunt verba, quæ simul tribuunt Iob primum solium publicum inter Principes ipsi assurgentes, & auscultantes, nomenque regium, itemque militarem iudicialemque potestatem. Sed hæc omnia inveniuntur in ipso textu: ergo, &c. Minor ptobatur ex ipso Iob *cap.* 29. textu triplici Primo *vers.* 7. vbi de se „ loquens ait: Quando procedebam ad „ portam Civitatis, & in platea para- „ bant Cathedram mihi, videbant me „ iuvenes, & abscondebantur, & se- „ nes assurgentes stabant, Principes „ cessabant loqui, & digitum super- „ ponebant ori suo. Secundo, *vers.* „ 16. ibi Pater eram pauperum, & „ causam, quam nesciebam, diligentis- „ simè investigabam, conterebam mo- „ las iniqui, & de dentibus illius au- „ ferebam prædam. Tertio ex, *vers.* „ 25. ibi. Si voluissem ire ad eos se- „ debam primus, cumque sederem „ quasi Rex, circumstante exercitu „ eram tamen mærentium consolator. Sed in his verbis clauduntur nomen regium, & solium, itemque militaris iudicialisque potestas: ergo de primo ad vltimum tàm ex Septuaginta, quàm ex Vulgata videtur Iob Regem fuisse.

6 Confirmatur primò. Nam *cap.* 19. *vers.* 9. dicitur sic. *Spoliavit me gloria mea, abstulit coronam de capite meo.* Sed hæc potius propriè quàm metaphoricè sumi debent, quoties cum alijs congruunt, & nihil obstat, vt tenent Polychronius, & Pineda in Iob

cap. 1. *verſ.* 1. Ergo, &c. Confirmatur ſecundò *ex cap.* 3. *verſ.* 14. vbi ait ipſe Iob. *Nunc dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem cum regibus, & conſulibus terræ.* Sed niſi Rex foret non erat cur parem hanc cum Regibus requiem polliceretur. Ergo, &c. Confirmatur tertiò. Quia amici ſui paſsim cum exprobrant quaſi regia potaſtate abutentem, atque tyrannum. Ergo ipſe Rex erat. Antecedens patet, tùm quia *cap.* 15. & 36. ei obijcitur, quòd propter munera iuſtitiam perverterit. Tùm quia *cap.* 22. *verſ.* 8. Eliphaz ei dixit in fortitudine Barachij tui poſsidebas terram, & potentiſsimus obtinebas eam. Tùm quia Eliu, *cap.* 34. quaſi nomine Dei hæc verba torquet in Iob, *qui dicit Regi, Apoſtata: qui vocat Deos impios, qui non accipit perſonas principum: nec cognovit tyrannum cum diſceptaret contra pauperem. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Et cap. 36. verſ. 5. *Deus potentes non abijcit, cum, & ipſe ſit potens. Sed non ſalvat impios, & iudicium pauperibus tribuit. Non aufert à iuſto oculos ſuos, & Reges in ſolio collocat in perpetuum, & illi eriguntur.* Ergo, &c. Confirmatur quartò. Quia tres amici Iob fuerunt Reges: ergo, & Iob. Antecedens conſtat ex lib. Tobiæ *cap.* 2. *verſ.* 15. ibi: *Nam ſicut Beato Iob inſultabant Reges, ita iſti, &c.* Conſequentia etiam patet. Quia ex Ariſtotele amicitia non datur niſi inter æquales.

7 Obijcies 1. Eatenùs fortius, & efficacius probatur Iob Regem fuiſſe, quatenus vniverſim aſſeritur, eundem fuiſſe cum Iobab, cuius mentio fit, *Geneſ.* 36. Sed hoc videtur eſſe falſum. Ergo, & concluſio. Min. probatur primò authoritate Hieronymi in quæſtion. in Geneſ. & comment. in Iob dicente. *Malè igitur quidam exiſtimant Iob de genere eſſe Eſau*; cui adhærent Rupertus, Oleaſter, Beda, Lyra, Adricomius, & alij cum nonnullis Hebræis. Probatur ſecundò. Quia nomen Iob, & Iobab multum diſcrepant in Hebræo vbi Iobab ſcribitur per duplex Beth, & nullum Aleph; Iob autem ſcribitur per Beth finale, & Aleph initiale. Ergo, &c. Probatur tertiò. Nam ſi ex tali textu probaretur fuiſſe Regem Edom, ſicut reliqui ibi numerati; fuiſſet quidem non Regulus, ſed Rex totius Idumææ. Sed id eſſe non potuit. Ergo, &c. Probatur min. Nam tres illi amici Iob erant Reges ſuarum Provinciarum in Idumæa: ergo Iob non poterat eſſe Rex vniverſæ Idumææ. Ad hoc argumentum reſpondeo conc. mai. negand. min. ad cuius primam probationem reſp. verum eſſe D. Hieronymum tùm ex traditione Hebræorum, tùm adhærendo Hebræis Codicibus non conveniſſe in eam identitatem perſonæ, aliundeque Iobi Originem duxiſſe ex Nachor; cæterum ibi, teſte Salmerone, Pineda, & alijs, non leviter videtur impingere circa Chronologiam de Eliphaz Themanite qui Iob convixit. Niſi fortè hic ſe habuit Hieronymus prout ſæpè ſolet, & prout ſcripſit ad Vitalem Præſbyterum dicens. *In rebus obſcuris diverſas debemus proponere opiniones, vt non tàm ſcribere, quàm familiariter loqui videamur.* Quidquid verò ſit de hoc præclaro Doctore quem ſequuti ſunt alij; tamen teſte Pineda *tom.* 1 *pag.* 15. Noſter ſenſus eſt ferè omnium PP. antiquorum Auguſtini 18. *de Civitat. cap.* 47. Gregorij præfatione in Iob Theodoreti *quæſt. in Geneſ.* Chryſoſtom. *homil.* 2. *de Patient. Iob* Ambroſij *cap.* 9. *ad Romanos*, Athanaſij in Synopſi. Authoris *lib. de Vera Circunciſione*, qui in ipſis operibus Hieronymi *tom.* 4. invenitur. Hippolyti, Irenæi, Euſebij tàm Emiſſeni, quàm Cæſarienſis, Apollinarij, Euſthatij, quos citat Hieronymus, *Epiſt.* 126. *ad Evagrium.* Proſperi *de Prædictione, part.* 1. *cap.* 22. Euſebij *lib.* 9. *Præparat. Evangelicæ cap.* 4. vbi, & citat priſcum Ariſtæam. De recentioribus verò id ipſum Authores graviſsimi conſectantur

tur, vt Abulenſis *Geneſ.* 22. Sixtus Senenſis *lib.* 1. *Bibliothecæ.* Tornielius *in Annal ib.* Serarius *in Tobiam* 2. Pererius, & Bonfrerius *Geneſ.* 36. Salmeron *in Prologom.* 10. *Canon.* 25. Pineda, & Sanctius in Iob. Quibus omnibus puto me authoritatis colophonem adijcere ſi verſiones antiquas, & veterrimum Origenem cum Africano adiungam Ariſtææ, & Euſebio. Itaque Verſio Septuaginta in recentiori, & correctiori editione Sixtina ſic concludit, *cap. vltim. in Iob.* Hic interpretatione redditur ex libro Syriaco, in terra quidem Auſitide habitans in finibus Idumææ, & Arabiæ: & erat ei nomen Iobab. Cum autem accepiſſet vxorem Arabiſſam, genera-vit filium, cui nomen Emmon. Erat autem ipſe ex Patre quidem Zare de filijs Eſau filius; Matris autem Boſorræ, ita vt ipſe ſit quintus ab Abraham. Et hi ſunt Reges qui regnaverunt in Edom: cuius regionis etiam ipſe dominatus eſt: primus Balac filius Beor, & nomen Civitatis eius Dennaba: poſt Balac autem Iobab, qui vocatur Iob: poſt hunc autem Aſon, qui erat Dux ex regione Themanitide: poſt hunc autem Adad filius Barad qui excidit Madian in campo Moab: & nomen Civitatis eius Gethæm. Amici autem, qui ad eum venerunt Eliphaz de filijs Eſau Themanorum Rex, Baldad tyrannus Sauchæorum, Sophad Rex Minæorum. Quæ omnia ſimiliter ſunt apud Theodotionem. Ergo ex verſione tantæ authoritatis, & nuper in Eccleſia recognita conſtat quod Iob, & Iobab ſint vnus, & idem. Vt tradit etiam Origenes *in Epiſt. ad Africanum.* Quærenti vero cur in Hebræis Codicibus tale quidpiam non reperiatur? Reſpondet Salmeron, *Canon* 25. Non ergo conſtare poteſt opinio Hebræorum, & improbabile non eſt opinionem Hebræorum inde natam malignè ob odium Eſau, & filiorum eius, dolentium eius ſobolem per omnia ſæcula memorabilem: ideo finxerunt in ſuis Genealogijs Iob non ab Eſau duxiſſe Originem, ſed à Nachor fratre Abraham, ne homo Idumæus propoſitus ei eſſet in Exemplar.

8 Ad ſecundam probationem de nominis diſcrepantia reſponſio eſt facilior: nomina enim priſca, vt ait Pineda, de terra Us magnam mutationem ſubeunt, & pleraque Hebræa corruptè legi in Græcis; Latiniſque Codicibus Hieronimus ipſe conqueritur ad Fabiolam manſione 9. Vnde nihil mirum eſſet, quod ex diverſitate regionum, & perſonarum talis diſcrepantia oriretur. Dico igitur quòd licèt non ignorem de elementis Hebraicis, & Grammatica, quod verba duplicantia, & verba Anomalis *Pe*, *Aleph* interdum litteram abijciunt; tamen hic nec de verbis quiescentibus *Pe*, *Aleph*, nec de radice *Aïab* vnde ſumi ſolet nomen Iob, res eſt componenda, quamquam videatur hæc radix, quæ ſignificat *adverſari*, & *inimicari* aliquid referre ad hiſtoriam, & Iobi diſputationem cohærens. Non enim tam benè res tota conſuitur niſi ad radicem *Iabab* de duplicantibus nos convertamus. In ea ergo invenio nedum expreſſam ſignificationem perſonæ *Iob* propriſsimè accommodatam; ſed, & in eadem radice ſub eodem ſignificato ambas illas voces, *Iob*, & *Iobab* claudi, & aptari. Ea enim radix ſignificat *vlulare*, & *clamare*, quod verbis, & ſermonibus Iob mirè quadrat, vt hiſtoria ipſa teſtatur. Ita Lexicon Pentaglotton Valentini Schilderi. Quoad formationem vero vtriuſque vocis ex eadem radice, id convinco ex Hebræa Grammatica. In hac enim apertè conſtat, quomodo verba duplicantia formant primam perſonam futuri aſſumendo Aleph initiale, & formativum primæ perſonæ futuri, & in medio collocatur *vau cholem* ac in fine deteritur vna ex duplicantibus litteris: quare de hac radice Iabab formatur

tur prima persona futuri sic *Iob* id est *Vlulabo*, *Clamabo*. Et insuper formatur *Benoni*, perfectè assumpto Vaucholem sic *Iobeb*, seu *clamans*, & *vlulans*. Quæ ergo maior cohærentia, tùm vocis, tùm significati, tùm grammaticalis formationis potest desiderari, quin illud Aleph rem immutet? Si autem ex tanta appropriatione Nominis rem fictam, & Parabolicam putes; iam supra exemplis reiectus manes, & res nostra convicta.

9 Ad tertiam probationem resp. negando minorem, & ad huius probationem, disting. anteced. Reges id est Reguli, & Duces Provinciarum, conc. anteced. Reges tàm absoluti, quàm Iob, neg. anteced. & consequentiam. Itaque tenendum est, verè Iob fuisse Regem Idumææ absolutum, vti, & cæteros eius antecessores; illos autem amicos, ibi commemoratos, Regulos fuisse, qui in eadem Idumæa versarentur, & quasi tributum feudumvè solverent ipsi Iob: respectu cuius in toto tractu disputationis non desinunt apparere inferiores: quare solum Reges censendi sunt in eo sensu laxiori vsitato in Scripturis Sanctis, & præiacto in notabilibus nostræ quæstionis præsentis. In eoque intelligendi sunt textus *Tobiæ* 2. & *Iob* 24. apud Septuaginta, vbi hi appellantur Reges. Vnde cum Idumæa prius per privatos Duces, postea per Reges octo, demum, vt dicitur 1. Paralypom. 1. *Adad mortuo, Duces pro Regibus in Edom esse cœperunt*; id sivè dominij, sivè potestatis, sivè Regiminis, quod in Regibus erat respectu horum Ducum, ad hos devenit ac devolutum est, dum Reges cessarunt. Quod autem Duces vnicuipiam, vel à se electo, vel aliunde Regnum occupanti, parerent, veluti apud nos Duces, Comites, & Marchiones; traditur ab Arias-Montano *lib. de Duodecim Gentibus*, *cap.* 6. Et est vltrà rationi, & experientiæ admodum consentaneum.

10 Obijcies 2. Si Iob fuisset Rex præsertim ita notus, & absolutus, memorari oportebat, quando ei dicuntur restituta omnia duplicia, ipsum ad sui Regni maiorem splendorem fuisse restitutum, vti, & factum fuisse credendum est. Sed id non commemoratur, vt cernere est in vltimo capite libri Iob: ergo, &c. Maior videtur certa: quia loquendo de gloria humana, cuipiam homini restituta, longè dignior erat commemoratione potestas Regia, & splendor, quam opum copia, quæ recensetur tàm sigillatim; præsertim, dum tàm contemptus in sterquilinio iacuisset. Confirmat. 1. Si vere Rex fuisset; Rex de filijs suis successisset in Regno. Sed ita non fuit, vt constat ex textu *Genes.* 36. vbi alter successit: ergo, &c. Confirmat. 2. Non videtur credibile si Rex talis fuisset, quod Fratres eius, & sorores post tot plagas toleratas vnam ei ovem mitteret vnusquisque. Sed textus refert sic factum fuisse: ergo quia non fuit Rex, tàm verus, & absolutus. Mai. prob. quia talia dona, vel fuissent antequam ipse à Domino duplo plus ditaretur, vel postea? Sed si fuit antea; erat valdè modicum tale donum pro reparanda Regia authoritate; & si fuit postea etiam erat valdè modicum, & quasi ridiculum respectu hominis de manu Dei iam ampliſsimè ditescentis: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo permissa maiori, nego minor. loquendo de modo sufficienti, vt restitutio splendoris Regij satis dignosceretur: quia præter ingentes opes, & possessiones honoresque, & obsequia ab alijs exhibita, quæ magna pars esse solent authoritatis Regiæ; indicatur tamen in ipso *cap.* vltimo aliud speciale argumentum, quo ipse describitur iam fungens nitore, & authoritate Regia, qua prius gaudebat, quam ad suas plagas iacturasque deveniſser. Igitur argumentum est, quòd cum res nota sit, in lege naturæ in vnam eandemque personam coire solere Regnum, &

Sa-

Sacerdotium; cumque Iob ante plagas ſuas atque certamina octavo quoque die pro filijs ſacrificium offerret; idque, intereadum manus Dei tetigit illum, ceſſaviſſet; demum *in cap.* 42. vbi Iob cuncta ſunt reſtituta, etiam iuſſu Dei reſtitutum eſt munus ſacrificandi, & Sacerdotale, quod Regibus competebat: Siquidem ait verſ. 8. *Iratus Dominus contra amicos Iob ſic loquutus eſt ad illos. Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſemptem arietes, & ite ad ſervum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis: Iob autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Ergo cum Sacerdotium non niſi Regibus deferretur; planum eſt, quod ſacrificandi munere reſtituto ſplendor, & munus Regium quoque reſtitutum eſt. Permiſi maiorem, quia cum poteſtas Regia ſit characteriſtica, neque in Iob ablata legatur; non opus erat eam reſtitui, niſi quoad correſpondentes ei opes, & honores, quæ reſtituta inibi referuntur.

11 Ad 1. confirmationem diſting. maior. Si fuiſſet Rex per ſucceſsionem, conc. mai. Si per electionem, aut occupationem, aut aliter, neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Itaque, licèt non ſit facilè definitè reſolvere de Regno Iob; an ſucceſsione, an electione veniſſet ad eum; tamen longè probabilius eſt, vt obſervavit quoque Pineda *pag.* 8. *num.* 20. ipſum electione fuiſſe Regem: tùm quia in eo fuiſſe conſtant omnes illæ dotes, propter quas inter primos aſſumeretur in Regem, ſcilicet, ſapientia inſignis, rectitudo, & ſana intentio atque opulentia: tùm quia ſi Iobab eſt idem ac Iob, vt ſupra diximus; hic tàm *Geneſ.* 36. in Vulgata, quàm *Iob* 42. in Septuaginta dicitur filius Zare, pro quo non ſucceſsit in Regno Iobab, ſed pro Bela; imò Zara non fuit Rex, ſed ſolum Dux in Edom: patetque *Geneſ.* 36. de illis qui Regnaſſe dicuntur in Edom, neminem dici Regnaviſſe pro patre ſuo, quemadmodum in libris Regum paſsim ſcribitur: quia nimirum tàm Regnum Iudà, quàm Iſraël ſucceſsione traducebatur. Quapropter mirum non eſt quod nullus de filijs Iob legatur Regnum Patris ſui accepiſſe. Ad 2. confirmationem, neg. antec. & ad eius probationem dico, dona illa Fratrum, ſororum (id eſt omnium de cognatione ſua: ſiquidem illæ voces *frater*, & *ſoror* ad omnes extenduntur in Sacra pagina, prout in hoc opere noſtro loquendo de fratribus Domini, & alibi obſervatum dedimus:) itemque dona cunctorum, qui eum noverant prius, vt textus quoque commemorat; & quæ erant ovis vna per ſingulos, & inauris aurea vna, vel tetadracma, vt volunt Septuaginta; fuiſſe antequam Iob duplo quàm antè diteſceret; imò ad id erat medium: quippè ad hæc acceſsit copioſa Domini Benedictio, vt conſtat ſequentibus verbis: *Dominus autem benedixit noviſsimis Iob magis quàm principio eius. Et facta ſunt ei quatuordecim millia ovium, & ſex millia Camelorum, & mille iuga boum, & mille aſinæ.* Cum enim hæc multiplicatio non inſtantanea ſumenda ſit, ſed ſucceſsiva, & accreſcens, & multis ovibus fętis, tanto pondere auri, gratia cunctorum, & ampla Dei benedictione; perſuaſu eſt admodum facile; quòd per illud medium ad tantas divitias perveniſſet. Replicabis 1. Textus dicit ante adventum fratrum, & ſororum ſic: *Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerunt Iob duplicia*: Ergo dives fuit ante talia dona. Reſpondeo talia verba eſſe anticipatò dicta, & generatim, vt ſtatim procederetur in ſpecie ad deſignandum modum, & medium quo dives factus fuit. Replicabis 2. Si verè Rex fuiſſet; ſtatim ſine alienis munuſculis de propria ſua ditione diteſceret: ergo, &c. Reſpondeo neg. anteced. quia tunc Reges nondum habebant iura, vecti-s galia triouta, &c. ſed mos erat illi

temporibus potius Reges aſſumi viros illos locupletiſsimos qui ſibi, & ſuis poſſent affatim providere, potius quam vitam degerent, & faſtum pararent de tortura, & tributis Vaſallorum: pompa enim Regia, & authoritas iuraque creverunt per ſæcula. Quod ſi S. Ferdinandus Caſtellæ Rex, propius ad noſtra ſæcula ſub vltimo coronatus eſt Rex ſimplici apparatu, ſalutationeque ſubditorum; non eſt cur tempore Iob etiam in verò dominatu iura tributa, vectigaliaque, ac cenſus ſtabilita credamus. Quare cùm Iob in tribulatione ſua opes perdidiſſet; debuit illas tali benedictione, & muneribus reparare.

12 Obijcies 3. Si Iob fuiſſet Rex, quatenùs idem fuit cum Iobab, fuiſſet longe anterior ad tempora Moyſis. Sed vniverſim receptum eſt, quod vel coævus fuit cum illo, & Synchronos, vel paulò ante vixerit Iob. Et id cohærere non poteſt, ſi Iob, & Iobab fuit idem ergo neque fuit idem, neque Rex. Maior patet quia Moyſes ſcripſit Pentatheucum, & in *Geneſ.* 36. refert poſt Iobab Regnaviſſe in Idumæa Huſam, Adad, & Semlam, & Saulem. Inſuperque conſtat Iob latiſſimè Regnaſſe ita vt viderit filios, & filias vſque ad quartam generationem. Ergo ſi præceſsit Regnum tàm latum ipſius Iob, & quatuor Reges Regnantes poſt eum ante nativitatem Moyſis, longiſsimè debuiſſet præcedere Iob ad Moyſem. Minor quoad ſecundam partem etiam conſtare videtur ex eodem textu: quia non poterat eſſe Synchronos Iob cum Moyſe, vel vixiſſe paulò ante Moyſen, ſi Moyſes referret quatuor Reges poſtea Regnantes: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpond. conceſſ. mai. diſting. min. quoad 1. partem paulò ante vixiſſe ly *ante* ſumpto ſecundum menſuras latiſsimas illorum temporum, & ſecundum Chronologiæ vetuſtiſsimæ obſcuras opiniones, & calculos, conced. min. quoad 1. part. Paulò ante prout modo dicere ſolemus de octo aut decem annis, v. gr. neg. min. quoad 1. partem, & diſtinguo ſecundam part. minor. reſpectivè ad 1. *Non cohæret* ſi ly *paulò ante* ſumatur primo modo, neg. min. Si ſecundo modo ſumatur, conc. min. & neg. conſeq. Itaque Hieronimus de locis Hebraicis ponit Iob ad tempora filiorum, Eſau, Adricomius ad tempora Iacobi mortui in Ægypto, Genebrardus ad tempora deſcenſus Iacob in Ægyptum. Origenes *Homil.* 4. in Ezechiel ponit illum circa tempora Patriarcharum, & Moyſis. Septuaginta verò ponunt Iob quintum ab Abraham. De quibus omnibus res adhuc poteſt benè componi: quia ſi fuit quintus ab Abraham, vixit, v. g. circum circa annum 2280. & quidem tricennarius, vel quadragenarius ex calculo mox dando. Nunc ſic: ab anno 2280. vſque ad 2523. in quo mortuus eſt Moyſes, & cepit imperare Ioſue, cucurrerunt ex Chronologia Bellarmini 243. anni de quibus 140. vixit Iob poſt afflictionem ſuam; & mortuus eſt, quando nimirum Moyſes agebat 17. annos: cumque ipſe Moyſes ſupervixiſſet 103. annos quouſque incœpit imperare Ioſue, potuerunt quam optimè intercurrere in Edom, vel quatuor illi Reges memorati in Vulgata nempè Huſam, Adad, Semla, & Saul; vel illi duo, quos ſeptuaginta recenſent ſcilicèt Aſon, & Adad: præſertim eo quod tales fierent Reges per electionem, qui facile amoveri potuiſſent; & alij potentiores prævalere, vt in Imperatoribus Romanorum citiſsimè tranſcurrebant Imperatores, alijs cadentibus, & ſurgentibus alijs. Quare licèt verum eſſet id, quod dicitur, ſcilicèt, talem librum Iob ſcriptum, vel de Syro translatum fuiſſe à Moyſe pro conſolatione Hebræorum in Ægypto; adhuc ſunt 60. annis à morte Iob, quos egit Moyſes, vſque quo octuagenarius præfectus fuit Populo Hebræo ad educendum eum de Ægypto, in qui-

quibus tales Reges Edom intercurriſſent. Quod ſiquis ſcrupulum habeat in eo, quod diximus, poſteros Eſau, quintos ab Abraham victuros ad annum 2280. plus minuſve; facile perſuadebitur dum legat in Chronologis Gordon., & Bellarmino natum fuiſſe Iacob anno 2138. proindeque etiam Eſau: ergo demus Eſau 40. ad generandum Raguelem; & huic alios 40. ad generandum Zaram, & huic alios 40. ad generandum Iobab: qui omnes ſunt 120. anni: quos ſi adiungas ad annum 2138. facient 2250. annos. Conſicitur ergo quod talis Iobab quintus ab Eſau, non ſolum poſſet vivere anno 2280. ſed quod facilè tricennis, tùm eſſe poſſet, vel Quadragenarius, ſi aliquos ſupra demas de ætate data ad generandum. Et in hanc rem etiam faciunt verba P. Sanchez *cap. 1. verſ. 6.* aientis. *At hac viſio multis pòſt annis oblata eſt Moyſi trecentis fermè annis poſtquam bis Iobus perfunctus eſt malis.* Ex parte verò Iacobis, qui futurus eſſet quintus ab Abraham deſcendens per Ioſeph; tardiùs veniret: quia de infœcunda Rachel, vſque ſuæ ætatis Iacob non genuit Ioſeph.

13 Obiic. 4. Si Iob verè Rex fuiſſet maximè in terra Hus. Ex textu: *Vir erat in terra Hus nomine Iob.* Sed ita etiam per Nos eſſe non potuit: ergo non fuit Rex. Probatur min. per nos fuit Rex in Idumæa. Sed Idumæa eſt extra terram Hus: ergo in hac Rex eſſe non potuit. Min. conſtat: quia apud Septuaginta, & Geographos Terræ Sanctæ dicitur, terram Hus ſitam eſſe in confinibus Idumææ, & Arabiæ: ergo ipſa extra Idumæam eſt. Ad hoc argumentum reſpondeo conceſ. mai. negando minor. & ad huius probationem, neg. min. ad cuius probationem, diſting. antec. In confinibus Idumææ vulgariter ſumptis, conced. anteced. ſumptis in rigore Geographico, & immutabili, neg. anteced. & conſeq. Itaque ad ſolutionem magis claram argumenti. Noto 1. Quod tàm apud Scriptores Sacros, quàm prophanos ſitus talis terræ *Hus* eſt nimium obſcurus: neque enim in re tàm lubrica, cuiuſmodi eſt terra, & nomina, ac partitiones terrarum, poteſt facile definiri ſitus alicuius terræ ad quinque retrò mille annos indefinitè protractus. Vnde Chaldæus terram *Hus* vocat Armeniam; Chryſoſtomus Arabiam; alij communius Idumæam. Noto 2. Morerium, & Fredericum Spanhemium diſtinguere duplicem terram *Hus*, alteram videlicet ſitam iuxta Traconitidem; aliam verò proximam Chaldæis ex eo quod hi tulerunt greges ipſius. Verumtamen ex Adricomio, & Pineda ponitur talis terra *Hus* intra Traconitidem, & Regnum Baſan in confinibus Idumææ, & Arabiæ, nec longè à Syria Damaſci: & intra eam ponitur ſepulchrum Iob, & terra Theman, & Naamath. Atque, vt appareat confinia terrarum alia pro alijs ſumi ſolore idem ſepulchrum Iob ponitur in Arabia ab Abulenſi ſuper Prologum Hieronimi, & *Numer.* 20. & Brochardo, Fretelio, & Breindebachio in deſcriptione Terræ Sanctæ. Quibus poſitis reſpondeo iam explicando terminos argumenti, & ſuſtinendo, terram *Hus*, & Idumæam vulgariter loquendo, ita ſe habuiſſe vt, vel Idumæa fuerit intra terram *Hus*, vel *Hus* intra Idumæam, Arabiæ conterminam, & ſic verificari, quòd talis terra ſit in finibus Idumææ, & Arabiæ: quia, ſi Idumæa erat quaſi pars extrema terræ *Hus* latè ſumptæ, & Idumæa erat confinis Arabiæ; verum fuit dicere, quod terra *Hus* erat in finibus Idumææ, & Arabiæ; licèt ipſa Idumæa eſſet quaſi extremitas intra latitudinem terræ *Hus*, perinde ac ſi diceretur: *Terra Hus qua parte per Idumæam finitur, Arabia conterminа eſt.* Iam igitur fundamentum ſubdo propter quod dici poſsit, vel quod terra *Hus* latius acciperetur, & in ſe clauderet Idumæam: vel è contra

trà Idumæa ſe extendat, vt vult Pineda, ad comprehendendam terram *Hus*. Primum fundatur in illis verbis *Ierem.* 25. Vbi dicitur *propinatum calicem, acceptum de manu Domini cunctis Regibus Auſitidis.* Vnde conſtat terram *Hus* ibi ſupponi pro ampliſsimis regionibus, in quibus multi eſſent Reges, inter quos fuiſſent Reges Edom, vel Idumææ. Secundum verò fundatur in eodem Ieremia *Thren.* 4. *verſ.* 21. ibi: *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perveniet calix.* Vnde Pineda noſter Idumæam amplè per montana protendit, percurrendo montes Seir, vel Edom, ad montem Galaad, & Hermon, & vſque ad Libanum. Ita vt Idumæa vſque ad claudendam terram *Hus* ſtrictius ſumptam protendatur. At verò mihi etiam ex hoc textu apparet dici, Idumęam claudi intra terram *Hus*, potius quàm è contra: tùm quia idem Propheta, & de eodem calice loquitur: ergo & de terra *Hus* itidem ſumpta: tùm quia cum ibi filia Sion non ſtet pro perſona; ſed pro Idumæa; idem eſt dicere: *Filia Sion, quæ habitas in terra Hus*, ac dicere Idumæam concludi intra terram *Hus* ampliorem, veluti incola includitur in ampliori loco ſui incolatus. Poſtremoque vt conſtet Idumæam eſſe terram *Hus*; Iſidorus, Proſper, Euſebius, & Ariſtæas, vt ait Pineda ex coniectura terræ *Hus* vocant Iobab ſeu Iob Idumæum.

14 Obijcies quintò. Ea quæ referuntur Iob fuiſſe perpeſſum planè incredibilia ſunt de verò Rege: ergo Rex verus non fuit Iob. Probat. anteced. Quia nullus Rex, qui verè eſſet talis, quamquam deveniret ad triſtitia; tàm miſerè tractaretur in Regno ſuo, vt in ſterquilinio iaceret, neque vllus eſſet de regnicolis, qui eum honeſtius collocaret: itemque quod ab vxore propria, & amicis alioqui ſapientiſsimis, & conſolationis cauſa venientibus, veluti blaſphemus, & impius tractaretur. Sed hæc omnia ita evenerunt: ergo, &c. Confirmatur, & vrgetur. Numquam nuſquamque etiam in perditiſsima Cataſtrophe viſum eſt, quòd Rex aliquis ſapiens, rectus, & ſimplex, & omnibus omnia factus ſubditis ſuis ad tàm derelictum deplorabilemque ſtatum deveniſſet ac Iob: ergo Rex verè non fuit. Anteced. patet: quippè à Deo dicitur ſimplex, & rectus; deinde plenus eſt ſapientia, & ſententijs: ac denique ipſe de ſe ipſo *cap.* 29. & *cap.* 31. inquit: *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & ſi negavi quod volebam pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, ſi comedi buccelam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea, &c.* Ex quibus videtur vrgeri. Quia niſi ſubditi fuiſſent, vel ferinæ, vel fatuæ conditionis, non potuiſſent in tantum ac talem Regem ita ſe habere. Ad hoc argumentum reſpond. diſting. antec. Niſi manus Domini ſpecialis, & licentia Satanæ interveniret, conc. anteced. alias, neg. anteced. & conſeq. Itaque vt obſervat Noſter Gaſpar Sanchez præ oculis habendum eſt, hanc Hiſtoriam fuiſſe partum cuiuſdam ſpecialiſsimæ providentiæ, in qua voluit Deus à primordijs Scripturarum, quemadmodum oſtendebat per Moyſen, prodigioſum mundi opificium, eiuſque de diluvio extraordinariam reparationem; ita per Iob voluit oſtendere hominibus quod quantumvis diabolus qui hominem deturbaverat vellet furere in eum, non poſſet niſi id Domino moderante, neque id Dominus pateretur, niſi creaturam ſuam ſimul manutenendo: itemque voluit oſtendere quomodo poſſet homo vndique pati, quin à ſuo Domino averteretur; tandemque patefacere, penes Deum eſſe dominium, omnipotentiam, & providentiam vniverſorum: ad quod accedit, voluiſſe inſuper in lege naturæ provideri typum inſignem

nem admodùm Salvatoris, qui cùm Rex eſſet, eo venturus erat, vt intra anguſtias, dolores, & vulnera ſummè derelictus innocentiſsimè pateretur. Ex quibus ſtatim conſequitur, non eſſe metiendum hunc caſum niſi per diſpoſitiones extraordinarias cauſarum; quandoquidem pro vna ſingulari perſona, ſivè incude patientiæ, omne genus calamitatis procudebatur, quod diviſum in ſingulas multis etiam triſtibus daret argumentum Hiſtorijs. Quando enim manus Domini hominem tangit ſpeciali demonſtratione, non id facit quod vſuvenire conſuevit; ſed ea diſponit, quæ in ſtuporem inducant: & ſic Nabucum vertit in feram, & ad brutorum paſcua per ſeptennium relegavit. Quid ergo in tali cataſtrophe non credi debuiſſet, vbi in vnum ibant Satanica furia invidentis, & omnipotentia probantis? Ad confirmationem reſpondeo facilè ex ſupra attactis: quoniam ſemel ac diaboli poteſtas facile luderet, quinimo, & altiſsima providentia diſponeret; negotio facili poſſet omnibus ſubditis tàm denſum velamen oppandi, vt cunctorum beneficiorum immemores, & qualitatum ſui Regis non cognitores, eum ſinerent rapi à torrente calamitatis, quoquoverſus ea ductaret: præſertim ſuccelamantibus propria vxore, & amicis, eum blaſphemia, & impietate taxantibus, cum eſſent ſapientiſsimi. Neque quod in ſterquilinium veniret, mirum eſſe debet conſideranti, quod perditio, & contemptus, ſi potentibus ſemel inſultat, vſque ad abyſſum non parcit, ita vt ſemper ad triſtiora de triſtibus, & de peiori ruant in peius: quare licet in caſulam cuiuſdam grati animi exceptus fuiſſet; pronum erat in eiuſdem ſterquilinio iacere: non ſecus ac paucis retro temporibus videre licuit Luſitanam Eliſabetham Reginam in medio calle in cœnum, ac ſordes à quadam vetula miſeranda detruſam. Quamobrem ſi ad retorſiones vxoris maledicus, & ad amicorum ſententias blaſphemus, & impius haberi cœpit; proindeque priora eius opera benefacta credita ſunt prodire de hypochriſi; magis mitum eſt, quomodo cum eo non actum ſit longe peius, atque crudelius etiam per vniverſos ordines perſonarum: cùm enim quaſi pro religione certatur in quemquam; nemo putat ſe aut eius beneficio, aut gratitudine ſua vlla teneri; ſed æquè ad omnes attinere creditur, ei, quem talem putant, implacabiliter adverſari.

15 Ad calcem obſerva primò. Nè identitas Iob, & Iobab æquivocè impugnetur ex Eliphaz; quod Eliphaz, qui fuit amicus Iob, non fuit ille, qui dicitur filius immediatus Eſau: & ita ſentit Pineda, & Salmeron vbi ſupra. Ratio præter temporis diſcrepantiam eſt clara: quia ſcilicet, poſt Eliphaz filium Eſau, ortus eſt Theman *Geneſ.* 31. vnde dicta eſt terra; & Eliphaz amicus Iob fuit Themanites: erant ergo diverſi. Obſerva 2. quod licet textus dicat de Iob *quaſi Rex*; non ideò non fuerit propriè Rex. Tùm quia ly *quaſi* ibi eſt idem *ac tanquam, vel quatenus*, quæ potius rem firmant. Tùm quia ſi eſt *quaſi* appellat ad ſeſsionem non ad *Rex*, id eſt *cum ſederem quaſi ſedet Rex*. Tùm quia in illis verbis *facti ſumus ſicut conſolati*, illa comparatio non tollit proprietatem.

JHS.

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

IN OMNIBVS HIS NON PECCAVIT IOB LABIJS SVIS. *Iob 2.*

ARTICULUS.

VTRVM IOB PECCAVERIT IN VERBIS VEL IMPRECATIONIBUS ſuis?

1 SUppono 1. Rationẽ dubitandi in hac quæſtione, ſi attenditur ad plura verba, & ſententias, quas imprecatorias in libro hoc reperiemus, eſſe fortem, & validiſsimam: ſiquidem ex vna parte plura ſanè ſunt quæ ſuadere videntur, Iobum non quidem ſemel, neque admodùm leviter deliquiſſe. „ Primò. Quia *cap.* 3. ait. Pereat dies „ in qua natus ſum, & noctem illam „ tenebroſus turbo poſsideat. Quare „ non in vulva mortuus ſum, egreſſus „ ex vtero non ſtatim perij? Quare ex„ ceptus genibus cur lactatus vberi„ bus? In quibus verbis manifeſtè videntur involvi diras maledictiones, imprecationeſque impatientes veluti ſigna animi deſperantis: prout clarius id firmari videtur, *cap.* 7. illis verbis. „ Quamobrem elegit ſuſpendium ani„ ma mea, & mortem oſſa mea. Deſ„ peravi nequaquam iam vivam. Secundò. Quatenus videtur Iob lapſus eſſe in arrogantiam, atque ſuperbiam, quando videlicèt, *cap.* 27. inquit. „ Iuſtificationem meam quam cœpi „ tenere non deſeram: neque enim „ reprehendit me cor meum in omni „ vita mea. Vbi apparet aliqua ſpiritualis præſumptio: ſiquidem iuſtus prior accuſator eſt ſui, & non eſt homo qui non peccet. Tertiò. Quia manifeſtè ipſe fatetur ſe deliquiſſe dum „ inquit, *cap.* 39. Vnum loquutus „ ſum, quod vtinam non dixiſſem, & „ alterum, quibus vltra non addam. Quò accedit, ipſum, *cap.* 42. commemoraſſe ſe in favilla, & cinere pœnitentiam egiſſe. Pœnitentia autem non niſi de peccato eſſe ſolet. Ex altera vero parte militat teſtimonium ipſius Dei dum ait de ipſo, quod fuerit vir ſimplex, & rectus ac timens Deum. Præterea veluti Sanctus inducitur, & citatur in libris Canonicis cuiuſmodi ſunt, *Ezeq. cap.* 14. *Tob. cap.* 2. *Epiſt. Iacob. cap.* 5. Necnon id ſentit vnanimis conſenſus SS. PP. fultus totius Eccleſiæ Catholicæ traditione, conſenſu, & vſu, propoſita inſuper eius vita in prototypum veræ patientiæ. Meritò ergo diſputandum venit: an Iob peccaverit aliquando? Id enim valde oportet, tùm

pro

pro littera ad infirmandum argumenta quibus talis perſona, & liber impetitur: tùm pro allegoria, vt illibata ſervetur ea, quæ in ipſo deſcribitur figura Chriſti Domini Redemptoris: tùm pro ſaniori tropologia: cum enim in hoc libro maximè fidelibus patientia conſulatur; explicari omninò debet, non eiuſmodi patientiam poſtulari, quæ vllatenus cum maledicentia, & deſperatione componi queat.

2 Suppono 2. Quæſitum noſtrum non eſſe: *An Iob fuerit vir Sanctus?* id enim inter Catholicos diſputari non poteſt: nam veluti talem celebrat, & confitetur Eccleſia cum Martyrologio Romano, & Menologio Græcorum ad Menſen Maium: eodemque modo eum deprædicant libri Canonici, & SS. PP. Cum autem, licèt quis aliquando venialiter ſive moraliter peccaverit; nihilominus, Deo deſuper miſerante, poſſit ad ſanctitatem pervenire; quod quærimus in præſenti eſt: an ſaltem ex ijs omnibus, quæ in Hiſtoria Iob nobis exhibentur, conſtet eum aliquando etiam leviter peccaviſſe? Quemadmodum enim pro indemnitate ſanctitatis eius tot militant exempla virorum, qui poſt ſatis fœda crimina admiſſa, ſanctitatis verticem attigere, veluti David, D. Petrus D. Auguſtinus; necnon de fœminis Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca aliæque quam plures; ſic etiam contingere potuit, vt Iob aliqua ſaltem levia admiſiſſet, vel dum florentiſsimè vivebat, atque regnabat, antequam tentatio ſucceſſerit; vel etiam poſteà, quando ei reddita ſunt duplicia, & gloria, honore, & opibus vixit diu ſuperſtes ad tribulationem ſuam: vel ſi malis etiam intereà dum vexabatur, ita vt fortaſsis internè in materia alia, quæ non concernit eius Hiſtoriam leve quidpiam admiſiſſet. Aliud enim eſt quod vniverſim ex divina revelatione de quavis humana maſſa, figmentoque ſentimus; aliud vero quod impræſentiarum cogit nos dubitare, paululumque diſſerere. Quoad primum enim ſemper multum debent vrgere textus illi. *Septies in die cadit iuſtus*, 2. Paralymon. 16. *Non eſt homo qui non peccet.* Illud Ioannis. *Si quis dixerit ſe peccatum non habere; in hoc ſeducit ſe ipſum, & veritas in eo non eſt.* De quibus præſcindendo ab hac hiſtoria, tutò teneri poteſt, S. Iobum aliàs conditionis humanę lubricitatem, & pronitatem ab adoleſcentia ſua non pœnitus evaſiſſe: propterea que facer textus non protulit de Iob nunquam peccaſſe; ſed duas oportunas limitationes adiecit dum dixit. *In omnibus his non peccavit Iob labijs ſuis*: vbi vt vides ait de *bis* ſcilicèt, quæ inibi recenſetur: deinde non excludit omne genus peccati, ſed illud omne, quo *labijs ſuis* in tanto dolore peccare potuiſſet. Quoad ſecundum verò ſatis clara eſt ex ipſa ſola Hiſtoria ratio dubitandi, & hunc articulum inſtituendi; ſi ad primum notabile ſupra iactum oculi regrediantur.

3 Suppono 3. Quod cum verba Iobi, & actiones veniamus nunc non niſi reverentiſsimè taxaturi; congruum eſt præter ſanctitatem ipſi altius adſcriptam, alia inſuper, quæ ipſi à Patribus adſcribuntur, non reticere. Primò igitur eum ſacerdotem vocant Origenes, *lib. 1. in Iob*, Hieronymus *ad Evagrium*, Chryſoſtomus, & Olympiodorus *in ſuis Catenis*, *ad capat* 42. Sivè Sacerdotium habuerit iure regio, vt Melchiſedech Rex Salem: ſivè iure primogenituræ, vt Eſau, qui dignitatem Sacerdotalem ſimul cum primogenitura creditur vendidiſſe. Nam in lege naturæ ſatis teſtata res eſt per vtramlibet ex vijs viſi Sacerdotium deferri ſolere. Iam autem nos in præcedenti quæſtione regem fuiſſe defendimus. Secundo Chryſoſtomus *homil. 5. de Patient. Iobi*, & 34. *in Math.* eum martyrem facit, neque Apoſtoli inferiorem, dum inquit. *Date veniam liberè loquenti, ſi non fuit maior Apoſtolis Beatiſsimus ille Iob; certè nec minor meo iudi-*

iudicio fuit. Tertio habitus est ab Ecclesię DD. vt Propheta præclarus. Ita D. Augustinus *serm. 2. de Nativitat. tom. 10. Similiter, & Iob prędicat eximius Prophetarum, & in carne mea videbo Deum. Quod de illo tempore prophetavit, quando Christi Deitas habitu nostræ carnis induta est.* Et de eadem prophetia prælocutus Hieronymus ad Pammachium, post medium subdit. *Quid hac prophetia manifestius? Nullus tàm apertè post Christum, quàm iste ante Christum de resurrectione loquitur.* Demum Gregorius Magnus, *lib. 17. Moral. cap. 1. de suo Iob*, inquit. Sanctus *per vulnera, & verba sic loquatur sua, vt etiam nostra significet, & plerumque per prophetię spiritum futura narrat, præsentia transcendit.* Quarto denique Suidas verbo Iob eum Philosophum Poetamque celeberrimum compellavit, inquiens. *Habes huius Philosophi librum multò Platonica, & Homerica Luscinia cantillantem argutius.* De hoc ergo inquirimus: an in sua quæstione, & tortura aliqui de ore suo abire passus sit saltem leviter crimino sum?

4 His positis accedendo sententias: inter eas reponi non possunt Rabbini, & Hæretici Anabaptistæ, & Luterani, qui, & librum, & personam Iob mordere, & calumniari non erubescunt. Igitur 1. sententia admittit in Sancto Iob aliqua peccata levia, prout in alijs viris sanctissimis ea fateri solitum est. Hanc tamen tenent aliqui, quos supresso nomine refert noster Gaspar Sanchez in Iob, *Prologom. 5.* quibus, & ipse non gravatur adhærescere, respondens ad argumenta contraria, citansque pro se Salmeronem, *Prologom. 10. Canon. 22.* Secunda sententia per oppositum sustinet etiam leviter non peccasse Iob in ijs, quæ sua Historia concernit. Ita Nicolaus de Lyra in principio, *cap. 13.* D. Thomas *in cap. 3. Iob lect. 2.* & plures alij qui tamen per diversas incedunt vias, vt rem teneant, & argumenta declinent. Nam Lyra ponit verba Iob magis acerba omnia fuisse veluti *ad hominem* directa ad amicos, quasi supponentes nullam spem de æternis homini relictam esse. Alij potius verba Iob ad genus, & phrases consuetæ lamentationis, expressivasque doloris formulas receptas confugiunt in quibus esse videntur Theodoretus, *Ieremiæ 28.* Chrysostomus *in Iob cap. 3.* Abulensis *2. Reg. cap. 1. quæst. 16.* Alij longius peregrinantur, putantes Iobum non sui calamitatem, sed vel originalem labem deplorasse, aut peccatorum personam gessisse, ita vt quasi pœnitendo, potius suffocari optavisset, quam nasci.

5 Sit mea conclusio. In omnibus illis, quæ in Historia Iob recensentur, ipse neque vllo peccato levissimo peccavit. Probatur prima conclusio ex Sacra pagina in ipsamet historia. Ipse liber Iob sivè in principio, sivè in medio, sivè in fine ita testatur Iobi sanctitatem, vt adminus excludat omnem noxam, licèt levissimam, in Actis eius ibi recensitis: ergo in eis nullatenus etiam leviter peccavit. Probo antecedens per partes, in primis primam, *cap. 1.* ait Dominus Satanæ. *Considerasti servum meum Iob, quod non sit similis ei in terra, homo simplex ac rectus, & timens Deum ac recedens à malo.* Sed verba hæc non patiuntur peccatum leve in toto decursu Actorum Iob, quæ inibi referuntur: ergo, &c. Probo minorem. Si exinde aliquid constaret, in quo ipse, tametsi leviter proplapsus fuisset; Satan meritò potuisset insurgere adversus Dominum eumque coarguere dicens: *Ecce quomodo tandem in sua rectitudine omnino stare non potuit is, quem tamtopere commendabas*: neque hanc retorsionem adversarius, semel ad colloquium admissus, prætermisisset. Atqui neque facta est, neque credi vnquam potest verba Dei potuisse pati talem redargutionem; ergo, &c. Maior patet. Nam qui in conflictu etiam aliquo-

modo

modo caderet, quomodo ab infallibi cognitore proponeretur in certamine tanquam ſingulare prototypon rectitudinis? Probo ſecundam partem. Nam in medio eiuſdem libri dicitur. *In omnibus his non peccavit Iob labijs ſuis, neque aliquid ſtultum contra Dominum loquutus eſt.* Sed hæc verba ex terminis ſuis removent à Iob omne peccatum etiam veniale, & quod ex defectu conſiderationis evenire potuiſſet: ergo, &c. Minor probatur. Quia eatenus id inde non probaretur, quatenus ea verba ſolum caderent ſupra aliqua pronuntiata ipſius Iob; non verò ſupra vniverſa: ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Probo min. & ſimul tertiam partem, quam promiſi. Noviſsima verba huius libri, & quæ cadunt ſupra vniverſa ipſius Iob pronuntiata etiam excludunt, quod etiam ipſi Iob quidpiam adhuc veniale excidiſſet: ergo, &c. Probo antecedens, *cap.* 41. *& vltimo, verſ.* 8. dicit Dominus: *Iob autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia: neque enim loquuti eſtis ad me recta, ſicut ſervus meus Iob.* Sed hæc tam finalis, & conſummata laudatio, poſtquam aliæ præceſſerunt in libro, & nullibi de vllo eius crimine conteſtatus eſt Dominus, probant ipſum in eis, quæ recenſentur, nuſpiam prolapſum: ergo revera ita fuit. Confirmatur. Paſsim per totum librum deſcribitur Iob erga Deum ſemper magis ac magis ſupplex, & ſimpliciſsimus, erga omnes ſtimulos impatientiæ retortor valentiſsimus, nempe erga amicos, & vxorem, inquiens. *Si bona ſuſcepimus de manu Domini; Mala quare non ſuſcipiamus?* Atqui ſi ibi erga Deum, & proximum rectè ſe habet, & ſibi ipſi malum non infert; imò à Deo præmiatur locupletiſsimè, innocens eſſe probatur omnino: ergo neque leviter lapſus eſt.

6 Probatur 2. concluſio. Licèt quis aliquando impatiens, ſanctus eſſe potuiſſet; tamen repugnat, quod Deus à mundi exordijs, & in ſuis Sanctis Scripturis proponat in Archetypon, aut prototypon, primumvè exemplar patientiæ, & ſuſtinentiæ virum, alioqui in eodem genere deficientem. Et multò magis ſi Deus fidens de eo ad nullos impetus deturbando, adverſarium provocet ad certamen, atque conflictum. Sed in primo ita ſe geſsit Deus cum hominibus ſæculorum, & in ſecundo ita ſe geſsit cum diabolo; ergo Iob in tota palæſtra, & certamine nullum etiam levem reatum incurriſſe credendus eſt. Minor quoad ſecundam partem conſtat ex ipſa hiſtoria toto capite primo, vbi Deus ipſe colloquens cum Angelis ſuis, adverſario ſe ingerenti obijcit patientiſsimum ſervum ſuum Iob, dicens: *Conſideraſti ſervum meum Iob, &c.* ita eius conſtantiæ, & patientiæ fretus, vt tentatori vlteriores, & vlteriores probationes, torturaſque permitteret. Probo iam min. quoad primam part. tùm ex Scripturis: quia Tobiæ 2. & Iacob. 5. expreſsiſsimè per Spiritum S. proponitur Iob, vt patientiæ primum exemplar: deinde *Ezeq.* 14. proponitur cum Noe, & Daniele tanquam primi ſigniferi iuſtitiæ. Atqui Hiſtoria Iob in nullo alio ſpeciatim eum commendat, quam in exemplo præclariſsimo ſuſtinentiæ: ergo quia à Deo in ea re tanquam primum exemplar proponitur. Tùm quia nulla eſt alia patientiæ imago vetuſtior in Hiſtorijs prophanis neque in Sacris. Atqui hic liber in Protocanone Hæbreorum vetuſtiſsimè receptus eſt: ergo quia hoc primum propoſuit Deus hominibus patientiæ, & tolerantiæ exemplar. Tùm ex Eccleſia, & PP. Primò. Ex vetuſto Origene *in lib.* 1. *in Iob*, ſic pronuntiante. „ Adhuc vſque ad hodiernum diem „ Beati Iob tolerantia ante eos, qui „ ſunt in dolore luctu, atque planctu, legitur pro conſolatione, atque „ exhortatione dolorum illorum, & „ pro ablatione anguſtiæ cordis eo-

„rum. Similiter autem, & in con-
„ventu Eccleſiæ in diebus ſanctis le-
„gitur paſsio Iob, in diebus ieiunij,
„in diebus abſtinentiæ; in diebus,
„in quibus tanquam compatiuntur
„ij, qui ieiunant, & abſtinent, ad-
„mirabili illi Iob; in diebus, in
„quibus in ieinnio, & abſtinentia
„Sanctam D. N. Ieſu Chriſti paſsio-
„nem ſectamur. Ex Tertulliano, *lib.*
„*de Patientia, cap.* 14. ibi: O felicif-
„ſimum illum quoque, qui omnẽ pa-
„tientiæ ſpeciem adverſus omnem
„diaboli vim expunxit... neque enim
„à reſpectu Dei tot doloribus evo-
„catus ille eſt, ſed conſtitit nobis in
„exemplum, & teſtimonium tàm
„ſpiritu, quàm carne, tàm animo,
„quàm corpore patientiæ perpetran-
„dæ; vt neque damnis ſæcularium,
„neque amiſsionibus cariſsimorum,
„nec corporis quidem conflictatio-
„nibus ſuccidamus. Ex Baſilio *ho-*
„*mil. de Gratiar. Actione*, ait: Nonne
„impacta ipſi erant ex lapide viſce-
„ra? Momento temporis vna, & ea-
„dem plaga obtriti liberi decem con-
„ciderunt in delectabili, & pera-
„mœna domo, &c. non eiulavit, non
„ſibi divulſit comam, vocem in-
„generoſam nullam emiſit; magis
„verò celebrem illam, & omnium
„ore decantatam gratiarum actionem
„deprompſit. Dominus dedit Dominus
„abſtulit: ſicut Domino placuit ita, &
„factum eſt ſit nomen Domini bene-
„dictum. Quibus PP. antiquioribus
iunge omnium cœtum vnanimiter ita
ſentientem. Ergo ex ipſamet Hiſto-
ria, ex alijs libris Canonicis, ex au-
thoritate primi Canonis inter He-
bræos, ex perpetuo vſu, & traditione
Eccleſiæ, ex vnanimi conſenſu SS.
PP. propoſitus eſt Iob tanquam pri-
mum, & perfectiſsimum exemplar pa-
tientiæ. Quod autem vt primum in
ea linea à mundi exordijs, vſque ad
poſtrema ſæcula non potuiſſet proponi
exemplar perfectiſsimum à ſapienti
Deo, ſi in eo genere aliquomodo
claudicaſſet; ipſis terminis ita no-
tum eſt vt verborum circuitione non
egeat.

3 Probatur 3. Si Iob aliquomo-
modo peccaviſſet maximè proptèr ali-
quas expreſsiones, impatientiam deſ-
perationemque redolentes. Sed in
ipſis non convincitur deliquiſſe. Ergo
non peccavit aliquatenus. Probatur
min. primò. Si Iob in illis expreſsio-
nibus peccaviſſet; fuiſſet quidem cri-
mine maximo, & horrendo, longe-
que ſuperante amicorum ſuorum de-
licta. Sed primum inter Catholicos,
quibuſcum agimus abſurdum eſt, &
ſecundum oppeneretur textui dicen-
ti Iobi amicos non fuiſſe loquutos rec-
ta, ſicut ſervus Dei Iob: ergo, &c.
Probatur ſecundò. Quia Ieremias in
vtero ſanctificatus in graviores im-
precationes erupit, *cap.* 20. contra
diem nativitatis ſuæ præoptan ſibi in-
terfectionem in vulva, potius quàm
nativitatem. Sed hic non peccavit.
Ergo neque Iob. Confirmatur primò.
Quia quoties in viro ſancto, & tan-
quam tali laudato in Scripturis nihil
refertur de dictis aut factis eius fuiſſe
reprehenſum, neque nobis poteſt, aut
debet eſſe reprehenſibile. Sed de qui-
buſvis expreſsionibus Iob ibi prolatis
nihil conſtat fuiſſe reprehenſum: ergo
neque fuit vllatenus reprehenſibile.
Maior probatur primò ex Irenæo, *lib.*
„4. *cap.* 50. ibi: De quibus autem
„Scripturæ non increpant, ſed ſim-
„pliciter ſunt poſitæ, nos non debe-
„mus fieri accuſatores: non enim ſu-
„mus diligentiores Deo, neque ſu-
„per Magiſtrum poſſumus eſſe: ſed ty-
„pum quærere. Nihil enim eſt otioſum
„eorum, quæcumque inaccuſabilia (ſeu
„non accuſata) poſita ſunt in Scrip-
„turis. Secundò. Ex Origene, *lib.* 3.
„*in Iob*, circa medium, ibi: Quem
„ergo ipſe Deus irreprehenſibilem
„confeſſus eſt, famulum ſuum eum
„appellando, & hoc in fine totius tole-
„rantiæ; qui ſanus criminari audeat?
„Quis ſapiens reprehendere aggredia-
„tur?

„ tur ? Quis enim accuſabit electos „ Dei ? Iuſtum maximè, quem tantum „ elegit, & ſe dignum teſtificatus eſt, „ ita vt illum etiam Sacerdotem ami- „ corum delinquentium conſtitueret, „ & per illum peccata eorum illis „ promitteret remittere ? 3. Ex Gre- „ gorio Magno *lib. 9. Moral. cap. 20.* „ ibi : Non ſunt facta aut verba Sanc- „ torum à nobis temere reprehenden- „ da quæ Scriptura non reprehendit: „ ergo, &c. Confirmatur 2. ex Sal- merone : nam ſi Iob aliquomodo de- liquiſſet maximè, quia, dolore ad dolorem vehementiſsimè ſuccedente, aliquatenus eo prærreptus lapſus eſ- ſet. Sed ita non fuit : ergo, &c. pro- batur min. Tota illa hebdomada mi- ſerandi conflictus, in quo acriora, & acriora ſibi certamina ſuccedebant, nihil protulit incompoſitum, ſed etiam vxori ſuæ reponebat ſuſtinen- tiæ conſilia. Et quando erumpit in verba præſeferentia animi turbatio- nem, procedit maturè, & deliberatè, atque poſt totum conflictum, qua- ſi ad ſtudium oratione compoſita : er- go nullatenus ex animi ſubreptione proceſsit. Anteced. patet. Quia in toto primo, & 2. capite tranſigitur totum, & omne ipſius certamen. Et deinde *cap. 3.* incipit dicendo : *Poſt hæc aperuit Iob os ſuum, &c.* Pergit- que inibi loquens plenus emphaſi, eruditione, ac ſententijs, & eloquen- tia redundans : quæ omnia longe ſunt à ſurreptione impatienter loquentis, & multo æſtu ſemiverbula pronuntian- tis.

8 Obijcies primò. Ipſemet Iob apertè pronuntiat, ſe ſaltem leviter deliquiſſe. Sed etiam contra ſe ipſum Scriptori Canonico credendus eſt : er- go, &c. Mai. conſtat 1. Ex *cap. 39. verſ. 33.* ibi : *Reſpondens autem Iob Domino dixit. Qui leviter loquutus ſum reſpondere quid poſſum ? Manum meam ponam ſuper os meum. Vnum loquutus ſum quod vtinam non dixiſſem, & alte- rum quibus vltra non addam.* 2. Et *cap. 42. verſ. 3. & verſ. 6.* ibi : *Ideo inſi- pienter loquutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam.... id circo ipſe me reprehendo, & ago pœni- tentiam in fabilla, & cinere.* Sed omnia vix ſalvari poſſunt, quin aliqua cul- pa ſaltem levis ei excidiſſet : ergo ea non caruit. *Confirmatur.* Textus de Hiſtoria magis vrgens, nè Iob vlla- tenus peccaviſſet, eſt ille qui tùm *cap. 1.* tùm *cap. 2.* affertur ſcilicet. *Et in omnibus his non peccavit Iob labis ſuis, nec aliquid ſtultum contra Dominum lo- quutus eſt.* Sed hic ex toto contextu Hiſtoriæ potius probat oppoſitum : er- go, &c. Probatur min. Hæc loquutio demonſtrativa *in omnibus his* præcisè recitatur *cap. 1. & 2.* vbi nihil adhuc aſperum, & acerbum Iobus protule- rat ; ſed adhuc habenas ſuſtinentiæ ſervabat ; poſtea verò quàm In diras imprecationes ſe effudit, nihil tale ibi advertitur : ergo quia præcisè tunc dici per articulum demonſtrativum, *& in his omnibus*, magis arguit, in re- liquis criminoſum extitiſſe aliquan- do.

9 Ad hoc argumentum reſpon- deo negando anteced. Ad cuius pri- mam probationem *ex cap. 39.* præ- mitto aliqua, quæ etiam non parum deſervient ad ea quæ ſequutura ſint. Igitur præmitto 1. illa duo *leviter lo- quutus ſum, & inſipienter loquutus ſum* aliter legi in Hebræo ſcilicet pri- mum *contemptibilis ſum* : & ſecundum *annuntiavi* ; vt conſtat ex Verſione Pagnini : & licet non ignorem, quan- tum debeat prævalere Vulgata verſio; itidem non ignoro ex mente graviſsi- morum DD. & qui Theologi fuere Concilij Tridentini, quod recurſus ad originalia pro locis implexis, & ſalebroſis laudandus eſt, ſi nimirum inde cuncta planiùs procurrunt. Præ- mitto ſecundò. Colloquia, quæ De- turbine habebat Deus cum Iob, eſſe in illis exordijs ſtatim à diluvio ita familiaria Dei cum hominibus, vt his Deus ipſe indulgeret de more in-

ge-

genuo, & innocenti ſuas duriuſculas, & rudiuſculas loquutiones: non ſecus ac cum Moyſe tergiverſante ſegeſsit: vnde, & ibi ſe explicat dicens, tanquam amicum colloqui cum amico. Præmitto tertio. Quod inde ſequitur, ſcilicet, Deum quaſi humanitùs ſe ibi gerentem, iam circumloquia, iam repetitiones, iam blandè provocare ad ſermones non detrectaſſe: atque adeò licet hic Dialogiſmus pergat quaſi deſultorius, & interciſus. (Nam etiam ante Chriſtum dialogiſmus inter priſcos ad inſtruendum aptior erat: quemadmodum etiam poſt Chriſtum videmus de antiquis eum plures vſurpaſſe) non tamen præter rem, & perſonas. Deus enim quaſi delectabatur ſermones trahere cum ſervo ſuo Iob fideliſsimo, inter cuius doloriferas expreſsiones, tunc hominibus adhuc ineruditis, innocentes ſententiæ cordis in Deo firmiſsimi intermicabant: vnde, & ipſum catenato alloquio pervrgebat ac provocabat: vt manifeſtè patet ex illis verbis *verſ.* 31. *Et adiecit Dominus; & loquutus eſt ad Iob. Nunquit qui contendit cum Deo tàm facilè conquieſcit? Vtique qui arguit Deum debet reſpondere ei.* Præmitto quartò. Iob in tàm excelſo colloquio, poſtquam rudia ſua ſenſu hominis proferebat, ex Deo excipere, & auſcultare altiſsima; reſpectu quorum, ea, quæ ipſe repoſuerat ei, levia, inſipientiaque videbantur: non quia reſpectu luminis naturalis, prout tunc exculti, ita eſſent; ſed quia altiori radio illuſtrante penetrabat altiora; indeque expaveſcens rurſus loqui recuſabat, vt ibi ait: *Quibus vlera non addam.* Exempli gratia. Hunc non importunè adduces colloquium, quo Rex aliquis perhumanus ruri ſanæ mentis, & candore plenum agricolam convenit, gauderque inter ruſticas explicationes innocentiæ, veritatis ac fidelitatis gratos ſermones habere. Quod ſi interdum Regi placet illum Agricolam, ſivè in re, ſivè in Sermone politiora monere; tunc ille coram Maieſtate confeſſus, & pronus provolvitur, magiſque cum tantæ Maieſtatis fulgore colloqui reverenter detrectat.

10 Quibus poſitis venit iam multùm facilis reſponſio argumenti. Nam licet prætermittam nunc verſionem, ſivè originalia Hebraica, in quibus *cap.* 39. nullatenus ſe accuſat Iob; ſed ſe contemptibilem profitetur; dico, ea verba *leviter loquutus ſum* inteliigi non levitate peccaminoſa, quaſi ſemetipſum leviter culpet, aut venialiter; ſed de defectu illius gravitatis, & profunditatis, altitudineque ſermonis, quo par erat loqui cum Omnipotente: atque idcirco paulò inferius loqui detrectat; imò, & quæ loquutus fuerat ſemel, aut bis, corripere ſe ſignificat, dicens *vtinam non diviſſem*: non quidem propter peccatum; ſed quia ea, ad quæ ipſe humana mentis acie pertingere poterat, probè noſcebat, quid eſſe viliſsimum ante altiſsimum cognitorem. Quæ quidem ex præmiſsis multum robur, & elucidationem accipiunt. Ad ſecundam per eamdem viam ſolutionis me expedio, & quidem multò firmius, & luculentuis: ſiquidem verba ibi ſubiuncta ſuperiora confirmant: nam quaſi Iob verba tuliſſet ſupra quod caperet, inquit: *inſipienter loquutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam.* Quod autem ipſe Iob dixerit, quod ſe ipſum reprehendit, & pœnitentiam egit in favilla, & cinere, non multum probat: quia vt latè probavi *tom.* 1. *Decada* 5. agens de reprehenſione Pauli in Petrum ſtare poteſt vera reprehenſio ſolùm propter defectum maioris perfectionis, quin vlla vera culpa intercedat: quare Iob conſiderans, ſe loquutum eſſe coram Deo multùm defectuoſe ad ſublimia argumenta, quæ tractabantur; licet rectiſsima innocentia protuliſſet ea, ad quæ ſua mente pertingeret; reprehendit ſe, & vult corrigere loquelam ſuam, veluti ſatius fuiſſet, altùm ſilere, quàm

ita

ita loqui. Neque pœnitentia illa in favilla, & cinere plus probat: nam in illis primis temporibus, quoties adhuc ſine culpa rebellabat ſe coram Deo humana ignorantia, miſeraque conditio, pœnitenda res putabatur, quæ ſtatim coram Deo ipſo aliquam humiliationem expoſceret. Quod inde firmatur: quia etiam poſtea tempore legis in libro Levitici pœnitentia iniungebatur etiam ijs, qui ſine vlla culpa ſola oblivione, & ignorantia invincibili aliquid inordinatum perpetraſſent. Quando verò ad finem *cap.* 42. *verſ.* 10. dicitur: *Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Iob*; ſubditur *Cum oraret ille pro amicis ſuis*: vt intelligatur, amicorum quidem culpam, Iobi verò pro eis ſatisfactionem extitiſſe. Ad confirmationem reſpondeo negando min. & eius probationem, quæ manifeſte falſa eſt, ex eo, quod finis libri ſemel, & iterum repetit, Iob loquutum fuiſſe recta coram Domino. Ex quo licet conijcerè potius ea verba *in omnibus his non peccavit Iob labijs ſuis*, *&c.* dicta fuiſſe præoccupativè; ne quis cum ſtatim *cap.* 3. lecturus eſſet imprecationes acerbas; ibi crimen ineſſe ſuſpicaretur. *Replicabis* ad ſuperiora. Iob ſupra cum rudibus comparatus eſt; cum tamen per nos Rex amplus fuiſſet: quæ ambo non cohærent. Reſpondeo rudem fuiſſe ruditate, tùm naturæ humanæ necdum excultæ; tùm ſæculorum tunc incipientium; tùm reſpectu Dei reſpectu cuius politiſsimus quiſque ſemper eſt rudis: & omnis Rex veluti David ad verba, & iudicia omnipotentis expaveſcit, & contremiſcit.

11 Obijcies 2. Plura verè protulit Iob, quæ ab impatientiæ labe vix poterunt excuſari. Ergo ſaltem leviter lapſus eſt. Probatur antec. ex illis verbis, *cap.* 3. Pereat dies, in qua natus ſum: & nox, in qua dictum eſt conceptus eſt homo. Maledicant ei, qui maledicunt diei. Quare non in vulva mortuus ſum, egreſſus ex vtero non ſtatim perij. Sed hæ omnes imprecationes etiam ex dolore, & ſubreptione prolatæ adminus levem culpam involvunt, vt conſtat ex Theologis agentibus de virtutibus, & vitijs: ergo, &c. *Confirmatur.* Ipſe Iob protulit verba expreſiſsima deſperandi quoad rem, & quoad vocem. Sed talia cohoneſtari omnino non poſſunt: ergo aliquomodo peccavit. Mai. conſtat ex *cap.* 7. ibi: *Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea. Deſperavi nequaquam iam vivam.* Ad hoc argumentum, neg. anteced. ad cuius probationem, neg. etiam minor. vel diſting. claritatis gratia in his temporibus in quibus Chriſtus vera lux venit in mundum, ex qua Sancta Mater Eccleſia habet omnem ſphæram virtutum, earumque gradus, & apices explicatos, atque diſcretos, conc. min. In primis temporibus, cum mens humana magis rudis, & minus illuminata regebatur lege laxiori, neg. minor. & conſequent. Cuius ſolutionis doctrina manifeſtè confirmatur ex *Ierem. cap.* 20. *verſ.* 14. vbi poſtquam dixit: *Dominus autem mecum eſt quaſi bellator fortis: id circo qui perſequuntur me cadent, & infirmi erunt*; proſequitur *maledicta dies in qua natus ſum; dies, in qua peperit me Mater mea non ſit benedicta. Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens. Natus eſt tibi puer maſculus, & quaſi gaudio lætificavit eum. Sit homo ille, vt ſunt Civitates, quas ſubvertit Dominus, & non pœnituit eum: audiat clamorem mane, & vlulatum in tempore meridiano: qui non me interfecit à vulva, vt fieret mihi Mater mea ſepulchrum, vulva eius conceptus æternus. Quare de vulva egreſſus ſum, vt viderem laborem, & dolorem, & conſumerentur in confuſione dies mei?* Deinde *cap.* 12. ait: *Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: verumtamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur; bene eſt omnibus*

qui prævaricantur, & inique agunt? In quibus penè alterum Iobum loquentem cernis; ſanctificatum tamen in vtero ac Deo placentem. Vnde, & dixit Theodoretus ibi non importunè *præponit laudes, vt omnem occaſionem blaſphemiæ tollat.* Quod nos de Iob diximus ſupra circa illa verba: *Et in omnibus his non peccavit Iob labijs ſuis.* Quamobrem, ſi adhuc advesſus homines varias congerit maledictiones olim etiam à viris ſanctis eiaculatas Salmeron. *Canon* 26. quidni licuiſſent in prima ruditate ſæculorum dolorem, & planctum, inſenſibilium maledictione explicare; ſi poſt ſæcula multum vlteriora etiam id licuit Davidi 2. *Reg.* 1. maledicenti montes Gelboe: de quo vide Abulenſem *quæſt.* 16. Item mos innocens olim erat ſignificandi dolorem nedum verbis, ſed factis etiam ferire inſenſibilia, veluti cum in vehementi dolore veſtes ſcindebantur. Quare inquit Sanctius Prologom. 3. *His aut ſimilibus dicendi formulis, in quibus aliqua apparet execratio, tantum ſignificari dolorem acerbiſſimum, neque valere aliud quàm interiectionem heu, hei, væ.* Quod putavit Theodoretus in locum citatum Ieremiæ, & Chryſoſtomus in Catena in *cap.* 3. Iob. Atque hic etiam Sanchez multa eruditione ſe extendit, notans, quemadmodum in proſperitate viventibus ſolitum eſt natalitia fauſtis precationibus cumulare; ita olim de more fuiſſe ijs, qui in miſero ſtatu iacerent, natalitijs ſuis malè precari, quaſi ea advocando, vt teſtes, & participes calamitatis præſentis, atque torturæ; poſt ea verò tempora humanum cor iugiter quaſi attritum necnon clarioribus de Cœlo radijs illuminatum novit, potuitque, ac debuit ea compeſcere altiori dominante patientia, *in quibus* vel interne minus benè quid toleratum, vel externè quid perperam prolatum circumſonaret.

12 Ad confirmationem reſpondeo negando antec. ad cuius probat. dico illa verba planè eſſe potius formulas expreſsivas doloris, vel tribulationis, quàm ſiniſtrum animum longanimitatis defectu laborantem: quandoquidem nec ſe ſuſpendit, nec deſperavit ſaltèm quoad æterna; ſed præcisè id ſolum videtur conſtare in toto cap. & alibi, quòd nimirum eo vſque creverit tribulatio, vt nulla ex parte ſpes vivendi ei iam ſupereſſet; niſi Dominus altiori manu id providere voluiſſet: in quo nullum, nec leve peccatum erat, vitam deſperare, quando cuncta ad inſtar torrentis in eius interitum feſtinabant. Pro electione verò ſuſpendij debet Hebraiſmus animadverti, qui cicuratem, ac molleſcentem eiuſmodi loquutionem dabit. Hebræi enim carentes tempore pluſquamperfecto per præteritum perfectum illud vſurpant: vnde ly *elegit* eſt dicere: *Elegiſſet anima mea ſuſpendium, potius quàm tantam ac talem vndique malorum colluvienem pertuliſſe.* Quod voti genus, attenta voluntate omnipotentis, & ſemper ſalva, non eſt criminoſum: eſt enim idem ac dicere: celeriori, quantum ex me eſt optaſſem morte occumbere quam prolixa. Replicabis hic. Nam in fine capitis inquit Iob: *peccavi*: *Quare non aufers iniquitatem meam?* Ergo crimen admiſit. Reſpondeo diſting. conſequens. In tota vita ſua tranſeat conſeq. in his, quæ ex Hiſtoria conſtant, neg. conſequent. Nam Iob vt iuſtus, & accuſator ſui propter peccata ſua ita ſe afflictum conſiderabat: quare id à ſe tolli cupiens, aiebat: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Quod tamen vllatenus culpabiliter non deſperaverit clarè cognoſcitur *cap.* 13. vbi inquit: *Si occiderit me, in hoc ego ipſe ſperabo.* Et in illis verbis: *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum... Et rurſus circumdabor pelle mea, &.*

13 Obijcies 3. Saltem videtur Iob ali-

aliquid peccaviſſe per arrogantiam: ergo penitùs à culpa immunis non eſt. Probo antecedens, tùm ex illis verbis, cap. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in ſtatera: quaſi arena maris hæc gravior appareret.* Tùm ex verbis, *cap.* 27. ibi: *Iuſtificationes meas, quas cœpi tenere non deſeram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Tùm ex toto cap. 31. vbi ad longum ſuas ipſe virtutes quoque decantat. Atqui hæc in quovis homine de ſe miſero, & peccatore, nequeunt non eſſe arroganter dicta: ergo ex hac parte aliquatenus peccavit. Confirmatur. Saltem ea in quibus *cap.* 39. & 42. fatetur ſe leviter, & inſipienter loquutum, probant aliquid ſtultum protuliſſe, & inconſideratum: ergo eius immunitas à peccato inconſiderationis non benè componitur. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens, & ad eius probationem triplicem ex textibus compactam, eos ſingillatim explicando, & exponendo. Pro primo ergo conſiderandum eſt, quod ſtatus ille ſæculorum, vt tetigimus, non ferebat preſſam legiſlationem adhuc in ipſo lumine naturæ, quod cum à peccato originis obſcuratum fuiſſet, & necdum vlla lex adveniſſet, quæ illuminaret, & oſtenderet, quid eſſet peccatum; quidvè non eſſet cum anatome magis præciſa, vix habebantur illicita, niſi illa craſsiora, quæ ſtatim ad omnium oculos offendebant; & valde proximè adverſabantur rationi. Id quod ex eo facile probatur, quod etiam dum poſteà lex venit, magis verſabatur circa exteriora, & mere interna, vt cum D. Thoma, & alijs dicitur in quæſtione de legis veteris honeſtate: quare D. Thom. ait quod lex vetus cohibebat manum; lex vero nova cohibebat mentem. Quo poſito cum B. Iob licèt aliquando in vita ſua veniaaliter cecidiſſet; tamen nullo morderetur crimine gravi, & exteriori: ruſuſque cùm calamitates evenientes merè propter peccata evenire crederentur, neque benè nota eſſet ſuperioritas illa, quam habet demeritum ad mala temporalia; potuit ille, etiam fideliter ſe appendens in ſtatera ſua, quæ erat humana (proindeque fallibilis) putare longè maius pondus, & torrens tot calamitatum, quibus vidit ſe circumſeptum, quam peccata ſua, quæ vix ab eo vlla eſſe videbantur, quouſque, Deo ipſum illuminante, exindeque conſcientia plus clareſcente, incœpit vehementius, profundiuſque ſe accuſare. Etenim, quæ profundè, & ſubtiliter quandoque diſſerebat, vel deſuper accipiebat in colloquijs cùm Deo; vel de ſimilibus naturæ vſurpabat. Subtilitates vero de definitione, diviſione, ſpeciebus, & gradibus peccatorum, etiam ſuo tempore doctus, ille percallere non poterat: vnde inculpabiliter diceret, ſortem eius, ſi peccata cum malis appenderentur, eſſe victuram.

14 Ad ſecundum textum *de cap.* 27. eſt reſponſio facilior: præcisè enim ibi dicit id, quod multi poſtea, qui gratiam baptiſmalem conſervarunt, dicere potuiſſent: quando enim dicit, nunquam in vita ſua cordis, & conſcientiæ ſtimulum perſenſiſſe, loquitur circa ſubiectam materiam, ſcilicèt talem, quæ iuſtificationes eius evertiſſet, ideſt læthalem. Nam de venialibus aliàs fortè admiſsis, iam inquit; *cap.* 9. *Si iuſtificare me voluero; os meum condemnabit me.* Quod etiam poteſt intelligi, modò ſupra inſinuato, ſcilicèt, quòd, quamvis iuxta lumen naturæ tunc regnans, etiam in primis hominibus, in nihilo reprehendi à ſe videretur; tamen Deo deſuper irradiante cogeretur introſpicere in ſe defectus alios veniales (præter hiſtoriam noſtram de quo eſt quæſtio) admiſſos, qui ad tantam lucem etiam quaſi graviſsimi poterant apparere. Ad tertium textum reſpondetur, quòd laudes veræ virtutum, quæ ad-

adsunt, dum oportunè fiunt, nil redolent arrogantiæ. Ita P. Didacus Alvarez de Paz *tom. 2. de Vita Spirituali.* D. Gregorius *in Iob* 31. & B. V. Maria, inquit. *Quia fecit mihi magna qui potens est, &c.* Ad confirmationem respondeo disting. mai. inconsideratum culpabiliter, neg. mai. inculpabiliter, & originaliter, conc. mai. & conces. min. nego consequent. Nam stultitia dicitur quod inconsideratè dictum est, dum considerari potuit ac debuit. Itaque *inconsideratio* æquivoca vox est: quod enim nemini in mentem venit, ac venire possit, etiam inconsideratum dicitur, idest, non præcognitum, sed in quo nullus animi culpabilis defectis datur: quippè ignorantia, invincibilis innocentiam servat: vnde quando dixit, se insipienter loquutum, est quatenus novit, se aliquid protulisse, quod meliore luce affulgente, novit, se antea invincibiliter ignorasse propter originalem nempe humanæ conditionis iacturam. Quòd autem ipse nosse debuisset aliquid, quo ignorato, stulta protulerit, non probatur; imò pro se habet textum, *cap.* 2. dicentem, se nihil stultum contra Dominum loquutum fuisse.

15 Ad calcem observa, quod in ea Synopsi, quam vt demus commodum vniversis in quarto tomo nostro præmittimus, dum ad librum Iob pervenitur; non iuxta hanc sententiam videtur procedere P. Fabritius Britius, qui eam eleganter concinnavit; sed potius cum alijs qui Iobum in ea historia queisdam levibus aspergunt. Similiter prædictus Author circa Iob Genealogiam facit ipsum posterum de Nachor, quod, & nos supra repulimus. Quæ monemus, ne mihi ipse contraire videar; cum P. Fabritio sua reponenda sint; mihi mea.

JHS.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

IGITVR AVDIENTES TRES AMICI IOB OMNE MALVM, quod ei accidisset, venerunt siguli de loco suo.

Iob 2. vers. 11.

ARTICULUS.

VTRVM AMICI IOB HOMINES VERE SAPIENTES, ET sancti fuerint?

1 SUppono 1. Hos tres amicos in ipso textu satis explicari: quinam fuerint quoad nomen, & patriam, dum dicitur Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Et licèt circa primum vestigia sint in Sacra Scriptura tàm de nomine, quàm de patria, quæ premi possint ad exponendum; de duobus tamen postremis tam in Sacra pagina, quàm in Interpretibus nihil est, quòd expiscari possimus, vt eorum genus, & originem definiamus. Quinimo ad ipsas radices Hebraicas cum suis dialectis Syra, Arabica, & Chaldæa ascendere non piguit; sed tamen nihil inde compertum est; licèt Theman ad australem plagam; Sophar verò quasi ad orientalem videatur alludere, & Suhites ad sermones, & querelas trahi possit. Quamobrem nequeo non probare ea, quæ de his affert Sanchez in hunc locum sic inquiens. Hos Iobi amicos „ fuisse Reges habemus ex libro Tobiæ, *cap.* 2. Quales verò Reges, diximus, *Prolomen.* 4. (nempe Regulos vnius etiam Civitatis.) Neque „ est quid præterea addamus. Ijautem „ opinor fuerunt Idumæi, vicini omnes, qui cum Iobo vicino suo videntur consuetudinem habuisse, & „ familiarem vsum: sanè, Theman vnde Eliphaz Themanites vocatur, esse in Idumæa vbi Scholæ fuerunt, & „ sapientiæ domus, habemus, *Ieremiæ cap.* 49. *vers.* 7. Ad quam „ partem Idumææ pertineant regiones illæ, sive oppida, vbi suum qualecumque regnum hi Iobi familiares „ habuerunt, incertum mihi est. Neque admodum refert explorare diligentius. Tantùm observandum, „ loca vbi tres hi Principes dominati „ sunt, paulò aliter in Septuaginta „ translatione nominari. Vbi enim „ Vulgatus reddidit, *Eliphaz* Themanites, Baldad Suites, & Sophar Naamatithes, illi legunt, Eliphaz Tæmanorum Rex, Baldad Sauchæorum „ tyrannus, Sophar Minæorum Rex,

„ vbi expresse Reges nominantur. „ Quod autem vicini fuerint, ex eo fit „ satis verisimile, quia vicissim sibi „ condixerunt, vt simul amicum labo- „ rantem inviserent. Quæ non vide- „ bantur fieri potuisse commodè, si „ illorum sedes longo essent intervallo „ disiunctæ. Hactenus ille, & quidem ita prudenter, & moderatè, vt cum vlteriora non suppetant; suffragari non minus cordatum, sit quàm necesse.

2 Suppono 2. Circa hos amicos Iob duo esse dubiola, quæ expediri prius oportet. Alterum est: an Eliphaz supra memoratus fuerit ille qui nominatur sic, & dicitur filius Esau *Genes.* 36. videtur enim idem ille futurus, cum ex eadem stirpe floruerit, & Themam filium habuerit. Verum propterea cum nostro Pineda, & Salmerone potius existimamus, ipsum non fuisse illum Eliphaz Iobi amicum: tùm, quia ita Iob evaderet longævus plusquam oporteat, ac de illis temporibus credi possit: tùm ex eo quod Eliphaz amicus Iob dicitur Themanites ab vrbe seu regione Theman sita in terra Hus. Quare cum hæc vrbs, seu regio Theman nomen acceperit à Theman nepote Esau ex Brocardo, Breindebachio, Adricomio, & Hieronymo postea citando, non videtur potuisse vocari Themanitem ab vrbe, seu regione Theman, illum Eliphaz, qui fuit filius Esau, & vivens antequam talis vrbs, aut regio id nomen accepisset. Sed verisimilius videtur, quod ex eadem stirpe fuerit alter Eliphaz nepos, seu pronepos illius qui iam ab vrbe vel regione Themam Themanites dici potuisset. Verba ergo Hieronymi de locis hebraicis sunt „ huiusmodi. Theman Regio princi- „ pum Edom in terra Gebalitica à „ Theman filio Eliphaz filij Esau sor- „ tita vocabulum. Sed, & vsque ho- „ die est villa Theman distans ab vrbe „ Petra quinque millibus, vbi & Ro- „ manorum militum præsidium sedet. „ De quo loco fuit Eliphaz Rex The- „ manorum. Vnus quoque filiorum „ Ismael appellabatur Thema. Scien- „ dum autem quod omnis Australis „ Regio Hebræis Theman dicitur. Theman ergo de qua, *Ierem.* 18. & 19. & *in Abdia*, *Amos* 1. *Baruch* 3. videtur fuisse Academia litterarum apud Idumæos, veluti Dabir, *Iudic.* 1. Vocata Cariathsepher, idest Civitas litterarum inter Hebræos: veluti Memphis, & Heliopolis in Ægypto. Alterum verò dubiolum est de Eliu quia præter tres amicos Iob in eius libro recensitos, inducitur etiam Eliu cum eo quoque disputans. Sed de hoc separata erit quæstio.

3 Suppono 3. totum librum Iob esse quandam gravem disputationem inter eum, & amicos circa divinam providentiam præsertim in distributione pœnarum, atque præmiorum huius vitæ. Circa quam D. Thomas, & Nicolaus de Lyra putant amicos Iob, præoccupatos aliquo errore circa æternam vitam post sequuturam, existimasse inde taxandam esse culpam hominum, sive innocentiam nempe à vita eorum prospera, vel adversa; è contra Iob disputante, atque contendente, divinam providentiam altissimis suis legibus interdum iustos præmere in hoc mundo, & improbos prosperè sæpè tractare. Verumtamen, vt observat noster Pineda argumentum disputationis inter Iob, & amicos (quippè qui ab eo putantur perennis alterius vitæ admodùm conscij) non fuit de re aliqua errone: circa providentiam; sed ea supposita, ex qua tàm iustis, quàm iniustis servaretur retributio futura; duplicem in eo libro disputationem permiscери: alteram videlicèt, inter Iob, & „ amicos disputando: Num bona tem- „ poralia, & vitæ prosperitas, præter „ præmia futura, iustis in hoc mundo „ contingant; & vicissim improbis „ quoque, præter æterna supplicia, hic „ eveniant calamitates, & tribulatio-

„ nes

„nes ita vt bona, & mala huius vitæ „indiſcriminatim probis, & impro„bis evenire conſueſcant; an potius „duntaxat mala malis, & bona bonis „in hac vita contingant? Cuius quidem quæſiti primas partes Iob; ſecundas verò eius amici ſuſtinere videntur. Altera verò erat diſputatio valde vtilis ad ſæcula poſtea futura, inſtituta inter Deum, & diabolum, oſtendente Deo ſe poſſe debilem hominem, quem ſanguis, & caro compegit, ita reddere ſuperiorem ſpiritibus nequam, vt eos prorſus eluderet atque ſuperaret; diabolo è contra cæcutiente, ac pervicaciter conante, & probante, ſe ſuis machinis hominem Deo probatiſsimum deiecturum forè. Quam concertationem ſic declaratam indicare videntur Dionyſius Areopagita *de Eccleſiaſt. Hierar. cap. 3. part. 3.* Clemens Romanus, *Conſtit. lib. 8. cap. 12.* Tertullianus *de Patient. cap. 12.* Gaudentius Brixianus *Præfatione in Scripturam*, Proſper *de Prædictionib. part. 1. cap. 22.* Suidas, *verbo Iob.*

4 Suppono 4. Rationem dubitandi eſſe valde fundatam: ſiquidem ex vna parte conſtat ex vltimo capite *lib. Iob*, tales amicos non fuiſſe rectè loquutos, ſicut Iob; ex alia verò multi eorum ſermones citantur ab alijs Scriptoribus Canonicis, qui citare non poſſunt niſi quæ ſunt vera, & ſancta; præſertim apponendo illam formulam loquendi *ſicut ſcriptum eſt* qua aliæ Sacræ Scripturæ ſolemniter citari ſolent. Circa quæ peroportuna ſunt verba Anſelmi *in Paul. 1. ad Co„rinth. 3.* ibi: Divina ſapientia re„prehendit amicos Iob de loquutio„ne, dicens. Non eſtis loquuti co„ram me rectum, ſicut ſervus meus „Iob. Cur ergo Paulus illorum ſen„tentijs tanta authoritate vtitur, ſi hæ „eorum ſententiæ dominica repre„henſione quaſſantur? Vel quomodo „dicta eorum quaſi prava reſpuimus, „quæ Paulus ex auctoritate adſtruit? „Aut quomodo atteſtatione Pauli „recta putabimus, quę per ſemetip„ſum Dominus non recta definivit? „Sed vtraque hæc citius quod non ſint „diverſa cognoſcimus, ſi eiuſdem „Dominicæ ſententiæ ſubtilius ver„ba penſamus: qui cum dixit. *Non „eſtis loquuti coram me rectum*; illi„co adiunxit *ſicut ſervus meus Iob*. „Licet ergo: quia quædam in dictis „eorum recta ſunt, ſed melioris com„paratione ſuperantur: nam inter „alia, quæ irrationabiliter dicunt ad „B. Iob, fortes multas ſententias „proferunt, ſed comparatæ dictis „fortioribus vim fortitudinis amit„tunt. In quibus verbis innuit Anſelmus, amicos Iob multa recta dixiſſe; ſed neque tot, & tanta qualia Iob dixerat; neque in aliquibus errorem effugiſſe, pro quibus poſtea Iob ſacrificium obtulit. Iam ergo relinquendo Eliu ad ſingularem diſputationem ſubſequuturam, ſciſcitamur: vtrum tres illi amici Iob verè ſapientes fuerint, & ſancti in omnibus ſermonibus ſuis?

5 His poſitis de more noſtro duplex poteſt recenſeri ſetentia. Prima videlicèt, quæ aſſerit amicos Iob non potuiſſe eſſe neque verè ſanctos, neque verè ſapientes: quandoquidem ex vna parte contradicebant homini ſimpliciſsimo, & recto coram oculis Domini; & ex alia videbantur eſſe in errore de vita æterna poſt ſequuturа, quaſi ſola hæc vita temporalis tàm malis, quàm bonis ſupplicia, & præmia taxaret. Hanc ſententiam videtur ſequi Paulus Burgenſis, *in Iob cap. 21.* D. Thom. *in fine cap. 2.* Nicolaus de Lyra *in Baruc.* Atque eos omnino falſa dixiſſe videtur ſentire Origenes *lib. in Iob* in initio. Necnon Nanzianzenus *Orat. in Laud.* Athanaſij tales amicos, quaſi malos taxat, dum Iob virum bonum ipſi condemnant. Secunda verò ſententia aſſerit illos verè ſapientiſsimos fuiſſe. Et hanc defendit noſter P. Ioann. de Pineda *tom. 1.*

in

in Iob cap. 4. Annotat. Prævia : atque consentire videtur P. Gaspar Sanchez *in Iob*, tùm *Prologom. 5. num. 38.* tùm *Prologom. 10. num. 55.* quatenus ab eius amicis, & removet errorem ipsis adscriptum circa æternitatem vitę futuræ; & insuper aliqua errata minora ipsis concedit; non secus ac Iobo ipsi, qui nihilominus sanctissimus, & sapientissimus fuit. Necnon favere videtur Balthasar Corderius cum alijs *ad finem, cap. 4. suæ Catenæ in Iob*, vbi „ sic inquit Quamobrem Origenes, & „ Nizetas *in Catena*, & Anselmus *in* „ *Epistol. 1. ad Corinth. 3. vers. 19.* „ plurimum ijs meritò tribuit. Vnde „ colligitur, & confirmatur id quod „ superius *ad vers. 1.* huius capitis „ annotavimus, amicos hos fuisse vi„ros probos simul, & sapientes, quip„ pè qui generales, & indefinitas sen„ tentias passim proferant gravissi„ mas, verisimasque, licèt diaboli „ impostura, & illusione decepti, qua „ parte Iobo illas applicant, plerum„ que errent, & hallucinentur. Cui „ errori haud parum patrocinari vi„ debatur vsitatus illius tempore divinę „ providentiæ cursus quo ferè bene „ temporalia probis, & mala improbis „ immittebat, & vix vnquam aut ad„ modum rarò adversa probis evenire „ permittebat. Atque idem, *vers. 1.* ait quare de illorum probitate sapientia, & eruditione minimè dubitaudum.

6 Sit nostra conclusio. *Tres illi amici Iob cap. 2. commemorati, fuerunt viri probi, & verè sapientes.* Probatur conclusio primò quoad primam partem de eorum probitate sic. Non possunt, non esse viri probi ij, cum quibus Deus ipse familiariter agit, & qui vicissim familiariter simul, & misericorditer agunt cum viro sanctissimo. Sed huiusmodi fuerunt tres illi amici Iob, *cap. 2.* commemorati, nempe Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, & Sophar Naamathites: ergo hi fuerunt viri probi. Maior constare videtur, tùm ex illo Davidis: *Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris*, maximè cum pares paribus coniungantur; & vir probus, & pius nunquam sit amicus fidus, atque sodalis impiorum: tùm quia amicitia inter Deum, & hominem (quæ sit familiaritas ad distinctionem amicitiæ substantialis consistentis in gratia) ligata esse videtur consuetudini familiari ipsius Dei, itaut amicus Dei esse dicatur is, cum quo Deus familiariter agit, veluti erat Moyses de quo inquit textus, *Deum cum ipso agere tanquam amicum cum amico.* Probatur minor. Nam in primis *ex cap. 2.* manifestè constat quod fuerunt amici, & familiares Iob, & misericorditer se gerebant cum illo ex illis verbis, *vers. 11. Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites: condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.* Sed insuper tres illi quoque digni habiti sunt familiari Dei revelatione, & colloquio; ergo, &c. Minor constat in primis de Eliphaz, qui *cap. 4. vers. 12.* ait „ Porrò ad me dictum est verbum „ absconditum; & furtive suscepit „ auris mea venas susurri eius. In hor„ rore visionis nocturnæ, quando so„ let sopor occupare homines, pavor „ tenuit me, & tremor; omnia ossa „ mea perterrita sunt: & cum spiri„ tus, me præsente, transiret; inhor„ ruerunt pili carnis meæ. Stetit qui„ dam cuius non agnoscebam vultum, „ imago coram oculis meis, & vocem „ quasi auræ lenis audivi. Nunquid „ homo Dei comparatione iustificabi„ tur, aut factore suo purior erit vir? Deinde de tribus amicis simul constat *cap. 42. vers. 9.* ibi: *Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut loquutus fuerat Deus ad illos.* Ergo digni habiti sunt revelatione Dei, & colloquio. Confirmatur, quia in tota fermocinatione amicorum cum Iob inno-

innoteſcit finis ille rectus conſolationis ſuper amicum. Deinde plures ibi relucent in ore ipſorum piæ, & veræ ſententiæ circa Deum multum Religioſæ, & plenæ vtilitate erga proximum. Poſtremò ſtatim ac congregati ſunt; illico adeſt Deus, ita vt videantur congregati in nomine Domini iuxta illud, *vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Sed quod aliqua Dei correctio intercedit, & expiatio, ad ſummum probat, pro humana conditione alicubi erraſſe, & per ignorantiam deliquiſſe; quod proborum etiam eſt: ergo, &c. Min. patet: quia in Levitico etiam pro ijs, quæ fiebant per errorem, oblivionem, & ignorantiam expiatio deſignabatur. Mai. conſtat ſatis quoad omnia ibi contenta: atque de vtilitate earum ſententiarum primus loquitur Origenes ſic: *Quæ divini Spiritus conſilio habentur digna, quæ litterarum monumentis conſignentur, ideò ſcribuntur, vt qui in ea incidit, ex eorum lectione capiat vtilitatem: quare trium amicorum Iobi ſermones, niſi eſſent fructuoſi, nunquam divina providentia paſſa eſſet, vt in librum Iobi conferrentur.* Deinde Nizetasin Protheoria *cap.* 16. ibi: *Quoniam amicorum verba vtilia ſunt, licet abſurde in Iobum iactentur; ideo divina providentia perfectum eſt, vt hæc quoque ſcriptis traderentur.*

7 Probatur ſecundò pars noſtræ concluſionis ſcilicèt, quòd fuerint homines verè ſapientes. Nequeunt non iure optimo recenſeri inter primos ſapientes illi, quorum pronuntiata, & ſententiæ reſumuntur à Spiritu Sancto, & cooptantur inter verbum Dei. Sed ſic ſe habent multa, quæ tres illi amici Iob protulerunt: ergo fuerunt viri verè ſapientes. Mai. videtur clara: licet enim multi, qui ſapientes non ſunt, vera interdum pronuntient; nihilominus, Scriptores Canonicos Spiritu Sancto afflatos, texenteſque omne verbum Dei, aliquid ſumere, & cooptare ex ore alicuius ad faciendam authoritatem in dicendo, non videtur ſtare poſſe ſine re, & nomine veræ ſapientiæ in illis, à quibus talia effata ſumuntur. Proba. min. Spiritus Sanctus per alios Scriptores Canonicos tranſfert in ſcripta ipſorum aliqua dicta trium amicorum Iob: ergo, &c. Antecedens patet quia 2. *Petri cap.* 2. dicitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit*: Quod pronuntiaverat Eliphaz *cap.* 4. *Iob*, dicens: *In Angelis ſuis reperit pravitatem.* Item Paul. 1. ad Corinth. 13. ait citando ex Iob: *Sicut ſcriptum eſt comprehendam Sapientes in aſtutia eorum.* Quod dixerat Eliphaz cap. 5. *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum.* Deinde David *Pſalm.* 143. affert ſimilitudinem vitæ cum vmbra quam Baldad ita dixerat cap. 8. *Sicut vmbra dies noſtri ſunt ſuper terram.* Demùm Moyſes *Levit.* 26. promittit iuſtis ſic: *Abſque pavore habitabitis in terra veſtra.* Quod idem promiſerat Iobo Sophar *in cap.* 34. dicens: *Requieſces, & non erit qui exterreat.* Ergo, &c. Probatur ſecundò eadem pars. Tres illi amici Iob profundè diſputarunt nedum in Philoſophicis; ſed in Theologia practica, & ſpeculativa, in propoſitionibus ſuis ſcientificè, & non erroneè procedentes: ergo veri ſapientes fuerunt. Anteced. probatur quoad primam part. ſummatim receſendo capita vbi ſic diſputant, nempè de iuſtitia in genere *cap.* 4. *de Supplicijs impiorum* 4. 3. 15. 18. 28. 22. *De Proœmio iuſtorum* 5. 8. 11. 22. *De Providentia Dei* 5. 33. 34. 35. 37. *De Sapientia Dei.* 11. 33. *De Angelis.* 4. 35. *De Creatione, meteoris, & phyſica.* 15. 25. 35. 36. 37. Quoad 2. verò partem probatur anteced. ex noſtro Pineda ſimul efformando confirmationem noſtræ aſſertionis. Ait ergo ſic. *Quare illorum amicorum doctrinæ numquam repugnat Iob, ſemper enim maiores propoſitiones illis concedit; minores autem, quas vocant, atque conſequentias deductas negat.* Sed minimè

concederet Iob ipſis tot, & tantas doctrinales propoſitiones, & quaſi vniverſales, & facultativas, niſi ſua veritate gauderent: ergo quia in ipſis tanquam ſcientifici, virique Sapientiſſimi procedebant. Mai. firmatur à noſtro Pineda ex eo quod Iob *cap.* 9. ait: *Verè ſcio quod ita ſit.* Et cap. 12. *Ergo vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum morietur ſapientia? Et mihi eſt cor ſicut, & vobis, neque inferior veſtri ſum: quis enim hæc quæ noſtis ignorat?* Et cap. 13. *Ecce oculus meus videt omnia hæc, & intellexi ſingula ſecundum ſcientiam veſtram, & ego novi.* Et cap. 16. *Poteram ego ſimilia veſtri loqui.* Ergo Iob non ſolum non impugnat amicorum doctrinas; verum etiam eorum ſcientiam fatetur.

8 Obijcies primò contra hanc concluſionem. Ex ipſo libro Iob ſunt textus validiſsimè comprobantes, amicos ipſius reos eſſe erroris, & iniquitatis: ergo non ita ſancti, & ſapientes fuerunt. Probatur anteced. 1. ex ipſo *cap.* 42. vbi non minus quàm à Deo taxantur, quaſi loquuti ſint falſa, & erronea, ibi: Poſtquam autem loquutus eſt Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitidem. Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non eſtis loquuti coram me rectum. Sed hæc verba ſatis notant ex ore Dei, illos minus vera dixiſſe, immò, & mala contra quæ Deus merito potuit iraſci: ergo, &c. Probatur 2. Nam *cap.* 21. inquit Iob ad ipſos: *Audite ſermones meos, & agite pœnitentiam.* Et cap. 27. *Abſit à me, vt iuſtos vos eſſe iudicem.* Et verſ. 12. *Quid ſine cauſa vana loquimini?* Atque huiuſcemodi alia in decurſu diſputationis ipſe pronuntiat adverſus amicos; ſed in his manifeſte impugnat Iob eorum ſapientiam, atque iuſtitiam: ergo, &c. Confirmatur. Doctrina Iob manifeſtè contradicit doctrinis ſuorum amicorum. Sed quæ à Iob dicuntur ſunt pia, & vera: ergo quæ ab amicis contradicuntur, non item. Maior patet ex reſponſione data ad amicos, *cap.* 27. ibi: Vivit Deus qui abſtulit iudicium meum, & Omnipotens qui ad amaritudinem duxit animam meam. Quia donec ſupereſt, halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Abſit à me, vt iuſtos vos eſſe iudicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea: ergo, &c.

9 Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinguendo anteced. Reos erroris, & iniquitatis formalis, neg. anteced. materialis, ſubdiſting. in eorum maximis, & principijs, neg. anteced. in aliquibus concluſionibus malè illatis, & applicatis, conced. anteced. & nego conſequent. Itaque in hoc argumento expendendo cum omnibus probationibus ſuis in primis non debent excidere ingentia illa fundamenta, quibus probavimus talium amicorum ſapientiam, & Sanctitatem, vt oppoſita iuxta ſe poſita magis inclareſcant, & temperentur. Deinde etiam oportet pro libro, in quo tàm ſcientificè, & Scholaſticè proceditur eos apices Scholaſticos non dedignari, quibus vtriſque partibus ſua veritas manet. Itaque debemus conſiderare, quod licet vnus, vel alter error formalis, aut vera culpa meritò adſcribatur alicui perſonæ; non tollit eius veram ſapientiam, & ſanctitatem: quandoquidem multi viri ſanctiſſimi aliquando verè peccarunt, & multi viri doctiſsimi aliquando verè erraverunt. Verum ſi abſque errore, & culpa formali res tranſigi poteſt, multo verior erit concordia inter probationes, & argumenta. Pergo igitur ad primam probationem in qua ex ore Dei ſumitur argumentum: vbi ſtatim concedo amicos Iob non loquutos eſſe coram Domino rectum, ſicut ſervus ipſius Iob, id eſt non rectum, tàm formale, quàm materiale veluti

Iob

Iob ſua ſcientia, & pietate pronuntiat; benè verò rectum formale, licet non rectum materiale: quia licet errarent putantes, Iobum quibuſdam culpis ſuis tot, & tantas ſibi miſerias adrogaſſe; nihilominus non ex malevolo imperio voluntatis ita erant per ſuaſi, ſed ex more ſolito providentiali tunc temporis, vt temporalia bona bonis (plerumque ſaltem) & mala malis cederent: quippè ignorabant altiores illas cauſas, quibus Deus Iobum tantopere tentatum voluit. Quare quemadmodum nos in ſpeciali quæſtione *tom.* 1. noſtræ Paleſtræ defendimus, Petrum, & Paulum ex diametro diſſidentes ſine aliquo errore & malitia (etiam materiali pro priori ad cognitionem veritatis propter diverſos ſenſus, & fines) ita hic poſſumus meditari: excepto quod ij, qui putabant ab effectibus, Iob eſſe iniuſtum, & propterea eum ſub conſolationis ſpecie perurgebant, & improperabant, non poterant non verſari in aliquo errore, & voluntate mala ſaltem materialiter.

10 At replicabis primò. Quomodo propter ſolum errorem, & culpam materialem Dominus iraſcatur? Reſpondeo eodem tenore, quo Dominus iratus fuit in Moyſen tergiverſantem ſine vlla culpa prout nos *tom.* 1. defendimus: nam ſicut illic talis ira Dei non fuit pluſquam reſolutiſsima concluſio illius familiaris colloquij, & manifeſtatio immutabilis ſui decreti; ita hic ad extremum libri, quando tota res clauditur Deus ponitur ſubiraſcens contra amicos Iob: quia quos antea ad exercendum Iob ſiverat ſuo iudicio ferri, & intellectu; hos reſolutorio, & quaſi ardenti, & intercidenti ſermone intercipit, declarans ipſis, eos non tàm recta dictaſſe veluti ſervum ſuum Iob: proindeque ijs iniungit holocauſta, vt per offerentem Iobum Dei amicum expiarentur. Replicabis ſecundò. Quæ expiatio iuſta eſſe poteſt pro nullo crimine? Reſpondeo ea ſanè quæ etiam in lege veteri iniungebatur pro ijs, quæ fieri ſolebant ex errore oblivione, & ignorantia. Itaque ex his planus ſit ſenſus, quo inoffenſe poſſet amici Iob dici à D. Gregorio in *in culpam lapſi*, appellarique à Chryſoſtomo *peccatores*: quatenus nimirum ſemel ſuo ſiniſtro præiudicio, & iudicio præhabito, Iobo iuſtiſsimè improperabant, maledicebant, & inſultabant, vt dicitur *Tobiæ* 2. Ad ſecundam probationem conceſſa maiori diſting. minor. Eorum ſapientiam, & iuſtitiam formalem, neg. maior. materialem, ſubdiſting. vniverſim loquendo, neg. minor. circa iudicium, quod habebant de ſe formatum, conced. minor. & neg. conſequent. Itaque Iob, qui probè noſcebat innocentiam ſuam, quam ipſi non verè cognoverant, nequibat non impugnare eorum ſententias, & apothegmata, quoties in ipſum damnandum contorquebantur; imò, & vereri nè non eſſent iuſti ac Sectatores Dei, prout ſe venditabant: vt patet ex modo loquendi ipſius *cap.* 27. tùm *verſ.* 5. vbi ait: *Abſit à me, vt iuſtos vos eſſe iudicem.* Vbi non appellat eos iniquos; ſed audiens eos veretur iuſtos aſſerere: tùm *verſ.* 7. vbi ait: *Sit vt impius inimicus meus, & adverſarius meus quaſi iniquus.* Vbi non iniquitatem abſolutè de illis pronuntiat, ſed cum illa modificatione *quaſi.* Vnde quando ipſis dicit *cap.* 21. *Audite ſermones meos, & agite pœnitentiam*; ſubdit *ſuſtinete me, & ego loquar, & poſt mea, ſi videbitur, verba ridete.* In quibus videtur clarum ſe ſuos amicos hortari, vt ſiniſtrum de ſe iudicium retractent, & ad id verba eius auſcultent.

11 Quamobrem ſi quæ aliæ ſunt formulæ inter loquendum quibus Iob in amicis ſuis taxet inſipientiam, & pravitatem; ad præcedentes ſunt revocandæ, ita vt totius concertationis hic ſit intellectus. Quod, nimirum, volens Deus in exemplum patien-

tientiæ affligere Iob vſquequaque; nedum fortunas, & ſobolem perdidit; nedum corpus vlceribus tetigit; ſed inſuper voluit, animam eius ſibimet præſentari ac proponi à Deo ſciunctam, & ipſi inimicam: quod genus crucis eſt iuſtis altiſsimum. Ad quod etiam adiecit, quod nimirum talis exaggeratio, & repreſentatio obiecta fuiſſet à viris, tùm probis, & ſapientiſsimis, tùm amicis, vt dolor afflictionis pertingeret ad culmen: quandoquidem apparitura erant veriſsima ea quæ à doctis, ſanctis, & iuſtis ſuggerebantur. Ex quibus tota diſputatio Iob cum amicis ita eſt legenda, vt hi tùm ex regulari providentia in Deo, tunc affligendi temporaliter malos: tùm ex ignorantia diſpoſitionis arcanæ Dei circa Iob amicum ſuum: tùm ex ſpeciali Dei diſpoſitione, vt ita Iobum exagitarent, ipſi eum inceſſant, & improperent, laceſſentes, & accuſantes eum, vt quaſi amicum ad meliorem frugem revocarent, & ex inde calamitas quieſceret: propterea que à vera conſolatione non deficiebant: ſiquidem ea media vſurpant, quatenus per ea obtinerent, amicum Deo reconciliare, & eum in ſuam fœlicitatem priſtinam reſtituere. E contra verò Iob ſuę innocentiæ teſtis &, ſui cordis inſpector amicos ſuos vocabat, & reputabat moleſtos, & onerosos conſolatores: quippè qui vice conſolationis crudeliores ipſi torturas ad augebant: cumque eas ſui amici ſiniſtro iudicio præoccupati, tamen alioqui ſapientes, eas in Maximis, & varijs principijs fundare conarentur, exindeque eas eruere; idcirco Iob paſſim ſatagebat oſtendere eas primas veritates, ſibi quoque eſſe cognitas. Eoſque proinde taxare, quaſi non rectos, & iuſtos: quippè quos videbat ſuam innocentiam manifeſtiſsimam obſcurare; aut minus ſapientes in negotio, & cauſa ipſius Iob, quandoquidem ex veris principijs ſophiſticè depromebant circa ſe poſitiones falſas: quare vtrinque poterat diſputari ſanctiſsimè; licèt non vtriſque veritas innoteſceret: quod proinde fecit Deus in fine, quando nimirum voluit tentationem ceſſare, exemplum compleri, & diſsidentia apothegmata convenire.

12 Ex quibus iam eſt proclivis reſponſio ad confirmationem dum patet, quo ſenſu Iob contranitebatur amicis ſuis, & quo ſenſu eorum ſententias cooptabat. Pius ergo ille, & bonus in illis omnibus procedebat, atque, ſi quæ ocurrunt verbula, quæ abſtruſiora ſint intellectu, ex toto diſputationis tramite congruè poterunt explicari: ſiquidem vix vlla apparebunt eſſe duriora quam ea quæ, *cap. 19. verſ. 6.* ſic ſe habent: *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis ſuis me cinxerit*: videntur enim eſſe verba blaſphema aperteque detrahentia divinæ iuſtitiæ. Sed ſi præciſivè reſtangitur; ex toto Hiſtoriæ contextu ſit veritas plana. Nam manifeſtum eſt in Hiſtoria quod Deus non afflixit Iobum, & flagellavit iudiciali ſuo decreto pro Iobi meritis ſententiam ferente; ſed tantummodo ad oſtenſionem mirabilis innocentiæ, patientiæque preclaræ diabolo permiſiſſe, vt quibuslibet tentationibus, plagiſque cum pro experimento pervrgeret: quare cum amici Iob è contra putaſſent plagas illas non ipſi fuiſſe, niſi ex æquitate divinæ iuſtitiæ per iudicialem ſententiam ipſi pœnaliter inductas; Iob oportuniſsimè reſpondebat, dicens, *ſe non æquo iudicio affligi*, id eſt non ex iudiciali ſententia, & æquitate iuſtitiæ quod erat veriſsimum. Si vero aliter pronuntiaſſet inquiens, *iniquo Dei iudicio affligi*, tunc eſſet pronuntiatio blaſphema: eſſet enim adſcribere iniquitatem iudicij; negare autem æquum iudicium, non præcisè eſt, poſito iudicio negare æquitatem; ſed cum in Deo non poſsit eſſe niſi æquum iudicium, negando ibi iudicium, id eſt iudi-

iudicialem ſententiam, pariter negabatur, verè in illis plagis æquum iudicium interveniſſe.

13 Obijcies 2. Tales amici Iob verſabantur in errore capitaliſsimo, & omnem fidem evertente, ſcilicèt, in ignorantia de reſurrectione mortuorum: ſed in tali errore demerſi ſapientes eſſe non poterant: ergo re vera ita non fuerunt. Antecedens preterquamquod traditur à Paulo Burgenſi, *cap.* 22. & à D. Thoma *cap.* 2. Lyra *Baruch* 2. videtur conſtare, tùm quia amici Iob nulla alia præmia, & ſupplicia appendunt, & æſtimant in tota diſputatione ad taxandam probitatem, vel improbiratem Iob, quàm temporalia. Tùm quia ipſe Iob, vt eos revincat, *cap.* 19. eis apertè exponit reſurrectionem mortuorum per illa „ verba præclara. Scio enim, quod „ Redemptor meus vivit, & in noviſsi„ mo die de terra ſurrecturus ſum: & „ rurſum circumdabor pelle mea, & „ in carne mea videbo Deum meum „ quem viſurus ſum ego ipſe, & ocu„ li mei conſpecturi ſunt, & non alius: „ repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu „ meo. (Et ſtatim ſubdit) quare ergo „ nunc dicitis. Perſequamur eum, & „ radicem verbi inveniamus contra „ eum? Fugite ergo à facie gladij, „ quoniam vltor iniquitatum gladius „ eſt: & ſcitote eſſe iudicium. In quibus eos manifeſtè comonefecit futuræ reſurrectionis, & de iudicio futuro comminatus eſt. Ad hoc argument. reſpondeo cum noſtro Pineda, Sanctio, & alijs negando anteced. ad cuius prob. in primis manifeſtè conſtat, quod tales amici Iob non erant de æternitate ita ignari: ſiquidem Eliphaz *cap.* 4. ait: *Pore vt impij in æternum pereant*; & Sophar cap. 20. *Vt luant quæ fecerint omnia, nec tamen conſumantur.* Deinde vt obſervavit Nizetas Author Catenæ in Iob, huius amici non erant ignari de æterna retributione co notitiæ genere ſubobſcuro, quæ dabatur in lege naturæ ante promulgationem legis ſcriptæ. Cuius providentia finalis cum eſſet ſolum commiſſa fidei ſuboſcuræ illius temporis, & in Deo prorſus abſconſa; videbatur ipſis pro amore, quo tunc Deus probos, improboſque tractaret; temporalia bona, & benedictiones quaſi ſigna eſſe iuſtitiæ, & bonitatis; afflictioneſque eſſe alicuius noxæ, & & criminis ſigna: vnde dixit D. Gregorius *in Præfat. cap.* 5. loquens de illis: *Dum diſcernere flagellorum cauſas nequeunt, in culpam dilabuntur.* Intellige materialem. Non ergo tam craſſo errore tenebantur illi; quamquam circa perſonam Iob verè errabant, putantes eum affligi quia iniuſtum, ignorantes nimirum de illius tentatione arcaniſsimas providentias, quas potius quia ipſi ignorabant, mirificè perficiebant. Quod verò authores illi ita ſenſerint; non vrget cum graves alij nobiſcum ſentiant; atque illi fortaſſe non tàm rem definiant quàm ex argumentis amicorum, id veluti apparere conficiant. Ad ſecundam probat. planè, conced. Iob oportunè ſuam reſurrectionem, & iudicium commemoraſſe amiciſque objeciſſe: quandoquidem ille conſiderans ex præſenti plaga traduci innocentiam ſuam; tempeſtivè reponit ſe in reſurrectione meliora ſperare, atque illis ſiniſtrè de ſe iudicantibus poſtremum iudicium reſervari; quinimo ſi de his illi non aliquo fuiſſent modo perſuaſi; debilis habita fuiſſet hæc retorſio.

14 Obijcies 3. Si tres amici Iob ita verè fuiſſent ſancti, & ſapientes; eorum pronuntiata eſſent infallibilia, & Canonica, vtpotè in Sacro canone inſerta: ſed ita non fuerunt: ergo, &c. Min. probat. Quia per nos ipſi aliquomodo errabant. Sed vbi admiſcetur aliquis error; infallibilitas, & canonica veritas deeſt. Ergo ibi deerat. Confirmatur. Quodquid citatur, & inſeritur ab alijs Scriptoribus Canonicis canonicum eſſe debet: ſed per nos verba amicorum Iob citantur ab alijs Scriptoribus Canonicis; ergo canonica eſſe deberent. Sed aliunde viri qui

cum aliquo errore pronuntiant, vt nos fatemur de illis, canonicam authoritatem habere non poſſunt: ergo, &c. Ad hoc arg. reſp. diſting. mai. Iuxta tationem ſermonis ibidem à Deo factam, conc. mai. abſolutè, neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Nam certum eſt in Sacro Canone interlocutivè miſceri aliqua, quæ ſunt erronea, & falſa, & iniqua veluti, quæ dixerunt impij cogitantes apud ſe non rectè: quia ſolum relatio, & aſſertio Scriptoris Canonici infallibilis eſt, non verò omnia verba, quæ à varijs perſonis interlocutivè miſcentur; veluti multa miſceri neceſſe erat in illa alta ſermocinatione Iob cum ſuis amicis. Quo circa cum in ea, tùm Deus ipſe, tùm Iobus rectus, & innocens à Deo declaratus, inibi ſermones amicorum taxaverint; hi, licèt à viris probis ſapientibuſque prolati, non, aliter quaod veritatem ſunt excipiendi, niſi iuxta Dei, & Iob ſtateram, & libram: vnde ea quæ Deus, & Iob ibi reſpuant, nihil veritatis iuducunt; ea verò quæ vel à Iob probata ſunt, vel neque ibi, neque vſpiam Scripturarum ſunt reprobata; pro Canonicis mihi habenda eſſe videntur, atque ita ab alijs Scriptoribus Canonicis poſſe citari. Iam ergo omnia ea, in quibus amici errant dum Iobum accuſant, & male tractant; à Iobo, Deoque reprobantur; ea verò quæ abſtractim à perſona Iobi pronuntiant (veluti maximas, & ſententias) poſſunt tenore ſupradicto Canonica reputari. Hinc ad confirmationem reſp. diſting. mai. Ea quæ inferuntur ab Scriptore Canonico ſunt Canonica, ſi ſumuntur reduplicativè prout inſerta, & aſſerta, conc. mai. Si tantum ſpecificativè, ſubdiſting. Si reſumuntur tanquam Canonicè tradita ab alio Scriptore Canonico, conc. mai. Si ſecus, neg. mai. reſpectivè diſtincta min. neg. conſeq. Itaque quidquid ab Authore Canonico inferitur, & aſſeritur, prout ita, proculdubio Canonicum eſt ex tali Scriptore Canonico; at in ſemetipſo ſpecificativè conſideratum poteſt eſſe alias Canonicum, vt quando D. Paulus multa de Pſalmis inſerit, & aſſerit de Chriſto; & poteſt non eſſe Canonicum veluti quando D. Paulus inſerebat dicta Poetarum, & Gentilicum ſcilicèt: *Ipſius autem, & genus ſumus. Cretenſes ſemper mendaces ventres pigri*, quæ prout ab ipſis pronuntiata non erant Canonica; iam vero ſunt, quia à D. Paulo inſerta, & aſſerta fuere. Similiter ergo pronuntio deijs, quæ ab alijs Scriptoribus citantur de libro Iob: nam prout ita citata, & reduplicativè, ſunt ibi planè Canonica; tamen in loco Iob vnde reſumpta ſunt, iuxta meam ſententiam paulò ſuperius expoſitam, quoque erunt Canonica; licèt de hoc impune poſsint alij ſentire contrarium. Sed replicabis. Vir ſemel errans, & ignorans in nullo alio poteſt eſſe infallibilis: nam qui in vno fallitur verè, & abſolutè fallibilis eſt. Ergo ſi amici Iob adverſus huius perſonam fallebantur: nulla eorum verba poterant eſſe Canonica. Reſpondeo diſtinguendo anteced. à ſe ipſo, & à ſapientia ſua, conced. anteced. à declaratione ſummæ ſapientiæ, & ſapientiæ Canonicæ, neg. anteced. & conſeq. Itaque, ſi vir aliquis pronuntiet decem ſententias, & in tribus erret; in ſeptem verò declaretur à Deo, vel Scriptore Canonico, vel à Concilio, aut Papa ex Cathedra in illis vera dixiſſe; illa ſeptem erunt infallibilis veritatis ex robore declarantis; quamvis infirma, & falſa eſſe poſſent ex ſolo ore proferentis. Similiter ergo in noſtro caſu reſe habet: quia ea in quibus amici adverſus Iob non errabant, ſed multas propoſitiones abſtractas effundebant, à Deo ipſo qui talia ipſis inſpiraverat; à Iobo etiam qui ea probabat; ac denique à cooptatione inter verbum Dei nullo dato ſigno in contrarium, declarata intelliguntur, ſimilem cum alijs Canonicam authoritatem habere.

QVÆS-

JHS.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET EFFVGI EGO SOLVS, VT NVNTIAREM TIBI.
Cap. 1. verſ. 19.

ARTICULUS.

VTRVM NVNTIJ, QVI VENIEBANT AD IOB ANGELI; AN homines fuiſſent?

1 SVppono 1. In Hiſtoria Iob reperiri illud Concilium per hæc verba expreſſum *cap. 1. verſ. 6. Quodam autem die cum veniſſent filij Dei, vt aſsiſterent coram Domino; adfuit inter eos etiam Satan.* Cumque pro filijs Dei Angeli intelligantur; advocatur huc ad mutuam elucidationem vtriuſque alterum Concilium, in quo Angeli, & Satan aſtitere, repertum 3. *Reg.* 22. Vbi agebatur ante Michæam in viſu de modo decipiendi Regem Achab: atque quemadmodum viſio huius, & aliorum Prophetarum erat inſtar ſingularis cuiuſdam operis potentiæ imaginatricis, & myſterioſi ſpectri, in quo antevidebant futura. Ita Moyſi viſio data eſt, qua per ſimile quidpiam Concilium de Iob tentando retrovidiſſet. Circa quod, licèt Gregorius, Origenes, S. Thomas multique recentiores putent, id merè repræſentativè accidiſſe; tamen verum Angelorum conventum, & Satanæ coram Deo exiſtimant Athanaſius in quæſtion. ad Antiochum *quæſt.* 8. Auguſtinus Annotation. in Iob, Nazianzenus, & Gaſpar Sanchez in hunc locum. Qui ex communi Theologorum ſententia rectè monet, Deum ibi nominatum, potius Angelum, Dei nomine, credendum eſſe, veluti, & nos ſuſtinuimus vniverſim loquendo de apparitionibus Dei, dum egimus de Moyſe videnti divinam eſſentiam. Poſt quod Concilium dicitur egreſſus Satan à facie Domini, id eſt à Domino licentiam nactus, vt, ſalva Iobi vita, eum interius exteriuſque conflictaret. Et hoc ſenſu hunc egreſſum explicant Albertus Magnus, Hugo, & Dionyſius apud Sanchez *num.* 94. Eo igitur iam furente per Sabæos, & Chaldæos armenta rapuit; oves, & pueros tacta igne conſumpſit; repente concuſsit à quatuor angulis domum, & oppreſsit liberos convivantes, eumque percuſſum vlcere peſsimo in ſterquilinium abiecit. Id tamen ibi rarum eſt, nempè, quòd ad ruinas ſingulas ventitarent Nuntij ſinguli tàm immediatè vnus poſt alium, vt priorem adhuc loquentem poſterior interciperet; ne-

neque alium ſermonem quiſque vſurparet præter hæc verba, *& effugi ego ſolus, vt nuntiarem tibi.* Propterea ergo hæc quæſtio inſtituitur circa hos nuntios, vt rei veriſimilitudinem melius aptemus.

2 Suppono 2. Etiam hic ſolere diſquiri: num hæc triſtia Iobo contigerint à Deo, cauſiſque naturalibus: an verò ab ipſo dœmone? Quantumvis enim dubitari non poſsit; quin cuncta hæc à Deo, vt primò authore, ſive diſponente, ſivè permittente provenerint; nihilominus cum appareat certum, tot tantas, & tàm concitatas tribulationes non potuiſſe Iob advenire ex ordinaria ſeriè cauſarum; dubitari poterat: num Deus ipſe; an dęmon elementa, & homines ſic concitaſſet? Ex vna enim parte textus inquit *cap. 1. verſ. 11. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſsidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Ex altera verò parte ſtatim *verſ. 12. Dixit Dominus ad Satan. Ecce vniverſa quæ habet in manu tua ſunt.* Vnde conſtat potius huius manu Deum vſum fuiſſe. Huc faciunt verba Origenis *lib. 1.* „ in Iob ita loquentis. Ex te hæc, ò „ diabole, & non ex Deo: ex tua ini„ quitate, & non ex Creatoris miſsio„ ne: de teipſo hæc loqueris infelix „ diabole. Tu, videlicet, es ventus „ ab eremo veniens; tu quatuor angu„ los domus tetigiſti; tu filiorum in„ terfectionem feciſti; tu es, qui ali„ quando in hoſtes prædantes te tranſ„ figuraſti: aliquando in ignem de Cę„ lo cadentem: nonnumquam autem in „ tres turmas equitum, ſicut, & nunc „ in procellam venti quatuor angulos „ domus tangentem, & ipſam domum „ à fundamentis ſubvertentem, & eos „ qui intrinſecus erat interficientem. In quibus verbis videtur Origenes negare cauſas naturales ibi veras interveniſſe; & totam rem, non ſolum quoad modum; ſed quoad ſubſtantiam etiam præternaturaliter eveniſſe: eo quod nullus ventus naturaliter ſimul à quatuor angulis perflat, & prædones Chaldæi, & Sabæi tàm citò non poterant eſſe ſic paratiſsimi. At cum ſæpè videamus, ventum, & turbinem in orbem agi, prout materia mobilis indicat; potuiſſet ad fortiſsimum venti gyrum domus tota corruere: itemque pauci Chaldæi, & Sabæi, dœmone ipſis cooperante, præſtò adeſſe poſſent, & iacturam facere armentorum Iob. Quo circa verior eſt communis opinio in tanta ruina cauſas naturales, ſed præternaturali ac dœmoniaca vi potentiores, interveniſſe.

3 Suppono 3. Rationem dubitandi exinde reſultare, quòd ex hactenus dictis tales Nuntij, qui venerunt ad Iob, homines eſſent: Si enim vera fuit Hiſtoria; veras proinde oportet fuiſſe perſonas interloquentes: necnon ſi ex nuper dictis diabolus quidem non ſe ſolo, ſed medijs elementis veris, & realibus Iobum afflixit; conſequuturum eſſe apparebat, itidem per veros homines eandem rem tranſigi oportere. Ex alia verò parte perſuaderi videtur fuiſſe Angelos miniſteriales Dœmonis, cui id negotij commiſſum erat, ex ipſo nomine *Nuntius*: quippè vt notum eſt *Nuntius* latine perinde eſt ac Græce *Angelus*. Deinde ita melius longe componitur illa pernicitas, & celeritas qua vnus Nuntius alium interrumpebat: difficile enim erat, vt homines iam de armentis iam de pecoribus iam de convivio venientes ferè ſub idem temporis punctum convenire potuerint, eademque verba vſurpare; è contra verò ſi miniſterio dœmonum res contingebat, apparebat veriſimilius, tùm ex ſuperiori demandante, & penes quem erat affligendi facultas; tùm ex aptiori natura ad nuntiandum ita celeriter, & ſine intermiſsione vnam ruinam poſt aliam, vt fortius agerent in deſperationem. Quare videtur hic articulus diſputationi oportunus, vt huius Hiſtoriæ veritati melius conſulatur.

4 His poſitis duplex in hoc punc-

to

to poteſt recenſeri ſententia. Quarum prima tenet, hos nuntios verè fuiſſe quoſdam Angelos malos Satanæ tentatori in hoc opere famulantes. Ita ſentiunt D. Chryſoſtomus in Catena in Iob, quem etiam ſequuntur Polychronius, Olympiodorus in ſua Catena atque etiam Stunica in Iob. Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, tueturque neceſſarium non eſſe hic recurrere ad diabolicum officium; ſed tales nuntios fuiſſe veros homines, & ipſoſmet ſervos Iob non ſine aliqua dœmonis ope ſervatos, inſtigatos, celeriterque adductos ad Iob, ita vt neque reſpirandi ex vna calamitate tempore remanente, alia gravior ſuccederet, quo Iob à patientia deturbaretur. Vnde, & obſervant in tentationum, & ruinarum proceſſu quoſdam gradus plus, & plus afflictivos: quatenns, & ab hominibus prius, & elementis poſtea, & Deo ipſo exerceretur, eſſetque derelictus. Hanc ſententiam tenent P. Balthaſar Corderius in Catena in Iob *cap.* 1. P. Gaſpar Sanchez. P. Ioannes de Pineda Iob: & eſt ſententia communior. Origenes verò vt tradit Corderius, licèt verum hominem fuiſſe nuntium exiſtimet; tamen putat fuiſſe vnicum, qui ſpeciatim inſtructus à dœmone, opere, & verbis tria illa nuntia triſtiſsima tàm ſine mora, & reſpiraculo intimaret Iobo, vt ruinis ipſius pronuntiatis ipſe quoque obrueretur, & rueret.

5 Sit noſtra concluſio: *Nuntios venientes ad Iob non fuiſſe Angelos, ſed veros homines ipſi quodammodo famulantes.* Probatur concluſio 1. Si tota narratio de tentationibus Iob fuit vera Hiſtoria, credi debet, quod ij Nuntij, qui ad ad ipſum venerunt, veri homines fuiſſent. Sed reipſa fuit vera Hiſtoria, & non Parabola: ergo etiam nuntij veri homines fuerunt. Min. conſtat tùm ex quæſtione præcedenti de hac re à nobis tractata: tùm quia iam apud DD. Catholicos malè audit, contrarium aſſerere. Probatur mai. Si fuit vera Hiſtoria debent intelligi quæ referuntur cum veriſimilitudine reſpectivè habita ad ea, quæ humanitus contingere ſolent in rebus huiuſmodi. Sed in ſimilibus caſibus, & ruinis ſegetum, pecorum, armentorum, &c. nihil magis ſolitum, quàm quod famuli repentina calamitate altè perculſi, perniciſsimè convolent ad Dominum ſuum, renuntiantes eventum: ergo, &c. Mai. videtur eſſe certa, quia quidquid cum hominibus accidit ſivè quoad perſonas, ſivè quoad rem familiarem, ſivè quoad ea, quæ humanitus, & temporaliter tranſiguntur, ita debent accipi de quavis Hiſtoria, prout communiter evenire conſueſcunt, niſi aliud aliter ſpecialiter conſtet. Probatur min. Eatenus non fuiſſet veriſimile, quod illi ſervi Iob fuiſſent Nuntij de ruinis, quatenus, vel celeritas, vel ſingularis modus evadendi ruinam, & ſermonis identitas veroſimilia non eſſent. Sed hoc eſt falſum: ergo, &c. Mai. videtur eſſe præcipuum fundamentum adverſariorum. Min. probo ſic. In primis iuxta tenorem Hiſtoriæ fuit admodum veriſimile, quod Iob tàm ſine morulis in omnibus rebus ſuis furentiſsimè tentaretur. Sed deinde hoc poſito etiam fuit veriſimilis celeritas, & ſermonis vniformitas, quam Nuntij obſervarunt: ergo, &c. Prob. mai. prius & poſtea min. Diſpoſitio divina circa perſonam Iob erat, vt inter homines pro omni calamitate eventura proſtaret ſingulariſsimum quoddam exemplar patientiæ: & furia dœmonis, ſine fræno ſævire permiſſa in omnia bona Iob, vehementiſsimè ſatagebat vndique hominem premere, & affligere ad eum deturbandum. Sed tàm pro hac diſpoſitione divina perficienda, quàm pro explenda invidia Satanica potius credi debet, omnia armenta, pecora, domos, ſervos, & filios, quaſi vno flatu vrentiſsimo, corruiſſe ſimul, vt in perſequutione im-

maniori patientia eſſet altior : ergo, &c.

6 Vrgetur 1. Hæc probatio. Ex cætu. PP. apud P. Gaſparem Sanchez ita ſentiente. Vrgetur 2. Quia ſi tanta, & tam diverſa res familiaris via ordinaria peritura fuiſſet, ita vt per aliquot annos iactura per partes fieret, veluti alij divites ſenſim ad inopiam rediguntur ; patientia fuiſſet vulgaris, & tentatio diaboli ordinaria, non ſingulariſsimè truculenta. Probo iam min. quam promiſi probare. Quia ſi tàm præcipitanter, & quaſi ſimultaneè cuncta corruerunt, illico fit veriſimilis Nuntiorum celeritas, ſinguli de partibus ſingulis, taliſque concurſus penè ſimultaneus ad Iobum, vt alter alterius loquelam interpellaret: ruina enim perditiſsimè devaſtante, vnus hinc, alter illinc accurreret ad Dominum ſuum, vt ſæpè vſuvenit de multis nuntijs lætis, aut triſtibus, qui ſæpè ſæpius ad eandem perſonam ſub fere idem tempus ſolent ventitare. Deinde fit veriſimilis evaſio vnius tantum ad anuntiandum, vt acerbitas augeretur à dœmone ſic perurgente : nam ſi alius præter vnum fuiſſet ſuperſtes ; diabolus minus perdidiſſet, quàm potuiſſet; ſi vèrò omnes ad vnum corruiſſent ; nemo nuntio tàm præcipiti, tàm certo, & tàm ad inſtar ſpiculi perforantis Iobum perculiſſet. Poſtremo ſi ita vuus, & idem erat tenor ruinæ deſperatiſsimæ in omnibus poſſeſsionibus Iob; ſtatim fit veriſimile quod vnus, & idem eſſet ſermo in ſingulis nuntijs: ergo de primo ad vltimum non erat inveriſimile, quod per ſervos ipſius Iob tanta rerum iactura nuntiaretur eo modo quo in Hiſtoria narratur. Confirmatur 1. Si per dœmones res acta fuiſſet; hi debuiſſent aſſumere corpora referentia ſimilitudinem ſervorum Iob. Sed hoc videtur eſſe falſum: ergo fuerunt veri homines. Mai. conſtat : quia niſi notæ fuiſſent perſonæ Iobo, fidem non facerent ; neque hic eis fidem haberet. Sed id fieri non poterat, niſi aſſumeedo corpora phantaſtica : nam ſi fieret per obſeſsionem aut vim energumenam; veri ſervi adveniſſent : ergo, &c. Probatur min. Tum quia ſi ita fuiſſet ſtatim evanuiſſent illi ſervi quod rei, & Hiſtoriæ non videbatur congruere : tùm quia otioſa erat, & ſtulta reſpectu aſtuti adverſarij aſſumptio corporis phantaſtici occidendo hominem verum, per quem multò melius, & efficacius, tàm triſte nuntium detuliſſet : ergo, &c.

7 Probatur 2. concluſio ſi aliquid cogeret, vt nuntij putarentur mali Angeli, maximè præproperus, & quaſi diabolicus ſuperventus vnius ad alterum illatus ex illis verbis *adhuc eo loquente, venit alius, &c.* Sed id non ſatis probatur ex illis verbis : ergo potius credendi ſunt veri homines fuiſſe. Probatur min. Illa loquutio permittit ſufficientes moras interiectas inter vnam, & alteram calamitatem, ita vt humanitùs nuntia coirent, & Iob ita fortius in ſuis iacturis tangeretur : ergo nihil probat. Anteced. quoad ſecundam part. modò ſic probo poſtea probaturus quoad prim. Quia, vt experientia comprobatum eſt, quævis ingens iactura filiorum, aut fortunarum primo ictu non facit vulnus illud penitius, gravius, & periculioſius, quod facit, poſtquam undique, quanta ea ſit, pervidetur : cui vulneri ſi aliud ſimile accedit, & huic cor iam terebranti ; aliud quoque ſuccedit, fit dolor altiſsimus : ergo aliqua mora interiecta inter nuntium, & nuntium forte ad deſperationem potuiſſet Iobum quoque plus provocare. Probo iam prim. part. anteced. Illa loquutio ſeu formula explicationis in Sacra Scriptura eſt proverbialis denotans rei ad rem, & verborum ad verba illam immediationem quæ ſtylo hiſtorico plus congrueret, & rei narratæ. Sed tàm ingentibus ruinis valdè congruens eſt, quòd de nuntio ad

nun-

nuntio ad nuntium aliqua temporis mora, v. gr. tridua, vel octidua intercurreret, quæ ſatis eſſet, vt nuntij humanitus advenirent. Ergo, &c. Maior conſtat ex varijs locis Sacræ paginæ vbi hæc formula vſurpari ſolet ſcilicèt, 3. *Reg.* 1. 6. *Daniel.* 4. *verſ.* 28. & 9. *verſ.* 20. *Math.* 12. *verſ.* 46. & 17. *verſ.* 5. *Marc.* 5. *verſ.* 35. & 14. *v.* 43. *Luc.* 21. *verſ.* 47. *Actor.* 10. *verſ.* 44. Ergo, &c.

8 Obijcies 1. Textus Sacræ paginæ expreſsè aſſerit, nuntios qui venerunt ad Iob Angelos fuiſſe. Ergo non fuerunt ſervi ipſius Iob. Probatur antecedens. Textus originalis Hebræus ſignificat tales nuntios per eandem ipſam vocem *Malach*, quæ vbique Scripturarum ponitur ad ſignificandum Angelum. Sed inſuper vox nuntius, quam vſurpat Vulgatus Interpres cum tali originali maximè congruit: ergo expreſsè conſtat ex textu Angelos fuiſſe. Confirmatur. Etiam inter inſtrumenta laxè ſumpta ſivè rationales creaturas credendum eſt, inſtrumentum proportionatum fuiſſe ad cauſam principalem. Sed hoc ipſo nuntij Iob mali Angeli fuerunt. Ergo, &c. Probatur min. Cauſa principalis tantæ ruinæ atque tentationis erat diabolus, ſed creaturæ rationales quæ ſint ipſi aptiora inſtrumenta ſunt mali Angeli. Ergo, &c. Ad hoc argum. reſp. diſting. antec. Angelos fuiſſe quoad naturam, neg. anteced. Angelos fuiſſe quoad officium, conced. antec. & neg. conſequent. Itaque verum eſt in Originali Hebræo ſignificari nuntios Iob per illam eandem vocem, per quam paſsim in Scripturis Angelus ponitur; hæc tamen vox tàm in Originali Hebræo, quàm in Græco, vt obſervavit Gregorius, nomen eſt officij, non naturæ: quare, ſi hæc vox ſolius officij eſt, vbicumque hæc ponatur in Scripturis, intelligi debet officium nuntiandi; non verò natura ſive perſona: hæc enim, an illa humana ſit; an verò cœleſtis; ex contextu in Scriptura deducitur: & propterea in hoc textu Iob putamus non bonos aut malos Angelos; ſed homines fuiſſe illos nuntios, de quibus agimus. Vnde ſicut in alijs locis, dum dicitur Angelos apparuiſſe; relinquitur adhuc inveſtigandum: an Michael, Raphael, vel aliud ſit nomen eius; ita hic de nuntijs Iob ſolum nobis conſtat, nuntios fuiſſe; & qui cenſemus fuiſſe veros homines, de propria eorum nomenclatura, qualis fuerit Arabica, Syra, aut Hebræa, non diſputamus. Ad confirmationem reſpondeo diſtinguendo mai. Salva maiori proportione reſpectu operis præſtandi, conced. mai. cum minori proportione ad tale opus, neg. mai. & min. reſpectivè ad diſtinctionem præiactam, negoque conſequent. Verum enim eſt, quod aliqua proportio deſideratur in inſtrumento cum agente illud tractaturo, vt in cultello cum manu, itaut ab hac poſſit ille verſari: & ſimiliter in laxo inſtrumento cuiuſmodi eſt creatura rationalis, vt nimirum hæc commodè poſſit trahi à perſona principaliori ad præſtandum opus, quod intenditur; cæterum principalis illa proportio quæ in inſtrumento ſemper debet attendi, eſt ipſius inſtrumenti ad opus præſtandum: ſi enim cultellus acie caret, vel ſerra denticulis, quamvis alioqui manu benè tractentur, inepta erunt ad opus præſtandum: & ſimiliter creatura rationalis, quæ alteri iubenti, aut rem agenti licèt ſit paritura; ſi tamen iniunctum opus præſtare non poſsit; inepta eſt vt pro eo ſit inſtrumentum. Quare cum pro deferendo nuntio calamitatum ad Iob aptiores forent ſervi eius, quippè qui ſemel evadentes de ſtrage illico occurrerent, & fidem facerent nullis præſtigijs, & phantaſmate interveniente; idcirco ſervi Iob ad opus præſtandum erant aptiora inſtrumenta, licèt reſpec-

pectu diaboli essent sui Angeli, & pessimi Ministri instrumenta sibi magis apta, & coniuncta.

9 Obijcies 2. sententia PP. præsertim vetustiorum est, quòd tales nuntij potius dœmones fuerint. Sed hæc est quæ maximè debet attendi ac retineri. Ergo tales nuntij potius Angeli fuerunt, quam homines. Probatur anteced. tùm ex D. Ioann. Chrysostomo, *homil. 1. de Patient. Iob*, vbi inquit. *Vt quid putas dilecte? Homo non erat qui hæc Iob narrabat; sed ipse diabolus hominis in speciem transformatus*: tùm ex Origene *lib. 1. in Iob* in verbis à nobis supra citatis in notabilibus in quibus ait, etiam ipsas res inanimatas quibus afflictus fuit Iob, potius quam res ipsas, dœmonem fuisse in earum speciem transformatum. Ergo potiore ratione de ipsis nuntijs credendum est, solum humanam figuram retulisse; in re tamen dœmones fuisse. Nunc sic: sed hi PP. de vetustioribus sunt qui hæc attigisse videntur: ergo reapse vetus PP. sententia est, tales nuntios Angelos fuisse. Ad hoc argumentum respondeo, negando antec. ad cuius probat. dico D. Ioann. Chrysostomum in hac re esse satis dubium: licèt enim in loco supra citato expressè id sensisse videatur; tamen paucis folijs interpositis in Homilia de Abraham, & Iob expressè etiam contrarium ediserit per hæc verba. *Adhuc illo loquente venit alius nuntius, & dixit ad Iob: Angelus nuntius, à nuntiando; non à natura: nam Angelus à natura angelica quomodo dicere posset. Salvatus sum ego solus, cum ab interitu alienus sit?* Ecce, vbi apponit sententiam manifestè contrariam explicans nuntium non potuisse Angelum esse: quia dixit. *Ego solus salvus factus sum.* De Origene verò non diffitemur verba præmissa, in quibus describit Rhetoricè per apostrophem, quàm potius à dœmone, quàm à natura tales strages contigerint. Verum expressè circa nuntios nobis favet Origenes in eadem ipsa pagina vbi talia verba congessit. Si-„quidem ad finem ita inquit. Alter „inquit nuntius venit ad Iob: alter „post primum, numero verò tertius: „alter in nequitia, tertius verò in „enuntiatione miseriæ. Istos namque „nequissimos nũtios miseriarum annun-„tiatores, atque malorum suggesto-„res, tanquam bonæ prædicationis „nuntios mittebat nequissimus. Quos „etiam ideo supersesse fecit, vt eius „malitia huic miseriarum denuntia-„tioni deserviret. Non enim Angeli „fuerunt, sicut quidam arbitrantur, „neque spirituales dœmones, sed ho-„mines quidam ex famulis Iob, con-„servati ab adversario, atque suc-„censi à diabolo ad dicenda omnia „ac facienda, per quæ possent Iob „subvertere ad Dei blasphemiam. Ex quibus verbis cònstat, quod Origenes de nuntijs nobiscum sentit; tametsi super immissis calamitatibus diabolum Rhetorica invectiva conveniat, & mentitas mille ipsi operationes adscribat. Vnde plus roboratur nostra sententia; siquidem quando venit ad nuntios simplici, & clara enuntiatione repellit quod Angeli fuissent. Cohæret ergo cum vetustis PP. nostra sententia.

10 Obijcies 3. Multi ex hominibus qui intervenerunt in aflictionibus Iob fuerunt homines apparentes, & veri dœmones. Ergo similiter tenendum est de nuntijs. Consequentia videtur manifesta. Tùm à paritate rationis, quæ videtur in vtrisque eadem militare; tùm ex regulis interpretandi, quia quoties vnus textus exponitur iuxta alterum sibi vicinum, & consimilem argumento, videtur esse recta expositio. Antecedens probatur. Nam illi Chaldæi, & Sabæi divisi in turmas equitum ad perdendum armenta dœmones fuerunt, humana larva contecti: ergo, &c. antecedens constat clarissimè ex verbis Origenis vbi su-„pra sic aientis. Qui equites, ò ho-

„mo?

„ mo? Nam illo tempore non erant „ equites plurimi inter homines, ſed „ quam plurimi hominum pedeſtres „ adverſus invicem bella gerebant. „ Qui ergo fuerunt equites quia tria „ cornua ſibi fecerunt hoc eſt qui tri- „ plici modo ſe armaverunt, qui tri- „ plici prælio circumdederunt came- „ los? Illi fuerunt ſpiritales equites, id „ eſt aerei ſpiritus, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antec. cum probatione ſiquidem nos opinamur veros homines Sabæos, atque Chaldæos latrocinantes irruiſſe in armenta. Quod quidem, præterquamquod in ipſo textu tam expreſsè proponitur, firmatur ex hiſtorijs prophanis: Nam Plinius *lib. 6. cap. 28.* tractans de Sabæis commercio thuris, & „ gemmarum deditis ſubdit. Mirum „ dictu! Ex innumeris populis pars „ æqua in commercijs, & latrocinijs „ degit in vniverſum gentes ditiſsimæ; „ vt apud quas opes Romanorum, & „ Parthorum ſubſidant; vendentibus, „ quæ ex mari, aut ſylvis capiunt, ni- „ hil invicem redimentibus. De Chaldæis verò Xenophon *lib. 3. Cyropediæ* tradit eos ferè de prædis factis apud regiones finitimas vitam traducere. Quod ex Sacris Litteris 4. *Reg. 24.* firmitatem accipit dum ibi dicitur: *Immiſitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ: & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon; & immiſit eos in Iudam, vt diſperderent eum iuxta verbum Domini.* Ex quibus omnibus videtur longe probabilius, veros fuiſſe homines Sabæos, & Chaldæos Iobi fortunas deprædantes; licèt Origenes aliter ſenſiſſe videatur; quin tamen propterea in concluſione noſtra nobis adverſetur, vt ſupra expendi. Quod verò ille Chaldæos, & Sabæos equites dicar fortè ex aliquo Græco codice hauſit non multum fidedigno: quippè qui in Vulgatam translatus non eſt: licèt enim textus dicat *tres turmas* proclive id eſt ad pedites quoque referri. Neque inconveniens vllum eſſet tunc temporis etiam equitando latrocinari, ſaltem quoad aliquos, & vel mulis, vel aſinis, vel equis vectos, prout nunc etiam inter nos Ægyptiorum turmas obſervamus latrocinantes. Quinimo ferè neceſſarium eſt, quoties id habetur pro officio non carere vectura, ſivè pro perſonis, ſivè pro mercibus, ſivè pro celeritate fugiendi.

11 Obijcies 4. Illæ ruinæ, quæ venerunt adverſus Iob præter naturæ vim evenerunt, ope dœmonis famulante: ergo per nuntios etiam dœmonas delatæ fuerunt ad Iob. Antec. videtur certum; tùm quia ignem de cœlo cecidiſſe, id eſt materiam deſuper vehementer accendi, & in pecora præcipitari ſine ope dœmonis patrari non poterat. Deinde ventum è deſerto ita ferè ad inſtans in gyrum per quatuor angulos concitari, vt ferè vno impulſu in omnes, domum everteret, etiam vi dœmonis indigebat. Conſequentia verò probatur ſic. Quidquid in actis ſuis à dœmone geritur, non poteſt niſi per miniſtros dœmonis revelari hominibus. Ergo ſi talia infortunia Iobi non niſi per dœmonem acta ſunt; non poterant per homines duntaxat innoteſcere. Confirmatur. Nuntius, qui ruinam domus opprimentis liberos enuntiavit, dœmon fuit: ergo, & reliqui: nam itidem venit de omnibus diſcurrendum. Antecedens probatur ex verbis Chryſoſtomi *hom. 1. de Patientia Iob* cum tali nuntio ſic colloquentis. *Vnde noviſti, dic mihi, quoniam ventus venit è deſerto, concuſſit quatuor angulos domus; ſi homo es, & intra domum fueras, quomodo quæ extra facta erant videras?* Ex quibus arguo ſic. Si nuntius erat homo, & ſervus Iob; intra domum erat, quando hæc repentè corruit, itaut neſciret; an ventus veniſſet de deſerto: ergo nuntius expreſsè id affirmans potius erat vnus de dœmonibus qui

in desertis locis habitare consuescunt. Ad hoc argumentum respondeo concess. antecedenti, negando consequent. Fatemur enim quod licentia Domini interveniente dœmon præternaturali vi sua ignis, & aeris elementa concitasset; non tamen propterea nuntij dœmones fuerunt, licèt in talibus ruinis virtus dœmoniaca interveniisset: quare licèt verum sit, quòd secreta dœmonum conciliabula rescire non possint homines, nisi per alios dœmonas internuntios; rursusque licèt nequeant homines in aliquibus operationibus nuntiare de virtute diabolica quæ facta fuerunt; possunt tamen benè nuntiare de ipsa strage, & effectu: & hoc est quod dicimus illos servos Iob nuntiavisse. Ad confirmationem respondeo negando antecedens, & ad eius probationem quoad verba Chrysostomi dico, ea non fuisse assertiva; sed merè interrogativa, & argumentativa ad persuadendum: vt patet; quia, ea parte dilemmatis absoluta, se convertit ad alteram, & ait: *Si verus spiritus es, &c.* Et prosequitur exponens quantum ibi sapientia, & pietas Iob reluceat. Quoad ratiocinium verò inde deductum, dico, longè præternaturalius forè, quod ille, qui evaderet salvus de ruina, neque antè, neque post cognovisset externam, & violentam causam ruinæ: quare cum ventus ipse, qui angulos quateret, non posset vtpotè subtilissimè se insinuans in instanti, non penetrare ad interiora domus; ibi servus, qui aderat illum sensit, novitque qua ex parte perflavit. Præterea cum ille protinus incolumis extra tecta evasisset, non poterat ventum iam detumentem in se, vel in rebus ab eo permotis non cognoviisse, & simul qua ex parte venisset. Quod si vt in secunda probatione meditabamur, res non tam in instanti agebatur; sed humanitus nuntij nuntia ferebant; liquidò constare debebit, quod ille servus antequam ad herum suum tam celer accurreret; debebat rem ferre penitus explorata, quoad effectus, causasque notissimas.

***



QUÆS-

JHS.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA,

ET IRATVS INDIGNATVSQVE EST ELIV FILIVS Barachel Buzites de cognatione Ram. *Iob 32. vers. 1.*

ARTICULUS.

VTRVM ELIV FVERIT IDEM CVM BAALAM?

1 SUppono 1. In congreſſu diſputationis Iob cum amicis ſuis aliam interveniſſe perſonam, ſcilicèt, adoleſcentem quemdam vocatum Eliu, qui dictus eſt filius Barachel Buzites de cognatione Ram. Circa quem nonnulla occurrunt digna quæſitu, vt melius libri illius ſtructura percipi queat. Atque in primis ſtatim ſe offert dubitandum: an eius verba inter certamina Iob computentur? De quo licèt aliqui ſuppreſſo nomine apud Pinedam, eum meditentur fuiſſe quaſi arbitrum concordiæ, & pacis inter Iob, & amicos; nihilominus potius videtur acceſſiſſe ad certamen, quaſi novus pugil recens, & adoleſcens, qui Iobum acrius exerceret, tùm ex ipſo Pineda, tùm ex D. Gregorio apud eum aiente: *Poſt tres alios ad contumelias etiam Eliu iunior excitatur, vt tranquilitatem tanta manſuetudinis ſaltem dedignata levitas perturbaret ætatis.* Et reipſa ab initio eius iræ, & indignationis ſatis conſtat, nimis Iobum exagitaſſe. In quibus tamen Eliu non videtur plus culpæ admiſiſſe, quam tres illi amici, quos ſupra defendimus fuiſſe probos, atque ſapientes. Primò: quia ipſe ſicut, & cæteri ex communi providentia Dei, & minus perfecta eſſecutione illius arcanæ providentiæ præſentis, ita effervuit, apud ſe quidem tam innocenter, vt ad Deum tanquam iudicem provocare non reformidet: vnde dixit Nizetas de ipſo in Protheoria, *cap.* 21. *Iobi tantum mentem non eſt aſſequutus, cùm ad Deum iudicem provocavit.* Secundò: quia illa afferveſcentia, & quaſi iræ indignatio non ibi taxanda eſt moraliter, & ad culpam; ſed phyſicè dumtaxat ad morem iuvenis in certamine excandeſcentis, & contra propoſitiones ex præoccupata animi ſententia ſibi duras licentius, valentiuſque diſputantis. Tertiò: quia adhuc minus culpabilis apparet quam reliqui amici: ſiquidem hi à Deo condemnati ſunt in diſputatione; ſecus verò ipſe prout colligit Nizetas inquiens: *Ita perſpicimus nec à Deo Eliu laudatum eſſe, quod verborum*

Iobi

Iobi ſententiam, & ſcopum ignorarit; nec condemnatum, quandoquidem is Iobum nullo impietatis crimine damnarit, nec propter ſua ſcelera Iobum vexari pronuntiarit; id quod affirmare amici minimè ſunt veriti. Et favere videtur Gregorius 3. & 4. *cap. Præfation.* Quartò: quia vt latè expendit noſter Pineda *tom.* 2. *cap.* 32. *in præfation. queſt.* totus erat Eliu in ſua diſſertatione in ſtabiliendis dogmatis ſanctiſsimis, & arcanis, *videlicet de Trinitate cap.* 32. *verſ.* 22. *De Primo homine cap.* 33. *verſ.* 4. *De Providentia omnium cap.* 34. & 33. *De Æternitate, & incomprehenſibilitate Dei cap.* 36. 37. Quintò: quia Nizetas obſervat, quod etiam adverſus amicos Iob inſurrexerit: duplici „ enim nomine ait ille Author quod „ adverſus amicos ira accenſus fuerit „ Eliu, primum quod impietatis iuſtum „ damnarunt; deinde quod cum Dei „ cauſam ſuſcepiſſent, victi eſſent ac „ ſiluiſſent nec hominis impietatem „ (intellige exiſtimatam ſibi) contra „ Deum arroganter ſe ſe efferentis „ coarguerint: in quo, & Deum cui „ patrocinabantur, propemodum pro„ videre, & Iobo ipſo ſilentio victo„ riæ inſignia conceſſere. Videtur ergo tàm ex hoc Authore, & D. Gregorio, quàm ex noſtro Pineda, & vetuſto illo Hebræo Rabbi Moyſe, Ægyptio *lib.* 3. *cap.* 24. Eliu concertator quidem fuiſſe cum Iobo; ſed ab omni labe reſpectu cæterorum magis immunis.

2 Suppono 2. Plures fuiſſe perſonas vocatas Eliu: nam Samuelis proavus 1. *Reg.* 1. dictus eſt Eliu; tùm etiam Princeps quidam è Tribu Manaſſe 2. *Paralip.* 12. 10. & nepos Obed Edom, 1. *Paralipom.* 26. & dux qui præerat Tribui Iuda, Eliu frater David 1. *Paralipom.* 17. 18. & noſter Eliu, qui hic reperitur. Non ergo fictitium hic nomen eſt, quod paſsim alibi reperitur, licet radix Hebraica vnde formetur, non ſtatim appareat: poteſt tamen non incongruenter trahi, vel ad radicem *Alal* ex duplicantibus, quæ *explorare* ſignificat, prout in ipſo *cap.* 39. Iob invenitur: ſiquidem detrita duplicatione, & appoſito affixo tertię perſonæ prout reperitur, non extra rem verti poſſet *explorator.* Deinde radix *Alah* in dialecto Syriaca planctum, & lamentationem ſignificat, quæ cum afxo tertiæ perſonæ à præſenti re non adhorrent. Dicitur verò talis Eliu *Filius Barachel Buzites de cognitione Ram.* Circa cuius ſtirpem dignoſcendam duo ſolent tractari dubiola, quorum alterum altero eſt aliquantulò obſcurius. Et quidem huiuſcemodi eſt illud de perſona Barachel, & Ram ibi aſsignatis: nam in primis Barachel nuſpiam Scripturarum invenitur præter hunc locum: quare licet tunc temporis ſatis notus haberetur; tamen pro præſenti notione perſonæ, quæ nullibi indicium parat, cordatius inquiſitio deponitur. Circa cognitionem verò Ram invenitur quidem huiuſmodi nomen 1. *Paralipom.* 29. *verſ.* 10. vbi dicitur nepos Phares, & filius Eſron, qui tamen apud Mathæum appellatur Aram. Quem tamen dicunt aliqui non potuiſſe eſſe eum, qui hic memoratur, vt ſentire videtur Pineda: quia nimirum debeat eſſe poſterior quam Eliu, vnde hic ex illo, & quaſi poſterus eius cognationis deſignari non valeat. Attamen, niſi fortè fallor, non elicitur tanta poſteritas, vt non poſsit Eliu quaſi ex cognatione huius Ram, vel Aram indigitari. Ratio eſt quia talis Ram genitus ab Eſron fit ſextus ab Abraham; quando Iob ſivè Iobab communiter ponitur ab Abraham quintus: cumque Iob tempore ſui certaminis iam eſſet ſatis provectæ ætatis, v. gr. triginta, aut quadraginta annorum, & ipſe Eliu eſſet adoleſcens; poterat fortè compenſari exceſſus duplicis generationis Ram, & Barachel ex breviori tempore generandi in poſteris Iudæ, quam Eſau, vt ambo concurrerent. Vel ſi hæc quæ ſic penſitamus, ſtare non poſsint; ſequemur dociles

Phi-

Philippum, Hieronymum, Bedam, Albertum Magnum, atque Pinedam aientes, Abraham prius apud Chaldæos nominatum fuiſſe *Ram*, ideſt excelſum: & fortaſſe probatiora ſunt, quæ ad finem quæſtionis ſubiungimus. Secundum dubiolum eſt circa illam cognominationem Eliu appoſitam, ſcilicèt, quòd eſſet Buzites. Nam in Scriptura datur perſona appellata Buz ſcilicèt 1. *Paralipom.* 5. & *Ezequiel.* 1. atque *Geneſ.* 22. vbi loquendo de Progenie Nachor dicitur: *Hus primogenitum, & Buz fratrem eius.* Ex quibus verbis multi AA. vt Titelmanus, Nizetas, & Emmanuel Sà exiſtimarunt, Eliù fuiſſe de poſteritate Nachor; licet verius appareat, quod ſupra diximus nempè, deſcendiſſe ab Abraham: quia in paraphraſi Chaldaica ſic legitur *de cognatione Abraham.* Datur inſuper vt obſervat Pineda, Vrbs, aut Provintia appellata *Buz* in regione Auſitide, vel terra *Hus*; licet iam ad Idumæam, iam ad Arabiam, iam ad Perſiam referri ſoleat: vnde magis firmor in ijs, quæ de promiſcua vſurpatione harum terrarum per me dicta ſunt loquendo de Regibus Magis. Dicitur ergo *Ierem.* 25. *verſ.* 23. & *Dedam, & Thoma, & Buz, & vniverſis, qui attonſi ſunt in comam.* Vbi de terrarum plagis eſt ſermo. Quapropter veriſimilius iudico Eliu appellari Buzitem non ab aliquo progenitore, ſed ab vrbe, aut Provincia ſic appellata: præſertim cum cum ea ad Idumæam, & Arabiam ſita eſſe videatur. Ratio eſt: tum quia generatim loquendo frequentius eſt in Scripturis ducere nomina patronimica à patria, quàm à perſona licet in Poetis prophanis à perſonis deducantur valde frequenter: tùm quia æquum eſt credere Eliu non aliter patronimice ſignificatum quam reliquos tres concertatores cum Iob, qui à patria ſua ſic cognominati cenſetur Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, & Sophar Naamathites: ergo quando Eliu dicitur Buzites de Patria debet intelligi.

3 Suppono 3. Dubium etiam eſſe poſſe: an reputari debeat ex amicis Iob? ſiquidem tres illi nominantur, qui pariter inter ſe condixere, vt illum viſitarent, atque conſolarentur: præterquos poſtremus, & quaſi ad finem concertationis acceſsit Eliu ſi ad verba attendimus; quamquàm vt ipſe indicat *cap.* 32. *verſ.* 6. 7. 11. & 16. non videatur niſi ad principium diſputationis acceſiſſe. Quare id communius eſt inter Interpretes cum D. Gregorio, vt obſervat Pineda *quæſtione.* 3. ſcilicet, amicum fuiſſe; alioqui non ita familiariter cum eo egiſſet, ſermonibuſque diſputaſſet. Verumtamen noſter Pineda, & Sanctius potius videntur ſentire hunc inter amicus Iob propriètales non eſſe connumerandum: tùm quia ipſe non ſicut alij amicitiæ, & conſolationis cauſa veniſſe traditur: tùm quia ipſe *cap.* 35. *verſ.* 4. ait ad Iob: *Reſpondebo ſermonibus tuis, & amicis tuis tecum*, vbi ille ab amicorum officio ſeiungi videtur: tùm quia Deus *cap.* 42. coarguens Eliphaz, ipſi commemorat duos eius amicos, & non plures; quinimo Deus ipſe loquens cum Iob agit de Eliu, tanquam de incognito, dicens: *Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis?* Quomodo autem ille adoleſcens ad diſputationem concurriſſet, & tam liber in ea ſit? Non planè contat. Vnde ait Olympiodorus *cap.* 42. Vi„detur Eliu non vna cum Iobi amicis „ad Deum viſendi cauſa veniſſe; ſed „fortuito adfuiſſe, & in Iobum iam la„borioſa ægritudine, ærumnaque „mulctatum, & in amicos cum eo „diſputantes incidiſſe. Vnde quidquid ſit de modo, & occaſione, qua interfuit, ſatis conſtat id non fuiſſe niſi myſteriosè à Deo diſpoſitum, vt nimirum Deus in ea concertatione ſuam omnipotentiam, & providentiam ſapientiamque manifeſtaret: ſiquidem ex vna parte dœmoni oſtendit ſuam potentiſsimam protectionem reſpectu iuſtorum, & Iob, ſpem iuſtorum altius

quam in terrenis collocandam esse; ex altera verò parte voluit per adolescentem Dei consortio illustratum sapientibus ostendere, eorum sapientiam non tam ætate, & studio, quam Dei afflatu metiendam esse. Quibus omnibus pro cognoscendo Eliu præliba-tis restat circa identitatem personæ inquirere: an fuerit idem cum Balaam, de quo *tom. 2. Decad. 3. quæst. 4.* disputavimus?

4 His positis duplex potest recenseri sententia; quarum prima asserit, Eliu fuisse eundem cum Balaam. Quam sententiam videtur amplecti D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis, quas habet in *Genes. 22.* Licet cum hic S. Doctor præsertim in his traditionibus multa aliena recenseat; non ita facile est de eius genuina mente diiudicare: præsertim cum in tali loco supra allegato asserat fuisse Eliu de posteritate Nachor, & nuper in notabilibus dixerimus ex nostro Pineda eundem Hieronymum in suis commentarijs, quibus magis est attendendum, censuisse Eliu inter posteros Abraham. Eamdem sententiam, inquit Philippus Præsbyter in Iob tàm in præfat. quàm *cap. 32.* fuisse sententiam Virorum Doctissimorum Scripturarum. Eandem sententiam sequitur Rupertus *lib. 6. in Genes. cap. 34. & lib. 2. in Apocalyp.* necnon eiusdem opinionis videtur fuisse Petrus Damiani *lib. 2. Epistolar. Epist. 2.* seu *Epist. 23.* Secunda verò sententia per oppositum asserit non potuisse esse eundem cum Eliu. Hanc tenet Cornel. *Numer. 22.* & cum Sanctio noster Pined. *cap. 32. Commentar.* in Iob *in præfat. quæstiune. 2.* Cui suffragari videntur Augustinus *lib. 2. ad Simplicianum, & lib. 4. quæst. in Numer. quæst. 48.* Theodor ibidem *quæst. 40. & sequent.* Idemque ex Origene, Ambrosio, Chrysostomo confirmat Ioannes Arboreus in sua Theosophia, & noster Ioannes Ferdinandus in Thesauro scripturarum verbo Balaam.

5 Sit nostra conclusio *Eliu non fuit idem cum Balaam.* Probatur conclusio sic: Eliu, & Balaam maximè discrepant moribus, patria, & Chronologia: ergo non possunt esse vna, eadem que persona. Probo anteced. per partes, & in primis primam Balaam fuit homo Magus, & Ariolus, & pessimis moribus ac propheta diaboli avarus, & consiliarius nequam docens edere, & fornicari: prout latè patet ex Pineda vbi supra, & Lorino *Numeror. 22.* ac nostra disputatione de hac re integra *tom. 2. Decad. 3. quæst. 4.* Sed Eliu in permultis quæ quæ protulit, dum cum Iob disputaret, præclaras dedit fidei, morumque sententias, vt supra in notabilibus indicatum est, & abunde constat in ipso libro Iob à *cap. 32.* deinceps: ergo vterque nempè Balaam, & Eliu moribus valde discrepabant. Probo iam secundam partem de Patria. Nam Balaam fuit de Mesopotamia; sed Eliu erat Idumæus: ergo Patria erant diuersi. Maior fit clara ex textu *Numer. 23.* vbi clarè, & expressè dicitur, advocatum esse Balaam filium Beor de Mesopotamia. Minor verò etiam constat: tùm quia *cap. 32.* Iob *vers. 2.* aiunt Septuaginta Interpretes Eliu fuisse de terra Ausitide, ideſt Idumæum: tùm quia sic eum faciunt indigenam Interpretes Docti. Probo tertiam partem de Chronologia. Nam si Balaam fuisset idem ac Eliu; hic vixisset vsque ad trecentos annos: sed hoc est inverisimile: ergo non fuerunt idem. Maior probatur sic. Balaam mortuus est trecentis annis post afflictiones Iob, quando cum eo disputavit Eliu: ergo si Eliu idem est cum Balaam hic vixisset ad trecentos annos. Anteced. probat. ex verbis P. Gasparis Sanchez in Iob *cap. 2.* aientis: *At hæc visio multis post annis oblata est Moysi, trecentis fermè annis postquam his Iobus perfunctus est malis.* Ex quo sic. Balaam interfectus est in illa internectione Madianitarum *Numeror. 31. 8.* & Ios. 13. 22.

quæ

quæ contigit ſub mortem Moyſis, ex Pineda *cap.* 32. *quæſtiunc.* 2. Titelman. *in præfatione* Iob, & Lorino *Numer.* 22. Sed talis viſio contingens poſt trecentos annos à preſſuris Iob accidit vivente Moyſe: ergo Balaam interfectus ſub mortem Moyſis, ſi eſſet idem ac Eliu, qui diſputavit cum Iob in preſſuris ſuis; habuiſſet pluſquam trecentos annos. *Confirmatur*, & explicatur aſſumptum ex illis quæ diximus in quæſtione: an Iob fuiſſet Rex? Nam Iob poſt afflictionem ſuam vixit 140. annos, & quovſque Moyſes octuagenarius erat, procurrerunt facile ſexaginta, & vſque ad eius mortem alij quadraginta; qui omnes faciunt omninò 240. à preſſuris Iob numerandos: ſed oportet dare tunc Eliu cum Iob diſputante ita ſublimiter ſaltem 25. aut 30. annos, vt eſſet iunior reſpectu aliorum amicorum: ergo tandem conficietur Eliu habuiſſe circum circa 300. annos ſi fuiſſet Balaam, interfectus in cæde Madianitarum. Recole ibi dicta in obiectione 3. prædictæ quæſtion.

6 Obijcies 1. Ex magis authentica interpretatione Scripturarum conſtat Eliu fuiſſe eundem cum Balaam, ſed in interpretandis SS. Scripturis potius ſtandum eſt authoritati magis ſolemni, quam quibuſvis ratiocinijs: ergo idem eſt Eliu cum Balaam. Prob. maior. Inter interpretationes Scripturarum nequit non eſſe magis ſolemnis, & authentica illa, quam non ſolum adfert D. Hieronymus; ſed eam dicit eſſe elicitam ex doctiſsimis Scripturarum. Atqui ita ſe habet in præſenti interpretatio tenens, Eliu fuiſſe eundem cum Balaam: ergo, &c. Maior conſtat quia D. Hieronymus receptus eſt ab Eccleſia tanquam Doctor Maximus Scripturarum; illi autem, qui in re aliqua Maximus habetur ab Eccleſia, nullus alius præferendus eſt. Prob. minor. Nam ille S. Doct. in ſuis Commentarijs ad hunc locum ait: *Hunc Eliu Doctiſsimi Scripturarum dicunt eſſe ipſum Balaam Ariolum, quem in Numerorum lib. Balac Rex Moabitarum ad Iſraelem maledicendum conduxerat.* Confirmatur. Quia *tom.* 3. in tradit. Hebraicis *Numer.* 22. inquit Balaam prius fuiſſe virum Sanctum, & Prophetam Dei; poſtea verò propter inobedientiam, & munerum cupiditatem prærreptum ad maledicendum Iſraeli, divinum, ſeu Ariolum appellatum fuiſſe: ergo benè cohæret quod Eliu quando diſputavit cum Iob rectis moribus eſſet, & nihilominus poſtmodum declinaſſet. Ad hoc argumentum reſpondeo negando maiorem ad cuius probationem conceſ. mai. neg. min. & huius probat. diſting. ant. ſic: ait illa verba D. Hieronymus ex propria ſententia, neg. antec. ex aliena, conc. antec. & neg. conſeq. Nam D. Hieronymus, vt docti ſatis norunt, copioſus eſt in aliorum placitis recenſendis, quod magis appoſitum eſſe ſolet in tramite Commentarij, vbi rem aperiunt quæcumque ad eam elucidandam vndique congeruntur. Ea autem verba ibi dici à Hieronymo ex aliena ſententia patet ex illis *doctiſsimi Scripturarum dicunt*: licèt enim appellando *doctiſsimos* quaſi videretur intelligi, ſe ab illis non diſſentire; tamen id ſolum evincit, eo loci ex alijs non advocaſſe leviora, ſed, & graviora hominum placita; interea tamen dum ipſe ſuum calculum non adiungit; tota ea dictio verborum ex aliena ſententia cenſebitur: præſertim ſi illi doctiſsimi Scripturarum ſint de Rabbinis; quibus ſtatim ſuffragari non eſt pronum ac pervium. Vnde ait noſter „ Gaſpar Sanchez in Iob *cap.* 32. Hanc „ ſententiam non tàm Hieronymi „ quam Hebræorum, quorum ille non „ tàm ſequitur, quàm explicat men„ tem, amplectuntur alij, quorum „ opinionem confutant Salmeron *pro„ leg.* 10. *quinquagena* 2. & Pineda hic: Ex quibus potius ad confirmationem, quæ traditionibus Hebræorum inſiſtit patebit reſponſio: maximè cum Auguſ-

guſtinus, & Theodoretus apud, & cum Pineda, *quæſtiunc.* 2. potius è contrà initio Magum, & Ariolum poſtea verò à Deo illuſtratum eſſe ſenſerint. Sed quoquomodo hæc ſint; pro identitate Balaam, & Eliu nihil conficiunt.

7 Obijcies 2. ex Andrea Maſsio *in Ioſue* 13. in hunc modum. Balaam fuit Madianita; ſed hoc ipſo ex parte patriæ nihil obſtat, quominus fuerit idem cum Eliu: ergo re ipſa idem fuit. Probo min. poſtea probaturus maiorem. Si Madianita fuit; ſimul de terra Hus eſſe potuit, quia terra Madian ad Moabitas, & Idumæos ſpectat, vbi terra Hus ſita fuiſſe vniverſim creditur. Probatur maior. Tùm quia, *Numeror.* 22. 5. dicitur. *Miſit ad Balaam filium Beor Ariolum, qui habitabat ſuper flumen terrę filiorum Amon.* Sed terra Madian ad partes Amonitarum ſita eſt: eago ſi pro terra Madianitide fundamentum eſt in Balaam; hæc patria ei potius eſt adſcribenda. Sed verè eſt tale fundamentum: ergo, &c. Min. patet quia, *Numeror.* 31. *verſ.* 8. Balaam cum Madianitis interfectus eſt à filijs Iſrael, tanquam indigena, & vnus ex illis quorum vltionem iuſſerat Dominus: ergo, &c. Tùm quia licèt ex *Deuteronom.* 23. dicatur: *Conduxerunt contra te Balaam filium Beor da Meſopotamia Syriæ, vt malediceret tibi,* tamen hæc Meſopotamia ad terram Madianitidem, & Huſitanam ſe extendit: ergo ex fundamento ſupra tacto Madianita cenſendus eſt. Probo antecedens. Ex verbis Pinedæ *quæſtiuncula* 2. *in cap.* 32. *Iob*, ibi: Nam „ Meſopotamia, ſi largiuſculè accipiatur pro vniverſa regione, quæ inter duos illos magnos fluvios Tigrim, & Euphratem interiacet; non dubium quin Babylonem vſque pertingat. Euphrates enim ab Armenia vbi erumpit, Capadociam petit, Meſopotamiam præterlabitur, Babyloniam ſecat, tandemque in „ mare Rubrum influit. Sicut autem „ Meſopotamia eſt iuxta Chaldæam, & „ iuxta terram Ammonitarum, ita „ etiam eſt iuxta Arabiam, & Huſi„ tanam regionem: nam omnes iſtæ „ provintiæ ſunt Syriæ, ſive Aram: ergo, &c. Ad hoc Argumentum reſpondeo negando mai. cum communiori ſententia, ſcilicèt cum Lorino, *Numer.* 22. Serario, & Magalliano *in Ioſue* 13. & Ioanne Fernad. in Theſauro, verbo *Balaam.* Vnde ad primam probationem (præterquamquod illud Ammon verti ſolet *populi ſui.*) Reſpondeo. Quod illa habitatio Balaam ſuper flumen terræ filiorum Ammon ita largiſsimè ſignificat fuiſſe Ammonitam, vt non excludatur fuiſſe de Meſopotamia: quandoquidem tale flumen videtur aliud eſſe non poſſe, quam flumen illud magnum Euphrates, ſive etiam fluvius Iordanis, ſuper quos dici poteſt habitaſſe ille, qui Meſopotamius erat, non ſolum ex verbis expreſsis, *Deuteron.* 23. ſupra relatis, ſed ex ijs, quæ ex Lorino noſtro hic non ſunt importuna. Euphrates (inquit ſuper verba obiecta) Meſopotamiæ flumen eſt, diciturque per antonomaſiam abſolute flumem, ob magnitudinem, & quia notiſsimum Hebręis, ijſque pro terræ promiſſæ termino datum. *Ioſue* 1. Quamvis interdum etiam eo nomine intelligatur Iordanis: quod ex circumſtantia loci dijudicandum erit. Itaque Meſopotamius videtur Balaam fuiſſe, ac ipſemet id inſinuare. *Numer.* 23. *verſ.* 7. *verſ.* dicens; ſe de Aram vocatum eſſe: Meſopotamia namque vocatur Hebraice, *Aram Naharim*, ideſt, Aram, ſive *Syria fluviorum*, vtpotè inter duos fluvius Ephratem Tigrimque inter iacens, & ijſdem cincta. Sed cum ex Moab quo vocaverat illum Balac, ad ſuos redire cogitaret; divertit in Madian invitatum forſitam à Madianitis, vt prius à Balac, vbi cum alijs Madianitis cæſus eſt ab Hebræis, cum his rurſum ſeſe oppoſuiſſet. Com-

mu-

munior eſt hæc opinio, quam quod fuerit Madianita, &c. Hactenus Lorinus. Ex quo ſatis eſt pro prima probatione, ad quam dicitur nullum eſſe fundamentum ad adſcribendum Balaam pro Patria terram Madian ex eo præcisè, quod ibi fuerit interfectus. Pro ſecunda verò eadem verba obiecta ſunt ſibi ſolutio: ſiquidem ipſamet latitudo Meſopotamię nihil definit: verum, dum nihil invenitur, quod efficacius probet fuiſſe Madianitam; Meſopotamius potius ſtrictè talis habendus eſt: tùm, quia ita appellatur, *Deuter.* 23. tùm, quia eum fuiſſe occiſum cum Madianitis nihil probat, vt benè ſuprà Lorin. tùm denique quia tres Reges Magi, ait Pineda, qui Chriſtum adoraturi venerunt, ſucceſſores fuerunt Balaam, vt Hieron. Ambroſ. Chryſoſt. & plerique Patrum tradiderunt; nos autem in ſpeciali quæſtione de ipſis in hoc eodem tomo defendimus tales Reges Magos veniſſe de Meſopotamia, & Chaldæa. Cumque Eliu, vt ſuprà diximus cum Septuaginta Interqretibus verè Idumęus, Huſitanuſque extitiſſet; ſatis clarè relinquitur ipſum, & Balaam patria fuiſſe diverſos.

8 Obijcies 3. Tempora Balaam, & Eliu ſatis concurrunt, vt poſsint eſſe vna eademque perſona: ergo ex parte Chronologię nulla remanet difficultas. Probatur antecedens. Balaam interfectus eſt in cæde Madianitarum circumcirca annum mundi 2523. quando mortuus eſt Moyſes. Sed Eliu vſque ad tale tempus poterat ſine difficultate fuiſſe ſuperſtes: ergo ſatis tempora concurrebant. Probatur minor. Ex valde communi ſententia Iob fuit contemporaneus cum Moyſe; & Eliu, cum eſſet adoleſcens, cum Iob diſputabat. Sed hoc ipſo poterat ſine difficultate vivere idem ipſum tempus quod Moyſes vixit, & vſque ad mortem eius: ergo potuit ſine difficultate vſque ad mortem Moyſis eſſe ſuperſtes. *Confirmatur.* Per nos Iob quintus fuit ab Abraham. Sed hoc ipſo Eliu potuit vivere, vſque ad mortem Moyſis. Ergo, & eſſe idem cum Balaam. Probatur min. Ioſeph qui fuit tertius ab Abraham per Iacob, natus eſt anno 2229. & vixit annos 110. quos annos puſſumus dare duplici vlteriori generationi, vſque ad quintum ab Abraham per Iacob, qui reſpondeat Iob quinto ab Abraham per Eſau: adijciendo inſuper alios 40. annos, quos vixiſſet Iob vſque ad plagas, quando cum eo diſputabat Eliu adoleſcens, & ſextus ab Abraham per Iacob: quare addendo 150. annos relatos ad nativitatem Ioſeph fiet annus 2379. ex quo anno vſque ad 2523. in quo mortuus eſt Moyſes currunt 144. anni. Sed hos annos benè potuit ſupervivere Eliu ſuper ætatem illam adoleſcentulam in qua diſputavit cum Iob: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpondeo negando antecedens, ad cuius probation. diſting. mai. Iob fuit contemporaneus cum Moyſe, ſcilicèt Iob valde ſenex, & penè iam moriturus, cum Moyſe adoleſcente, concedo antecedens, quaſi eiuſdem ætatis, neg. anteced. & conſeq. Itaque cum vita Iob fuerit ita longæva, vt vixerit ad centum, & octoginta annos (& quidem poſtquam diſputavit cum Eliu centum, & quadraginta) conficitur, quòd, ſi huic ſuperaddamus alios 100. de vita Moyſis; victurus fuiſſet Eliu ad 270. annos quod tunc non eſt veriſimile. Ad confirmationem etiam cito evertitur tota Chronologica illa ſubſtructio: nam vt explicui *in quæſt. de Regno Iob*, ex Chronologia Gordonij multo ſerius venit in mundum ille, qui fuiſſet tertius ab Abraham per Eſau: ſi quidem de Rachele infœcunda Iacob non genuit Ioſeph, vſque ad annum ſuæ ætatis 91. ſcilicèt anno 2229. cumque ex prudenti calculo à nobis ibidem facto Iob, qui eſſet quintus ab Abraham per Eſau poſſet facilè exiſtere anno 2250. & affligi anno 2280. plus

minuſve quando iam exiſtebat Eliu cum eo diſputans; relinquitur, quòd vſque ad annum 2523. deberent currere pœnè 250. anni qui ſupra ætatem adoleſcentem Eliu facerent illum numerum à nobis ponderatum ſcilicèt 270. annorum vitę Eliu. Vnde hic numerus videtur reſultare vndequaque; proindeque malè componi quod Eliu, & Balaam ſint vnus, & idem, attenta Chronologia.

9 Ad calcem huius quæſtionis obſervabis primò. Quod cum propterea duci ſoleat progenies Eliu de Nachor: quia cum Balaam idem eſſe cenſeatur; non eſt ipſe Nachor eius progenitor: tùm quia ſatis probavimus Balaam non eſſe eundem cum Eliu. Tùm quia loquendo in notabilibus de cognatione Ram, vnde Eliu eſſe deſcribitur, diximus eſſe fundatius quod de Abraham duxiſſet originem. Obſervabis ſecundò. Quod quamvis hæc proximè dicta vltro complectimur propter ſe, & propter AA. ita cenſentes; nihilominus non videtur mihi eſſe interpretatio importuna, ſed veriſimilis dicere, quod quando Scriptor Canonicus retulit de Eliu eſſe filium Barachel de cognatione Ram non ibi voluit fortè intelligere perſonam quamdamvocatam Ram; ſed illud nomẽ nihil aliud ibi ſignificare niſi talem Barachel fuiſſe de cognatione, & proſapia *excelſa*, & prænobili. Ratio huius interpretationis eſt primò. Quia illa vox *Ram* ex Lexico hebraico in radice *Rum* eſt vox adiectiva, ſignificans *quid excelſum*, quod poteſt concordare cognationi. Secundò. Quia in hiſtoricis frequens eſt dum perſona eſt de ſtirpe prænobili dicere, *filius fuit*, *v.g. Fabij de alta proſapia*, nempe Romanorum. Vnde ſimiliter hic. Tertiò. Quia ante talia tempora nullus Ram invenitur cognatione inſignis, vt ea ibi exprimeretur. Quartò. Quia dicere ibi de Eliu ita in genere, fuiſſe de nobili, & excelſa proſapia erat valde appoſitum, & longe clarius, vt innoteſceret, tùm quod Eliu vera erat perſona hiſtoriæ, & non merè ad colloquium conficta; tùm quòd æqualis erat ſtirpe cum Iob, & amicis eius, vt poſſet ita familiariter diſputare cum Regibus. Quinto. Quia malè omnino conſuitur quod Ram ibi fuerit vera perſona: & licèt paraphraſis Chaldaica clarè ponat *de cognatione Abraham*; id non talem fidem facit, vt cogat: ſiquidem probe noſcimus quantæ fidei ſit hæc paraphraſis, etiam in Pentateucho vbi eſt purgatior aliquantulùm: vnde potuerunt tales paraphaſtes meliora non invenientes tale nomen inducere, ducti ex nominis terminatione ſimiliter cadente, ſuſpicione de prioribus elementis attritis, & ex excelſa eius cognatione notiſsima. Nam coniectatio illa de eo quod Abraham prius inter Chaldæos appellatus fuit *Ram* videtur mihi ſatis infirma, & nullo fulcro ſubnixa. Quæ omnia Doctoribus taxanda relinquo. Sicut, & quod non eſt idem dicere aliquem eſſe de cognatione, ac de filiatione: vnde, & potuiſſet contingere, Ram alioqui tunc celebrem, & tunc temporis in pretio habitum, fuiſſe cognatum collateralem Eliu adoleſcentis. Quo quidem modo etiam nunc poſſemus de aliquo conſobrimo viri famoſi, v. g. D. Valenzuela dicere *filius erat Antonij de ſtirpe, & cognatione Valenzuela*: licèt ambo coævi fuiſſent.

QUÆS-

JHS.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

QVATVOR FACIES VNI, ET QVATVOR PENNÆ VNI. *Ezechiel* 1.

ARTICULUS.

VTRVM IN CVRRV EZECHIELIS VNVMQVODQVE ANIMAL reipſa quatuor facies haberet?

1 SUppono 1. Circa perſonam, & ſcripta Ezequielis nonnihil legi ſolere apud AA. quod tamen communiter reiectum eſt. In primis enim Thalmudiſtæ more ſuo adfabulantes, eum dicunt de quodam Ieremia progenitum appellato tamen *Buzi*, quaſi ex contemptu. Aliter alij delirarunt eum cum Pythagora confundentes; cum tamen, vt obſervavit Clemens Alexandrinus *lib. Stromat.* alij Propheta Ezechiele poſteriores, longè antiquiores fuerint Pythagora. Quoad ſcripta verò aliqui AA. vt Ioſephus *lib.* 10. *Antiquit. cap.* 6. Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca, verbo *Ezechiel.* Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromat.* videntur ipſi adſcribere alia ſcripta præter prophetiam Sacro Canone inſertam. Verũtamen non videtur id reputare Sanctius noſter, neque reapſe firmum vllum veſtigium rei huiuſmodi deprehenſum eſt. Suam edidit prophetiam ſatis obſcuram ac ænigmaticam dum Babylone exiſteret eodem penè tempore ac Ieremias Ieroſolymis prophetabat: dubium tamen adhuc eſt: an ipſe quoque Ieroſolymis prophetaverit, eo nimirum delatus per Angelicum miniſterium? Circa verba autem illa ſuæ prophetiæ, quæ ſignant tempus dicendo. *Et factum eſt in triceſimo anno. &c.* Denſa nimis de tenore huius ſupputationis faciendæ quæſtio conſurgit. Alij enim vt Hebræi à Iubilæi anno, alij vt Chaldæus Paraphraſtes cum Hieronymo, Theodoreto, Pinto, & alijs computant à tempore librĩ Legis per Ioſiam inventi. Quæ tamen Epocha vſurpata non invenitur. Alij vt Scaliger computat ab Imperio Chaldæorum ſive æra Nabonaſſaris, quod ſequitur Hieronymus de Prado, & Sanchez omnino non improbat: & nos alicubi quoad preſſuras de annis Regum non reſpuimus ab Imperio Nabuchi Epocham ſumere, & ſupputationem ordiri. Alij vt Theodoretus, & Maldonatus triceſimum annum à captivitate inde ſupputant; quod videlicèt quarto capite ſint verba, quæ vi-

videantur innuere quadraginta dumtaxat annos captivitatis ſupereſſe. Alij demum cum Origene, vt Hieronymus in præfatione Gregorius, Comeſtor, Hugo, Lyra, Dionyſius, & Sanchez ſentiunt eſſe triceſimum annum ætatis Prophetæ. Nam licèt hæc eſſet ignota, vel non res ſolemnis ad Epocham; tamen aſſumpta Epocha de tranſmigratione, & Regno Ioachimi (hic enim ex Sanctio, adhuc captivus, rex erat, vt nos alibi dicimus) placuit Prophetæ ętatis ſuæ proportionem attingere, ætatem nimirum Sacerdotalem, & prophetandi muneri idoneam. Hic ergo Propheta, tùm in fine de templo, de quo etiam agimus, tùm in principio de curru ſuo, quem verſamus, obſcuriora repoſuit.

2 Suppono 2. Quod poſtquam Iechonias tranſmigratione ſua ductus eſt in Babylonem, remanſit tamen Ieroſolymis præpoſitus Rex Sedecias, contra quem, & eius ditionem Ieroſolymitanam videtur militare viſio hæc prima Ezechielis, in qua depingitur divina maieſtas, quæ minaci vultu, inſolitoque fragore rotarum, ac monſtris Cherubicis vecta, ſpiranſque ignem, & fulgura, portendebat Hebræis vaſtationem illam qua poſt vndecim annos à regno Sedeciæ, templum, & Civitas conflagrarunt. Cumque inter ea omnia, quæ in terrifico illo curru deſcribuntur, vnum ex magis ſpecioſis quæſitis ſit de animalibus quatuor illis quadruplici figura, & ſpecie diſtinctis; de ipſis inquirimus: num reipſa vnumquodquè eorum quadruplici facie gauderet, videlicèt hominis, leonis, bovis, & aquilæ: an vna duntaxat aliorum animalium ornatu ſeu charactere circumveſtita? Suppono 3. Non eſſe aliquid minus decens ad Hiſtoriam Sacram, quod inibi referantur quodam primo aſpectu monſtroſa, & quæ videantur cum Poeticis figmentis fuiſſe communia. Nam Sacra Scriptura tota plena eſt Hierogliphicis, quæ ſæpè efformantur dum in vna, eademque re pugnantia affiguntur; vt inde quaſi per ſenſatas ſpecies multa, quæ ſunt veritatis arcaniſsimæ hominibus patefiant. Tota enim Apocalypſis plena eſt ſimilibus portentis, atque figuris, ita vt tam ibi, quàm alibi nedum de rebus quaſi repreſentativè minus aptè permixtis eliciatur veritas; ſed etiam de caſibus, hiſtorijſquè minus congruis multa ſalutaria eruantur. Ita de Oſea, Loth, & Thamar, Hieronymus *Epiſtol. 131. ad Ruſinum* ſe alibi, retractans. Auguſtinus *lib. 2. contra Fauſtum.* Et Gregorius *lib. 3. Moralium, cap. 22. de Berſabe cum Davide.*

3 His poſitis varia poteſt recenſeri ſententia. Quarum prima aſſerit vnunquodque animal fuiſſe veluti qua dripartitum, ita vt vnicuique parti quatuor facies correſponderent: quare ſingulis correſpondebant vultus ſexdecim, & quatuor animalibus facies 64. Hanc ſententiam tenet Chaldæus Paraphraſtes, licèt videatur paucos ſibi aſſeclas comparaſſe. Secunda ſententia per oppoſitum tendit, & ita vult facierum numerum imminuere, vt vnicuique animali vnam quidem faciem adſcribat, & quidem humanam; reliquas vero facies, quæ videntur commemorari, præcisè eſſe quaſdam partes, ſive ornatus Characteriſticos cæterorum quibus humana ſpecies contegetur. Hanc tenet Hieronymus de Prado ſuper Ezequielem, necnon Benedict. Perer. *in Apocalyſi cap. 4. diſp. 18.* Tertia ſetentia ponit vnunquodque animal in vno corpore humano, videlicèt, geſtare quatuor capita cæterotum, ita vt vnunquodque caput ad ſingulas mundi partes recta proſpiceret. Ita Nicolaus de Lyra, & Theodoretus, apud Sanchez, *Ezechiel. 1. num. 28.* Quarta ſententia multum coincidit cum ſecunda putat enim vnunquodque animal viventem hominem eſſe, larvatum tamen, galeatumque ſimulatis ſpeciebus cæterorum animalium ad modum, quo militum caſ-

caſsides ornari ſolent terrificis figuris inibi delineatis. Hanc tenet Ludovic. Alcazar in Apocalipſi *cap.* 4. *verſ.* 7. & 8. *notat.* 12. Quinta ſententia, quæ eſt valde communis, ait vnumquodque animal ex quatuor ibi relatis, quatuor facies eorum habere, ita vt corpus humanum foret, quaſi truncus vnde capita pullularent, humanum in medio, leoninum à dextris, bovinum à ſiniſtris, & aquilinum deſuper, ita tamen vt omnes quatuor facies antrorſus procederent, & proſpicerent. Hanc ſententiam tenet P. Gaſpar Sanch. *Ezechielis* 1. *num.* 36. & P. Cornel. ibidem *verſ.* 6. dicens eam eſſe communem.

4 Sit noſtra concluſio: *Vnumquodque animal habuiſſe quatuor facies ſitu nuper commemorato in relatione quintæ ſententiæ.* Et ante huius concluſionis probationem præmitto verba textus, quæ ſic ſe habent. Et in medio eius ſimilitudo quatuor animalium, & hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis. Quatuor facies vni, & quator pennæ vni.... ſimilitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor; facies autem bovis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor. Ex quibus verbis ſic probatur concluſio. Vnumquodque animal habebat verè quatuor facies eorum animalium, quæ ibi dicuntur, & non plures. Sed deinde non poterat eas habere niſi ſub eo ſitu, ſub quo humanum eſſet in medio, Leoninum à dextris, bovinum à ſiniſtris, & aquilinum deſuper: ergo ita ſunt animalia ſingula intelligenda. Probo prius maiorem; poſtea probaturus min. & probo primò quoad primam partem: tùm quia iuxta regulas interpretandi in Sacra Pagina vox aliqua appoſita propriè debet intelligi, dum in contrarium non ſit manifeſtum inconveniens; ſed in textu ſuperiori vnicuique animali adſcribitur facies, & de huius vocis proprio ſignificato nullum manifeſtum inconveniens reſultat, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum: ergo, &c. Tùm quia iuxta D. Auguſtinum vnius textus expoſitio per alterum optima expoſitio eſt, ſed hic textus noſter invenitur alibi Scripturarum artactus, & tàm in verſione Latina, quàm in Hebræo, Chaldæo, & Græco invenitur vultus, ſeu facies adſcripta vnicuique animali: ergo verè ita fuiſſe tenendum eſt. Min. patet tàm ex *cap.* 10. eiuſdem Ezechielis, vbi hæc renovantur; quàm Apocalypſis 4. *verſ.* 7. Tùm quia ſupponendo ea omnia, quæ ibi apparuerunt fuiſſe quidem in viſu propheticò, & linea intentionali; non tamen in re phyſica, & corporea; id retulit vidiſſe Propheta, in quo verè ineſſet ratio ſpecifica cuiuslibet rei viſæ cum debita proportione ad eam quidditativè explicandam. Sed ſpecifica ratio figuralis, & expreſsio vniuſcuiuſque animalis ſolum poterat per facies explicari: ergo, &c. Mai. patet: quia propterea Propheta dum loquitur de Iride, electro, atque firmamento non ſe explicat per facies; ſed per repræſentationem, aut ſimilitudinem rei inanimatæ, quam loquitur; quia ſpecifica ratio eorum non potius reſidet in vna parte ſui, quàm in altera; vti accidit in animalibus quæ maximè per facies, & capita diſtinguntur. Min patet quia eatenus cætera animalia innoteſcerent, quia per alas aquila per vngulas bos daretur intelligi. Sed hoc eſt falſum: ergo, &c. Min. patet tùm quia vnicuique apponit Propheta facies, & pennas ergo non ſumit facies pro alis: tùm à priori: quia licèt nos intelligamus per iubas leonem, per alas aquilinas aquilam, per vngulas bovis bovem; quis ea ſolitariè reperta intuitus, poſsit venire in cognitionem talium animalium ſiquidem illa cæſaries, illæ plumæ, & illa vngula fiſa poſſent pluribus alijs adaptari.

5 Probo iam ſecundam partem mai. quod ſcilicèt non ſint plures facies multiplicandæ. Tùm quia expresè dicitur *quator facies uni*, id eſt cuique animali: nam poſt numerum quatuor animalium poſtea ſubditur *quatuor facies uni*: & reliquæ explicationes ſubſequutæ ſunt accommodatio expoſitiva huius numeri non multiplicativa. Tùm quia ſi vnumquodque haberet ſexdecim facies id foret verſus quatuor partes mundi; nec explicari poſſet cum claritate ly *à dextris*, *& à ſiniſtris*: neque quod coram facie ſua ambularet. Ex his iam probo primam minorem, quod ſcilicèt nullo alio ſitu poſsint admitti illæ quatuor facies in vnoquoque animali. Nam collocatis prout nos defendimus, vtrumque cohæret, nimirum, quod facies hominis eſſet in medio, leonis à dextris, bovis à ſiniſtris, & aquilæ deſuper: itemque quod vnumquodque animal coram facie ſua ambularet: nam omnes illas facies antrorſum proſpicientes habebat: ergo de primo ad vltimum non pluſquam quatuor facies cuilibet; neque aliter diſpoſitæ facies concedendæ ſunt.

6 Obijcies 1. Ea collocatio capitum, & facierum coincidit cum re fabuloſa, & monſtroſa. Sed quæ eiuſmodi ſunt debent relegari à Sacra pagina: ergo non benè explicantur dicta animalia in hoc puncto. Mai. probatur: quia ſic pingi ſolent inter fabulas Proſerpina, & Cerverus, necnon Geriones in vno corpore triplici fingi ſolent. Probatur min. Eatenus tale quid non poſſet admitti in Sacra pagina, quatenus eiuſmodi viſiones eſſent Hieroglificæ, ſed ſtat optime fuiſſe Hieroglificas; quin Propheta vidiſſet aliquid ita monſtroſum, ſed res potius cohærentes tum ſibi, tùm mori Scripturarum: ergo talis monſtruoſitas relegandaeſt. Probatur min. Quia homo iubatus, vt leo, alatus vt aquila, & fiſis pedibus inſtar bovis eſſet quidem res ſatis expreſsiva horum quator animalium in vno. Sed nihil hominus ita res ſibi magis cohæret, & modo ſe explicandi Scripturæ: ergo, &c. Min. patet quoad coherentiam integralem illius: & quoad modum loquendi Scripturæ conſtat, quia facies ſumi ſolet in Scriptura pro forma, habitudine, ſimilitudine, &c. vt quando dicitur *facies Cœli*; *faciem abyſsi*, *faciem euntis*, & Hiſpanicè etiam verti ſolet *traza* ideſt modus, ſivè habitudo. Ad hoc argument. reſpondeo iuxta doctrinas præiactas in notabilibus, eas pluſculum explicando; ad quod, diſting. mai. quoad meram repræſentationem, & ſignificationem, conced. mai. quoad interventionem erroris, fabulæ, aut monſtri verè talis, neg. mai. & reſpectivè diſtincta min. nego conſequent. Itaque non diffiteor in fabulis multas eſſe huiuſcemodi animalium mixtas figuras, veluti hypocentauros, Sirenas, aliaque id genus in quibus, ſecluſo errore, qui in ipſis frequenter bibitur ab indoctis, repoſita eſt ſæpè doctrina moralis non contemnenda, quam ſolent tractare Mythologici: ab eis tamen altius diſcrepat Sacra pagina quatenus in illis primis humana, & fallax ſervatur doctrina; in ſacris verò Hieroglificis Prophetarum exponebatur alta, & divina. Et licèt in ordine ad Hieroglifica benè ea eſſe poſsint, quæ ex partibus, aut corporibus non ita ſibi pugnantibus coaleſcunt; fortaſsis vivaciora ſunt, & fortiori emphaſi plena illa, quæ nectunt magis ſibi pugnantia: ad modum quo præſcribi ſolet circa imagines memoriæ localis, vt nimirum adhibeantur illę figurę, quę vel truculentiores, vel monſtroſiores apparebunt: quippè ſic maiorem habent vim excitandi: ita ergo ſimiliter maior ineſt vis ſignificativa figuris ad ſenſum plus raris, & portentoſis: vti, & Petro in linteo ſerpentum, & quadrupedum viva ſignificatione loquutus eſt Dominus. Hinc ergo monſtroſitas nobis obiecta præſertim in profunda pro-

phe-

phetia Ezechielis exigui eſt momenti, maximè cum in Sacra Pagina ſit ſatis frequens, vt in notabilibus tetigi. Ad id autem quod obijcitur de more Scripturarum dico, fortiorem ſemper debere eſſe in ipſis præſentem textum expreſſum, quoties ſanè ſuſtineri poteſt, quàm preſsiores, laxioreſve modos efferendi eandem vocem, quæ iuxta naturam contextus, alicubi fortius, alicubi laxius, alicubi propriè alicubi, per metaphoram, eſt accipienda.

7 Obicies 2. Cherubini, qui inveniuntur in Scriptura difficiles explicatu, per alios alibi poſitos explicari debebunt. Sed alij, tùm, quos pingit Moyſes in tabernaculo *Exod.* 25. 22. & quales fecit Salomon 2. *Paralipom.* 3. vno vultu gaudebant ergo ſimiliter. Min. patet quia vt conſtat in illis locis in primo alter alterum adſpiciebat, & in ſecundo ambo ad exteriorem domum proſpectabant. *Confirmatur*: Quia ſententia de vnica facie hominis cum aliorum animalium inſignibus adornata dicitur à noſtro Cornelio *ingenioſa, concinna*, & *plauſibilis*. Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinguendo mai. explicatione alligata contextui, conced. maior. explicatione extra contextum, neg. maior. & permiſſa minor. neg. conſeq. Itaque licèt dici poſſet cum Cornelio, etiam Cherubinos Moſaicos quatuor vultibus conſtitiſſe, eſtò ſola facie humana ſe mutuo reſpicerent, eo quod ibi neque dexter aut ſiniſter ſitus, greſſuſque coram facie deſcribatur; nihilominus facilius iudico, & verius, eos vna tantum facie ibi eſſe diſpoſitos, prout diverſa ſignificatio poſtulabat; præſertim cum non in ſolo viſu myſterioſo res ageretur; ſed mole corporea, in qua non ita deceret, beſtiale quidpiam, tùm in Arca, tùm in Templo efformari, & rudi populo ad viſum obtrudi; cùm tamen reſpectu intelligentiæ propheticæ, & in viſu myſtico nihil aliud ex ea vnione monſtroſa conficiatur, niſi ſignificatio valentior. Ad hæc placet adijcere ex Doctoribus myſticis, & ſphæra anagogica quod interdum vſuventi ſcilicèt, vt res ipſa in ſummo mentis apice intellecta ſit apprimè cohærens, & mirifica gaudens proportione; quæ tamen eadem dum per verba humana patefieri intenditur, vix per diſtantiſsima quæque hinc inde advocata, & quaſi coniuncta poteſt aperiri; id enim, vt arcanius perceptum eſt. Atque hinc ad confirmationem reſponſio manat: ſiquidem attendenda eſt concinnitas rei explicatæ, ſi veritas quæritur, potius quam concinnitas explicationis: hæc enim poteſt ingenioſe, & plauſibiliter compingi in hoc negotio ad metas humanas; cæterum ſi rei concinnitas invenienda eſt; oportet has metas tranſilire, & in illa concinnitate, quam res myſterioſa ſolet habere per actus anagogicos intellecta, ipſam meditari. Vnde facile corruunt etiam ea, quæ de terrificis cœlaturis animalium dixit Alcazar, qui pro arbitratu ad id ponit Cherubinos armatos quos non ita textus depingit; licèt irent quaſi minitantes excidium.

8 Obijcis 3. Singula illa animalia ponenda ſunt cum ea ſolum facie, quæ eſt hominis: ergo non cum quadruplici. Probatur anteced. Illa quatuor animalia videntur eſſe penè eadem cum ijs, quæ ſunt *Apocalip.* 4. Sed hæc licèt aliter indicata; quoad ſimilitudinem tamen ſolum habebant faciem hominis: ergo, &c. Probatur min. Tum quia de alijs tribus dicitur *ſimile leoni*, *ſimile vitulo*, *ſimile aquilæ*; de homine verò *habens faciem quaſi hominis*: tùm quia ponuntur dicentia *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, quæ ferino ori non congruunt: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo negando anteced. ad cuius probationem permiſſa maioti ex communi ſententia, neg. min. cuius prima probatio ſub-

ſubiuncta nihil evincit: ſiquidem etiam de homine dicitur ibi ſimilitudo per ly *quaſi* neque in reliquis tollitur, quod ea ſimilitudo leonis, &c. ſit per ſuas facies ſibi correſpondentes, quæ magis diſtinguunt animalia. Quod ſi hic in Apocal. deſiderentur *quatuor facies vni*; probabit hæc animalia Apocalypſis ſolum inadæquatè eſſe eadem cum illis Ezechielis, nempè quoad ſignificationes ibi oportunas: nam hæc animalia ſymbolica pinguntur vtrobique, prout vtrobique oportunè ſignificant, & ſignificant vtrobique, prout vtrobique ex Dei revelatione repræſentant. Neque plus evincit ſecunda probatio. Nam in primis nihil prohibet quòd licèt vnumquodque animal eſſet quadriceps; nihilominus ſolo ore humano illud triſagium accinerent, ferinis interea linguis obmuteſcentibus: veluti apud Ezechielem nihil à quoquam ex quatuor animalibus prolatum eſt. Deinde etiam dici poteſt Triſagium quocumque ore illorum animalium proferri potuiſſe: vel enim ea viſio contingebat per aërea corpora aſſumpta, & ſic omnibus æquè poterant ad iuſſa Dei vocis organa accommodari: vel ſpiritualius, & elevatius tota contigit viſio; & tunc cum loquutio illa eſſet figurata, & ſymbolica; ſymbolicis animalibus non repugnabat: quare, & in Apocalypſi legitur, quod animalia reſpondebant *amen*.

9 Obijcies 4. Talia animalia ſaltem ita debent intelligi, vt non ſint mutila quoad partes integrales ibi recenſitas: ſed ita erit, ſi quatuor capita ponuntur in vnoquoque ergo ponenda non ſunt. Maior patet ex proportione, & condecentia repræſentandi. Probatur min. Si quatuor facies ponerentur; vna ala duntaxat correſponderet homini, vna leoni, vna bovi, & aquilæ vna. Sed hoc eſt quoad integralia mutila fuiſſe: nam nihil alatum eſt niſi ala duplici: ergo, &c. Probatur mai. ex textu dicente ſub eodem tenore *quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni*. Neque valet ſubtiliter dicere quod ala poteſt ſtare pro vnica, ſed pennæ ſemper ſunt par alarum. Nam *verſ.* 11. ait textus: *Duæ pennæ ſingulorum iungebantur*, vbi datur intelligi per ly *duæ* quod, dum dicitur *quatuor pennæ* ſolum ſunt quatuor alæ. Ad hoc argumentum reſpondeo negando min. ad cuius probationem, neg. mai. Nam licèt ſi numerus alarum inter quatuor facies diſtribuendus eſſet, planum eſſet, quòd vni vna reſponderet ala; verumtamen non ita res cogitari debet: nam alæ non dantur capiti, ſed corpori ad illud portandum; & hoc portat capita ſua: neque domo noſtra longè ab eſt exemplum, dum in ſtemmatè huius collegij aquilam gerimus bicipitem, quam *Imperialem* vocant, ſed duplici tantum ala gaudentem. Vnde vnumquodque ex illis animalibus ſuperiùs ad humeros duas alas habebat ad volatum; itemque ferè à renibus duas alias ad modeſtiæ velamen deorſum iunctas atque extenſas habebant: prout dicitur *verſ.* 11. *Duæ pennæ ſingulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum*. Atque ſic etiam *Iſaiæ 6.* referuntur Seraphini, tametſi ad velandum caput duas alias habuiſſe legantur.

10 Obijcies 5. Talia animalia, quorum aſpectus erat ſimilitudo hominis, habebant per nos quatuor capita. Sed non aliter quam ita vt vnumquodque animal eſſet quadrifrons quoquoverſum rectà proſpiciens: ergo ſaltem iliæ quatuor facies non eo ſitu collocari debent, quo à nobis ſunt collocatæ. Probatur minor ex *verſic.* 8. aiente: *Et manus hominis ſub pennis eorum in quatur partibus, & facies, & pennas per quatuor partes habebant*. Ex quibus verbis arguo ſic: habere facies, & pennas per quatuor partes, eſt in quadrata figura quoverſum habere faciem, & pennas. Sed hoc probat, ea animalia habere

illa

illa quatuor capita ad quatuor mundi plagas reſpicientia : ergo , &c. Ad hoc argument. reſpond. conceſ. mai. negando minor. Et ad eius probationem diſting. maior. In figura quadrata currus, conced. maior. animalis, neg. mai. & diſtincta reſpectivè min. nego conſeq. Itaque ægrè ſuſtineri poteſt, quod vnumquodque animal haberet illa quatuor capita in figura quadrata ad omnes mundi plagas reſpiciente : tùm quia, vt ſupra, neque dexter, aut ſiniſter ſitus ; neque ambulare coram facie ſua expediretur facile : tùm quia cum corpus non ſit quadratum, minus decenter appoſitus eſſet facialis aſpectus à tergo : quare oportet intelligere illas quatuor partes memoratas ex parte currus, vbi nimirum erant rotæ : & ſic de rotis *verſ.* 17. dicitur : *Per quatuor partes earum euntes ibant, & non revertebantur cum ambularent* : Nam ſic poteſt intelligi loquendo non de vnoquoque animali ſeorſim ſumpto ; ſed de omnibus quatuor, quod per quatuor partes habebant facies, pennas, & manus, id eſt, per quatuor partes currus : nam vnicuique rotæ animal erat adhærens, ita tamen, vt vni eſſent quatuor facies : quia textus dicit *quatuor facies vni* : item vnumquodque haberet quatuor alas, quia *quatuor pennæ vni* : ſed tamen quia de omnibus dicitur ſimilitudo hominis in eis, vnumquodque ſolas duas manus habebat. Quæ tamen in quatuor partibus etiam erant : quia vnumquodque animal habebat vnam alam, & manum vnam ad vnam ex rotis, ita vt quatuor latera quatuor animalium, duo ſiniſtra, & duo dextra hærerent currui, & rotis : & propterea verbum Hebraicum correſpondens ly *in quatuor partibus* redditur à Pagnino *ſuper quadrilateris eorum.* Vnde clareſcunt plura; tùm quod ſimilitudo hominis in vnoquoque non habet niſi duas manus ; tùm quod explicetur modus connaturalis vehendi currum ; tùm quod Cherubinus cum Cherubino è regione poſito alas iungeret in volatu ; dicitur enim, ibi : *Et duæ pennæ ſingulorum iungebantur.* Videtur ergo confici, quod per hanc viam expeditius traditur ænigma Cherubinorum: licèt enim antrorſum ferret vnumquodque quatuor capita, medium hominis, dextrum leonis, ſiniſtrum bovis, & aquilæ deſuper per quæ communiter veritas quatuor Evangeliſtarum intelligitur ; poteſt congruenter ſignificari, quod gloria Dei, quæ vetus Templum, & Ciuitatem erat everſura, non erat niſi gloria hominis, ſecum ſupra ſe divinitatem in aquila portantis, & vitam contemplativam Eremi per rugitum leonis expreſſum cum vita activa miniſterij Sacerdotalis expreſsi per vitulum coniungentis. Rogabis quomodo ſalvari poteſt quod talia animalia prout dicit textus, non reverterentur cum ambularent ; ſi nihilominus ex eodem *ibant, & revertebantur ad ſimilitudinem fulguris coruſcantis* ? Reſpondeo 1. Quia ipſa numquam agebantur retrorſum; ſed antrorſum ſemper procedebant: cum quo componitur, quod etiam cum reverterentur per eandem viam; nunquam retrocederent, ſed ſemper irent antrorſus. Reſpondeo 2. cum Sanctio quod ly non revertebantur cum ambularent eſt *non iter flectere*, neque declinare ad dextram, & ſiniſtram prout ibant in directum Vaceæ portantes arcam mugientes quidem, ſed non declinantes; quando autem dicitur, quod *revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis* eſt dicere, quod per eandem viam qua iverant, redibant; dextrorſum tamen aut ſiniſtrorſum nodeflectendo.

JHS.

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

SVPER QVEM ERAT QVASI ÆDIFICIVM CIVITATIS vergentis ad auſtrum. *Ezeq. cap.* 40. *verſ.* 2.

ARTICULUS.

VTRVM TEMPLVM EZEQVIELIS FVERIT IDEM, QVOD templum Hieroſolymitanum?

1 SUppono 1. Hanc vocem *Templum* in Sacris litteris valdè frequentem multiplici ſignificatione poſſe gaudere, prout in Hebraico Idiomate diſtinctas eius origines meditantur Interpretes. Cum enim vox Hebraica pro qua verti ſolet *Templum*, ſit vox *Hechal* quadrilittera, conſtanſque quatuor elementis nimirum He, Iod, Caph, & Lamed, inquit Rabbi David, eam eſſe radicem quadrilitteram, vnde proinde nulla notior peti poſsit etymologia, & ſignificatio. Alij cenſent, radicem more Hebræo eſſe trilitteram, & litteram Iod eſſe interiectam ad protractionem Vocalis antecedentis. Verum de ea radice, vt obſervavit Ioannes Baptiſta Villalpandus nihil confici poteſt ad rem, niſi aliquam metatheſim ſeu litterarum tranſpoſitionem Hebræis ſolitam meditemur: quare illa eadem quatuor elementa ſupra attacta, ſi ſic tranſponantur; videlicèt hoc ordine *He*, *Lamed*, *Iod*, & *Caph* fit hæc vox *Halich*, quæ introitum ſignificat, ſivè perſonalem, ſivè localem. Et cum olim (inquit Villalpandus) voce Hebraica *Heal* aulam, palatium, Regiam ſignificari DD. omnes conſtanter affirment; merito fortaſſe, & olim in Moſaico Tabernaculo, & inde templo Salomonico pars templi exterior, per quam intrabatur ad interiorem, ſanctiſsimamque Cellam, in qua Cherubinis inſidebat divina maieſtas, eo nomine cenſebatur. Vnde ſivè ſic ſumatur ſignificatio, ſivè talis vox efformetur à radice *Iacol*, quæ potentiam, & oſtentationem ſignificat, ſemper elicitur, quod eadem ipſa, tùm pro templo, tùm pro tabernaculo ſumi poſſet. Nam de tabernaculo ſermo eſt 1. *Reg. verſ.* 9. ibi: *Et Heli Sacerdote ſedente ſuper ſellam ante poſtes Templi Domini* Et etiam in Pſalmis à Davide compoſitis ante fabricam Templi: ita vt inde ſubſidant aliquæ difficultates quæ de hac voce *templum* ante huius ædificationem poſſent exurgere. Suffragantur priori ſignificationi de introitu Septuaginta Interpretes explicantes illam vocem Hebraicam, per Græcam vocem *Naon*, quæ navim ſignificat, & quam tem-

templum reddit latinus Interpres, siquidem Vitruvius *lib.* 3. *cap.* 1. vsus hac voce *Pronao* eam sumit pro anteriori porticu templi. Latinè verò templum, sivè cum Isidoro quasi *tectum amplum* est, sivè ex Varrone à tuendo dicitur, sivè à Sexto Pompeio Festo *templum* significat ædificium Deo sacratum, & tignum quod in ædificio transversum ponitur. Et hæc de notione vocis.

2 Suppono 2. Ezechielem Prophetam inter alios esse difficillimum intellectu, præsertim, si attenditur prophetia quoad eius prima capita, atque postrema: in primis enim capitibus agit de mysteriosa illa quadriga Cherubico vecta impulsu; & in postremis de prophetica visione illius templi magnifici ac mysterioſi. Difficultas verò explanationis ita superat alias plures difficultates, cęteroqui in Sacra pagina inexplicabiles, vt si ad Hebręorum Magistros me verto; videam, apud ipsos huius prophetiæ initium, & finem lectu fuisse interdicta, antequam quisque ętatem Sacerdotalem attigisset; nempe propter ipsiusmet rei perobscuram implexitatem. Si verò consulo DD. Catholicos statim primus est qui cespitat D. ille Hieronymus qui in exponendis Sacris Scripturis *Maximus* est habitus, & est semper habendus: hic enim tantę explicationis librum animosè ingressus teste Cornelio, quasi de re desperans, manum retraxit à tabula, & negotium penitùs abrupisset, nisi postea sua cum Eustochio efficaciter persuadente animosius operam resumpsisset. Idem fatetur D. Gregorius *lib.* 2. *Ezechiel.* Quapropter dum hi veræ sapientiæ gigantes in hoc expediendo opere contremiscunt; indulgendum nobis certe erit, si in præsenti quæstione quidquam differitur, quod non evadat de manu nostra omninò perfectum atque absolutum. Quamvis enim in hęc quæstione non videamur totius prophetiæ altum mare ingredi, sed veluti enavigemus ad oras, dum ad postrema capita nostra disputatio deflectit; nihilominus graviora, & obscuriora hic attinguntur nempe principium, & finis huius prophetiæ: quandoquidem vtrobique videtur agi de templo Ierosolymitano, prout notavit Cornelius: nempe in initio quatenus Deus curru Cherubico insidens de Cœlo venire visus est ad excidium Civitatis, & Templi; in fine verò quatenus per visum Propheta accepit reparatam iri Civitatem, & Templum. De hoc ergo procedit in præsenti disputatio nostra.

3 Suppono 3. In Prophetia Ezequielis *à cap.* 40. *vsque ad* 48. in quo finitur eius prophetia, significatam fuisse ipsi Prophetæ in captivitate Babilonica detento, visionem quandam de Templo, & Civitate reædificanda iuxta mensuras, quæ ab Angelo architecto, & dimensore percepit: incipiendo nimirum à muro quodam extrinseco, seu peribolo; dein ab atrio Gentium, & laico Israelitico vsque ad sacerdotale, & templi vestibulum cum thalamis, fenestris, gazophilacijs, eorumque vsibus; posteà sacrarij spatium, & altare Thymiamatis, ac totius templi dimetiendo clausuram. Quæ omnia sibi visa (etiam similia illi maiestati antea visæ iuxta fluvium Chovar) iussus fuit sub eodem tenore Angeli metatoris tradere filijs Israel cum ritibus post reditum observandis, & distinctis ordinibus Levitarum, legibusque Sacerdotum, largaque promissione ipsis facta de necessarijs. Post quæ terra distribuenda significatur tàm templo ordinique Levitico, quàm Civitati, & principi; latis interea varijs legibus, & sacrificijs necnon indicato aditu per quem esset intrandum. Postremo vidit Propheta aquas de templo exire largissimas, quæ transvadari non possent, atque sortitione facta totius terræ per septenas, & per quinas Tribus ad extremum Civitatem metitur per quatuor latera

sin-

ſingulis ternas portas adſcribens, ternis Tribubus conſignatas, in Civitate deinceps vocanda *Dominus ibidem*. Hæc ergo eſt ſumma omnium quæ in dictis poſtremis capitibus comprehenduntur; & vnde ratio dubitandi ſuboritur pro inquirendo: an huiuſmodi templum in viſu propoſitum Ezechieli fuerit templum Ieroſolymitanum reædificatum poſt captivitatem; an templum Chriſtianorum, & Eccleſia Catholica? Nam ex vna parte videtur hæc viſio indulta Iſraeli non niſi ad ſpem erigendam de recuperando templum, atque Civitatem. Ex alia verò parte minimè convenire videntur templo illi, quod poſteà per Zorobabel reædificatum eſt Ieroſolymis, aliqua quæ ibi narrantur, vt menſuræ diſcrepantes, aquæ de templo egredientes, &c. Vnde ex hac ratione dubitandi merito noſtra diſputatio conſurgit.

4 His poſitis duplex in hac re verſatur ſententia, quarum prima aſſerit hoc templum tàm myſteriosè delineatum Ezechieli eſſe Eccleſiam Chriſtianam. Quam ſententiam tuetur Hieronymus in hunc locum S. Gregorius Magnus, *Homil* 13. & ſequentibus in Ezechielem. Ioannnes Maldonatus, Pintus, Dionyſius, Iſidorus, apud noſtrum Cornelium hic. Item Blaſius Viegas *in Apocalyp. cap.* 12. *Commem.* 3. *ſect.* 33. Sebaſtianus Barradas *in Evang. lib.* 2. *Prolog. cap.* 6. Antonius Fernandez *de Viſionib. viſ.* 18. *cap.* 4. vbi ait, per templum, & vrbem Ezechielis ſignificari duplicem Chriſti principatum, ſcilicèt Eccleſiaſticum, & Sæcularem. Ludovicus Alcazar *in Apocalyp. cap.* 3. *verſ.* 12. *pag.* 308. Secunda ſententia aſſerit tale Templum Ezechielis fuiſſe idæam, & exemplar datum Iſraelitis in captivitate degentibus ad templum everſum Ieroſolymis reædificandum, quando de captivitate redirent: proindeque tale templum viſum eſſe idem, quod Zorobabel reædificavit, & de quo agunt Agæus, & Zacharias. Hæc ſententia eſt veterum Hebræorum, & eam ſuſtinet Theodoretus, & Ioannes Baptiſta Villalpando, qui per otium de Templo largiſimè diſputavit. Item P. Franciſcus de Ribera *lib.* 1. *de Templo, cap.* 27. D. Ioannes Chryſoſtomus *Homil.* 17. *in Epiſt. ad Hebr.* Ricardus de S. Victore *lib. de Templo Ezechiel.* Nicolaus de Lyra, & Hugo Cardinalis cum alijs in hunc locum. Auguſtinus Torniellus *in ſuis Annalibus*, anno mundi 3460. Quibus adhærent noſter Gaſpar Sanchez hic, & Cornelius: qui inſuper addit magis allegoricè ſignificari reſtaurandam Synagogam Iudæorum per Eccleſiam Chriſti, quod puto ex Catholicis diffitebitur nemo.

5 Sit noſtra concluſio. *Templum Ezechielis in ſenſu primo litterali, obiective ſumpto, fuit templum ipſum Salomonicum reædificatum per Zorobabelem: in ſecundo vero ſenſu litterali ſeu potius allegorico eſt templum Chriſtianum.* Probatur prima pars concluſionis, & poſtea probabitur ſecunda. Igitur probatur primo ſic. Propoſitio, & delineatio templi Ezechielis ita debet exponi, vt congruat cum ſermone præcipuo, quod tunc gerebatur cum Iſraelitis concaptivis ſuis, ſi in ipſa Sacra Pagina invenitur conveniens proportio Hiſtorica cum adimpletione prophetica. Sed ita res ſe habet ſi per tale templum primo litteraliter conſideratum intelligatur Templum Salomonicum reædificatum per Zorobabelem: de qua reædificatione, & ſpe frequens erat ſermo inter concaptivos: ergo ita debet intelligi. Maior videtur certa: nam quoties prophetia exponitur de re, de qua agitur communiter, dum Propheta emittit ſuam prophetiam, & adimpletione propinqua phyſica, & litterali, magis quam de valde diſtanti, & ſignificatione latiſsima; preſsius, & litteralius exponi videtur eiuſmodi prophetia. Probatur min. Nam in primis, vt conſtat ex

cre-

crebris locis Prophetarum nempe Ieremiæ, Ezechielis, Danielis, Agæi, Zachariæ, &c. nullus sermo erat magis solitus circumferri inter Israelitas Babylone captivos, quam perpetuo colloqui de reditu in Patriam, Civitatem, & Templum. Deinde adimpletio quoad Templum Zorobabelis fuit physica, & realis, atque statim à Septuagenario annorum numero captivitati præfixo promptissima. Vt constat ex libris Æsdræ. Sed insuper datur proportio historica sufficiens inter templum visum per Ezechielem, & templum Salomonicum reædificatum per Zorobabelem: ergo res ita se habet. Min. probatur. Nam templum Ezechielis covenit cum Salomonico quoad figuram, quoad dimensiones, quoad locum, & quoad ministeria; sed hæc est valde sufficiens proportio, vt vnum templum alterum referat: ergo verè illa datur. Maior probatur, & explicatur simul per partes. Quoad primam. Quia vtrobique describitur ea figura, sub qua distinguantur *sanctum*, & *sancta sanctorum*, diversa atria, nimirum sacerdotale, & populare, quæ omninò sufficiunt, vt eadem forma templi, & figura servetur. Quoad secundam de dimensionibus. Quia vtrobique ponitur sanctum sanctorum cum viginti cubitis longitudinis latitudinis, & altitudinis. Sanctum verò cum viginti latitudinis, & quadraginta longitudinis vestibulum cum viginti cubitis longitudinis, & vndecim latitudinis, atria demum ad quingentos cubitos in latitudine, & longitudine. Sed hæc est valde capitalis proportio dimensionum in vtroque templo: ergo, &c. Quoad tertiam de loco, quia vtrobique templum describitur supra montem Sion. Quoad quartam. Quia vtrobique memorantur Exedræ, gazophilacia, Sacerdotes, Levitæ, oblationes, victimæ, &c. Sed hæc quoad ministerium templi multum vtrobique respondent: ergo de primo ad vltimum maxima proportio invenitur inter templum Salomonicum, anteà præexistens prout reædificatum à Zorobabel, & templum visum per Ezechielem.

6 Confirmatur 1. Quia *in cap. 44. Ezequielis*, descripta iam templi fabrica, *à versiculo* 7. sic pergit Propheta. *Fili hominis locus solij mei, & locus vestigiorum meorum, vbi habito in medio filiorum Israel in æternum, & non polluent vltra domus Israel nomen sanctum meum.* Et vers. 9. *Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, & ruinas regum suorum à me, & habitabo in medio eorum semper. Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, figuram domus, & fabricæ eius, exitus, & introitus, & omnem descriptionem eius, &c. Ostende eis, & scribes in oculis eorum, vt custodiant omnes descriptiones eius.* Ex quibus verbis sic argumentor. Cuncta hæc verba apertè respirant Dei, tùm promissionem ad populum suum de iterum possidendo habitaculo Domini, seu templo suo, si fideles sint ipsi; tùm ostensionem fabricæ, quæ tanta eversione, & longa captivitate etiam de memoria excidisset; tùm denique exhortationem, vt servent figuram domus, & eius fabricæ, ac descriptiones, dum templum reædificent. Atqui hoc est, templum visum esse exemplar templi antea eversi, & posteà reædificandi: ergo ita fuit. Confirmatur 2. Rationes valde congruentes suadent tale templum ad Salomonicum, & Zorobabelicum respexisse: ergo ita fuit. Probatur antecedens. In primis prout dicitur, *cap. 43. vers.* 10. supra attacto, tale templum erat ad pœnitentiam, & confusionem de templo Salomonico everso propter eorum peccata. Deinde, vt populum captivum in spem erigeret de templo, religioneque restauranda, vt constat *cap.* 44. & sequentibus. Postremò quia post tot ruinas, & tempora, licèt voluissent non potuissent templum eversum reædi-

dificare, niſi à Deo fuiſſet ſuo Prophetæ Ezechieli tale exemplar immiſſum: ſed hæ rationes efficaciter ſuadent, templum Ezechielis ad Salomonicum, & Zorobabelicum reſpexiſſe : ergo ita fuit. Confirmatur 3. Non videtur veriſimile, quod Propheta prætermitteret loqui de templo verè ſtatim reædificando, & verè futuro in conſolationem Iudæorum, fruendoque ab eorum filijs; & ſaltu diſtantiſsimo tranſvolare ad prophetandum templum venturum poſt duo millia annorum, & quod nunquam floreret niſi cum perpetua infamia, & perditione populi Iudaici, prout eſſet templum Chriſtianorum: ergo, &c.

7 Probatur 2. pars concluſionis ſcilicèt quod in ſenſu allegorico per tale templum Ezechielis deſignetur Eccleſia Chriſtiana. Probatur primò ſic, quia D. Hieronymus in hunc locum ait : *Mihi legenti deſcriptionem templi myſtici, quod Iudæi ſecundum litteram in adventum Chriſti ſui, quem nos eſſe anti Chriſtum comprobamus, putant ædificandum; & nos ad Chriſti Eccleſiam referimus, & quotidie in Sanctis eius ædificari cernimus, accidit, &c.* Item D. Gregorius *Homil. 3. in Ecechiel.* planè allegoricè accipit dicens: *Si ergo aliquid de Hiſtoriæ aperta ratione ducimus ad intollectum allegoriæ; quanto magis illa ſpiritualiter accipienda ſunt, in quibus iuxta rationem littera nihil hiſtoricum ſonat.* Ex quibus duobus Eccleſiæ Doctoribus planè conſtat tale templum Ezechielis relatum eſſe cum allegoria ad Eccleſiam Chriſtianorum: quam in tota explicatione perſequitur D. Gregorius. Circa cuius verba notabis quòd quando dicit, quod ratio litteræ ibi nihil hiſtoricum ſonat, debet intelligi de ſtylo prophetico *activè* ſumpto, qui non eſt hiſtoricus, & litteralis; ſed planè myſticus, maximè cum de viſionibus agitur; non tamen tollit, quod ex parte obiecti (& propterea dixi in concluſione, *obiectivè ſumpto*) à Propheta reſpectum ſit aliquid hiſtoricum; veluti hiſtoria Paſſionis toties prophetata, & templum Zorobabelicum hiſtoricè hic ex parte obiecti tactum à Propheta Ezechiele, licèt ſub involucris myſticis, & allegoricis, vt mox etiam patebit. Probatur 2. eadem pars. Quoties in veteri teſtamento aliquid legitur, cui in ſenſu myſtico, & allegorico de novo aliquid correſpondeat, dici debet, quòd in eo loco veteris teſtamenti allegoricè tactum eſt id quod reperitur in novo. Sed in caſu præſenti templum Salomonicum, & Zorobabelicum ita prophetatum eſt per Ezechielem, vt in prophetia de tali novo ædificio reſtaurãdo involvantur nonnulla, quæ ad amplitudinem Eccleſiæ Chriſti melius adæquari videntur : ergo templum Ezechielis, etiam de Eccleſia Chriſti venit allegoricè intelligendum. Probo prius maiorem, poſteà probaturus min. & quidem probatur primò ſic ex D. Paulo, tùm aiente, quod omnia in figura contingebant illis; tùm loquente de Sara, & Agar, tanquam libera, & ancilla. *Hæc ſunt duo teſtamenta, quæ ſunt per allegoriam dicta*, quaſi plena allegoria vtrumque teſtamentum vinciat atque concordet, prout obſervari poteſt in Analogia vtriuſque teſtamenti P. Becani. Secundò ex verbis ipſius Gregorij loco citato paulò ſuperius ita loquuti. *In Scriptura autem Sacra, & ea quæ accipi ſecundum hiſtoriam poſſunt, plerunque ſpiritaliter accipienda ſunt: vt, & fides habeatur in veritate hiſtoriæ, & ſpiritalis intelligentia capiatur de myſterijs allegoriæ*: ergo, &c. Iam probo min. In templo deſcripto per Ezechielem nonnulla inveniuntur, quæ templo Zorobabelis non quadrant, & Eccleſiæ Chriſti apprimè conveniunt, v. g. egreſſas eſſe de templo aquas, quæ ingreſſæ mare mortuum huius ſalſedinem cum dulcedine commutarent. Id quod quadrat Baptiſmo prodeunti de Eccleſia Chriſti, appellatoque *Sacramentum mortuorum*, propterea que etiam

etiam de admixto ſale inſtillant illæ aquæ dulcedinem, & ſuavitatem doctrinæ. Item ibi exponuntur arbores per ſingulos menſes fructificantes: in quibus ſignificantur iugis cultus agri Chriſtiani, & pinguia, & vera pabula doctrinæ, & Sacramentorum. Demum taura maieſtas, & amplitudo cum pœnè infinita extenſione, & nomine Dominico: ſiquidem nomen futurum erat *Dominus ibidem* mirificè correſpondent cum Eccleſia Catholica tam latè protenſa, & Chriſti nomine compellata: ergo de primo ad vltimum templum Ezechielis ſub allegorica ſignificatione intelligitur Eccleſia Chriſti.

8 Obijcies 1. adverſus primam partem concluſionis ſub hac forma. Templum de quo loquitur Propheta Ezequiel, debet intelligi correlativè ad Civitatem ædificandam, quam affert *Ierem. cap.* 31. Sed hoc ipſo tale templum eſt Eccleſia Chriſtianorum, & non templum Zorobabelis: ergo ita debet intelligi. Mai. videtur certa, quia quoad reædificationem Civitatis, & templi, videntur ſibi correſpondere Prophetæ, vt apparebit ipſos legenti. Probatur minor. Ieremias in dicto capite loquitur de Civitate, nimirum, de Eccleſia Catholica: ergo ſi templum Ezechielis debet intelligi correlativè ad hanc prophetiam Ieremiæ; debet intelligi pro Eccleſia Chriſtianorum. Probatur antecedens ex verbis Ieremiæ, *cap.* 31. *verſ.* 31. vbi ait: „ Ecce dies venient dicit Dominus, & „ feriam domui Iſrael, & domui Iacob „ fœdus novum... Ædificabitur Civi„ tas Domino à turre Hananeel, vſ„ que ad portam anguli; & exibit „ vltra norma menſuræ in conſpectu „ eius ſuper collem Gareb, & circui„ bit Goatha; & omnem vallem ca„ daverum, & cineres, & vniverſam „ regionem mortis vſque ad torren„ tem Cedron. Sanctum Domini non „ evelletur vltra in perpetuum. Ex quibus verbis arguo ſic. Talis Civitas denuo erat ædificanda iuxta novum fœdus, & teſtamentum; & ita vt *ſanctum Domini* nunquam deſtruatur. Sed id convenire non poteſt templo Zorobabelis poſteà deſtructo per Titum, & Veſpaſianum: ergo manifeſtè eſt de Eccleſia Catholica. Confirmatur. In vltimo cap. Ezechielis dicitur quod illa Civitas vocanda eſt *Dominus ibidem*. Sed hoc nomen potius quadrat Eccleſiæ Chriſtianorum, in qua ſemper in Euchariſtia Dominus eſt ibidem: ergo idem quod prius.

3 Ad hoc argumentum reſpondeo, conceſſa mai. negando min. & eius probat. atque ad probat. huius diſting. mai. attento ſenſu allegorico vel litterali ſecundo, conc. mai. attento ſenſu primo litterali, neg. mai. & diſtinct. reſpectivè min. neg. conſeq. Itaque verum eſt, quod paſsim in multis textibus frequenter vſuvenit, quod Prophetæ aſſumentes in relatione aliquid hiſtoricum, & reale, ſed typicum, inde volent ad antitypon ſive figuratum, nonnulla de ipſo ſpeciatim pronuntiando occaſione illius typi, quem tractant: veluti quando *ad cap.* 45. Iſaiæ dum ſermo eſt de Cyro populum liberaturo, ſtatim ſubditur, *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum*, quæ ſpeciatim quadrant in Chriſtum. Vnde ſuper ea verba *Iſaiæ* 31. 31. de novo fœdere, ait Sanchez. „ Sæpius à nobis dictum eſt reſtitu„ tum à captivitate populum, inſtau„ ratamque Ieroſolymam Eccleſiæ ty„ pum eſſe, & vmbram quandam „ evangelici temporis, vt ex multo„ rum Patrum, Doctorumque ſenten„ tia docuimus in præfatione quadam „ *ad caput* 40. *Iſaiæ*. Vbi inſuper exponit affatim de ſacris atque prophanis quomodò ferire pactum atque percutere fœdus ideo ſic dicebatur, quatenus non ſine ſanguine elicito firmaretur. Quamobrem licèt illa verba Ieremiæ cum pluribus etiam aliorum Prophetarum in ſenſu typico, & allegorico Chriſti Eccleſiam adumbrent; nihilomi-

minus per id non tollitur, quod in ſenſu primo litterali vterque Propheta loqueretur de nova Civitate, & Templo poſt captivitatem, itemque de novo fœdere, & ſortitione Tribuum. Neque ad id obſtat, quod dicatur Sanctum Domini non vltra deſtruendum: tùm quia, vt ait Sanchez, *non vltra: non amplius*, & ſimilia ſignificant aliquando id quod diuturnum erit, vt patet apud ipſum, *cap.* 23. tàm Ieremiæ, quàm Iſaiæ: ſtis enim fuit ſiſdiu, ad tempus vſque Romanorum Civitas perduravit: tùm quia verè *Sanctum Domini* reſtauratum in templo Zorobabelis nunquam evulſum, & deſtructum fuit; ſed quoad legem, plenitudine tempore accedente, ceſſavit dum venit in ipſum templum Chriſtus ipſe, qui non figurativè, ſed realiter erat *Sanctus Dei*: quare tantum abeſt, vt vaſtatio templi per Titum, & Romanos quæ planè venit in vltionem Chriſticidij, fuiſſet ad deſtruendum *Sanctum Dei*, quod iam ibi ceſſaverat; quinimo fuiſſet ad verum Sanctum Dei ſtabiliendum, & manifeſtandum, ſuccedente loco abolitæ Synagogæ Eccleſia Chriſtiana. Nam cum templum illud Zorobabelicum fuerit in quod Chriſtus advenit, benè congruit in eius reædificationem, etiam litteraliter ſumptam, quidquid prædici poſsit de Eccleſia. Ex his prona deſcendit clara ſolutio ad confirmationem, quia magis rigorosè verificatur illud nomen *Dominus ibidem* de Templo, & Civitate reædificatis poſt captivitatem, quàm de Eccleſia Chriſtianorum: ſiquidem in hac verè adeſt Chriſtus, ſed Sacramentaliter, & myſteriosè; in illam verò Civitatem, & templum venit vivus, & realis in propria perſona modo naturali, & ſenſibili: quare negari debebit minor illius confirmationis.

10 Obijcies 2. contra eandem partem. Eatenus templum Ezechielis fuiſſet templum Zorobabelis quatenus hoc fuiſſet reędificatum pro Salomonico. Sed in ſecundo templo non invenitur debita proportio cum primo: ergo templum, quod viſum fuit ab Ezechiele, non fuit exemplar ad reædificandum templum Salomonicum prius everſum. Mai. conſtat quia talis idæa videtur per viſionem immiſſa ad reſtaurandam fabricam Salomonis. Min. patet tùm quia *Aggæi* 2. & 1. *Eſdr.* 3. templum Zorobalis non fuit tàm auguſtum, quàm Salomonis: tùm quia templum Salomonis fuit altum 120. cubitis 2. *Paralyp.* 3. Zorobabelis vero tantum 60. vt patet 1. *Eſdræ* 6. ergo, &c. Confirmatur. Templum Ezechielis non perfectè quadrat in dimenſionibus cum Zorobabelico, & Salomonico prout expendenti conſtabit. Sed Deus qui talem viſionem immiſerat, falli non poterat: ergo: &c. Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinguendo mai. quatenus correſponderet quoad formale, & præcipuum operis, conc. mai. quoad omnes minutias per Angelum metatorem expoſitas, neg. mai. & conceſſ. min. neg. conſeq. Itaque verum eſt, quod exemplar propoſitum Ezechieli fuit ad reparandum templum Salomonicum, quod prius fuerat everſum, reparatione videlicèt quę oporteret poſt talem ruinam reipublicæ Iudaicæ: vnde quamvis in aliquibus delineatio facta Ezechieli non omnino reſponderet cum Salomonica (de quo vide Villalpando) non oberat, quominus intentum Dei eſſet, templum priſcum Salomonicum reparari quoad formale, & præcipuum totius fabricæ; licèt in nonnullis idęa reædificandi diſcreparet à templo deſtructo, propterea quod aliqua diſtinctis temporibus non niſi aliter oporterent. Quoad Zorobabelicum verò templum reædificatum ex viſione prophetica, quod videbatur ab huius idæa non poſſe vllatenus diſcrepare; dico nihilominus, duplicem eſſe viam valde veriſimilem, propter quam nihil obſit aliqua diſcrepantia, quominus exemplar, &

opus

opus ſibi reſpondent. Prima eſt Cornelij aientis Templum Zorobabelis non fuiſſe erectum ad altitudinem Salomonici, Cyro ipſo impediente: quippè qui timeret, inibi arcem aliquam exædificandam, in qua Iudæi poſſent iterum rebellare: eademque voluntas Cyri ratio eſſe potuit, ne alia quoque præſtarentur, quæ in idæa prophetica pingebantur: hæc enim vtpotè divina non poterat rem delineare imperfectè; Cyri autem voluntas humana rem humanitùs cogitabat. Secunda via eſt Nicolai de Lyra aientis, Deum in tali templo non omnia, quæ præſcripſerat compleviſſe: erat enim idæa, & promiſsio conditionata à populi fidelitate dependens: à cuius plenitudine defecerunt Iudæi, alij ſponte remanentes in Babylone; alij ducentes alienigenas 1. *Eſdr.* 9. alij deflectentes ad idolatriam ſub Antiocho Epiphane ex libris Machabæorum. Quo circa quemadmodum tota terra promiſsionis promiſſa fuit Israeli; & nihilominus propter peccata eorum, quam plures Amorræi, & Cananæi relicti ſunt inter ipſos; ita hic ſimiliter accidit. Vnde patet ſolutio ad confirmat. licèt permittatur aliqua diſcrepantia in Ezechiele cum Templo Salomonico, & Zorobabelico: ſemper enim remanent apud omnes eadem ſubſtantia operis, ratio ſtructuræ, partitio, miniſteria, & ordines.

11 Obijcies 3. Ex P. Cornelio Templum Ezequielis diſcordat quoad ſitum à Templo Zorobabelis: ergo non fuit idem: ant. probat. nam *cap.* 45. & 48. dicitur Templum Ezequielis fore extra vrbem, & quidem ab ea diſtans viginti ſeptem millibus paſſuum, quæ eſt menſura correſpondens ad quindecim millia calamorum provt ſe explicuit Propheta. Atqui Templum Jeroſolymitanum, ait Cornelius, ſolum viginti ſeptem milliaribus diſtabat ab vrbe: ergo vtrumque videtur diſcrepare quoad ſitum. Confirmatur. In poſtremis *cap.* 47. & 48. dicitur etiam quod omnes duodecim Tribus futuræ eſſent incolæ novæ Civitatis ibi commemoratæ. Sed in reædificatione Civitatis, & Templi non reſtitutæ ſunt niſi duæ Tribus Iuda, & Beniamin cum portione Levitarum: ergo, &c. Min. patet quia de captivitate decem Tribuum antea facta apud Aſsirios numquam facta fuit reſtauratio, vt conſtat ex ipſis textibus, & ſatis communi Interpretum: ergo, &c. Hoc argumentum ideò à me poſitum eſt, quia ſic habetur apud Doctiſsimum noſtrum Cornelium: an autem ipſe æquivocationem hic paſſus ſit; an potius ego; prorſus ignoro: nam ipſe conatus probare, Templum Ezequielis non æquè diſtare ab Vrbe, ac Templum ipſum Hyeroſolimitanum, aſſumit vt medium, quod primum diſtabat viginti ſeptem millibus paſſuum; & ſecundum diſtabat viginti ſeptem milliaribus. Cum autem ſatis notum ſit, vnum milliare in diſtantijs continere mille paſſus; apparet, eamdem omninò perfectè confici vtriuſque diſtantiam. In quo ne fortè ipſe fallerer, adivi Domi Profeſſorem Matheſeos, qui etiam oſtenſo Lexico id comprobavit. Quod verò ſic argumentetur P. Cornelius, apud ipſum patet ſuper Ezequiel. *cap.* 40. Vnde hæc eſt plana, & plena ſolutio argumenti: Ad confirmationem, quæ ſecundum ſe eſt magis operoſa, tamen à nobis facili negotio reſpondetur dicendo, in reædificatione Civitatis, & Templi poſt captivitatem Babylonicam non ſolum rediviſſe duas Tribus Iuda, & Beniamin; licet ſolemis, & quaſi capitalis reditus de his duabus ſit dumtaxat; quia plures de alijs tribubus, qui de captivitate Aſsyria in Babylonem convenerant, etiam rediverunt; ita tamen, vt verè non potuerit abſolutè dici eodem prorſus modo reſtitutas eſſe decem Tribus ac duas: prout per otium differui in hoc eodem tomo de reditu decem Tribuum. Ille tamen

qualiſcumque reditus ſatis fuit, vt ſortitio terræ pro omnibus Tribubus fieret, quemadmodum, & facta eſt. Atque ex hac diſtincta forma reditus, & temporum oportunitatibus facilè eſt fateri, ſortitionem Tribuum nunc fuiſſe aliter factam ac *Ioſue* 8. recenſetur: quatenùs tunc ita; nunc autem ſic fieri oporteret propter rationes, quæ, cum expreſsæ non ſint, non poſſunt facile inveniri in tanta diſtantia temporum ac locorum.

12 Obijcies 4. Tale templum Ezechielis adhuc ex ſententia Rabbinorum, & eruditorum in rebus ſuis non fuit Zorobabelicum. Sed potius pro Eccleſia Meſsiæ ampliſsima ſumi debet. Sed Rabbini minimè id negaſſent, ſi verè ita fuiſſet: ergo quia verè ita non fuit. Probatur antec. quia ex Galatino *lib.* 5. *cap.* 12. & Adriano Fino *lib.* 2. Flagelli Iudæorum *cap.* 8. id fatentur Rabbi Abba, & Rabbi-Salomon, inferendo etiam, aliàs ſequi abſurdum ex textu dicente *cap.* 48. Civitatem habuiſſe decem octo millia leucarum, prout ipſi intelligunt illa verba poſtrema capitis: *Per circuitum decem, & octo millia*: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpondeo diſtingnendo mai. ſiniſtra intelligentia innixi, conced. mai. legitima, neg. maior. & reſpectivè diſtincta min. nego conſeq. Planum enim fit ex textu quomodo ipſi aberraverint, qui putaverunt octodecim millia quæ in poſtremo capite Ezequielis novæ Civitati adſcribuntur, intelligenda eſſe quoad leucas: neſcio enim, cur hic tàm oſcitanter impegerint: ſiquidem, vt obſervat Sanchez, & ex toto contextu patet, illa menſura non eſt niſi cubitorum: quia in ſingulis portis deſtinatis pro ternis Tribubus exponitur more Hebræo menſura per numerum cubitorum incipiendo nimirum à numero minori ſic: *Quinquentos, & quatuor millia*: cumque hic numerus quater replicatus faciat octodecim; fit manifeſtum quod tota menſura Civitatis exponitur ad octodecim millia cubitorum: quæ diſtantia eſt ferè duarum leucarum, valdè proportionata celebri vrbi Ieroſolymorum: vnde ceſſat illa argumentatio inde facta cauſa tantæ amplitudinis ad Eccleſiam Chriſtianam: nititur enim ſiniſtræ textus intelligentiæ.

13 Obijcies 5. D. Hieronymus apertè reijcit à ſignificatione Templi Ezequielis, Templum Zorobabelicum, & expreſſe pronuntiat eſſe Eccleſiam Chriſtianam. Sed expoſitio Hieronymi Doctoris Maximi deſerenda non eſt: ergo non rectè à nobis dicitur fuiſſe Templum Hieroſolymitanum. Mai. conſtat ex eius verbis in hunc „ locum, ibi: Nec hoc de illo tempo„ re dicitur, quod quidam imperiti „ Iudæorum volunt, quando ſub Zo„ robabel, & ſub Ieſu Filio Ioſedech „ Sacerdote Magno Templum extruc„ tum eſt. Hoc enim templum quod „ nunc deſcribitur, & Ordo Sacer„ dotij, terræque diviſio, & fertili„ tas multò auguſtius eſt quam fuit „ quod Salomon extruxerat. Illud au„ tem quod ædificatum eſt à Zoroba„ bel in tantum parvum erat, & prio„ ris comparatione nihil, vt qui „ prius templum viderant, & poſtea „ hoc aſpiciebant, eiularent dolorem„ que ſuum lacrymis teſtarentur, & „ multo maior eſſet clamor vlulan„ tium, quam clangor tubarum: er„ go, &c. Confirmat. 1. Nam in Templo Ezequielis eggreſſio illa aquarum decurrentium ad mare mortuum, & arbores ſitæ ad aquas cum fructibus menſtruis non dabantur in Templo Zorobabelis, & ſolum explicari poſſunt in myſterijs Eccleſiæ Chriſtianæ: ergo de ipſa intelligi debent. Confirmatur 2. Quia quidquid in viſione prophetica ſignificatur, myſticum eſt: ergo in illa viſione non fuit ſermo de litterali ac materiali Templo-Zorobabelis.

14 Ad hoc argument. reſpondeo diſtinguendo anteced. Et id dixit D. Hie-

Hieron. definitivè, & resolutoriè, nego maior. coniecturaliter, & valdè formidolosè, conced. maior. & distinct. respectivè, min. neg. conseq. Itaque verum est, D. Hieron. vtpotè Doctorem Maximum in exponendis Sacris Scripturis maximè esse attendendum, vt, & nos facimus, eiusverba observanres; nempè quo tenore in hac expositione procedat. Per id tamen non tollitur, vt vbi locum aliquem Hieronymus appellat inexplicabilem, & vbi se fatetur caligine immersum (vt planè hic fatetur ad iudicia Dei confugiens) non queat alius quispiam tentate viam atque impunè ea proferre, quæ rei, & loco magis congruere arbitrabitur. Itaque imprimis quoad authoritatem ipsius Hieronymi ex vna parte non videtur negare omninò, tale Templum Ezequielis respexisse ad reædificationem Templi Salomonici postea futuram, eo modo quo olla succensa respiciebat conflagrationem Civitatis, & templi, ait enim. Et, quo „ modo restitutionem populi, imò vi. „ vificationem in ossibus campi, sub „ resurrectionis imagine demonstra„ vit; sic nunc instaurationem vrbis, „ quæ Babilone fuerat ante annos „ quatuordecim in igne deleta, sub „ descriptione eius Dominus pollice„ tur, vt sicut captivitatem, & ever„ sionem ollæ succensæ à facie aqui„ lonis monstraverat typus, & pro„ phetiæ veritas; ita ex præterito„ rum fide futuræ ædificationis veritas „ vaticinio probaretur. Et immediatè subiungit verba nobis obiecta. Quare constat, quod eadem Civitate, & Templo succensis, vult ædificationis veritatem Vaticinio probare; proindeque de Hierosolima, & Templo eius. Vlterius verò, quod formidolosè, coniecturaliterque procedat, hæc ver„ ba demonstrant. Simpliciter igitur, „ ait ille, est fatendum, me Templum „ B. Ezequielis, quod sæcula cuncta „ tacuerunt, non temeritate velle dif„ ferere, sed fide, & timore Dei con„ iecturam animi mei cupere legenti„ bus demonstrare. Vt si ego in taber„ naculum Dei pelles caprarum, pi„ losque obtulero, vnde peccatorum „ spinæ, & aculei protegantur, & ar„ ceantur pluviæ, & tempestates; alius „ qui dives est, pro qualitate merito„ rum, vel ferrum, vel argentum, „ aurumque, & pretiosissimos lapi„ des offerat, & non nostra, quia sunt „ minora contemnat, sed propriis „ gaudeat opibus. Quo circa licèt Sanctus hic Doct. inde pergat, cum Ecclesia Catholica Christianorum Ezequielis verba componens; nihil obstat, vt cum Gregorio in probationibus dedimus, quod pars prophetiæ Ezequielis fuerit ipsum Templum Zorobabelicum, & exinde superadijciantur figuræ, typi, atque circunstantiæ, quæ cum Ecclesia Catholica, post nascitura, magis se accommodent. Sed verò quod videtur dicere D. Hieron. est, quod Templum Ezequielis cum Zorobabelico in omnibus, & adamussim omninò non quadrat; atque errare Iudæos, qui cum eo solum intenderint visionem Ezequielis perfecta veritate complere; non tamen, quòd, adhuc delineato Zorobabelico per Ezequielem, in ipso, & vna cum ipso non alia plura referantur in quibus Prophæta de typo ad antitipum excurrere visus sit.

15 Circa quæ non gravabor duorum Interpretum verba perpendere quæ rem vbertim aperiant. „ Quorum primus est noster Sanc„ tius hic *cap.* 40. ibi: Nunc vi„ dendum est, an eadem nova templi „ forma describatur à Propheta, quæ „ veteris fuit? Nam sunt qui dubitant, „ quia aliqua præscribuntur ab Eze„ quiele ad novi Templi fabricam, „ quæ non reperiuntur in veteri, qua„ lia sunt atria quædam, cænacula, „ thalami, & quædam minutiora, de „ quibus suis postea locis, sed mihi „ certum est vtriusque templi eam„ dem esse formam, quod sibi persua„ de-

„ debit facile, quæ de antiqui templi „ fabrica propheta dixit supra *cap.* 8. „ & 9. vbi portæ, & atria, & alia plu„ ra, quæ tunc spectavit Propheta in „ Templo Salamonico cum ea forma „ conveniunt, quæ ad novi Templi „ structuram obiecta est Prophetæ. Ne„ que admodum contra facit, quod „ minuta quædam in nova descriptio„ ne referuntur, quæ non scribuntur „ in antiquo à Salomone fabrefacta; „ quia aliter proponitur Architecto ad „ operis molitionem effigies, aliter il„ la eadem molitio describitur ab His„ torico. Ille namque minutissima quæ„ notat; hic magna tantum, & ne„ cessaria. Alter est noster Alcazar, qui licet debitam allegoriam complectitur, ait nihilominus in Apocalypsi *cap.* 3. *part.* 2. *vers.* 12. *not.* 2. Sic: „ His animadversis meo iudicio facile „ per suadetur animus, nulla ratione „ opus esse, vt ædificium illud, quod „ describit Ezequiel *cap.* 40 *& sequen„ tib.* omninò conformetur cum anti„ quo Salomonis ædificio: etenim li„ cet descriptio ipsa, & respectus ad „ Salomoni s ædificium manifestè pos„ tulent, vt intelligamus Ezequielis „ visionem in multis convenire cum an„ tiquo Salomonis Templo, & cum „ atrijs, vel antiquis, vel saltem ijs, „ quæ postea ædificata, & tantum à „ Tito diruta sunt; nihilominus tamen „ cum manifestè constet Prophetam „ licet Iudaica tangat; Christiana res„ picere; frustra laborat omninò qui „ contendit Ezequielis visionem cum „ materiato ædificio debere prorsus „ conformari. Qui ambo Authores Hieronymum satis interpretantur, & ex toto me explicant. Ad confirmationes ex proximè dictis constat responsio, conced. nimirum multas allegorias superadiectas illi Templo Zorobabelico, quod per prophetam fuit delineatum. Et licet quidquid per visiones venit, mysticum sit ex parte medij, secus ex parte termini, & obiecti respecti; alioqui non essent de rebus realibus prophetiæ. Hinc ergo infertur nullam iam posse militare obiectionem contra secundam partem conclusionis, siquidem aliqua allegoria ad Ecclesiam Christianam in confesso est apud omnes, & infinita ibi sunt loca, vbi accommodetur. De allegorijs verò specialibus liberum erit cuique prudenter discurrere, dum tamen ad Templum Christianorum, & ad Civitatem vrbis, & orbis semper reflectant. Allegoria autem cadere potest, vel in res, vel in sola verba maximè supra rem adiecta: siquidem allegoria Rhetoricè considerata tropus est consuens plures metaphoras ad filum eiusdem narrationis contextas. Vide Hieronymum de Prado in Ezequiel *tom.* 1. *Commentariolo Isagogico sect.* 8. vbi agit de Allegoria mixta rerum, & verborum pro dignitate: atque totus ille breviusculus commentariolus pretiosus est ad interpretanda oracula Prophetarum. Ad calcem nota, quod quamquam aliqui AA. cum Ribera *de Templo lib.* 1. *cap.* 27. admittunt Templum Herodianum scilicet ab Herode reædificatum; nihilominus id negat Ekius, vt nos tetigimus in quæstione de Templo Zorobabelis tom. 2.

CHRO-

JHS.

CHRONOLOGIA BREVIS.

AB ORBE CONDITO, VSQVE AD ad annum Domini M.DCXII.

PROOEMIVM.

CVM in toto hoc opere noſtro multæ ſint quæſtiones Chronologicæ, quarum vnaquæque intra ſuam temporis periodum, circumquaque preciſam, reſolvi ſolet; poteſt quis fortè malle habere hic paratam aliquam Chronologiam vniverſalem latè protenſam. Inter quas, numero certè quam plures, viſa mihi eſt magis vtilis, & appoſita, magiſque cohærens ad noſtras ſententias illa, quam elaboravit noſter Cardinalis Bellarminus, in qua multa ſatis coordinatè, & vſque ad tempora ſatis proxima, ita iacta ſunt, vt ſint facilè ſervitura.

CHRONOLOGIÆ PARS PRIOR, AB ANNO MVNDI 1. AD 4055.

Anni Mundi.	*Patriarchę.*	*Monarchæ Aſſyriorum.*	*Varia.*
1	Adam vixit annos 930		Quæ dicuntur de Adam, & cæteris Patriarchis, habentur in Geneſi cap. 5. & 11. præterquam de Cainan filio Arphaxad: is enim non habetur in textu Hebræo, ſed addidimus propter Lucæ auctoritatem, ex interpretatione Lxx.
130	Seth. 912		
235	Enos. 905		
325	Cainam. 910		
395	Malaleel. 895		
460	Iaret. 962		Porrò annos Beli, & cæterorum Regum Aſſyriorũ, annotavimus ex Euſebio; nec enim apud alium antiquiorem habentur: tamen initium huius regni, poſuimus in loco altiore, quam fecerit Eu-
622	Enoch. 365		
687	Mathuſala. 969		

Anni Mundi	*Patriarchæ.*	*Monarchæ Assyriorum.*	*Varia.*
874	Lamech. 777		sebius, tum vt esset locus Regibus Medorum, quos infrà subijciemus : tùm etiam quia cum Belus sit Nembrot nepos Cham, & Ninus sit Assur, nepos Noe, vt vult Aug. lib. 16. Civit. cap. 3. vel certè filius Nembrothi, non videtur credibile, eos non fuisse ante tempora Thare, qui fuit decimus à Noe.
1056	Noe. 950		
1556	Sem. 600		
1656	Diluvium durat an. 1.		
1658	Arphaxad. 338		
1693	Cainan. 568		
1723	Sale. 433		
1753	Heber. 464		
1787	Phaleg. 239		
1791		Belus regn. an. 65.	Belum esse Nembrothum qui Genes. 10. ædificavit Babylonem, & Ninum esse Assur, qui Genes. 10. ædificavit Ninivem, probari potest, tùm ex eo quòd Abydenus apud Eusebium lib. 9. præparat. Evangel. cap. vltimo, testatur Babylonem à Belo conditam : & constat Ninivem à Nino ædificatam, de quo vide Diodorum lib. 2. cap. 1. tùm etiã ex eo quòd primus Rex Orbi terrarum cognitus iuxta Scripturas Sacras est Nembroth, & iuxprofanas est Belus, ex quo normalè conijcimus, Nembrothum esse Belum. Mirum autem est cur Mercator Nembrothum velit esse Ninum, & tamen fateatur, ante eum regnasse Belum, cùm Scriptura apertè dicat, primum qui cœpit esse potens in terra, fuisse Nembrothum.
1817	Reu. 239		
1849	Sarug. 230		
1856		Ninus. 52	
1879	Nachor. 148		
1908	Thare. 205	Semiramis. 42	
1950		Zameis. 38	
1978	Abraham. 175		
1988		Arius. 30	
2018		Amalius. 40.	
2058		Xerxes Balaneus. 30	
2078	Isaac. 180		
2088		Armamethres. 38	

Anni Mundi.	*Iudices Hebræorum.*	*Monarchæ Assyriorum.*	*Varia.*
2126		Belochus. 35	Anno 20. Armametris claruit Phoroneus legislator primus.
2138	Iacob. 147		
2161		Baleus. 52	
2213		Alcadas. 32	Anno 26. Belochi fuit diluvium Ogigis.
2229	Ioseph. 110		
2245		Mamitus 30	Anno 32. Spareti Cecrops Athenas condidit.
2275		Mancaleus. 30	
2305		Iphareus. 20	
2325		Mamylas. 30	Per idem tempus fuit diluvium Deucalionis.
2355		Sparetus. 40	
2395		Ascades. 40	Anno 6. Ascadis Ysis venit in Ægyptum; & litteras docuit.
2403	Moses. 120		
2435		Amyntas. 45	Anno 1. Belothi Cadmus floruit, qui litteras Græcas dicitur inuenisse.
2480		Belothus. 25	
2483	Moses ducit Populum annos 40.		
2505		Bellopares 30	Eodem anno rapta fuit Europa, ex qua nati sunt Minos, & Radamantus.
2523	Iosue. 20		
2535		Lamprides. 32	
2549	Interregnum ann. 10		Pontificum Iudæorum annos exacte descriptos non invenimus: constat tamen à Mosis tempore vsque ad Machabæos fuisse hos. 1. Aaron. 2. Eleazarum 3. Phinees. 4. Heli. 5. Achitoph. 6. Abiathar. 7. Sadoch. 8. Achimhaas. 9. Azatiam. 10. Azariam alium, qui prohibuit Oziam adolere
2559	Othoniel Iudex annos. 40		
2567		Sosares. 20	
2587		Lamparos. 30	

Anni Mundi.	*Iudices Hebræorum.*	*Monarchæ Assyriorum.*	*Varia.*
2599	Aod. 80		lere thus. 11. Vriam. 12. Sobnam tempore Ezechiæ. 13. Eliachim tempore Manassæ. 14. Helciam tempore Iosiæ. 15. Saream occisum à Nabuchodonosor. 16. Iosedech, in captivitate. 17. Iesum filium Ioseph. 18. Ioakim. 19. Eliasib. 20. Ioiadam. 21. Iohanam. 22. Iaddum. 23. Oniam. 24. Simonem. 25. Eleazarum. 26. Manassem. 27. Oniam. 28. Simonem. 29. Oniam. 30. Alcimum. 31. Iudam Machabæum. Hæc ex Chronologia Nicephori.
2617		Panias. 45	
2662		Sosarmus. 19	
2679	Barac, & Debbora 40		
2681		Mitreus. 27	
2708	Gedeon. 40		
2740		Tanteus. 40	
2759	Abimelech. 3		
2762	Thola. 23		
2780		Thineus. 30	
2785	Iair. 22		
2807	Iephte. 6		
2810		Dercilus. 40	
2813	Abesan 7		
2820	Aialon. 10		Hunc Aialon Septuaginta non habent.
2830	Abdon. 8		Anno 2821. eversa fuit Troia.
2838	Sanson 20		
2850		Eupales. 38	Æneas in Latio regnat. In annis Heli includuntur etiam anni Sampsonis, ideo LXX. Interpretes solùm 20. annos adscribunt Heli.
2858	Heli. 40		
2878	Samuel. 20		
2888		Laostenes. 45	
	Reges Hebræorum.		Anni Samuel, & Saul in Scriptura veteri non habentur, sed Act 13. dicuntur fuisse 40.
2698	Saul Rex. 20		

An-

Anni Mũdi	Reges Hebræorum.	Monarchæ Assyriorum.	Varia.
2919	David. 40		
2933		Piriciades. 30	Anno 2928. Carthago condita est.
2959	Salomon. 40		
2963		Ophrateus. 20	
2983		Ophratanes. 50	

	Reges Iudæ.	Reges Israël.	
2999	Roboã. 17	Hieroboam. 22	
3016	Abia. 3		
3019	Asa. 41		
3021		Nadab. 2	
3023.		Baasa. 24	
3033			Ocrazapes. 41
3047		Hela. 2	
3048		Zambri dieb. 7 Amri. anni 12	Monarchia Assyriorum vsque ad Sardanapalum stetit annis 1330. quamvis Eusebius dicat 1240. & Iustinus lib. 1. 1300. & Diodorus lib. 2. 1400. & Orosius lib. 1. 1160. Destructa fuit à Medis, quorum ann. describimus ex Ctesia Cnidio, qui ex publicis Annalibus eos refert apud Diodorum lib. 2.
3060	Iosaphat. 25	Achab. 22	
3074			Sardanapalus. 20
3082		Ochozias. 2	
3083		Ioram. 12	
3085	Ioram. 5		
3090	Ochozias. 1 Athalia. 7	Iehu. 18	
3094			Arbaces. 28
3097	Ioas. 40		

Annos Assyriorum, & Babyloniorum, partim ex Scriptura, partim ex Berosso apud Iosephum lib. 1. contra Appionem petemus.

Anni Mūdi	Reges Iudæ.	Reges Israël.	Reges Medorum	Reges Assyriorum.	Varia.
3118		Ioachaz. 17			
3122			Mādanes. 50		
3135		Ioas. 16			
3137	Amasias. 29				Assyrij rursum incipiunt in Ninive regnare, regnantibus nihilominus etiã Medis. Huius Phul mentio fit 4. Reg. 15
3151		Hieroboam. 41			
3163				Phul. 48	
3166	Azarias. 52 sed cum patre annis 12. solus. 40				Olympiades incipiunt anno 4. Ioathan, id est, anno mundi 3209. Nam constat Cyrum regnare cœpisse Olympiade 55. vt Eusebius, & omnes alij docent: porrò Cyrus regnare cœpit anno mundi 3425. non igitur recte Eusebius earum initium ponit anno 50. Azariæ. Quod si initium regni Cyri ponitur anno 3547. Olympiades incipient anno 10. Achaz, mundi 3232.
3172			Sarsomenes. ann. 30.		
3192		Zacharias men. 6. Sellum m. 1. Manaem. an. 10			
3202		Phaceas. 2	Artecarmis. ann. 50		
3204		Phacee. 20			
3206	Ioathan. 16				
3211				Teglath. phalasar. ann. 25	Roma conditur annno 12. Achaz, mundi 3233.
3222	Achaz. 16				Salmanasar transtulit decem tribus in captivitatem. 4. Reg. 17. & Tob. 1.
3224		Osee. 9			
3236				Salmanas. sar. 9	Merodach Baladan regnabat in Babylone eo ipso tempore, quo Asaraddon in Ninive, vt patet ex 4. Reg. 19. & 20. Tamen posuimus eius initiũ hoc loco, quia post Asaraddon cœpit Merodach regna-
3238	Ezechias. 29				
3245				Sennacherib. 7	re

Anni Mundi.	Reges Iudæ.	Reges Medorum.	Reges Babyloniorum.		Varia.
3252			Arbianus, seu Cardiceas. 22	Assar. addon. 18.	re etiam in Ninive : vnde non fit Amplius mentio in Scripturis Regum Assyriorum, sed solum Babyloniorum.
3267	Manasses. 55			*Reges Babylonis.*	
3270				Merodach Baladã. 40	
3274			Arteus, q & Deioces. 53		
3310			Ben Merodach. an. 21.		Hunc Merodac putamus esse eum, qui in libro Iudith dicitur Nabuchodonosor : Sicut etiam Arteum, seu Deiocem putamus esse Arphaxad, de quo ibidem agitur. Porrò Deioci dedimus 53. annos, quia hunc numerum notavit Herodotus lib. 1. vbi etiam dicit, à Deioce ædificatam Ecbatanam, quod in lib. Iudith. tribuitur Arphaxad.
3322	Amon an. 2				
3324	Iosias. 31				
3327		Attines, qui & Phraorthes. ann. 22			
3331			Nabulasarus. 29		
3349		Artabanus, qui & Cyaxares. ann. 40			Ex numeris Regum Babyloniorum, qui habentur ex Berosо apud Iosephum lib. 1. contra Appionem, solùm mutavimus duos annos, quos tribuit Evilmerodacho Berosus in 22. ann. nam. 4. Reg. vlt. dicitur Evilmerodach regnare cœpisse anno 37. transmigrationis Regis Ioachim : ex quo tempore vsque ad finem Regni Babylonici constat esse annos 44. qui tamen non colligerentur, nisi daremus Evilmerodacho 22. annos: credibile est esse errorem impressorum, præsertim cùm omnes alij Chronologi dent ei 22. aut 23. annos.
3355	Iochaz m. 3 Ioacim an. 11				
3360			Nabucodonosor magnus ann. 43		
3366	Ioachim. m. 3 Sedechias, 11				
3377	CAPTIVITAS annorum 70.	*Reges Medorum.*	*Reges Persarum.*	*Reges Babylonis.*	
3389		Astyages. 38			
3403				Eurilmerodach. 22	
3425			Cyrus. 29	Nirigliſſoor. ann. 4	

Anni Mũdi	*Reges Iuda.*	*Reges Medorum.*	*Reges Persarum.*	*Reges Babylonis.*	*Varia.*
3429				Laboro Sordocus m. 9.	Cyrum posuimus ante Babylonem eversam multis de causis. Primò, quia constat, eum regnasse post Astyagem, translato ad Persas Medorum Imperio, vt habetur Danielis 13. & apud Herodotum lib. 1. Diodorum lib. 2. & Iustinum lib. 1. Secundò, quia Berosus apud Iosephum lib. 1. contra Appionem, & Herodotus lib. 1. Iustinus, ib. 1. & alij dicunt, Cyrum post adeptum Imperium Asiæ tandem venisse contra Babylonem: non igitur incipit Regnum Cyri post eversam Babylonem, sed antea cœpit. Tertiò, quia Herodotus lib. 1. tribuit Cyro annos 29. Xenophon autem lib. vlt. Cyri pædiæ tribuit tantùm septem, quorum vtrumque concordari potest, si dicamus, Cyrum regnasse in vniversum annos 29. sed post adeptum Imperium Babylonis annos septem. Quis igitur (inquies) est Darius Medus, qui regnat anno vno post Balthassarem? Danielis 5. 6. & dico, eum esse Cyaxarem Astyagis filium, cuius neminit Xenophon: tametsi enim Medus iam nihil erat, nisi Cyri præfectus quidam, aut Regulus, placuit tamen Cyro honorare illum titulo Regni Babylonici, quòd consanguineus, & senior esset. Vide Iosephum lib. 1. antiquitatum. cap. 12. & Hieronym. in Danielem.
3430				Baltasar qui, & Nabonidus. 17	
	Duces Iudæorum.	*Monarchia Persarum.*			
3447	Captivitas solvitur.	Cyrus cum Dario ann. 1. solus ann. 7			
3448	Zorobabel. 32				
3455		Cambyses ann. 7. men. 6			
3462		Magus cum fratre men. 6			
3463		Darius Hydaspis 36			
3480	Resa. 46				
3499		Xerxes. 21			
3520		Artabanus men. 7			
3521		Artaxerxes Longimanus. 40			
3530	Ioannes. 40				
3561		Xerxes alius. men. 2 Sogdianus. men. 7			
3562		Darius nothus. 19			
3570	Iudas. 14				Annos Regum Persarum descripsimus ex Diodoro lib. 11. 13. & 17. item ex Herodoto lib. 2. & 3. & ex Eusebio: sed vbi non conveniunt, Diodorum sequuti sumus.
3581		Artaxerxes Mnẽmon. 43			
3584	Ioseph. 7				
3591	Semei. 11				Alexander Magnus ann. 7. Regni sui Macedonici expugnavit Darium, & transtulit Monarchiam Persarum ad Græcos: deinde cùm imperasset adhuc annos quinque, tandem mortuus est anno 33. ætatis, 12. Regni,
3602	Mathatias. 12				
3614	Maat. 9				

&

Anni Mũdi	*Duces Iudæorum.*	*Monarchia Persarum.*	*Varia.*
3623	Nagge. 10		& 6. Monarchiæ, post cuius obitum divisa est Monarchia in plures Reges. Vide Diodorum. lib. 17. & 18. & Iosephum lib. 12. Antiquitatum.
3624		Artaxerxes Ochus 23	
3633	Heli. 8		
3641	Nahum. 7		
3647		Arses. 4	Sapientes Gentium, Orpheus, & Linus temporibus Iudicum dicuntur floruisse. Homerus tempore Salomonis Regis Hierusalem. Thales tempore Iosię Regis. Septem Sapientes ad finem captivitatis. Aesopus eodem tempore. Pythagoras tempore Cyri. Herodotus tempore Xerxis. Socrates, Euclides, Xenophon, Pindarus, & Simonides tempore Artaxerxis. Plato, Isocrates. Demosthenes, Aeschines, Aristoteles, tempore Ochi, & successorum.
3648	Amos. 14		
2651		Darius. 6	
		Monarchia Græcorum.	
3657		Alexander Magnus an. 5.	
3662	Mathatias. 10		

Divisio Monarchiæ in quatuor Regna.

	Reges Macedonię.	*Reges Ægypti.*	*Reges Syriæ.*	*Reges Asiæ.*	
3663	Philippus Aridus. 7	Ptolemæus Lagi. 40			Theophrastus, Zeno, Epicurus, & Menander, tempore Ptolomæi Lagi.
3668				Antigonus ann. 18	A Seleuco numerant libri Machabæorum annos Græcorum. Euseb.
3670	Cassander. 19				
3672	Ioseph 60.				
3676			Seleucus Nicanor. ann. 32		
3686				Demetrius ann. 17	Demetrius Rex Asiæ à Seleuco captus Imperio privatur: ita remanent tres tantum Alexandri successores. Eubius.
3689	Antigonus, & Alexander. 4				

Anni Mundi.	Duces Iudæorum.	Reges Macedoniæ.	Reges Ægypti.	Reges Syriæ.	Varia.
3693		Demetrius 6.			
3699		Pyrrhus mē. 7			
3700		Liſimachus. 5			*Res Romanæ.*
3703			Ptolemæus Philadelphus. 38		Roma condita eſt 11. Kal. Maij. Plutar. in Romulo, & Eutropius lib. 1. Olympiade 7. anno 1. Solinus cap. 2. Clemens Alex. ſtrom. 1. Dionyſ. Halicarnaſſ. pagina 58. ex quo ſequitur conditam eam fuiſſe anno 12. Achaz, mundi 3233. nam Olympiades cœperunt anno 4. Ioathan, mundi 3209.
3075		Ptolomęus Ceraunus. 1			
3706		Melcager, m. 2. Antipater, d. 45. Soſtenes, ann. 2			
3708		Antigonus, ann. 36		Antiochus Sother. 19	Regnatum eſt Romæ annis 244. Livius, & Dionyſ. Halicarn. nimirum regnavit Romulus annis 37. interregnum fuit ann. 1. Numa Pompilius regnavit ann. 43. Tullus Hoſtius 32. Ancus Marcius 24. L. Tarquinius Priſcus 38. Seruius Tull. 44. L. Tarquinius ſuperbus 25.
3727				Antiochus Theos. 15	
3732	Ioannes Hyrcanus. 17				
3742			Ptolemæus Evergetes ann. 26	Seleucus Gallinicus ann. 10	Conſules cœperunt anno mundi 3478. Olympiade 68 anno 1. Darij Hydaſpis. Duravit regimen conſulare vſque ad Imperium Iulij Cæſaris annos 462.
3744		Demetrius, ann. 10			
3754	Interregnum apud Iudæos.	Antigonus, ann. 15			
3762				Seleucus Ceraunus ann. 3	Seceſsio plebis in ſacrum montem, & creatio prima Tribunorum accidit anno 261. ab vrbe condita, anno mundi 3495. Olymp. 27. Liv. lib. 2.
3765				Antiochus magnus. ann. 36	

Anni Mũdi.	*Duces Iudæorum.*	*Reges Macedoniæ.*	*Reges Ægypti.*	*Reges Syriæ.*	*Varia.*
3767			Ptolomæus Philopater ann. 17		Magiſtratus Decemuirorum cœpit anno Vrbis conditæ 303. duravit vix tres annos. Liv. lib. 3.
3769		Philippus. 42			Dictatorum prima creatio facta eſt anno Vrbis 253. creato T. Largio. Liv. lib. 2.
3783			Ptolemæus Epiphanes ann. 24		Tribuni Militares Conſulari poteſtate cœperunt anno Vrbis 311. Roma capitur à Gallis ann. Vrbis 365. Dionyſ. lib. 1. Liv. lib. 5.
3801				Seleucus Philopater ann. 12	
3806			Ptolomæus Philometor, ann. 35		Bellum Romanorum cum Pyrrho Rege anno Vrbis 473. Liv. lib. 13.
3811		Perſes. 10			Romani ingreſſi ſunt mare, & primum bellum Punicum geſſerunt Olympiade 129. anno Vrbis 489. mundi 3723. Polybius lib. 1. duravit 22. annos. Eutropius lib. 3.
3813				Antiochus Epiphanes ann. 11	
3821		Regnũ Macedoniæ deficit			Initium ſecundi belli Punici fuit Olympiad. 140. anno Vrbis 537. mundi 3771. Polyb. lib. 3. duravit annos 17. Liv. lib. 30.
3822	Matathias, ann. 1				
3823	Iudas Machabæus. 6				Bellum Romanorum cum Philippo Rege Macedoniæ cœpit anno Vrbis 554. mundi 3788. finitum eſt anno 3821. capto Perſe Rege à L. Aemilio Paulo. Vide Livium lib. 44. & 45.
3824				Antiochus Eupator. 2	
3826				Demetrius Soter. 12	Bellum Aſiaticum fœliciter confectum eſt à L. Scipione Africani Scipionis fratre contra Antiochum magnum Regem Syriæ anno Vrbis 564. mundi 3798. vide Liv. lib. 37.
3829	Ionathas, ann. 19				
3838				Alexander. ann. 10	

Anni Mūdi.	*Duces Iudeorum.*	*Reges Ægypti.*	*Reges Syriæ.*	*Varia.*
3840		Ptolomæus Everget. 29		Bellum Punicum tertium cœpit ann. Vrbis 602. mundi 3836. finitum eſt intra quinquennium à Scipione Africano minore. Florus lib. 49. & 51. Eutrop. lib. 4.
3848	Simon. 8		Demetrius alius. 3	
3851			Antiochus Sederes 9	
3856	Ioannes Hyrcanus 26			Bellum Numantinum anno Vrbis 620.
3860			Demetrius iterum. 4	Bellum Iugurthinum anno Vrbis 643. mundi 3877. vide Salluſtium. Bellum Cimbricum ante Iugurthinum cœpit, ſed poſt Iugurthinum finitum eſt à C. Mario.
3864			Antiochus Griphus ſeu Tryphon. 12	
3868		Ptolemæus Phyſcon. 17		
3876	*Reges Iudæorum.*		Antiochus Cyzicenus ann. 18	Antiochum hunc Pompeius Regno ſpoliavit. Appianus Alexandrinus in Syriacis.
3882	Ariſtobulus. 1.			Ariſtobulus primus poſt Regem Sedechiam, diadema ſibi regium impoſuit. Ioſep. lib. 15, antiq. c. 18.
3883	Ianneus Alexander. ann. 27			
3884		Ptolomæus Alexander. 10		
3894		Ptolomæus Phyſcon iterum. 8	Philippus. 2	Philippho à Gabinio capto ceſſat regnum Syriæ. Euſebius in Chronico.
3902		Ptolomæus Dionyſius 30	Regnum Syriæ deficit.	
3910	Alexandra. ann. 9			Poſt mortem Alexandræ contendentibus filijs eius Ariſtobulo, & Hyrcano, de Regno,

Pom-

Anni Mundi.	*Reges Iudæorum.*	*Reges Ægypti.*	*Imperatores Romani.*	*CHRISTVS.*	Anni Dñi.	*Varia.*
3919	Hyrcanus. ann. 34					Pompeius Iudæos tributarios fecit, & Aristobulum quidem Romam captum adduxit, Hyrcano Pontificatum confirmavit; procurationem Provinciæ Antipatro tradidit, cuius filius Herodes postea ad Regnum pervenit. Ioseph. lib. 14. antiquit.
3932		Cleopatra. 22				
3937			Iulius Cæsar. ann. 4			
3941			Interregnum ann. 1. & ½			
3942			Octavianus Augustus cũ Triumuiris ann. 12. solus 44. Sueton.			
3953	Herodes Ascalonita. 37	Regnum Ægypti deficit.				
3984				IESVS nascitur.	1	Hierusalem capta, & destructa est anno 2. Vespasiani, 37. Christi, 4056. mundi: perierunt partim gladio, partim fame vndeciescentena millia Iudæorum, & alia centum millia capta, & vendita sunt. Iosephus, & Eusebius.
3990	Archelaus. ann. 9			Iesus redit ab Ægypto.	7	
3998	Herodes Antipas. 24		Tiberius. ann. 22. m. 6 d. 26. Suet.		15	
4013				Iesus baptizatur.	31	
4016				Iesus moritur, & resurrexit.	14	
4022	Agrippa. 7				39	
4029	Agrippa iunior. 26				46	
4055	Regnum Iudæorum deficit.				72	

CHRONOLOGIÆ PARS ALTERA: AB ANNO Domini 1. ad 1612.

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
0		Iulius Cæsar. ann. 4			Ann. 42. Augusti inchoãte nascitur Iesus Christus. Nã an. 15. Tiberij cõpleverat Iesus an. 30. Luc. 3. ergo an. 1. Tiberij cõpleverat Iesus an. 15. ergo si demas ex an. Aug. quindecim an. concurreret annus primus Christi cum anno 42. Augusti.
0		Augustus ann. 56			
17		Tiberius ann. 22 m. 6			
34	S. Petrus. ann. 35 men. 3				Christus mortuus est, & resurrexit, & Petrũ Ecclesiæ præfecit, ann. suo 34. Scribit enim Bed. lib. de ratione tẽporum c. 45. Fidẽ Ecclesię habere, vixisse Christũ in carne mortali paulò amplius triginta tribus annis.
39	S. Petrus Antiochiæ ann. 7	Caius ann. 3. men. 10	S. Petrus. S. Paulus. S. Matth.	Simon Manus primus Hæresiarcha, existimavit donũ Dei pecunia possideri. Act. 8. docuit præterea mundũ non esse creatum à Deo. se esse Deum, qui in Samaria apparuit, vt Patrem, in Iudæa vt filium, in Gentibus, vt Spiritum Sanctum: non esse liberum arbitriũ: non esse necessaria opera bona: Animas migrare de corpore in corpus. Vide Irenæũ lib. 1. cap. 20.	Concilium primum Hierosolymitanum sub S. Petro, anno Domini 51.
43		Claudius. an. 13. m. 8	S. Ioannes S. Iacobus S. Iudas.		
44	S. Petrus Rom. 25		S. Marcus S. Lucas.		Persecutio prima sub Nerone.
57		Nero ann. 13. m. 7	Philo.		Euseb. in Chronico scribit, Neronẽ imperasse an. 14. m. 8. sed nõ ita est: imperavit enim an. 13. m. 7. ex Sueton. Dione, & alijs. Proinde S. Petrus nõ fuit crucifixus ann. 14. Neronis, vt S. Hieron. Euseb. secut. scripsit, in li. de Script. Eccles. sed an. 13. alioqui martyriũ S. Petri nõ contigisset die 29. Iunij, vt Ecclesia celebrat. Obijt enim Nero die 10. Iunij an. 14
70	Linus. 11.	Galba m. 7. d. 25.	Iosephus.		
71		Otho. m. 3 Vitelius. m. 8		Menander, Saturninus, Basilides. Discipuli Simonis, Iren. lib. cap. 21. & 22.	
72		Vespasianus. an. 9. m. 11.		Nicolaus vnus ex septẽ primis diaconis, docuit licere fornicari, & vesci idolothytis. Iren. lib. 1. cap. 27. Alij ta-	Anno 1. Vespasiani Hierusalẽ capitur, incenditur, evertitur, vt nõ remaneret

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
81	Cletus. 12	Titus anno 2. m. 2.		tamen existimant, Nicolaum diaconum fuisse virũ probum, sed Nicolaitas, qui arguuntur Apoc. 2. & qui ea docebant, fuisse hęreticos falso nomine Nicolaitas dictos. Vide Euseb. lib. 3. hist. cap. 23.	ret in ea lapis super lapis super lapidem. iuxta prædictionem Domini Luc. 19.
83		Domitianus. an. 15. m. 15.	Hermes.		Secunda persecutio sub Domitiano.
93	Clemens. 9		Clemens.		
99		Nerva ann. 1. m. 4.	Ignatius. Polycarpus.		Domitianus, qui se Dominum ac Deum haberi, & dici volebat, misere confoditur.
100		Traianus. ann. 19. m. 3.	Dionysius Areopagita.		Persecutio tertia sub Traiano.
103	Anaclet. an. 9. m. 3			Cherintus, & Ebion eius discipulus, Iesum esse purum hominem ex Ioseph, & Maria natum docuerunt. Iren. lib. 3. cap. 3. & lib. 1. cap. 25 & 26.	Hic Traianus vir optimus existimatus est ab infidelibus, ita vt acclamarent novis Principibus, *Augusto felicior*, *Traiano melior*, Eutropio teste: fuit tamen vino deditus, & puerorum amoribus, Dione teste, quæ illi vitia non agnoscebant, cùm sint enormia, & contra naturam.
112	Evaristus. an. 9. m. 3.				
120		Hadrianus. ann. 20. m. 11.	Aquila interpres Scripturæ.		
121	Alexander an. 10. m. 5				
132	Sixtus anno 10. m. 1		Iustinus.	Chiliastæ: qui docent, Sanctos regnaturos mille ann. post resurrectionem cum Christo in terris; cœperunt tempore Sancti Ioannis per Papiam eius discipulum. Vide Eusebium lib. 3. hist. cap. 39	
140		Antoninus ann. 22. m. 8.	Melito.		Persecutio quarta sub Antonino.
142	Telesphorus ann. 11 m. 9		Athenagoras.		
154	Hyginus. ann. 4		Theophilus Antiochenus.	Gnostici, Authore Carpocrate, secundum Irenæum lib. 1. c. 24. vel Nicolao, secundum Epiphanium hæresi 26. vel Valentino, secundum Hiero-	
158	Pius ann. 9. m. 6.		Egesippus.		

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	*Hæreſiarchæ.*	*Varia.*
163		M. Aurel. L. Verus. ann. 19.	Tatianus.	ronimũ in lib. de Script. Eccleſ. docuerunt, Animã eſſe de ſubſtãtia Dei. Vnũ eſſe Deum bonum, alterum malum, & alia id genus. Vide Auguſt. hæreſi 6	Hoc tempore quæſtio de feſto Paſchæ celebrãdo die Dominico, an cũ Hebræis decimaquarta Luna, diu Eccleſiam vexavit.
167	Anicetus. an. 8. m. 9.		Irenæus.		
175	Soter. 5.			Carpocrates docuit, Ieſum Chriſtum ex Ioſeph natũ, mundum ab Angelis factum, nihil eſſe bonum, vel malum, niſi opinione hominum. Omnia opera eſſe exercenda, quantũvis peſsima; & toties animã ad corpus, quaſi ad carcerem, redituram, donec expleat, iuxta illud, non exies inde, donec reddas noviſsimum quadrantem. Irenæus lib. 1. cap. 24.	
179	Eleutherius ann. 15. d. 23.		Hyppolitus.		Lucius Rex Britannorum ab Eleutherio Pontifice petit, & impetrat, qui eum cum ſua gente Chriſtianũ faciant. Bed. Addo, & alij in Martyrologio, & Tertullianus lib. adverſus Iudæos cap. 7.
182		Commodus ann. 12 m. 9.			
194	Victor. ann. 9. m. 1.				
195		Pertinax. m. 3. Didius Iulianus m. 2. Severus. ann. 17. m. 8.		Caiani inde dicti ſunt quod Cainum, Iudã, Sodomitas, Chore, Dathã, & Abiron, ſalvatos eſſe dicunt, negant carnis reſurrectionem. Iren. lib. 1. cap. 35.	Quinta perſecutio ſub Severo; qui annis ferè decẽ Chriſtianos pacem habere permiſit, ſed poſtea crudeliter occidi mãdavit.
203	Zephirinus annos 18. d. 18.		Tertullianus.	Valentinus innumeras fabulas invenit, de quo vide Iren. lib. 1. cap. 1.	
213		Antoninus Caracalla. ann. 6. m. 2.		Hermogenes poſuit materiam Deo coæternam: & in Deo vnam tantùm eſſe perſonam. Tertullia. lib. contra Hermogenem.	
219		Macrinus. ann. 1. m. 2			
220		M. Aurel. Antonin. Heliogabalus. ann. 3 m. 9.	Iulius Africanus.	Montan. Phryx vnde Cataphrygę, aſſeruit ſe paracletũ eſſe, & plurimos ſeduxit, inter quos ipsũ etiã Tertull. Epiph. hæreſi 48 Auguſt. hæreſi 26. & 28.	Heliogabalus, & Severus adoleſcentes conſobrini, vnus poſt alterum Imperiũ rexit, illo nihil turpius, & nequius: iſto nihil iuſtius, & ſanctius, ſi fides ei Chriſti non defuiſſet.
221	Caliſtus an. 5. m. 1.		Minutius Felix.	Origenes ex Philoſophia Platonis deceptus multa do-	Vbi-

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
				docuit contra fidei veritatem præsertim de inæqualitate divinarũ personarũ; de origine animarum; de resurrectione corporum; de salvatione dœmonũ. Vide Epiphaniũ hæresi 64. & Hieron. ad Avitũ, & ad Pãmachiũ de erroribus Originis, & quintã Synodũ generalẽ	Vbique scribi iubebat (Quod tibi non vis, alteri ne feceris.)
224		Alexander Severus. ann. 13.	Origenes.		
227	Vrbanus. an. 6. m. 7		Ammonius Alexand.		
233	Pontianus ann. 5.		Gregorius Thaumaturgus.		
237		Maximinus. anno. 3.		Helcheseitæ docebant, licitũ esse fidẽ ore negare modò in corde retineretur. vid. Eus. l. 6. hist. c. 28	Sexta persecutio sub Maximino.
238	Anterus. ann. 1.			Rebaptizantes in Africa. Agrippino, qui sanctũ Cyprianũ in Episcopatu Carthaginensi præcessit, auctore exorti sunt. Docuerunt, baptizatos ab hæreticis, iterum esse in Ecclesia baptizandos, & quãvis Agrippinus, & S. Cyprianus hæretici appellari nõ possint, cũ Ecclesiæ communionẽ nunquã reliquerint: tamẽ posteri eorũ Donatistæ, qui pertinaciter anabaptismũ defenderũt, meritò hæretici habiti sunt. vide August. li. 2. de Bapt. contra Donatistas.	Fabianus descensu columbæ cælitus missæ declaratus fuit à Deo Pontifex futurus. Euseb. lib. 6. hist. cap. 22.
239	Fabianus. an. 14.				
240		Maximus, & Balbinus. anno 1.			
241		Gordianus ann. 5.			
246		Philippus. ann. 6.	Cornelius Cyprianus.		Septima persecutio sub Decio Imperat. quam continuarunt Gallus, & Volusianus.
253		Decius. an. 1. m. 3.	Pontius Diaconus.		
254	Cornelius. ann. 2.	Gallus, & Volusianus. ann. 3.	Dionysius Alexandrinus.	Novationi à Novatiano presbytero Romano, & à Novato presbytero Carthaginensi dicti sunt: docuerunt nõ esse in Ecclesia potestatem remittẽdi peccata post baptismum commissa, neque esse baptizatos sacro chrismate confirmandos, & secũdas nuptias esse illicitas. vide Epiphan. hæresi 59. & August. hæresi 38.	Primum schisma in Rom. Ecclesia Novatiani Antipapæ contra Cornelium.
255	Lucius. an. 1. m. 8.				Gothi Rom. Imperiũ infestare incipiunt.
257	Stephanus. an. 3. m. 3.	Valerianus, Gallienus. ann. 8.			Octava persecutio sub Valeriano, quem Sapor Rex Persarum à se captũ, vilissimè habuit, vt etiam eum calcaret cùm equum ascendere vellet.
260	Sixtus II. ann. 1.		Zeno.		

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
261	Dionysius, anno 11. m. 3.		Victorinus Pictavionensis.		
263		Gallienus solus an. 7.			
269		Claudius. ann. 3.			
271		Aurelianus. nn. 6.			
273	Felix ann. 2. m. 5.				
275	Eutychianus. ann. 8. m. 6. d. 4.				
278		Tacitus. n. 6. Florianus. m. 2.		Manes, sine Manichęus an. 4. Aureliani agnosci cœpit, docuit, duo esse principia coæterna, vnum bonum alterum malum, nihil esse verè spirituale, sed omnia esse corporalia, hominẽ non esse liberi arbitrij, & omnium peccatorum causam esse naturam mali principij Manichæũ esse Spiritum Sanctum paracletum, quem Christus promisit; carnẽ, & vinum esse res immundas natura sua; & ideo ab ijs abstinendũ esse. Animas migrare de corpore in corpus. Vetus Testamentum esse à malo principio, & ideo reijciẽdum. Vide Epiphanium hæresi 66. & Aug. hæresi 46.	Probus Imperator fortissimus à Chroco Rege Alemannorũ Gallias liberat cæsis quadrigentis millibus hostiũ. Vopiscus, & tunc simul Ecclesia Gallicana post lõgas persecutiones aliquantulum requievit Gregorius Turonicus lib. 1. cap. 32.
279		Probus. ann. 5.			
284	Caius. ann. 12. m. 4.	Carus cum filijs Carino, & Numeriano. anno 2.	Arnobius Ater.		Carus Imperator quãvis Ethnicus Ecclesiam Thessalonicensem à tributis immunem facit. lib. 8. Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs.
285		Diocletianus, & Maximianus. ann, 20.	Lactantius Firmianus.		Diocletianus Curino devicto, Maximianum collegam assumit anno Imperij tertio.
297	Marcellinus ann. 8.		Eusebius Cæsariensis		
304	Marcellus. anno 5. m. 1. d. 24.	Constantius, & Galerius. anno 3.	Methodius martyr.		Decima persecutio sæviss. sub Diocletiano, & Maximiano qui nihilominus cum

non

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
306		Constantinus Magnus. ann. 31.	Iuvencus presbyter.	Donatus initio schisma facit, postea hæresim condidit, docuit rebaptizandos baptizatos ab hæreticis. In sola Africa, & in sola parte donati esse Ecclesiam. August. hær. 69.	non possent prævalere, depositerunt Imperium, tradentes illud Constantio, & Galerio. Galerius, Maximinum, & Licinium Imperatores fecit: & Romæ Maxentius, Maximiani filius, Imperium assumpsit, sed brevi omnibus extinctis solus Constantinus feliciter totum orbem Romanum diu tenuit.
309	Eusebius. an. 2. m. 7.		Antonius Abbas.		
311	Miltiades an. 2. m. 2		Pachomius Macharius. Oresiesis.		
314	Sylvester. annos. 21. m. 10.				
325			Athanasius.	Arius præsbyter Alexandrinus docuit, filium Dei esse creaturam, non esse coæternum Patri, non esse coessentialem Patri. Christum hominem non habere animam: sed eius loco esse Verbum. Epiph. hær. 69. Aug. hær. 49. Theodor. lib. 4. de fabulis hæreticorum.	Concilium generale primum Nicææ habitum 318. Episcoporum, in quo Arius dānatus fuit.
336	Marcus m. 8.		Serapion.		
337	Iulius. an. 15. m. 5.	Constantinus iunior ann. 4. Constans ann. 13. Constantius. an. 24.	Iulius Firmicus. Lucifer. C. Harius. Victorinus. Hilarius.	Photinus Sirmiensis Episcopus docuit, Christum non esse Deum, sed purum hominem. Deum non esse trinum, Epiphan. hær. 71.	Persecutio XI. sub Constantino Ariano.
352	Liberius. an. 15. m. 4		Greg. Bæticus. Sebadius. Pacianus. Didymus.	Macedonius Episcopus Constantinopolitanus docuit, Filium quidem Dei esse Patri per omnia similem, sed Spiritum Sanctum esse creaturam. Epiphan. hæresi 78. August. hæresi 52.	Schisma secundum Felicis cum Liberio: sed vterque aliquo tempore legitimus fuit.
358	Felix II. an. 1. m. 3. vivente Liberio.		Optatus. Titus Bostren. Cyrillus Hierosol. Ephræm. Basilius. Greg. Nazian.	Aetius, & Eunomius eius discipulus, docuerunt, Filiū Dei esse omnino dissimilem Patri; Spiritum Sanctum esse creaturam Filij. Opera non esse	Persecutio XII. sub Iuliano atrox sed brevis.
361		Iulianus an. 1. m. 9.			

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperatores. Occident.	Imperator. Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
364		Iovianus. m. 7.d. 20.		Andreas Cæsarien. Epiphan. Philo Carpathius.	esse necessaria, sed fidem solam sufficere ad salutem. Basilius lib. 1. & 2. in Eunomium, August. hær. 54.	
364		Valentinianus. ann. 12.	Valens. ann. 25.	Ambros. Mediol. Philastrius Idacius.	Aetius, quia Episcopatum obtinere non potuit, docere cœpit, Episcopos, & præsbyteros esse omnino æquales: addit, non esse orationes, & sacrificia oferenda pro defunctis non esse servãda ieiunia, & festa ab Ecclesia indicta. Epiphan. hær. 75. Aug. hær. 53	Persecutio XIII. sub Valẽte Ariano.
367	Damasus an. 17. m. 3.			Gregorius Nyssenus. Amphilochius.		Schisma III. Vrsicini cõtra Damasũ.
375		Gratianus. ann. 8. & Valentinianus iunior. ann. 17.		Hieronymus. Theophilus Alexand. Dorothus. Diadochus Ruffinus.	Apollinarius Laodicenus grammaticus, & poeta melior, quam Theologus, docuit Verbum Dei accepisse carnem humanã sine anima rationali: divinas personas esse inæquales, magnum videlicet esse Spiritũ Sanctum, maiorem Filium, maximum Patrẽ. Epiphan. hær. 77. Aug. hær. 55.	Secunda Synod. generalis, prima Cõtãtinopolitana, cõtra Macedoniũ, & alios negãtes divinitatem Spiritu S.
379			Theodosius. an. 17			
381						
385	Siricius. an. 13. m. 1.				Vadius, Anthropomorphitarum auctor, docuit Deum habere formam humanã. Ephiphan. hær. 70.	
395		Honorius. an. 28. m. 5	Archadius an. 13 m. 3			Circa hæc tẽpora S. August. instituit Ordinẽ Clericorũ Regulariũ; qui simul cũ seipso vitã communem agebant.
398	Anastasius an. 4. m. 1.			Palladius. Gaudẽtius Prudẽtius. Chromat. Io. Chrysostomus.	Heluidius docuit, B. Virginem post Christi nativitatem, habuisse ex Ioseph alios filios. Hieron. contra Heluidium.	
402	Innocentius ann. 15. m. 1.				Priscillianus docuit, animas esse eiusdem substantiæ cũ Deo; mũdum creatum à Principe maligno: & alia multa stultissima. August. hæres. 7.	
408			Theodosius iunior ann. 43.	Severianus Augustin. Maximus Ausonius. Synesius. Paulinus. Sulpitius.	Iovinianus docuit, peccata esse paria, præmia Sanc-	Ann. 410 Roma capta est ab Alarico Rege, anni 1102 ab eius conditione.
417	Zozimus. ann 1. m. 4.				torum	

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperat. Occident.	Imperat. Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
419	Bonifacius. ann. 4. m. 10.			Lucianus. Orosius. Sedulius. Cyrillus. Alexand. Theodor. Proclus. Eucherius. Claudian. Sidonius. Io. Cassianus. Vincentius Lirinens. Socrates. Sozomenus Nilus. Simeon Stilita. Hilarius. Arelaten. Prosper. Petrus Chrysologus.	torum esse æqualia, virginitatē non præstare cōiugio, & alia. August. hæresi 28.	Schisma IV. Eulalij. contra Bonifacium.
424	Cœlestinus. ann. 8. m. 5.				Vigilantius. docuit, non esse honorandas reliquias Sāctorum, Hieron. contra. Vig.	Hoc tempore conditur civitas Venetiarū, an. Dom. 421.
425		Valentinianus III. ann. 20.				
432	Sixtus III. ann. 7. m. 11.				Pelagius Brito monachus an. Dñi. 415 cœpit docere, peccatū originale nō esse in hominibus: sine Dei gratia posse impleri omnia mādata, & alia. August. hæresi 88.	Tertia Synodus generalis habetur Ephesi ann. Domini 431. contra Nestorium.
440	Leo magnus ann. 20 m. 11.					
451			Marcianus. ann. 6. m. 6.		Nestorius Episcopus Constantinopolitanus anno 450. cœpit docere, B. Virginem non esse Matrem Dei, & in Christo duas esse personas alterā divinā, alteram humanā. Theod. lib. 4. de fab. hæret. & Prosp. in chr.	Attila Rex Hunnorum, flagellat Italiam.
455		Maximus. m. 5. Avitus. m. 10.				Quarta Synodus generalis habetur Chalcedone, an. 451. contra Eutychetem.
457		Maioranus an. 4.	Leo. ann. 18.			
461	Hilarius. an. 6. m. 10.	Severus. ann. 5.				
467		Antemius. ann. 6.			Eutyches Abbas, vt Nestorio contradiceret, docuit in Christo vnam esse personam, & vnam naturam. Euagrius lib. 1. c. 9. & lib. 2. c. 4. Atque hę duæ hęreses vsque in nostra tēpora durant in partibus Orientis.	Vesuvius mons campaniæ, qui ann. primo Titi Imp. ingentem copiam minutissimi pulveris evomerat, teste Sueton. & alijs: iterum hoc tempore, an. 471. immēsam copiā evomuit, vt totā fere Europā obtenebraret,
468	Simplicia. an. 15. m. 5					
473		Olibrius. m. 7.				
474		Glicerius. ann. 1.	Zeno. ann. 18.	Isidorus Peluſiotes. Arnobius iunior. Theodorus. Salvianus. Salonius. Faustus. Æneas Gazæus.		

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
475		Iulius Nepos menſes paucos. Momyllus Auguſtulus. m. 10.		Victor Vticenſis. Cerealis. Gēnadius. Iulianus Pomerius. Gilda Sapiens. Gelaſius Cyzicenus.	Pacificantes dicti ſunt, qui auctore Zenone Imperatore, vnionē quandā facere volebāt inter Catholicos, & Euthichianos. Vide Evagrium lib. 3. c. 14. & 30.	Marcelin. & alij. Et non diu poſtea tempore Theodorici Regis Italię idem accidit, quā eruptionē pulchre deſcribit Caſiodor. lib. 4. variarū, Epiſt. quinquageſ.
476		Odoacer Rex Italiæ. ann. 16.	Baſilicus occupat Imperium, & tenet annis ferè duobus, deinde iterum imperat Zeno.		Petrus Gnapheus Epiſcopus Antiochenus, ad errores Eutichetis addidit, vt in triſagio poneretur crux, videlicet, Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis, qui crucifixus es pro nobis.) ex quo videbatur ſentire, totam Trinitatem ſuiſſe crucifixam. Vide Io. Damaſcenum lib. 3. de Fide cap. 10. & in Epiſt. de triſagio; & Epiſt. Felicis PP. III.	In Auguſtulo defecit Imperiū Occidētale, vt in Auguſto cępit. Iulius enim Cęſar Dictator perpetuus fuit nō propriè Imperator, quāvis re ipſa imperaret. Odoacer etiam, & Theodoricus, non Imperatores, ſed Reges Italiæ dici voluerunt.
483	Felix III. ann. 9.					
491			Anaſtaſius ann. 27. m. 3.			Hoc tempore perſecutio Vandalica in Africa Catholicos crudeliter vexabat
492	Gelaſius n. 4. m. 8			Cæſarius Arelatenſis		Hoc eodem tempore Imperator Anaſtaſius Euthychianus hæreticus erat. Reges Italiæ, Hiſpaniæ, & Africæ Ariani. Reges Frācorū, Anglorū, Germanorū, Pagani, & tamen Chriſtiana Eccleſia deſtrui non potuit, quia fundata eſt ſuper petram, & portæ inferi adverſus eam non prevalebunt.
493		Theodoricus Gothus ann. 34.		Paſchaſius diaconus. Vigilius. Fulgentius. Petrus diaconus. Ferrandus diaconus.		
497	Anaſtaſius II. ann. 2.					
499	Symmach. nn. 15. m 8.					Schiſma quintum Laurentij contra Symmachum.
514	Hormiſdas ann. 9.			Io. Maxentius. Avitus Alchimus.		
518			Iuſtinus, an. 9. m. 2.			
524	Ioannes. an. 2. m. 9.			Victor Africanus.		Ordo Monachorum ſancti Benedicti hoc tempore incipit.

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Reges Italiæ.*	*Imperat. Græci.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
526	Felix IV. ann. 4. m. 2.	Athalaricus, ann. 9.		Boetius. Dionysius. exiguus.		Theodoricus Rex Arianus: sed alioqui prudens & Ecclesiæ Romanæ, & summo Pontifici multũ honoris deferẽs, & ideo feliciter regnans, vbi Ioannem Pontifieem in carcerem coniecit, & Symmachum ac Boetiũ interfecit, eodẽ an. miserrimè cum Regno vitam amisit.
527			Iustinianus ann. 38.	Cassiodorus. Victor Capuanus.		
530	Bonifacius II. ann. 1. d. 2.			Iustus Orgelitanus.		
532	Ioannes II. ann. 3.			Anastasius Sinaita.		Bonifacius secũdus successorẽ sibi elegit Vigiliũ sed cassavit paulò post electionẽ illã, quã sentiebat omnibus displicere.
534		Theodatus ann. 3.		Arator Subdiac.		Schisma VI. Dioscori contra Bonifacium II.
535	Agapit. ann. 2.			Iunilius. Primasius.		Schisma VII. per Vigilium contra Sylverium.
537	Sylverius ann. 3.	Vitigis, ann. 4.		Martinus Bracarens.		Vigilius, qui corruptus ambitione schisma fecerat, & multa malè promiserat Augustę, mox vt legitimus Põtifex esse cępit, à Deo mutatus cõstantissimè resistit Augustæ, & pro fide Catholica fortissimè dimicavit.
540	Vigilius. ann. 15.			Procopius. Gazæus.		
541		Theodobal. ann. 1. Araricus, m. 3.		Ioannes Climacus.	Iulius Halicarnasseus auctor eorum, qui docuerunt Christi corpus à Conceptione impassibile	
542		Totila ann. 10.		Dacius Mediolan.		Quinta Synodus generalis Constantinopolitana secunda.
553		Theias, an. 1.		Liberatus Archid.	Vide Ioan. Damasc. in lib. de hæresibus, & Evagrium lib. 4. cap. 38. & 39.	Post Theiam nullus amplius fuit Rex Gothorum in Italia: sed Narses titulo Ducis eam rexit, sed paulo post irritatus ab vxore Iustiniani, Longobardos in Italiam vocavit.
554		Narses Eunuchus, an. 17.		Venantius Fortunatus.		
555	Pelagius. an. 4. m. 10			Euagrius Historicus.		

Alboi-

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Reges Italiæ.*	*Imperatores*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
560	Ioannes III. an. 13					
566			Iustinus iunior, an. 16. m. 9.		Agnoitę auctore Themistio diacono Thimothei Alexandrini Episcopi, ad errores Eutychetis, & Dioscori addiderunt, Christum ignorare diem iudicij. Vide Io. Damascenum in lib de hæresibus, & Liberatũ in Breviario cap. 19.	Alboinus Rex Longobardorum, regnare cępit in Italia anno. 568. Sed brevi occisus fuit, vt etiam eius successor Clephis, deinde per annos decem Rege caruerunt Longobardi, & Duces multi Provincias sibi diviserunt, donec iterum Autaris Rex electus est: cęterùm Longobardi numquã tota Italia potiti sunt: semper enim partem Italię cum ipsa Vrbe Imperatores Græci per Exarchos tenuerunt.
568		Alboinus. ann. 3. m. 6.				
570		Clephis Daphom. ann. 1. m. 5				
573	Benedictus an. 4. m. 1.					
578	Pelagius II. ann. 12. m. 3.					
582			Tiberius ann. 5.			
585		Autaris Flavius. an. 7.				An. 589. inundatio Tyberis maxima, quam sequuta est pestis gravissima.
586			Mauritius annos 17.	S. Greg. Turonic.	Iacobus Syrus docuit, cãdenti ferro inurendam frontem baptizatorum. Nicephor. lib. 18 c. 45.	
590	Gregorius ann. 13. m. 6. d. 9.			S. Gregor. Papa. Isichius. Hierosolymitanus.		S. Gregorius Papa missis in Angliam sanctis Monachis, Augustino, & Socijs, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, magnam partem Angli-Saxonum à Paganismo ad Fidem Christi convertit, meritò à Beda vocatus Apostolus Anglorum.
591		Aguilulphus. annos 25.				
603			Phocas. ann. 8.			
605	Sabinianus. m. 5. d. 19.				Io. Philoponus Tritheitarũ auctor fuit, qui tres personas divinas, tres Deos esse volunt. Nicephorus lib. 18 cap. 46. & 48.	

Anni Dñi.	Pontifices.	Reges Italiæ.	Imperatores.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
606	Bonifacius III. m. 8. d. 23.					Sub hoc Pontifice templũ Agrippæ, quod Pantheon dicebatur, consecratum fuit B. Mariæ Virgini, & omnibus Ss. Phoca Imperatore consentiente.
607	Bonifacius IV. ann. 8. m. 6. d. 11.				Armeni sequebantur errores Eutichianorũ, & multa addebant. Vide Nicephorum li. 18. c. 53. Niconem de erroribus Armenorum, & Theoriani disputationem tom. 3 & 4. Bibliothecæ Patrum.	
610			Heraclius ann. 31.			Heraclius, dum Catholicus esset, à Deo protectus, Persas magnis cladibus affecit, & lignum sanctæ Crucis recuperavit, sed postea hæreticus Monothelita factus, imbellis, & inglorius infelicissimo exitu perijt.
615	Deusdedit. ann. 3.					
616		Adaluvaldus. an. 10.				
618	Bonif. V. ann. 7. m. 10. d. 25.					
626	Honorius. an. 12 m. 5	Ariovaldus hæreticus Arianus. ann. 12.		Sophronius.		Mahometes pestis orbis terrarum hoc tempore sectam suam inchoavit, & anno Domini 629. Regnum Sarracenorum occupavit.
639	Severinus m. 11.	Rotaris. annos 10.		Ioannes Moschus.		Honorius Papa accusatur à Græcis, quod faverit Monothelitis: sed egregiè defenditur à sancto Maximo Græco, auctore illius temporis, & Martyre.
640	Ioannes IV. ann. 1 m. 9.			Leontius. Ionas.		
641	Theodorus an. 7. m. 5		Constans. ann. 27.	Antiochus S. Isidorus.		
649	Martinus. n. 6. m. d. 12.			S. Eligius. Berengosius.	Monothelitæ à Cyro Episcopo Alexandrino, & Sergio Cõstãtinopolitano originẽ ducũt. Initium huius hæresis fuit	
654	Eugenius. m. 6. d. 23.			Esaias Abbas. S Maximus Martyr.		
655	Vitalianus an. 14. m. 5			S Ildephonsus.		

Anni Dñi.	Pont fices.	Reges Italiæ.	Imperatores..	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Variæ.
660		Aripertus. annos 2.			ann.630. doctrina eorum erat, in Christo Dnātātum fuisse voluntatem, & vnā operationē, ex quo sequebatur vnam tum fuisse naturam. videlo. Damascenū in lib. de hæresibus.	
662		Gundipertus. ann. 1.				Ab hoc anno Regnum Francorum per magistros domus gubernari cœpit, solo fere nomine Regibus relicto: quod genus regiminis continuatum est vsque ad Pipinum, ideſt, vsque ad annum Domini 750. Sigebertus, & alij.
663		Grimoaldus. ann. 9.				
668			Constantinus Pogonatus. 17.			
669	Adeodatus ann. 7. m. 2					Sub Adeodato Pontifice, ac de eius licentia Veneti Ducem eligere incipiunt. Petrus Iustinan. lib. 1. hist. Ven.
673		Garibaldus n. 3. Pertarithus annos 17				
676	Donus. an. 1. m. 5.					
678	Agatho. nn. 4.					Hoc anno cometa tribus mensibus arsit, & tribus annis sequentibus non pluit.
680				S. Iulianus Toletanus		
682	Vacat Sedes.					Sexta Synodus Generali Constantinopolitana tertia, contra Monothelitas.
683	Leo II. m. 10. d. 8.					Anno 608. post ecclypsim Lunæ, gravissima pestis grassari cœpit in Vrbe, quæ non cessavit, nisi altari sancto Sebastiano Martyri erecto in Ecclesia sancti Petri ad Vincula. Paulus Diaconus.
684	Benedictus II. an. 1.					
685	Ioannes V. an. 1. d. 11.		Iustinianus iunior. ann. 10.			
687	Conon. m. 11. d. 23.			Anastasius Nicenus.		S. Kilianus Monachus Hibernus per hæc tempora Francis Orientalibus evangelizat fidem, & eorum appellatur Apostolus.
688	Sergius. an. 13. m. 8.					

Anni Dñi.	Pontifices.	Reges Italiæ.	Imperatores.	Scriptores.	Varia.
691		Cunipertus Catholicus & Pins. an. 12.			Anno 690. celebratur Synodus quinisexta, vnde sunt Canones Trullani: quam Beda merito erraticam vocat, & à Sergio Papa reiectam fuisse testatur in lib. de sex ætatibus.
694			Leontius. an. 3.		
696			Aasimarus Tiberius. an. 5.		
702	Ioānes VI. an. 3. m. 2.				
703		Luispertus. m. 8.	Iustinianus iunior, iterum. an. 8.		Hic Aripertus restituit Alpes Coctias Rom. Ecclesiæ. Paulus Diaconus, & Leo Ostiensis.
704		Regimpertus. m. 3. Aripertus. ann. 11.			
705	Ioan. VII an. 2. m. 7.				Constantino Pontifici Constantinopolim proficiscenti, Nicomediæ Imperator occurrens, prostratus, publicè pedes deosculatur. Anastasius in vita Constantini.
708	Sisinius. d. 20. Constantinus ann. 6. m. 1.				
711			Philippicus ann. 1. m. 6.		Per hæc tempora regnat in Anglia Ina Rex, qui anno Domini 740. Gregorij tertij, 10. fecit Regnum suum vectigale Apostolicæ Sedi. Polydorus.
713			Anastasius an. 2.		
715	Gregorius II. an. 16. m. 8.		Theodosius ann. 1.	S. Gregorius secūdus.	

Hoc

Ani Dñi.	*Pontifices.*	*Reges Italiæ.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
716		Aſprirādus m. 3. Luitprandus an. 30.	Leo Iſaurus Iconomachus na 24. m. 2.	S. Anthelmus. S. Marcellinus.	Iconomachi, ideſt, oppugnatores ſacrarū Imaginum, fuerunt ſemper Hebrei, & Mahumetani: nā Ezides Rex Arabū perſuaſus à quodam Hebræo malefico, in toto regno ſuo iuſsit imagines è templis Chriſtianis auferri, & Leo Iſauric. alio Hebræo impulſore, edictum propoſuit, vt vbique ſacræ imagines de templis tollerentur: vnde Iconomachus dictus eſt, vt teſtantur Cedrenus, Zonaras, Paulus Diaconus, & alij hiſtorici.	Hoc anno contigit inundatio Tiberis maxima. Item admiranda viſio de pœnis Purgatorij, & Inferni, cuiuſdam qui à mortuis ſurrexit, & ſcripta eſt à S. Bonifacio Epiſcopo, & martyre, in Epiſtola quam integrè ponit Card. Baronius in tomo Annalium 9.
731	Gregorius III. an. 10. m. 9. d. 12			S. Germanus. S. Beda.		
741			Cōſtātinus Copronimus, Iconomachus. ann. 34. m. 2.	S. Ioannes Damaſcenus.		Rachis cum vt hoſtis contra Eccleſiam Romanam armatus veniret: à Zacharia Pontifice non ſolum placatus eſt, ſed etiam ita permotus, vt Monachus in monte Caſino factus fuerit.
742	Zacharias. ann. 10. m. 3.			S. Bonifacius Moguntinus		
746		Hildebrandus m. 7. Rachis. an. 6.		Antonius Meliſſa.		Hoc anno Pipinus auctoritate Pontificis Zachariæ Rex Francorum efficitur.
750		Aiſtulpus. an. 6.				Schiſma octavum per Theophylactum Antipapam.
752	Stephanus. II. dies 4. Stephanus III. an. 5. d. 28.					Conſtantinus Copronimus cum moreretur clamabat. Vivens adhuc igni ſum inextinguibili tradltus. Cedrenus, & alij. Notent, & horreant noſtri temporis Iconomachi.
757	Paulus an. 10. m. 1. & vacat ſedes annum vnum.	Deſiderius vltimus Longobardum ann. 18.				
768	Stephanus IV. an. 3. m. 5. d. 28					
772	Hadrianus ann. 23. m. 10.			Hadrianus Papa Primus.	Felix Vrgelitanus, & Elipandus Epiſ-	Primum Epiſcopus datus Venetis ab Hærodiano Papa anno 772. Obeliatu nomine Sabellius Enn. 8. lib. 8.

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperatores Occid.	Imperatores Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
776			Leo IV. Ann. 5.	Paulus Diaconus.	copus Toletanus docuerunt, Christum esse filium Dei adoptivum, & damnati sūt tanquam renovantes Nestorianissimum in Cōcilio Francfordiensi, & ab Hadriano Papa in Epistola ad Episcopos Galliæciæ. Vide Addonē in Chronico.	Anno 774. Carolus Rex Francorum singulos gradus scalarum Basilicæ S. Petri deosculans ad Pontificem ascendit, qui eum in atrio super gradus expectabat Anast.
780			Constantinus cum Irene matre ann. 10.	Paulinus Aquileiēsis.		
787				Eginarthus Alcuinus.		
790			Constantinus solus ann. 7.			Septima Synodus generalis, Nicæna secunda.
796	Leo III ann. 20. m 5.					Anno 791. mense Decembri inaudita contigit Romæ innundatio Tyberis à Ponte Milvio vsque ad Pontem S. Petri, vt etiam supra muros Vrbis aqua elevaretur. Anastasius
797			Irene sola ann. 5.			
800		Carolus Magnus an. 14.		S. Nicephorus Constātinopo.		Leo Papa tertius transfert Imperium Occidentale à Grēcis ad Francos ann. 800. in die natalis Domini; qui annus ab illis dicitur 801. quia à natali Domini annos numerant.
802			Nicephorus. an. 10.	Vsuardus.	Claudius Episcopus Taurinensis docuit non esse venerā dam Crucē Domini, nec sepulchra & reliquias Sāctorum, peregrinationem ad limina Apostolorum esse inutilem. Vide Ionam	Anno 797. Constantinus Imperator ab Irene matre excæcatus est: & Sol mirabili prodigio, per dies septemdecim obscuratus remansit.
812			Michaël Curopalates an. 2.	S. Ludgerus.		
814		Ludovicus Pius ann. 27.	Leo Armenus. ann. 7.	Aponius.		
816	Stephanus V. m. 7.					

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	*Hæreſiarchæ.*	*Varia.*
817	Paſchalis ann. 7. m. 3. d. 16.			S. Theodorus Studites.	Aurelianenſē. l. 3. de cultu Imag.	
821			Michael Balbus. an. 9.	Paſchaſius Ratbertus.	Michael Balbus Imperator, teſte Cedreno, & Zonara, Reſurrectionem corporū negabat, propheras irridebat, dœmones eſſe nō credebat, ſcortationē peccatum non eſſe dicebat, Iudam proditorem inter Beatos collocabat.	
824	Eugenius II. ann. 3. m. 2. d. 20.			Claudius Scotus. Ionas Aurelianenſis.		Schiſma nonum per Zinzinum Antipapam.
827	Valentinus d. 4.			Halitgarius. Amalarius.		
828	Gregorius IV. ann. 16.			Nithardus. Freculphus		
830			Theophilus ann. 12.	Hilduinus. Theodulph Rabanus.		Theophilus Balbi ſucceſſor perſecutionem in Catholicos continuat, ob cultum ſacrarum imaginum.
841		Lotharius ann. 15.		Strabus. S. Eulogius Martyr.		
842			Michael cum Theodora matre. ann. 25.	Haymo. Angelomus.		
844	Sergius II. ann. 3. m. 1.			Chriſtianus Drutmarus		
847	Leo IV. an. 8. m. d. 5.			Valfridus. Strabo. Simeō Metaphraſtes.		Inter Leonem IV. & Benedictum III. fingitur Ioannes, fœmina.

Schiſ-

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	*Variæ.*
855	Benedictus III. an. 2 m. 6.				Schiſma decimum per Anaſtaſium Antipapam.
856		Ludovicus iunior. an. 20.			Anno 848. Leo IV. Vrbem Leoninam condidit adverſus irruptiones Sarracenorum. Ita Baſilica S. Petri, quæ extra Vrbem erat, intra Vrbem eſſe cępit.
858	Nicolaus an. 9. m. 6. d. 2.			Photius.	Nicolai primi tempore Tyberis ex alveo ſuo egreſſus, bis Vrbem graviſsimè afflixit.
867			Baſilius. Macedo. ann. 20.	Nicetas. David.	
868	Hadrianus II. an 4. m. 17.			Anaſtaſ. Bibliotecari. Hincmarus.	
869					Octava Synodus generalis, Conſtantinopolitana quarta, contra Photium pro ſancto Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano.
873	Ioannes VIII. ann. 10.			Ioannes Diaconus.	
876		Carolus. Caluus. ann. 2.		Aimoinus.	
878		Ludovicus III. ann. 1.		Addo Viēnenſis.	His temporibus agitur alia Synodus Conſtantinopolitana pro reſtitutione Photij, in qua vix credi poteſt, quanta impudentia Photius falſaverit litteras Romani Pontificis, & Legatos eius deceperit. Vide Concilia generalia Romæ edita, anno 1611.
881		Carolus. Craſſus a. 7			
883	Marianus an. 1. d. 20.				
884	Hadrianus III. an. 1. m 3. d. 19.				

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	*Varia.*
885	S. Stephanus VI an. 6				Post Carolum Crassum magna est orta perturbatio in Imperio. Alios enim creabant Germani, alios Itali. Vide tomum decimum Annal. Cardin. Baron.
886			Leo VI. an. 25. m. 3.		
888		Arnulphus ann. 12.		Remigius Antisiodorensis.	
891	Formosus ann. 4. m. 6.			Ambrosius Ansbertus.	Schisma vndecimum Sergij Antipapæ contra Formosum.
895	Bonifacius VI. d. 15.				Formosus Papa doctrina, & sanctitate insignis fuit, quicquid aliqui dicant. Id testatur Luitprandus, qui eo tempore vixit; & ex operibus id ipsum demonstrat Card. Baronius tom. 10. Annalium: quod autem in eius memoriam peccavit ex ignorantia successor eius Stephanus VII. reformavit postea Ioannes IX.
897	Stephanus VII. an. 4.				
900		Ludovicus IV. ann. 6.		Leo Sapiens Imperator.	
901	Ioannes IX ann. 4.			Idiota.	
905	Benedictus IV. ann. 3.			Marcus Eremita.	
906		Conradus ann. 7.		Rhegino Abbas.	
607	Leo V. d. 40.			Radulphus Flaviacensis.	
908	Christophorus m. 7. Sergius III. ann. 2.				

Or-

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperat. Occid.	Imperat. Orient.	Scriptores.	Varia.
910	Anastasius III. an. 2. m. 2				Anno 925. apud Cordubam nobilissimus, & formosissimus puer sanctus Pelagius, annorum tredecim pro fide, & castitate fortiter pugnans, crudelissimo supplicio interficitur à Rege Arabum Habdarragman. Vide appendicem ad Eulogium.
912	Lando. m. aliquot. Ioannes X. ann. 16.	Henricus an. 20.	Constantinus VIII. ann. 49.		
928	Leo VI. m. 7.				
929	Stephanus VIII. an. 2.				
931	Ioannes XI. an. 5.				
936	Leo VIII. an. 4.	Otho ann. 26. titulo Regis.			Anno 938. Sanctus Venceslaus Boemię Princeps optimus à proprio Fratre necatus inter sanctos Martyres numeratur.
940	Stephan. IX. an. 3. m. 4.				
943	Marinus II. an. 3. m. 3. d. 13.				
946	Agapitus II. an. 10. m. 10. d. 10.			Luitprādus Vvisichind.	Anno 950. Ramirus Rex Legionensis fortissimus Sarracenos ad internecionem delevit, prælio ingenti apud Talavera commisso.
956	Ioannes XII. an. 9.			Stephanus Eduensis. Frodoardus	
961			Romanus an. 2.	Moses Barcepha.	
962		Otho idem vt Imperat. ann. 12.			Hoc anno Otho primus coronatur: ideo ab hoc anno multi numerant annos Imperij ipsius.
963			Nicephorus Phocas. an. 7.		Schisma duodecimum inter Leonem, & Benedictum, & Ioannem duodecimum.

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Varia.*
964	Leo VIII. ann. 1.			Leo octavus initio non fuit legitimus Pontifex : quia creatus fuit ab Imperatore, Ioanne 12. adhuc vivente. Sed mortuo Ioanne, & abdicante se Benedicto, cœpit esse legitimus; sed non diu super vixit.
965	Benedictus V. an. 1.			
966	Ioannes XIII. ann. 6. m. 11. d. 5.			
970			Ioannes Zemisces 6.	Vide seculum infelix, in quo nulli Scriptores Illustres, nulla Concilia, Pontifices parum solliciti de rep. Sed divina providentia fecit, vt nullæ surgerent hæreses novæ.
972	Donus 11. m. 3.			
973	Benedictus VI. an. 1. m. 3	Otho II. an. 10.		
975	Benedictus VII. ann. 9. d. 10.		Basilius, & Constantinus. an. 50.	
984	Ioānes XIV. an. 1.	Otho III. ann. 18.		Otho III. accusatus, quod innocentem Comitem occidisset, adductus precibus vxoris, quæ se ab illo de pudicitia postulatam dixerat: cum contra illa Comitem castissimum sollicitasset: paratus erat, & ipse occidi, nisi proceres impediviſſent, & impudicam ac iniustam vxorem comburi iussissent. Vide Gotifredum Viterbiensem.
985	Ioannes XV. ann. 10.			
995	Ioann. XVI. m. 4.			Schisma XIII. per Antipapam Ioannem contra Gregorium quintum.
996	Gregor. V. an. 2. m 8.			
999	Sylvest. II. an 4. m. 6. d. 12.			De hoc Sylvestro multa fabulantur aliqui. Sed verè fuit vir magnus, doctus, & pius, vt ex inscriptione sepulchri eius, quæ extat in Ecclesia Lateranensi, cognosci potest. Sed quoniam Philosophiæ, & Geometriæ peritus erat, indoctum Vulgus existimavit necromanticum fuisse, & cum diabolo pactum habuisse.
1002		Henric. II. Rex, sed nondū Imper. an. 12.		
103	Ioānes xvij. m. 5. Ioān. xviij. an. 6.			

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperatores Occid.	Imperatores Orient.	Scriptores.	Varia.
1009	Sergius IV. an. 2. m. 8.				Ordo Camaldulenſium auctore S. Romualdo.
1012	Benedictus VIII. an. 12			SFulbertus Carnotēſis.	Anno 1009. Princeps Babylonis à perfidis Iudæis excitatus Baſilicam Hieroſolymitanam, vbi Domini ſepulchrum conſervatur, funditus evertit. Sed paulò poſt mater Principis eiuſdem, quę Chriſtiana erat, eandem Baſilicam maiori nobilitate, & ſplendore reædificandam curavit: & Iudęi vndique pelli cœperunt. Glaber.
1014		Henricus Rex, hoc anno coronatur, & Imper. an. 11.		S. Burcard. Vormaciēſis.	
1024	Ioān. XIX. an. 10.			Berno Augienſis.	
1025		Conradus II. an. 15.			
1026			Cōſtātinus ſolus an. 3.		His temporibus, quibus Pontifices Romani à pietate veterum degenerarant, Principes ſæculi ſanctitate florebant; talis fuit Imperator Henricus cum vxore Chunegunda: Romanus. Imperat. Græcus, Canutus Rex Daniæ, & Angliæ: Stephanus Rex Hungarię cum filioſancto Emerico: Robertusſanctus Rex Francorum.
1029			Romanus an. 5.		
1034	Benedictus IX. an. 11.		Michael IV. an. 8.		
1040		Henricus III. an. 16.		Glaber Rodulphus.	
1042			Michael V. an. 1.		Schiſma xiv. Sylveſtri, & Ioannis Antipaparum, quibus ſublatis, & benedicto nono renuntiante, creatus eſt Gregorius VI.
4043			Cōſtātinus Monomachus. an. 12		
1044	Gregorius VI. ann. 3.				Gregorius VI. depoſitus fuit tanquam ſimoniacus à concilio quodam Sutrino, præſente Imperatore. Sed viri graviſsimi ſentiunt, Concilium illud egiſſe,
1047	Clemens II. m. 9.				

quod

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	*Hæreſiarchæ.*	*Varia.*
1048	Damaſus II. d.23. & vacat ſedes ann. 1.			Hermānus Contractus Humbertus Card. Lambertus Scaphnaburgenſis. Ingulphus. Petrus Damiani. Lāfrancus. Guitmundus. Georgius Cedrenus. Bertoldus. Theophylactus. Micrologus. Anſelmus Cantuariēſis. Anſelmus, Lucenſis. Io. Curolopates. Oecumenius. Olympiodorus. Marianus Scotus. Brnno. Iuo Carnotenſis. Samuel Marochianus.	Græci cœperūt quidem tempore Nicolai primi, auctore Photio ſchiſma facere; tamen hoc tēpore apertiſsimè ſe ab Eccleſia Romana diviſerunt, & errores ſuos de proceſsione Spiritus ſancti à ſolo Patre, & de ſacrificio non celebrando in azymo, & de primatu Summi Pontificis, & alios defendere cœperunt. S. Antoninus ſummæ hiſt. p. 3. tit. 22. Berengarius Archidiaconus Andegavenſis, docuit in Euchariſtia non eſſe verum Chriſti corpus, & ſanguinē: deinde cū hunc errorē revocaſſet, docuit cū corpore Chriſti eſſe etiā panis, addidit parvulos nō eſſe baptizādos, ſed adultos tantū. Itaque viā aperuit hæreticis noſtri tēporis, Zuinglianis in primo errore, Lutheranis in ſecundo, & Anabaptiſtis in tertio: tandē tamē reſipuit, & in fide Catholica obijt. Vide Lanfrancū, & Guitmundū contra Berengarium: & Blondum decadis 2. lib. 3.	quod non poterat: & Gregoriū non fuiſſe ſimoniacum, ſed virum optimum. Vide Card. Baronium, tom. 11.
1049	Leo IX. an. 5. m. 2. d. 8.					
1055	Victor. II. an. 2. m. 3. d. 13.		Theodora Porphyrogenita ann. 1. m. 9.			Leo X. miraculis claruit. Leo Oſtiens lib. 2. cap. 88.
1057	Stephanus. X. m. 9.	Henricus IV. ann. 50.	Michael IV. ann. 1.			
1058	Nicolaus II. ann. 2. m. 6.		Iſaacius Comnenus ann. 4.			Schiſma xv. per Benedictum Antipapam.
1061	Alexander II. ann. 11. m. 6. d. 12.		Conſtantinus Duca. an. 7.			Schiſma xvi. per Honorium Antipapam, qui Cadalous dicebatur contra Alexandrum, qui etiam miraculis claruit.
1068			Romanus Diogenes ann. 4.			
1072			Michael VII. ann. 6.			Gregorius VII. miraculis multis claruit: teſte Lāberto Scaphnaburgenſi.
1073	Gregorius VII. an. 12. m. 1. d. 3.					
1078			Nicephorus Boto. ann. 3.			Schiſma xvij. per Guibertum, qui Clemens dici voluit.

Or-

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperatores Occid.*	*Imperatores Orient.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
1081			Alexius Comnenus ann. 38.			Ordo vallis Vmbrosæ, auctore S. Ioanne Gualberto.
1084		Henricus IV. hoc anno coronatur, & Imperatoris nomen assumit.				Petrus Igneus Cardin. sic nominatus, quod cum esset monachus, iussu sancti Ioann. Gualberti, per ignem maximum ille sus transivit, vt probaret, Episcopũ Florentinũ per simoniam ascendisse ad Episcopatum.
1086	Victor III. ann. 1.				Bogomiles, auctore Basilio, qui ab Alexio Comneno Imp. in theatro exustus fuit, docebat, non esse in Deo Trinitatem, Deum humana forma prẽditum esse, Mundum à Dœmonibus creatum, & alia: testis Euthymius in Panoplia part. 2. tit. 23.	
1087	Vrban. II. ann. 11. m. 4. d. 18.					
1099	Paschalis II. ann. 18. m. 5.			Leo Ostiẽsis. Zacharias Chrysop. Sigebertus Gemblacensis. Godefridus Vindocin. Euthym. Zigabenus. Io. Zonaras. Rupertus Tuitiensis Hildebertus Turonensis. Algerus. S. Bernard. Petrus Cluniacensis.		Schisma 18. Alberti, & Theodorici contra Paschalem.
1106		Henricus V. ann. 20.			Petrus de Bruis, & Henricus ex monacho apostata, docebant, parvulos non baptizandos, cruces conculandas, nullum esse in Ecclesia sacrificium, non esse invocandos sanctos, nec pro mortuis orandum, & alia. S. Bernardus Epistol. 140. & Petrus Cluniacensis in Epistola contra hanc hæresim.	Ordo Cisterciensis auctore S. Roberto.
1118	Gelasius II. ann. 1. d. 4.					Ordo Canonicorum Regularium
1119	Calixtus II ann. 5. m. 10.		Io. Comnenus. ann. 24.			Ordo equitum S. Ioannis Hierosolymitani an. Domini 1113. sub Paschali.
1125	Honorius II. an. 5. m. 1. d. 17.	Lotharius II. ann. 14.				Concilium Generale, Lateranense primum anno 1119. sub Calixto II. Pontifice.
1130	Innocent. II. ann. 13. m. 7.					

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
1139		Conradus III. an. 3.		Hugo de S. Victore Richardus de S. Vict. Vvilelm. Malmesberiensis. Gratianus. Petrus Lõbardus. Petrus Comestor. Otho Frisingensis, Theorianus. Hugo Etherianus. Arnoldus Carnotensis. Petrus Blesensis. Gulielmus Tyrius. Helmold. Gothifredus Viterbiensis.	Petrus Abailardus, & Arnoldus Brixiẽsis, S. Bernardi tempore docebant gradus esse inæquales in divinis personis; fidem sine ratione admittendam non esse, & alia id genus multa: testis S. Bernardus in Epist. 190. resipuit postea, & sanctè obijt, teste Petro Cluniacensi lib. 5. Epist. 3. & 20.	Ordo Templariorum an. eodem 1119.
1143	Cælestinus II. m. 5. d. 13.		Manuel Comnenus ann. 38.			Ordo Premõstratensium. Ordo militum Theutonicorum.
1144	Lucius II. m. 11. d. 34.					Shisma 19. Petri Leonis contra Innocentium II.
1145	Eugenius III. ann. 8. m. 4. d. 13.					Concilium Generale, Lateranense II. sub Innocentio II. anno 1139.
1152		Fridericus Ænobarbus ann. 37.				
1153	Anastasius IV. an. 1. m. 4. d. 14.				Cathari, sive Patareni hæretici docebant, mundum factum esse à dœmonibus, Sacramẽta nihil valere; & alia, de quibus vide Ioann. de Turrecremata, in summa de Ecclesia, lib. 2. part. 2. cap. 35.	
1154	Hadrianus IV. an. 4. m. 8. d. 28.					Hadrianus Papa IV. natione Anglus, vir sapiens, & pius, Hiberniam Insulam Henrico II. Regi Anglorum cõcessit, ea cõditione, vt in ea Insula virtutes plãtaret, & vitia eradicaret, vt à singulis domibus quot annis de nariũ S. Petro pendi curaret: vt iu-
1160	Alexander III. an. 22.					
1181	Lucius III. ann. 4. m. 2. 28.		Alexius Comnenus ann. 2.		Valdesius, vnde Valdenses, qui, & pauperes de Lugduno, anno 1170. docere cœpit non esse obediendum Põtifici Romano: potestatem absolvendi à peccatis, & confi-	
1183			Andronicus Comnenus. 3.			

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperat. Occid.	Imperat. Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
1186	Vrbanus III. ann. 1. m. 10. d. 25.		Isaacius Angelus. ann. 10.		ciendi Eucharistam laicis etiam esse concessam: Indulgentias nihil valere; non extare Purgatorium. Sanctos non attendere precibus nostris Festa, & ieiunia indicta non esse servãda: & alia. De quibus vide S. Antoninum in Summa p. 4. art. 11. cap. 7. Claudium Cussordium contra Valdenses.	ra Ecclesiastica illibata servaret Extat diploma to. 12. Cardin. Baro.
1187	Gregorius VIII. m. 2.					Schisma 20. Victoris, Calixti, & Paschalis contra Alexandrũ.
1188	Clemens III. ann. 3. m. 2. d. 26.					Conciliũ generale, Lateranense tertium, sub Alexandro III. ann. 1180.
1191	Cælestinus III. an. 6. m. 6. d 11.	Henricus VI. ann. 8		Guillelmus Neubrugensis. Rogerius Houeden, Theodorus Balsamon. Ioachimus Abbas. Innocẽtius Guntherus Helinãdus. Nicetas. Choniates Honorius Augustudunensis. Conradus Abbas Vrspergensis. S. Antonius de Padua.		Ordo Carmelitarũ confirmatur ab Alex. III. an. 1180. Item ab Innoc. III. an. 1199. Item ab Honorio III. an. 1216. mitigatur ab Innocent. IV anno 1248.
1195			Alexius Angelus. ann. 6.		Petrus Ioannis hoc tempore docuit Christo latus perforatum adhuc viventi: animam rationalem non esse formam corporis, Ecclesiam vniversalem esse Babylonem de Apocalypsi: & Papam esse mysticũ Anti Christũ. Guido Carmelita, & Bernardus de Lutzemburgo in Catalogo hæresum.	
1198	Innocentius III. an. 18. m. 6. d. 9.					Ordo Crucigerorũ dicitur cõfirmatus à Cæleſt. III. a. 1197
1200		Philippus ann. 9.	Balduinus Belga ann. 9.			Ordo Minorũ confirmatur ab Innoc. III. & postea ab Honorio III.
1209		Otho IV. ann. 4.	Henricus ann. 7.		Almaricus Doct. Parisiensis docuit legẽ Dei Patris durasse vsque ad Adventum Christi: legem Christi vsque ad Almaricum: legem Spiritus sancti vsque ad finẽ mundi. Docuit multa alia pernicioſisſima. Vide Ioan. de	Conciliũ generale, Lateranẽse quartũ, sub Innoc. III. a. 1215
1212		Federicus II. ann. 33.				Ordo Redẽptionis captivor. cõfirmatur ab Innocent. III.
1216	Honorius III. ann. 10. m. 8.		Petrus m. aliquot. Robertus ann. 11.			Ordo Prædicatorum cõfirmatur Honor. III.

Or-

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperat. Occid.	Imperat. Orient.	Scriptores.	Hæreſiarchæ.	Varia.
1227	Gregorius IX. an. 14. m. 5.		Balduinus II. vltimus. Latin. 34.	Raymundus de pena forti. Guilielmus Antiſiod. Guilielmus Pariſienſis. Iacobus à Vitriaco. Edmundus Cantuar. Innocentius. Alexander de Hales. Hugo de S. Caro. Humbertus. Matthæus Pariſienſis. Martinus Polonus. Vincentius Bellovoc. Guido Papa. Robertus Sorbona. Albertus magnus. S. Thom. S. Bonaventura. Henricus Stero. Vdalricus Argentin. Petrus de Tarantaſia. Rupertus de Ruſia.	Turrecremata lib. 4. Summę part. 2. c. 35. & Vincẽtium in Speculo hiſtoriali lib. 99 cap. 107.	Ordo Sãctimonialiũ S. Claræ, quæ ſequuntur regulã fratrũ Minorũ cõfirmatur
1241	Cæleſtinus IV. d. 17. vacat Sedes ann. 2.				Albigenſes tempore Innocentij III. & forè antea, exorti ſunt, qui non ſolum concionibus, ſed etiam armis Eccleſiam diu vexaverunt. Errores eorum recenſet S. Antoninus in Summa Theologica, part. 4. tit. 11. cap. 7. quòd videlicet ponerent duo principia coęterna, vnum bonum alterum malum, more Manichæorum, & alia id genus. Vide S. Antoninum in Summa hiſtoriali 3. part. tit. 19. cap. 1.	Ordo Eremitarum S. Auguſtini ab Innocentio IV. hoc nomen accepit, cum antea Gugliemiti diceretur.
1243	Innocentius IV. ann. 11. m. 5. d. 14.					Ordo Sylveſtrinorum confirmatur ab Innocentio IV. anno 1248.
1245		Imperium vacat ann. 28.				Concilium generale, Lugdunẽſe primũ, ſub Innocent. IV. in quo deponitur Fridericus Imperator, & decernitur expeditio pro terra ſancta recuperanda.
1254	Alexander IV. an. 6. m. 5. d. 5.				Guillelmus de S. Amore, Doct. Pariſienſis, tempore Alexandri Papę IV. odio religioſorũ mendicantium, docuit, illicitum eſſe omnia relinquere, niſi quis cogatur. Quod idem Deſiderius Longobardus docuit, & addidit, non eſſe licitum inſtituere, vel ingredi ordinem religioſum, qui non habeat poſſeſſiones, ſaltem in communi. Scripſerunt contra hanc hæreſis S.	Ordo Eremitarũ S. Auguſtini ab Alexandro IV. reducitur ad vnũ & eundem habitum, qui hodie eſt in vſu.
1261	Vrbanus VI. an. 3. m. d. 4.		Michael Palęologus ann. 33.			Albigenſũ ad cẽtũ millia vincuntur, divino miraculo, ab octo millibus Catholicorũ, Duce Simone Comite Montis fortis Aemilius l. 6. hiſt. Francor.
1265	Clement. IV. ann. 3. m. 9. d. 25. vacat Sedes ann. 2. m. 9.					
1271	Gregorius X. ann. 4. m. 4. d. 10.					
1273		Rodulphus ann. 20.				

Con-

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperat. Occid.	Imperat. Orient.	Reges Turcarum.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
1274						Thomas in opusculo cõtra impugnantes Religionẽ, & S. Bonauentura in opusculis varijs	Concilium generale, Lgdugnense secundũ, sub Gregorio X. pro vnione Græcorum cum Latinis.
1276	Ionnoc. V. Ord. Prædic. m. 3. Hadrianus V. d. 19. Ioan. XXI m. 8. d. 8.					Fraticelli auctore quodam Hermanno cum Dulcitio Novatiensi, hæresim suam inchoarũt docentes auctoritatẽ Rom. Ecclesiæ cessasse propter malitiã Prælatorũ: se solos esse verã Ecclesiã, & perfectos, vt erant Apostoli: se nulli debere obedire & quod secta ipsorũ sit immediatè à Christo: quod omnes Pontifices à tẽpore sancti Sylvestri fuerint præuaricatores, excepto Cælestino V. Hæc, & similia damnavit Bonif. viij vide Naucletũ generat. 44. & Io. de Turrecremata lib. 3. summæ part. 2. cap. 37.	Mirum cur iste Ioannes Papa dici voluerit xxi, cum nullus præcesserit xx.
1277	Nicolaus III. ann. 2. m. 8. d. 19.						
1281	Martinus II. dictus IV. ann. 4. m. 1.				Guido Archidiac. Guilelmus Durantes. Ægydius Romanus. Raymundus Lullius Richardus de mediavilla. Henricus de Gandavo. Dinus Mugellanus. Io. Parisiẽsis. Io. Scotus. Augustinus de Ancona. Barlaamus Hieracensis. Nicephorus Calistus. Eberaldus Petrus Aureolus. Antonius Andreas.		
1285	Honorius IV. ann. 2. d. 2.						
1288	Nicol. IV. Ord. Min. ann. 3. m. 1 d. 14.						Cœlestinus Papa, raro exemplo, dimissa sponte summa dignitate, ad monasterium redit.
1294	Cæles. V. m. 5. d. 17. Bonifacius VIII. an. 8 m. 9. d. 18.	Astaulphus ann. 6.	Andronicus. ann. 40.				
1299		Albertus ann. 10.					Ordo Cælestinorum.
1300				Othomannus. an. 28			Ordo Servorum B. Mariæ.
1303	Bened. X. dictus XI. Ord. Prædic. m. 8. d. 6. vacat Sedes m. 11.					Begardi, & Beghinæ, auctore Bogonato (erãt autem Begardi, Monachi, & Beghinæ, Moniales, sed absque	Hoc anno incipit Iubilæum, centesimo quoque anno celebrandum.

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperat. Occid.	Imperat. Orient.	Reges Turcarum.	Scriptores.	Hæresiarchę.	Varia.
1305	Clemẽs V. an. 8. m. 10 d. 36. vacat Sedes an. 2				Pelagius Alvarus. Durandus Heruæus. Franciſcus Maironis. Gulielmus Okam. Monaldus Nicolaus de Lyra. Nicephorus Gregoras. Petrus de Palude. Io. Villanus. Guido Carmelita. Aſteſanus. Adã God-dam. Landulphus. Lupoldus. Ioan. Andreas. Bartholomæus Piſanus. Ioan. Calderinus. Ioann. de Bachone. Albericus Simon de Caſsia. Henricus Suſo. Robertus Olkot. Greg. de Arimino. Thom. de Argẽtina.	votis) docebãt, hominem poſſe in hac vita fieri impeccabilem: & non teneri amplius ad ieiunia, vel orationem: & in gratia creſcere nõ poſſe, & alia id genus. Vide Alvarũ de planctu Eccleſiæ lib. 2. c. 52. & Io. de Turrecremata lib. 4. part. 2. c. 36.	Hic Pontifex tranſtulit ſedem Apoſtolicam in Galliam, vbi mãſit annis circiter ſeptuaginta.
1039		Henricus VII. an. 5.					
1311							Conciliũ generale Viennẽſe ſub Clemente V. in quo deletus fuit Ordo tẽplariorum.
1315		Ludovicus IV. an. 33.					
1316	Ioan. XXI. dictus xxij. ann. 18. m. 3. d. 18.					Lollardus Gualter. docuit, Luciferũ iniuſtè à Deo damnatum, vt teſtatur Trithemius in Chronico anni 1315. vbi alios etiam errores.	Anno 1327. opera Ludovici Imperat. ſchiſma 22. factum eſt Nicolai Antipapę contra Ioannem.
1328				Orchannes ann. 22.			
1334	Benedictus XI. dictus XIII. an. 7. m. 4.		Andronicus iunior ann. 14.			Marſilius de Padua, & Io. de Ianduno, multos errores docuerunt quos dãnavit Ioannes XXII. in Extravaganti, quæ incipit, *licet iuxta doctrinã* ſumma errorum eſt, quod ſanctus Petrus nõ fuerit caput Ec-	Ordo equitum Chriſti in Luſitania incipit.
1342	Clemens VI. an. 10. m. 7.		Caloioannes ann. 30.				
1348		Carolus IV. an. 32.					
1350				Sulaimanes, & mox Amorathes an. 33.			Ann. 1350. Clemẽs Papa revocat Iubilæũ, ad annũ quinquagesimum.

Or-

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperatores Occid.	Imperatores Orient.	Reges Turcarum.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
1352	Innocent. VI. ann. 9. m. 8. d. 26.				Franc. Petrarcha. Armachanus. Nicolaus Gabasila. Nicolaus Gorram. Io. Taulerus. Alphõsus Vargas. Manuel Caleca. Ioãn. Rusbrochius. Henricus de Hasia. Petrus de Ancharano. Augustin. de Butrio. Ioan. Capreolus. S. Vincentius. Franc. Zabarella. Petrus ab Alliaco. Io. Gerson Thomas Valdensis.	clesiæ, & quod Christus solverit didrachma necessitate coactus, non ex cõdescensione.	Ordo Iesua totũ, auctore B. Ioanne Colũbino Senense.
1362	Vrbanus V. ann. 8. m. 2. d. 23.					Flagellantes orti quidẽ sunt in Italia, sed in Germania maximè propagati. Docebãt non posse salvari eos, qui nõ baptizarẽt in proprio sanguine, flagellantes se nodosis funibus: sacramenta, & cę opera bona contemnebant. Purgatoriũ in alla vita esse negabãt. Denique plurimis erroribus laborabãt Vide Bernardum Lutzemburgensẽ in catalogo hęresum, & Nicolaũ Sanderũ de visibili monarchia Ecclesiæ.	Gregorius Papa reducit sedẽ ad Vrbem.
1371	Gregorius XI. ann. 7. m. 6. d. 5.						Ordo Mõtis Oliveti.
1373				Baiazethes an. 25.			Schism. 23 omniũ gravissimum, & lõgissimũ, Clementis Antipapæ cõtra Vrbanũ VI. Nam Clementi succesit in schismate Bened. xiij. cui schisma mati volẽs Conc. Pisanum remedium adhibere, illud auxit, creato Alexandro V. inde enim tres Prontifices simul, sedebant; Gregorius xij. Benedictus xiij, & Alexãder V. & paulõ post, Ioãn. xxiij.
1378	Vrbanus VI. an. 11. m. 6. d. 5.		Manuel. ann. 2.				
1380		Venceslaus ann. 22.	Andronicus III. an. 3.				
1389	Bonifacius IX. an. 14. m. 11.						
1398				Iosue ann. 4.			
1402		Robertus. ann. 10.		Mulsumanes an. 2.		Ioannes Vvicleph us Anglus an. 1372. hæresim perniciosissimam docere cœpit: de qua vide Concilii Cõstantiense, sess. 8. & Ioannẽ Cochlæum in historia Husitarum li. 3.	
1404	Innocent. VII. an. 2. d. 21.			Moses an. 2.			
1406	Greg. XII. an. 8. m. 7. d. 5.			Maometh ann. 13.			
1409	Alexander V. m. 10. vivente Greg. XII.					Io. Hus Bohemus ex libris Vvicleph hæreses hausit, & propagavit in Bohemia. Erro-	

res

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperat. Occid.	Imperat. Orient.	Reges Turcarum.	Scriptores.	Hæreſiarchæ.	Varia.
141(	oann.xxij. ict. xxiij. n 5.d.15. vivente Greg. xij.				Auguſtinus de Roma. Ioānes de Imola. Ioann. de Anania. Ioānes de Raguſa. Henricus Kalteiſen. S.Bernardinus Senenſis. Ioan. de Capiſtrano. Ioā.de Polemar. Alphōſus Toſtatus Flavius Blondus. Nicolaus Abbas. Panormitanus. S.Antoninus Florētinus. ÆneasSylvius. Io.de Turrecremata	res eius referuntur, & damnantur in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. Vide de hac hæreſi, quæ adhuc viget, hiſtoriam IoCochlæi, & Aeneam Sylvium in lib.de origin. Bohemorum, c. 35.	OrdoS.Hieronymi. OrdoScoperum. Ordo ſancti Georgij de Alga.
1412		Sigiſmundus ann.27					Concil.generaleCōſtātiēſe, proſchiſmate tollendo, in quo Gregorius xij.abdicavit ſe ſponte; idē paulò poſt fecit Ioann. xxiij.
1417	Martinus III. dictus V.ann 13 m.3.d.10.						
1419			Io. Palæologus ann. 28.	Amorates iunior an 23.			Benedictus fuit depoſitus, ſed noluit dimittere prehenſam dignitatem.
1431	Eugenius IV.an. 15. m.11.d.21					Huſitæ diuiduntur in varias ſectas. Alij enim dicuntur, Orebitæ. Alij Thaboritæ. Alij Orphani. Alij Adamitæ, ſive Pichardi, auctore quodam Gallo, qui dicebatur Pichardus, & Bohemos multos ſeduxit, dicens, ſe eſſe filium Dei, & vocari Adamum. Vide Æneam Sylvium de origine Bohemorum, cap. 40. 41. 43. & 47.	Schiſma 25 Clementis Antipapæ cōtra Martinū V. mortuo Benedicto xiij. an. 1424.
1440		Albertus iunior ann. 2.					
1441		Frideticus III. an. 54.					Schiſma 26 Felicis Antipapæ cō. tra Eugeniū iv. an. 1439
1447	Nicol. V. an.8.d.19.		Conſtantinus XI. an. 6.	Muſtapha ann. 3.			
1452			Maumethus Rex Turcarum everſo Imperio Orientali, ann. 28.				Concil. gener. Florēt. ſub Eugen. iv. pro vnio
1455	Calliſtus III. an. 3. m. 4.						

Grę-

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperatores Occid.	Tyran. Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
1458	Pius II. ann. 5. m. 11. d. 27.			Bessarion. Andræas. Barbatius. Georgius Scholarius Laonicus. Ioan. Bassilius. B. Laurent. Iustinian. Iosephus Methon. Greg. Protosincellus. Nicolaus de Cusa. Dion. Cart. Th. de Kép. Hēr. Harpl. Alex. de Im. Bap. Plat. Amb. Cam. Gabriel Biel. Marsilius ab Ingen. Io. Picus. Iacobus de Valentia. Marsilius Ficinus. Cyp. Benet Robertus Gaguinus.		Græcorum cũ Latinis.
1464	Paulus II. ann. 6. m. 10. d. 26.					Constantinopolis capitur à Turcis ann. 1452. in ipsis ferijs Pentecostes; sic Deo vlciscente perfidiam Græcorum circa processionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio.
1471	Sixtus IV. ann. 10. d. 4..					
1480			Baiazethes. ann. 32.			
1484	Innocent. VIII. an. 7. m. 10. d. 27.				Hermannus Russuich natione Batavus, tępore Ale. vi. docuit animã mori cũ corpore: nullum esse Infernum: Christũ fuisse stultum: fidem nostrã esse fabulosam: Evangeliũ falsum. Bernard. Lutzẽburgensis in catalogo hæreticorum.	Ordo Minimorum auctore S. Francisco de Paula. Sixtus IV. revocat Iubilæũ ann. 25.
1492	Alexander VI. ann. 11. m. 8.					Hic Hermannus videtur fuisse omnium hæreticorum perditissimus, quippe, qui cùm doceret, animum mori cum corpore: tamen maluit vivus exuri, quam suam hęresim revocare.
1494		Maximilianus ann. 26.				
1503	Pius III. d. 26.				Martinus Lutherus Germanus hęresiarcha, Pater hæresiarcharum an. Dñi. 1517. perturbare cępit Ecclesiã, & perturbavit vsque ad an. 1546. in quo misere obijt. Docuit errorrs plurimos. Sed præcipui sunt, hominem sola fide iustificari: liberum arbitrium perijsse per peccatum: Papam esse Antichristum: in Eucharistia remanere substantiã pa-	
1503	Iulius II. ann. 9. m. 3.					
1512			Selimus. ann. 8.			Concilium generale Lateranense quintum

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Tyran. Orient.*	*Scriptores.*	*Hæreſiarchę.*	*Varia.*
1513	Leo X. ann. 8. m. 8. d. 20.			M. Anton. Sabellicus. Iacob. Philipp. Berg. Io. Naucler Albertus. Krantzius. Felin. Sand. Iac. Vvimphe ingius Anton. Bōfinibbus. Hector Boet. Tho. Caiet. Iac. Almain Franciſcus Ferrariēſis. Io. Franciſcus Picus. Io. Tabienſ. Io. Maior. Hadrian. vj. Sylveſter Prieras. Io. Roffenſ. Tho. Morus Io. Ekius Io. Faber. Io. Cohlæ. Iacobus Latomus. Io. Driedo. Franciſcus Victoria. Ambroſius Catharinus Dom. à Sot. Martinus Navarrus.	nis cū corpore Chriſti Indulgentias nihil valere: non eſſe Purgatoriū: per Sacramenta non dari gratiā: peccata cum remittuntur non deleri, ſed imputari: & alia id genus multa. Vid. Ioan. Cochlæum in lib. de actis, & ſcriptis Martini Lutheri.	inchoatur ſub Iul. an. 1511. & abſolvitur ſub Leone. ann. 1518.
1520		Carolus. V. ann. 38.	Solimanus. ann. 46.			Equitibus Rhodiēſibus fortiſsimè reſiſtentibus, Rhodus inſula capitur, nō ſine magna clade Turcar.
1522	Hadrianus VI. ann. 1. m. 8. d. 6.				Andræas Caroloſtadius, qui primus ex diſcipulis Lutheri vxorē publicè duxit, cùm eſſet Sacerdos, & cū eo Hulderic. Zuinglius, & Ioannes Oecolāpadius ſacramētariā hæreſim inchoarūt an. 1526. docētes, in Euchariſtia nō eſſe corpus Chriſti, niſi in ſigno; & addiderūt, Imagines Chriſti, & ſanctorū eſſe cōfringēdas. Vide Io. Cochlęū in lib. de actis Lutheri ann. 1526.	Ordo Clericorū Regulariū confirmatur à Clem. vij. an. 1524. Ordo Capucinorū ab eodem 1530.
1523	Clemens VII. ann. 10. m. 10.					
1535	Paulus III. ann. 15. d. 25.				Balthaſar Pacimontanus, & Bernard. Rothmānus ſectā Anabaptiſtarū inſtituerūt. an. 1527. quæ etiā proles Lutheraniſmi eſt, & in varias ſectas diviſa. Docent hi nō parvulos baptizandos, & ſi baptizati fuerint, iterum eſſe baptizandos, quando adulti erunt. Alios plurimos erroresdocent, de quibus vide Io. Cochlęum de	Ordo Clericorū S. Pauli ab eodē. an. 1533.
1540						Henricus viij Rex Angliæ an. 1535. ab Eccleſia Catholica deficiens caput Eccleſiæ Anglicanæ dici voluit: & repugnātes Io. Roffenſē, & Thom. Morū cū alijs multis occidit.
						Anno 1540. Ordo Socie-

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Tyran. Orient.*	*Hæreſiarchæ.*	*Varia.*
				actis Lutheri an. 1527. & Card. Hoſium lib. 1. de hæreſ. noſtris tẽporis.	tatis Ieſu auctore B. Ignatio Loyola confirmatur à Paulo III.
1545				Philippus Melanchton Lutheri diſcipulus Confeſsionẽ Auguſtanã cõpoſuit. an. 1530. vnde Cõfeſsioniſtę & molles Lutherani dicti ſunt, qui eam ſequuntur. Multos habent errores, vt quòd partes pœnitentiæ ſint duæ tãtũ, contritio, & fides, id eſt, terrores cõſcientiæ, & fides, qua credimus per Chriſtum nobis remiſſa eſſe peccata. Vid. Cochlęum in lib. de act. Lutheri.	Concilium Tridentinum generale inchoatur. an. 1545.
1550	Iulius III. ann. 5. m. 1. d. 16.				
1555	Marcellus II. d. 22. Paulus II. ann. 5. m. 2. d. 27.			Ioannes Caluinus Noviodunẽſis Zuinglij diſcipulus, contempto magiſtro propriam familiã inſtituit an. 1538. docuit, filios baptizatorũ naſci ſanctos: gratiam ſemel habitam nõ poſſe amitti: omnes veros fideles eſſe prædeſtinatos. Hæc, & his ſimilia habentur in libris quatuor Inſtitutionis. Obijt. an. 1567. morbo pediculari, teſte Surio in hiſtoria ad hunc ann. & blaſphemans, ac deſperans, teſte Hieronym. Balſeco in eius vita.	Regnum Angliæ ſub Iulio Pontifice, & Catharina Regina Angliæ, ad Eccleſiæ vnitatẽ redit: ſed poſt paucos ann. ſub Elisabetha Regina hæretica iterum ad ſchiſma, & hæreſim revertitur.
1558		Ferdinandus ann. 6.			
1560	Pius IV. ann. 5. m. 2. d. 15.			Michael Seruetus Hiſpanus cũ eſſet ann. 25. ſummũ ſe orbis prophetam eſſe iactabat. Scripſit autẽ libros ſeptem de erroribus Trinitatis, in quibus docuit, nullã eſſe in Deo realẽ generationẽ: non eſſe in Deo perſonalẽ diſtinctionem: non debere homines baptizari, niſi an. 30. tandem. ann. 1555. ab ipſo Calvino Geneuę igni traditus eſt. Vide Ioan. Cochlæum de actis Lutheri ad an. 1532. & Surium in hiſtoria eiuſdem anni.	Calviniſtæ ſub nomine Hugonottorum Regnum Galliæ infeſtare incipiũt anno Domini 1560.
1563					
1564		Maximilianus iunior. ann. 12.			Concilium Tridentinum generale cõcluditur ſub Pio iv. anno 1563. Melita inſula ſumma vi à Tur-
1566	Pius V. Ordin. Prędic. ann. 6. m. 3. d. 24.		Selimus iunior an. 8.	David Georgius Delphis in Batavia natus, prædicavit ſe eſſe eximiũ Prophetarũ, & Filium Dei Chriſto Ieſu maiorem, & an. tertio poſt mortem reſurrecturum, & Regnũ Iſrael reſtitutum. Sed iam an. circiter ſexa-	

cis

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperat. Occid.	Tyran. Orient.	Hæreſiarchæ.	Varia.
				ginta ab eius obitu præterierunt, & nondum ſurrexit, neque reſurget, niſi in die noviſsimo cum alijs impoſtoribus gehennę ęternis ignibus cruciandus. Vide totam hiſtoriam apud Surium in hiſtoria anni 1555.	cis oppugnatur, ſed maiore virtute à Chriſtianis defenditur.
1571				Gaſpar Suuenchfeldius, vnus ex cõfeſsioniſtis, propria dogmata adinvenit, Humanam Chriſti naturam poſt aſcẽſionem in divinam eſſe mutatam: & ſolo ſpiritu contentos nos eſſe debere, vocale verbum, tanquam occidentem litteram eſſe reijciendum. Vide Fridericum Staphilum in lib. de concordia Lutheranorum.	Calviniſtæ ſub nomine Geuſeorum, id eſt, vilium perſonarum, tumultibus replere incipiunt, anno 1566.
1572	Gregorius XIII. ann. 12. m. 10. d. 27.				
1574			Amurates III. an. 20.	Andræas Oſiander, vnus ex confeſsioniſtis, ſed propter novas hęreſes, ipſis etiam confeſsioniſtis hęreticus, docuit, charitatẽ, & iuſtitiam, & Sapientiam, quibus homo iuſtus, & ſapiens eſt, eſſe ipſam Dei eſſentiam: & Chriſtum iuſtificare homines ſolùm, iuxta naturam divinam. Vide Fridericum loco citato, & Surium in hiſtoria anni 1551.	Hoc a. 1571 ingens victoria Navalis de Turcarum claſſe à Chriſtianis reportata eſt, cum ſancto fędere iuncti eſſent Pius. V. Papa Philippus II. Rex, & Reſp. Venetorum.
1577		Rodulphus II. ann. 35.			
1585	Sixtus V. Ordin. Minor. an. 5. m. 4.			Io. Brentius non minimus inter cõfeſsioniſtas, docuit, Chriſti humanitatem ab ipſa Incarnatione, ſemper fuiſſe vbique. Vnde nati ſunt Vbiquiſtæ, adverſus quos acriter diu pugnarunt Theodorus Beza, & alij. Vide Surium in hiſtoriam ann. 1564.	Ann. 1572. menſe Nov. apparuit novaſtella mirę pulchritudinis in ſigno Caſiopeia, & duravit vltra annũ, & paulatim minui cępit, donec evaneſceret.
1590	Vrbanus VII. d. 12.			Mathias Flaccius Illyricus auctor prędipuus hiſtorię centuriatę Magdeburgenſis, & Lutheranorũ rigidorum Pater, præter alia ſtultiſsima dogmata, docuit peccatum originale eſſe ſubſtantiam. Vide in noſtris controverſijs lib. 5. de amiſsione gratię. c. 1.	
1590	Gregorius XIV. m. 10. d. 10.			Libertini auctore quodã Quintino Piccardo, docent, licitum eſſe ſimula	Ordo Clericorum Minorum à Six-

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperat. Occid.	Tyran. Orient.	Hæresiarchę.	Varia.
1591	Innocent. IX. m. 2.			re, & dissimulare fidem, & religionē, & cum omnibus communicare: vnū esse tantum spiritū immortalē; Angelos, & animas hominum non esse immortales: Christū non verè obijsse in cruce, sed opinione tātum. Alia multa docent, sed clam, & inter se. Quorum non aliū auctorem habeo, nisi Ioannem Calvinum, hæresiarcā, in libro contra Libertinos, vbi dicit, sibi notum esse, multa millia esse in hac secta.	to V. confirmatur anno 1588.
1592	Clemens VIII. ann. 13. m. 1. d 3.				Ordo ministrātium infirmis confirmatur à Gregorio xiv. ann. 1591.
1595			Maumethus III. an. 8.	Valentinus Gentilis, patria Consentinus an. 1558. Arianismū renovans, docere cœpit, tres personas divinas esse tres spiritus æternos, essentiali numero differentes: sed Patrem esse maiorē filio, & Spiritu sācto. Ob quā hæresim ab ipsis hereticis Bearnæ capite plexus est. Extat hæc historia apud Benedictum Aretium, auctorem damnatum, quem citamus, quia alios non habemus.	Clemēs VII. anno Iubilæi 1600. multa præbuit exēpla pietatis, & humilitatis, non solum obiens frequenter septem Ecclesias: sed etiam peregrinis pedes lavans, & eorum victui largiter prospiciens.
1603			Ameth. ann. &c.		
1605	Leo XI. d. 26.				
1605	Paulus V. ann. 16.			Franciscus David cum cæteris ministris Transsylvanis, novis Samosatenis, & Ebionitis, docent, solū Patrem esse Deum verū; Filium, & Spiritum sanctum esse virtutes Dei, non distinctas à Patre persona, vel relatione, vel essentia. Christum esse purum hominem, sed dici Verbum Dei, quia verba Dei annuntiavit, quomodo Io. Baptista dicitur vox. Vide, si placet, in nostris controversijs, lib. 1. de Christo, cap. 1. & 2.	
1612		Matthias ann. &c.			

(JHS.)

KALENDARIUM HEBRÆORUM,

TVM RITVALE SIVE CÆREMONIALE, TVM Hiſtoricum.

AD INTELLIGENDAM SACRAM SCRIPTVRAM, & Synagogæ Ritus vtiliſsimum.

MENSIS NISAN MARTIO RESPONDENS.

1. Dies Neomenia, Ieiunium, quod ea die mortui ſint filij Aaron. Somnium Mardochæi.
8. Eleazar vaccam pro peccato cremavit, & aſperſi ſunt vniverſi cocco hiſſopo, & cedro. Num. 19.
13. Hac, & ſequentibus inſtitutum Sacrificium Agni Paſchalis. Abſolutum, & dedicatum templum poſt exilium Babylonicum. 1. Eſdræ 6.
14. Ieiunio Eſther aſſequitur, vt Aſſueri mutata ſententia barbarorum 79000. interficerentur. Iudas Machabæus de Nicanore triumphat.
6. Creati hominis diem hunc fuiſſe primum multorum opinio eſt, & ſextam feriam maximis à Numine Miſterijs deſtinatam.
9. Denunciatur plaga decima Pharaoni.
10. Populus primum tranſijt Iordanem deſiccata alveo, Ieiunium ob mortem Mariæ.
11. Hebræi Ægyptum ſpoliant. Ioſue iubetur cultros facere lapideos.
13. Iuſſu Amman Iudæorum cædes toto Regno decreta.
14. Paſcha (Genebrardo) Pervigilium Paſchæ (Saliano, Authore) & exterminatio fermenti.
15. Paſcha. Media nocte occiſa primogenita Ægyptiorum primo diluculo exiere ex Ægypto Iſraelitæ. Eſt hic dies primus Azimorum.
16. Dies ſecundus Azimorum, quo manſere Iſraelitæ in Socoth.
17. Dies 3. Azim. quo ſubſtitere in Etham,
18. Dies 4. Azim. quo collegit copias Pharao contra Iſrael.
19. Dies 5. Azim. Expeditio Pharaonis.
20. Dies 6. Azymorum, prima murmuratio populi.
21. Dies 7. & vltima Azym. ſolemnis ob tranſitum maris prodigioſum, & perſecutores merſos.
22. Pergunt per deſertum Hur. Mandatum de obeunda Iericho. Octava Paſchæ.
23. Secunda hebdomas de ſeptem ante Pentecoſten.
24. Murmuratio ſecunda populi ob ſitim.
25. Moyſes ligno in aquas miſſo eas dulces reddit,

26. Æquinoct. Vernum. Dedicatio tabernaculi Moysis. Ieiunium ob mortem Iosue.
27. & 28. Moratur populus ad aquas dulcificatas.
29. Clangentibus tubis muri Iericho corruunt.
30. Tertiæ hebdom: initium. Ex hypotesi.

MENSIS SECVNDVS IIAR, respondens Aprili.

1. Neomenia. Ex Mara in Elim veniunt.
6. Iosue populum ex castris Sethim ducit ad Iordanem.
7. Hebdomas secundo quarta.
8. Anno secundo exitus offerunt Principes tribuum sex plaustra, & duodecim boves. Naason offert munera.
10. Ieiunium ob captam Arcam, & mortem Heli.
12. & 13. Transitus in Iamsuph, & mansio.
14. Hebd. secundo quinta. Pascha impeditorum.
15. Ventum in Sin, sub Vesperum coturnices datæ.
16. Hoc primum die Manna cœlo missum.
17. Reservatum Manna computruit.
18. Initium messis triticeæ.
20. Anno Exitus 2. è deserto Synai in Pharam veniunt.
21. Hebd. secundo sexta à Pascha ad Pentecosten.
23. Solemnitas receptæ à Simone arcis Ierosolymit.
24. Ventum ad sepulchra concupiscentiæ.
25. Viri 70. divinitus constituuntur ad subsidium Moysis.
26. Coturnicum convivium, & aucupium cœpit.
29. Ieiunium ob mortem Samuelis Scaliger pridie retulit. Videntur egressi de Sin in Daphca.

SIVAN TERTIVS MENSIS, respondens, Maio.

1. Neomenia. E Daphca ventum in Alus.
2. Ventum in Raphidim vndecimam masionem. Murmuratum ob sitim, datus divinitus aqua.
3. Pugnatum contra Amalecitas, Exodi 17.
4. E Raphidim in Sina ventum. Moses bis ascendit in Montem, fuitque hic dies primus sanctificationis.
5. Alter sanctificationis dies ad accipiendam Legem.
6. Pentecostes dies datæ Legis, solemnitas hebdom.
7. Moses præcepta describit, & libellum vocat volumen fœderis. Mane altare struit ad radices montis, vbi sacrificatur, & confirmatur fœdus inter DEVM, & homines.
8. Moses ascendit in montem ad accipiendas tabulas.
9. Sex diebus manet in monte.
13. Octavę Pentecostes magna celebritas.
14. Moses in caliginem evocatur.
19. De Sepulchris Concupiscentiæ veniunt in Hazaroth.
13. Ieiunium ob defectionem Israel ad vitulos Ephraim.

15. Ieiunium ob cædem trium insignium Rabbinorum Simeonis Ismaelis, & Ananiæ. Ventum in Pharam.
26. Clades accepta in sepulchris concupiscentię.
27. Ieiunium ob combustum R. Haninam cum libro Legis.
29. Missi exploratores à Mose in Chanaan.
30. Tam prima mensis quam vltima celebris Hebræis in memoriam Divinæ Gubernationis.

TAMMVZ, QVARTVS HEBR. MENSIS,
nobis Iunius

1. Neomenia. Migrant è sepulchris Concupiscentiæ.
2. Vicesimus quintus dies Ieiunij Mosis in monte.
5. Nobilem Visionem habet hac die Ezechiel, cap. 1.
7. Moræ Mosis impatiens populus, Deos sibi fieri ab Aarone postulat.
9. Fames sub Sedechia in civitate invalescit.
10. In seditionem vertitur populus tergiversante Aarone, qui victus petit inaures aureas.
12. Artifices materiam, & typum parant.
16. Exit vitulus aureus: Hi sunt dij tui Israel. Indicitur solemnitas in sequentem diem.
17. Occurrit ad festum Moses, & tabulas frangit. Inde ieiunium quarti mensis hac die. Eadem die cessavit Ierosolymis iuge sacrificium bello Iudaico. Ioseph.
18. Convocat Moses populum, & redarguit, & ad mortem revertitur.
20. & 24. His diebus Mose orante percussit Dominus populum pestilentia pro reatu adorati vituli, Mose preces continuante.

AB. MENSIS V. HEBRÆORVM.
respondens Iulio.

1. Neomenia. Moritur Aaron hac die: inde Ieiunium. Esdras è Persida Ierosolymam venit.
4. Iochoatur structio muri Ierusalem sub Esdra, & intra 52. dies absolvitur.
6. Ieiunium.
7. Nabuzardam Princeps militiæ Ierosolymam, eam incensurus occurrit.
9. Ieiunium, ob iram Domini contra exploratores detrahentes terrę quam ipse promiserat.
10. Templum à Nabuzardam cum Regia exuritur. Hoc die accidit prophetia Ezechiel. ca. 20.
15. Thalmudici aiunt hac die à Beniamitis raptas Siluntinas. Iud. vlt.
18. Ieiunium, quod extincta sit lucerna occidentalis in diebus Achaz.
28. Dies quadragesimus secundi ieiunij Mosis, quo Dominus in gratiam recepit populum, & similes prioribus tabulas parari iussit.
29. Iterum ad accipiendas tabulas ascendit Moses, ibique 40. alijs diebus, & noctibus ieiunat.

ELVL. MENSIS VI. HEBRÆORVM.
respondens Augusto.

1. Neomenia. Insignis prophetia Aggæi hæc dies.

7. Ie

7. Ieiunium ob illatam divinitus mortem exploratoribus terræ Sanctæ.
17. Hac primum die mortem exploratorum refert Scaliger.
18. Notatus hic dies lib. 1. Mach. cap. 14.
22. Xilophoria festum Hebr. quo ligna in vsum aræ collata.
25. Murus Ierusalem hoc die absolvitur. Esdræ 2. mensis habet. dies 31.

TISRI. MENSIS VII. HEBR.
nobis Septembr.

1. Neomenia. Festum Tubarum. A Iudæis dicitur hic dies Ros-hassana; caput anni, quod annum profanum inde auspicarentur, sive quod anni Sabbatici, & Iubilæi inde initium sumerent.
2. Pœnitentia.
3. Ieiunium Godoliæ, hoc interfecto in Maspha.
4. Postridie mortis Godoliæ Ismael occidit 70. viros.
5. Ieiunium ob cædem 20. Israelitarum, & captum Rabbi Akiba filium Ioseph.
7. Ieiunium ob decretum in Patres nostros gladium, & famem.
8. Cœpit dedicatio templi Salomonis durans d. 14.
9. Finis Ieiunij tertij quadragenarij Mosis.
10. Ieiunium Expiationis Levit. 23. Moses cum tabulis novis rutilans descendit.
11. Denuntiatur populo Sanctuarium fabricandum.
12. Cœpere conferre symbolas in opus Tabernaculi.
15. Scœnopegia sive festum Tabernaculorum diebus septem. Levit. cap. 13.
16. Videtur constructio Tabernaculi inchoata.
21. Osanna Rabba: cum septima Scœnopegiæ. Factum hac die verbum Domini ad Aggæum.
22. Octava Tabernaculorum, dies celeberrima, eademque dies collectæ.
23. Gaudium Legis, & Benedictio, quo festo recolunt Testamentum, & mortem Moysis. Dimissus populus post templi dedicationem.

MARHESVAM MENSIS VIII.
respondens Octobri.

1. Neomenia. Hæc dies, vt prima quævis mensium sacra Divinæ Providentiæ ob gubernationem mundi.
2. Videtur invisisse Mosem generum suum Iethro.
3. Moses faciem radiantem velat.
6. Incipit Ieiunium ob excæcatum Regem Sedeciam eiusque filios occisos à Nabuchodonosor.
15. Festum in similitudinem Scœnopegiæ, institutum à Rege Roboam.
21. Beseleel, & Ooliab cum socijs plurimum laborant instruendo Sanctuario.
29. Vltimus hic dies mensis, quo perfecta est Domus Domini à Salomone.

KISLEV MENSIS HEBR. IX.
nobis November.

1. Neomenia de more.

2. Strenuè vrgetur opus Sanctuarij.
4. Celebratur hæ dies apud Zachariam prophetam, cap. 7.
7. Ieiunium, ob combustum à Rege Ioachim volumen, quod Baruch scripserat dictante Ieremia, de quo Ierem. cap. 16.
15. Hac die Rex Antiochus Idolum desolationis construxit super altare DEI. Machab. cap. 1.
24. Cæpit ædificari Templum sub Zorobabele.
25. Encænia dies dedicationis restaurato cultu Domini 1. Machab. 4. Idem dies dicatus Victoriæ Iudith de Holoferne.
29. Ieiunium mensis noni huc refert Scaliger.
30. Dies vltimus mensis.

TEBET MENSIS X. HEBR.
nobis December.

1. Neomenia ex more.
2. Octava Encæniorum, & purificati à Machabæis templi. Ieiunium; quòd illa die Lex in Græcum versa sit tempore Ptolomæi Regis, & tenebræ mundum occuparint toto triduo.
3. & 4. Dies altera, & tertia Tenebrarum.
5. Defertur ad Ezechielem, captam esse Ierusalem.
9. Ieiunium, cuius causa nescitur.
10. Ieiunium decimi, inchoata hoc die Ieroſolymæ obsidione per Nabuchodonosorem.
11. Peculiaris hac die extat Prophetia Ezechielis contra Pharaonem Regem Ægypti.
29. Vltima dies mensis, qui est cavus.

SEBAT MENSIS XI. RESPONDENS
Ianuario.

1. Neomenia. Moses incipit hac die Legem explanare, vt habetur in Deuteronomio.
2. Promoventur toto hoc mense opera Sanctuarij. Principium anni arborum.
8. Ieiunium ob mortem Iustorum, & Seniorum tempore Iosue. Iud. 2. Scaliger ad diem quintum mensis huius retulit.
16. Hoc tempore Beseleel vrget opus Sanctuarij cum socijs.
23. Ieiunium, ob congregatum populum contra Tribum Beniamin propter concubinam, & simulachrum Michæ.
24. Cadit in hunc diem Prophetia Zachar. 17.
30. Dies vltimus, Gubernationi Divinæ sacer.

ADAR MENSIS XII. HEBR.
nobis Februarius.

1. Neomenia. Mosem mortuum vult Scaliger, sed certius obijsse die 7. Teruma 1. Primitiæ.
3. Hoc die completa est structio Domus DEI tempore Aggæi, & Zachariæ, sub Dario Rege.

6. Ho-

6. Hodie monetur Moyſes de imminente morte.
7. Ieiunium ob mortem Moſis.
9. Ieiunium ob diſſenſionem Scholarum Sammai, & Hillel.
13. Ieiunium Eſther ob avertendum paratum genti ſuæ malum ab Aman. Solemnis eadem dies ob Victoriam de Nicanore.
14. Dies Phurim ſive Sortium inſtitutus ab Eſther, & Mardochæo. Eſther, cap. 9.
15. Alter dies Phurim.
25. Eductus è carcere, & Regno reſtitutus eſt Ioachim Rex Iuda.
29. Vltimus menſis, quo abſolutum eſt totum opus Sanctuarij.

VEADAR MENSIS XIII. HEBR.
quaſi alter Februarius.

VNoquoque vel triennio vel biennio, nempe ſepties intra 19. annorum Cyclum, quibus Luna, ſuo reditu circulum planè abſolvit, menſis hic inſeritur.
1. Neomenia ex more. Dies prima, & vltima Divinæ Providentiæ ſacra.
VNdecimo die menſis incipit Ieiunium Eſther Reginæ.

Hucuſque dicta (quæ ex imo corde ſubijcio Correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Sapientum etiam Virorum) cedant in maiorem Dei gloriam, & honorem B.V. Mariæ ſine labe peccati originalis conceptæ, & SS. P.N. Ignatij, Michaelis, & Angeli Cuſtodis. Amen.

IN-

JHS.

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
quibus hoc opus fulcitur, & illuſtratur.

EX GENESI.

CAP. 1. verſ. 4. *Et lucem appellavit diem, & tenebras noctem.* pag. 265.

Cap. 33. verſ. 15. *Ipſa conteret caput tuum.* pag. 372.

Cap. 12. verſ. 6. *Et pertranſivit uſque ad locum Sichem.* pag. 490.

Cap. 22. verſ. 21. *Hus primogenitum, & Buz fratrem eius.* pag. 457.

Cap. 25. verſ. 23. *Duę gentes ſunt in utero tuo; & duo populi ex ventre tuo dividentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſerviet minori.* pag. 304.

Cap. 27. verſ. 29. *Serviant tibi populi, & adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filij Matris tuæ.* pag. 304.

Cap. 33. verſ. 18. *Emitque partem, agri, in qua fixerat tabernacula à filijs Hemor Patris Sichem.* pag. 389.

Cap. 33. verſ. 18. *Tranſivitque Iacob in Salem urbem Sichimorum, quæ eſt in terra Canaam, poſtquam reverſus eſt de Meſopotamia Siriæ: & habitavit iuxta oppidum, emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filijs Hemor Patris Sichem centum agnis.* pag. 389.

Cap. 36. verſ. 31. *Reges autem, qui regnaverunt in terra Edon antequam haberent Regem filij Iſrael, fuerunt bi; Bela filius Beor, nomenque urbis eius Benaba. Mortuus eſt autem Bela, & regnavit pro eo Iobab filius Zaræ de Boſra. Cumque mortuus eſſet Iobab regnavit pro eo Huſan de terra Themanorum.* pag. 417.

Cap. 37. verſ. 14. *Miſſus de valle Hebron venit in Sichem.* pag. 364. & 400.

Verſ. 25. *Viderunt Iſmaelitas viatores venire de Galaad, & Camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtactem in Ægyptum.* pag. 223.

Cap. 50. verſ. 5. *Pater meus adiuravit me dicens. En morior: in ſepulchro quod fodi mihi in terra Chanam ſepelies me.* pag. 392.

EX EXODO.

CAP. 3. verſ. 1. *Venitque at montem Horeb, apparuitque ei Dominus,* pag. 386.

Cap. 16. verſ. 18. & 22. *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne.* pag. 385.

Cap. 17. verſ. 6. *En ego ſtabo tibi coramte ſupra petram Oreb, percutiamque petram.* pag. 387.

Cap. 19. verſ. 1. *Venerunt in ſolitudinem Sinaì.* pag. 385.

Verſ. 2. *Profecti de Raphidim, & perventientes uſque ad deſertum Sinai caſtrametati ſunt in eodem loco... Totus*

tus autem mons Sinai fumabat. pag. 387.

EX LEVITICO.

CAP. 23. verſ. 27. & 29. *Affligetis animas veſtras.. Omnis anima, qua in hac die afflicta non fuerit peribit de populo ſuo.* pag. 281.

Cap. 26. verſ. 5. *Abſque pavore habitabitis in terra veſtra.* pag. 441.

EX NVMERIS.

CAP. 22. verſ. 5. *Miſsit ad Balaam filium Beor Ariolum, qui habitabat ſuper flumen terræ Ammon.* pagin. 460.

Cap. 23. verſ. 7. *De Aram adduxit me Balac Rex Moabitarum de Montibus Orientis.* pag. 219.

EX DEVTERONOMIO.

CAp. 4. verſ. 2. *Non addetis ad verbum quo loquor vobis nec auferetis ab eo: cuſtodite mandata Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* pagin. 262.

Verſ. 10. *Docebis eam filios, ac nepotes tuos a die, qua ſtetiſti coram Domino tuo in Horeb, quando Dominus locutus eſt mihi.* pag. 385.

Cap. 12. verſ. 13. *Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in eo, quem elegerit Dominus, in vna Tribuum tuarum offeres hoſtias, & facies quæcumque præcipio tibi.* pag. 151.

Verſ. 26. *Quæ autem ſanctificaveris, & voveris Domino tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus, & offeres oblationes tuas carnem, & ſanguinem.* pag. 151.

Cap. 18. verſ. 15. *Prophetam de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi.* pag. 371.

Cap. 23. verſ. 4. *Conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Siriæ, vt malediceret tibi.* p. 460.

Cap. 29. verſ. 20. *Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, ſicut loquutus eſt tibi, & volueris veſcit carnibus; quas deſiderat anima tua: locutus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt ſit nomen eius ibi; ſi procul fuerit, occides de armentis, & pecoribus quæ habueris, ſicut præcepi tibi, & comedes in oppidis ſuis, vt tibi placet.* pag. 151.

EX IOSVE.

CAP. 10. verſ. 5. *Congregati igitur aſcenderunt quinque Reges Amorræorum: Rex Hieruſalem, Rex Hebron, Rex Ierimoth, Rex Lachis, Rex Ælon.* pag. 392.

Cap. 24. verſ. 32. *Et oſſa Ioſeph extulerunt filij Iſrael de Ægypto, & defoderunt in Sichimis in parte agri quem emerat Iacob à filijs Hemor Patris Sichem.* pag. 392. & 393. & 400. & 403.

EX LIBRO IVDICVM.

CAP. 9. verſ. 37. *Et populus deſcendit de Vmbilico terræ.* pag. 359.

EX LIBRO 1. REGVM.

CAP. 1. verſ. 9. *Et Heli Sacerdote ſuper Sellam ante poſtes Templi Domini.* pag. 470

Cap. 2. verſ. 35. *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem.* pag. 164.

Cap. 7. verſ. 15. *Iudicabat quoque Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ, & ibat per ſingulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Maſphat, & iudicabat Iſrael in prædictis locis.* pag. 165.

Cap. 11. verſ. 1. *Et factum eſt quaſi poſt menſem.* pag. 155.

Cap. 12. verſ. 2. *Et nunc Rex graditur ante vos: ego autem ſenui, & incanui. Itaque converſatus ſum coram vobis ab adoleſcentia mea vſque ad hanc diem, ecce preſto ſum.* pag. 164. & 166.

Cap. 23. verſ. 1. *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet; duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael.* pag. 152. & 160.

Cap. 15. verſ. 33. *Et in fruſtra concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.* pag. 166.

Cap. 16. verſ. 1. *Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlemitem, providi enim in filijs eius mihi Regem.* pag. 165.

Verſ. 18. *Ecce vidi filium Iſai Bethlemitem ſcientem Pſallere, & fortiſſimum robore, bellicoſum, & prudentem in verbis.* pag. 165.

EX LIBRO 2. REGVM.

CAP. 2. verſ. 4. *Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi David, vt regnaret ſuper domum Iuda.* pag. 165.

Verſ. 10. *Quadraginta annorum erat ſboſeth filius Saul cum regnare cœpiſſet ſuper Iſrael.* pag. 168.

Cap. 5. verſ. 3. 4. *Vnxeruntque Davidem Regem ſuper Iſrael. Filius triginta annorum erat David cum regnare cœpiſſet, & quadraginta annis regnavit.* pag. 155. & 157. & 165.

Cap. 13. verſ. 14. *Nequaquam regnum tuum vltra conſurget: quæſivit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſervaveris quod præcepit Dominus.* pag. 165.

Cap. 15. verſ. 7. *Poſt quadraginta autem annos dixit Abſalon ad Regem David: vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* pag. 174.

EX LIBRO 3. REGVM.

CAP. 1. verſ. 31. *Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus: porro vna tribus remanebit tibi.* pag. 144.

Cap. 2. verſ. 20. *Prater tribum Iuda ſolam.* pag. 144.

Verſ. 24. *A me enim factum eſt verbum hoc ait Dominus. Audierunt Sermonem Domini, & reverſi ſunt de itinere, ſicut eis præceperat Dominus.* pag. 148.

Verſ. 26. *Dixitque Ieroboam in corde ſuo: nunc revertetur regnum ad domum David, ſi aſcenderit populus iſte, vt faciat ſacrificia in Domo Domini in Hieruſalem, & convertetur cor populi huius ad Dominum ſuum Roboam Regem Iuda, interficientque me, & revertentur ad eum: & excogitato conſilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: nolite vltra aſcendere in Hieruſalem.* pag. 148.

Cap. 13. verſ. 31. *Profecto enim veniet ſermo, quem prædixit Dominus contra altare, quod eſt in Bethel, & contra omnia fana excelſorum, quæ ſunt in vrbibus Samariæ.* Pag. 189.

Cap. 15. verſ. 1. *In octavo decimo anno regni Ieroboam filij Nabat regnavit Abias ſuper Iuda.* pag. 188.

Verſ. 15. *Regnavit ſuper Iſrael anno ſecundo Regis Iuda.* pag. 188.

Cap. 18. verſ. 8. *Anno XXVI. Aſa Regis regnavit Ela filius Baaſa ſuper Iſrael.* pag. 172.

Verſ. 13. *Regnavit Amri in Iſrael duodecim annis; in Therſa regnavit ſex annis.* pag. 189.

Verſ. 24. *Emit quoque montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti, & ædificavit eum, & vocavit nomen civitatis, quam extruxerat nomini Somer Domini montis, Samariam.* pag. 186.

Cap. 18. verſ. 3. 4. *Abdias autem timebat Dominum valde; nam cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abſcondit eos quinquagenos in ſpeluncis, & pavit eos pane, & aqua.* pag. 147.

EX LIBRO 4. REGVM.

CAP. 1. verſ. 17. *Regnavit Ioram frater eius pro eo, anno ſecundo Ioram filij Ioſaphat regis Iudæ, non enim habebat filium.* pag. 180.

Cap.

Cap. 3. verſ. 1. *Ioram filius Achab regnavit ſuper Iſrael in Samaria anno decimo octavo Ioſaphat Regis Iuda.* pag. 184.

Cap. 8. verſ. 16. *Anno quinto Ioram filij Achab Regis Iſrael, & Ioſaphat Regis Iuda, regnavit Ioram filius Ioſaphat Rex Iuda.* pag. 179. & 180.

Verſ. 25. *Anno duodecimo Ioram filij Achab Regis Iſrael, regnavit Ochozias filius Ioram Regis Iuda.* pag. 183.

Verſ. 26. *Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet, & vno anno regnavit in Hieruſalem.* pagin. 185.

Verſ. 27. *Et ambulavit in vijs domus Achab; & fecit quod malum eſt coram Domino, ſicut Domus Achab, gener enim domus Achab fuit.* pag. 186.

Cap. 9. verſ. 29. *Anno vndecimo Ioram filij Achab regnavit Ochozias filius Ioram Regis Iuda.* pag. 183.

Cap. 17. verſ. 18. *Non remanſit niſi tribus Iuda tantummodo.* 144.

Verſ. 21. *Ex eo tempore, quo ſciſſus eſt Iſrael à Domo David, & conſtituerunt ſibi Regem Ieroboam filium Nabat: ſeparavit autem Ieroboam Iſrael à Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum.* pag. 184.

Verſ. 22. *Et ambulaverunt filij Iſrael in vniverſis peccatis Ieroboam, quæ fecerat, & non receſſerunt ab eis, vſquequo Dominus aufferret Iſrael à facie ſua, ſicut loquutus fuerat in manu omnium ſervorum ſuorum Prophetarum: translatuſque eſt Iſrael de terra ſua in Aſſyrios vſque in diem hanc.* pag. 145.

Cap. 23. verſ. 36. *Viginti quinque annorum erat IoaKim cum regnare cœpiſſet, & vndecim annis regnavit in Hieruſalem.* pag. 202.

Cap. 24. verſ. 2. *Immiſitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Siriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon, & immiſit eos in Iudam, vt diſperderent eum iuxta Verbum Domini.* pagin. 453.

Verſ. 6. *Et regnavit Ioachim filius eius pro eo.* pag. 193.

Verſ. 8. *Decem, & octo annorum erat Ioachim cum regnare cœpiſſet, & tribus menſibus regnavit in Hieruſalem.* pag. 191. & 192.

Verſ. 12. *Ee egreſſus eſt Ioachim Rex Iuda ad Regem Babylonis ipſe, & mater eius, & ſervi eius, & Principes eius, & Eunuchi eius, & ſuſcepit eum Rex Babylonis anno octavo regni ſui.* pag. 193.

Verſ. 15. *Transtulit qnoque Ioachim in Brbylonem, & Matrem Regis, & vxorem Regis, & Eunuchos eius, & iudices terræ duxit in captivitatem de Hieruſalem in Babylonem.* pag. 199.

EX LIBRO 1. PARALYPOMENON.

CAP. 1. verſ. 51. *Adad mortuo, duces pro Regibus eſſe cœperunt.* pag. 420.

Cap. 3. verſ. 16. *De Ioachim natus eſt Iechonias.* pag. 197.

Verſ. 45. *Filij autem Ioſiæ ſunt primogenitus Iohanam, ſecundus Ioachim, tertius Sedecias, quartus ſellum, de Ioachim natus eſt Iechonias.* pag. 179.

EX LIBRO 2. PARALYPOMENON.

CAP. 6. verſ. 36. *Neque eſt homo, qui non peccet.* pag. 427.

Cap. 22. verſ. 2. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpiſſet, & vno anno regnavit in in Hieruſalem.* pag. 185.

EX LIBRO 1. ESDRÆ.

CAP. 5. verſ. 1. *Prophetaverunt autem Aggæus, & Zacharias.* pag. 131.

EX LIBRO TOBIÆ.

CAP. 1. verſ. 5. *Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Iſrael; hic ſolus fugi-*

giebat consortia omnium, sed pergebat in Hierusalem ad templum Domini. pag. 149.

Cap. 2. vers. 12. *Hanc autem tentationem ideo promisit Deus evenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius sicuti, & sancti Iob.* pag. 408.

Vers. 15. *Nam sicut Beato Iob insultabant Reges, ita isti.* Pap. 418.

Cap. 1. vers. 8. *Hæc, & his similia secundum legem puerulus observabat,* pagin. 149.

Cap. 14. vers. 6. *Prope erit interitus Ninive, non enim excidit verbum Domini, & fratres nostri, qui dispersi sunt de terra Israel, revertentur ad eam.* pag. 149.

EX LIBRO ESTHER.

CAP. 2. vers. 5. *Erat vir Iudæus in Susan Civitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filij Semei, filij Cis, de stirpe Semini, qui translatus fuerat de Hierusalem, eo tempore, quo Ieconiam Regem Iuda Nabucodonosor, Rex Babylonis trastulerat.* pag. 44.

EX LIBRO IOB.

CAP. 1. vers. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob.* pag. 405. & 423.

Vers. 3. *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.* pag. 415.

Vers. 6. *Quodam autem die cum veniissent filij Dei, vt assisterent coram Domino; adfuit inter eos etiam Satan.* pag. 447.

Vers. *Considerasti servum meum Iob, quod non sit similis ei in terra, homo simplex, ac rectus, & timens Deum, ac recedens à malo.* pag. 428.

Vers. 11. *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* pag. 44.

Vers. 12, *Dixit Dominus ad Satan. Ecce vniversa, quæ habet in manu tua sunt.* pag. 448.

Vers. 19. *Et fugi ego solus vt nuntiarem tibi.* pag. 447.

Cap. 2. vers. 11. *In omnibus his non peccavit Iob labis suis, neque aliquid stultum contra Dominum loquutus est: igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Temanites, & Baldad Subites, & Sophar Naamathites: condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.* pag. 440. 437. & 431. & 426. & 429.

Cap. 3. vers. 2. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est conceptus est homo: dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis, occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.. quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulva mortuus sum egressus ex vtero non statim perij?* pag. 433.

Cap. 4. vers. 12. *Porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtivè susceptit auris mea venas susurri eius. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Et cùm spiritus me presente transiret, inhorruerunt pili carnis meę. Stetit quidam cuius nan agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi aurę lenis audiui. Nunquid Homo Dei comparatione iustificabitur aut factore suo purior erit vir?* 440.

Vers. 18. *In Angelis suis reperit pravitatem.* pag. 441.

Cap. 6. vers. 2. *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret.* pag. 435.

Cap. 7. vers. 15. & 16. *Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Desperavi, nequaquam vltra iam viuam.* pag. 433.

Vers.

Verſ. 21. *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam.* pag. 434.

Cap. 9. verſ. 3. *Verè ſcio quod ita ſit.* pag. 442.

Verſ. 20. *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.* pag. 455.

Cap. 12. verſ. 2. 3. *Ergo vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum morietur ſapientia? Et mihi eſt cor, ſicut, & vobis, nec inferior veſtri ſum: quis enim hæc quæ noſtis ignorat?* pag. 442.

Cap. 13. verſ. 1. 2. *Ecce omnia hæc vidit oculus meus, & audivit auris mea, & intellexi ſingula. Secundum ſcientientiam veſtram, & ego novi.* pag. 442.

Cap. 16. verſ. 3. *Poteram ego ſimilia veſtri loqui.* pag. 442.

Cap. 19. verſ. 6. *Saltem nunc intellite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, flagellis ſuis me cinxerit.* pag. 444.

Verſ. 9. *Spoliavit me gloria mea, abſtulit coronam de capite meo.* pag. 417.

Verſ. 25. 26. *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in carne mea videbo Deum ſalvatorem meum, & rurſus circumdabor pelle mea.* pag. 434. & 445.

Cap. 20. verſ. 18. *Vt luant, quæ fecerint omnia, nec tamen conſumantur,* pag. 447.

Cap. 21. verſ. 2. 3. *Audite ſermones meos, & agite pœnitentiam... ſuſtinete me, & ego loquar, & poſt, mea, ſi videbitur, verba ridete.* pag. 442. & 443.

Cap. 27. verſ. 2. *Vivit Deus, qui abſtulit Iudicium meum, & omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam. Quia donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium: Abſit a me, vt vos iuſtos eſſe iudicem, donec deficiam, non recedam ab innocencia mea.* pag. 442. & 443.

Verſ. 7. *Sit vt impius ininimicus meus, & adverſarius meus quaſi iniquus.* pag. 443.

Verſ. 12. *Quid ſine cauſa vana loquimini?* pag. 442.

Cap. 29. verſ. 15. & 16. *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & cauſam, quam neſciebam diligentiſsimè inveſtigabam, conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* pag. 418. & 424.

Verſ. 25. *Si voluiſſem ire ad eos, ſedebam primus, cumque ſederem quaſi rex, circunſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.* pag. 414. & 415. & 417.

Cap. 23. verſ. 1. *Et iratus, indignatuſque eſt Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram.* pag. 455.

Cap. 34. verſ. 18. *Qui dicit Regi: Apoſtata: qui vocat Deos impios, qui non accipit perſonas Principum, nec cognovit tyranum diſceptare contra pauperem. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* pag. 418.

Cap. 36. verſ. 5. 6. 7. *Deus potentes non abijcit: eum, & ipſe ſit potens. Sed non ſalvat impios, & iudicium pauperibus tribuit.* pag. 418.

Cap. 39. verſ. 33. 34. 35. *Reſpondens autem Iob Domino, dixit: qui leter loquutus ſum, reſpondere quid poſſum? Manum meam ponam ſuper os meum. Vnum loquutus ſum, quod vtinam non dixiſſem, & alterum, quibus vltra non Addam.* pag. 431.

Cap. 42. verſ. 3. 6. *Ideo inſipienter loquutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam.... Ideirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* pagin. 431.

Verſ. 7. *Poſtquam autem loquutus eſt Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos*

quonam non eſtis loquuti coram me rectum. pag. 442.

Verſ. 10. 12. *Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis ſuis: & addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob duplicia .... Dominus autem benedixit novisſimis Iob magis quam principio eius. Et facta ſunt ei quatuordecim millia ovium, & ſex millia Camellorum, & mille Iuga Boum, & mille Aſinæ.* pag. 221. & 433.

EX LIBRO PSALMORUM.

PSalm. 17. verſ. 26. *Cum Sancto Sanctus eris, & cum Viro innocente innocens eris.* Pag. 440.

Pſalm. 59. verſ. 8. *Deus loquutus eſt in Sancto ſuo: lætabor, partibor Sichimam, & convallem tabernaculorum metibor.* pag. 444.

Pſalm. 71. verſ. 9. *Coram illo procident Ethiopes, & inimici eius terram lingent.* pag. 220.

Verſ. 10. *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Sabà dona adducent.* pag. 207. & 209. & 216.

Pſalm. 77. verſ. 67. & 74. *Et repulit Silo tabernaculum ſuum, ubi habitavit hominibus...Et repulit tabernaculum, in Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit, ſed elegit Tribum Iuda Montem Sion, quem dilexit.* pag. 146.

Pſalm. 88. verſ. 14. *Tabor, & Ermon in nomine tuo exultabunt cum potentia.* pag. 361.

Pſalm. 143. *Sicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram.* pag. 441.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

CAP. 24. verſ. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo ſperantes in Domino.* pag. 293.

Cap. 48. verſ. 15. *In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt. In omnibus iſtis non pœnituit populus, & non receſſerunt à peccatis ſuis, uſquedum eiecti ſunt de terra ſua, & diſperſi ſunt in omnem. &c.* pag. 145.

Cap. 34. verſ. 16. *Enoch translatus eſt in Paradyſum, ut det gentibus pœnitentiam.* pag. 374.

Cap. 49. verſ. 12. *Et duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo* pag. 129.

EX ISAIA.

CAP. 7. verſ. 8. *Ephrain deſinet eſſe populus.* pag. 139.

Cap. 35. verſ. 2. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron. Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* pag. 361.

Cap. 45. verſ. 8. *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* pag. 475.

Cap. 60. verſ. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt: quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, Reges in ſplendore ortus tui: Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis, & affluues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando converſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi: inundatio Camelorum opperiet te, Dromedarij Madian, & Epha: omnes de Sabà venient aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.* pag. 207. & 208. & 222.

Verſ. 19. *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.... Populus autem tuus omnes iuſti in perpetuum hæreditabunt terram germen plantationis*

nis meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam: ego Dominus in tempore eius subitò faciam istud. pag. 212.

Cap. 61. vers. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem.* pag. 212.

EX IEREMIA.

CAP. 3. vers. 6. *Numquid vidisti quæ fecerit aversatrix Israel?* pag. 142.

Vers. 11. *Et dixit Dominus ad me: iustificavit animam suam aversatrix Israel comparatione prævaricatricis Iudæ.* pag. 143.

Vers. 18. *In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis ad terram quam dedi Patribus vestris.* pag. 134.

Cap. 7. vers. 22. *Non sum loquutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum, & victimarum.* pag. 239.

Cap. 12. vers. 1. *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te: quare via impiorum prosperatur: benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt?* pag. 437.

Cap. 20. vers. 11. *Dominus autem mecum est, quasi bellator fortis; ideo qui persequuntur me cadent, & infirmi erunt: confundentur vehementer quia non intellexerunt opprobium sempiternum, quod numquam delebitur.* Pag. 433.

Cap. 29. vers. vers. 2. *Postquam egressus est Iecoias Rex, & Domina, & Eunuchi, & Principes Iuda, & Hierusalem.* pag. 199.

Cap. 31. vers. 31. *Ecce dies veniunt dicit Dominus: & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus novum.... Non evellatur, & non destruatur vltra in perpetuum.* pag. 475.

Cap. 37. vers. 1. *Et regnavit Rex Sedecias filius Iosiæ pro Iechonia filio Ioachim.* pag. 197.

Cap. 42. vers. 17. *Nullus de eis remanebit.* pag. 138.

Cap. 44. vers. 28. *Et qui fugerint gladium revertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* pag. 138.

Cap. 50. vers. 4. *In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, venient filij Israel ipsi, & filij Iuda simul.* pag. 134.

Cap. 52. vers. 1. *Filius Viginti, & vnius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset.* pag. 157.

EX THRENIS.

CAP. 4. Vers. 21. 21. *Gaude, & letare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perveniet Calix.* pag. 424.

EX EZECHIELE.

CAP. 1. vers. 5. 6. 8. 11. *Et in medio eius similitudo quatuor Animalium, & hic aspectus eorum: similitudo hominis erat in eis. Quatuor facies vni, & quatuor pœnnæ vni... & manus hominis sub pennis eorum, in quatuor partibus, & facies, & pœnas per quatuor partes habebant..... duæ pœnnæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.* pag. 463. & 465. & 468.

Cap. 5. vers. 5. *Ista est Ierusalem, in medium gentium posui eam, & in circuitu eius terras.* pag. 92.

Cap. 14. vers. 13. 14. *Terra cum peccaverit mihi, vt prævaricaretur prævaricans, extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentum. Etsi fuerint tres*

viri iſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob: ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas. pag. 407.

Cap. 34. verſ. 23. *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas ſervum meum David.* pag. 211.

Cap. 37. verſ. 4. *Oſſa arida audite verbum Domini.* pag. 375.

Verſ. 16. & 21. *Et tu fili hominis ſume tibi librum vnum, & ſcribe ſuper illud, Iudę, & filiorum Iſrael, & ſociorum eius: & tolle lignum alterum, & ſcribe ſuper illud; Ioſeph lignum Ephraim, & cuncta domus Iſrael, ſociorumque eius. ... Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos domum vndique, & adducam eos ad domũ ſuam, & faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſrael, & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes; nec dividentur amplius in duo regna.* pag. 135.

Cap. 40. verſ. 2. *In viſionibus Dei adduxit me in terram Iſrael, & dimiſit me ſuper montem excelſum nimis, ſuper quem erat quaſi ædificium civitatis vergentis ad auſtrum.* pag. 275. & 470.

Verſ. 17. *Per quatuor partes eorum euntes ibant, & non revertebantur cum ambularent.* pag. 464.

Cap. 46. verſ. 7. *Fili hominis locus ſolij mei, & locus veſtigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Iſrael in æternum, & non polluent vltra domus Iſrael nomen ſanctum meum.* pag. 473.

Verſ. 9. *Nunc ego repellant procul fornicationem ſuam, & ruinas Regum ſuorum à me, & habitabo in medio eorum ſemper. Tu autem fili hominis oſtende domui Iſaael Templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricant, & erubeſcant ex omnibus, quæ fecerunt: figuram domus, & fabricæ eius exitus, & introitus, & omnem deſcriptionem eius.* pag. 473.

Cap. 48. verſ. 29. *Hæc eſt terra, quam mittetis in ſortem tribubus Iſrael, & hæ partitiones earum ait Dominus Deus; ſuſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas ſervum meum David.* Pap. 211.

EX DANIELE.

CAP. 12. verſ. 4. *Multiplex erit ſcientia.* pag. 374.

Verſ. 32. *Erat autem Abacuc Prophetæ in Iudæa.* pag. 121.

EX OSEA.

CAP. 1. verſ. 6. *Non Addam vltra miſereri Domui Iſrael, ſed obliſcar eorum.* pag. 138.

Verſ. 9. *Et dixit voca nomen eius populus meus: Quia vos non populus meus, & ego non erot veſter, & erit numerus filiorum Iſrael, quaſi arena maris, quæ ſine menſura eſt, & non numeratur. Et erit in loco vbi dicitur eis: Non populus meus vos, dicetur eis, filij Dei viventis.* pag. 133.

Verſ. 11. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibi caput vnum.* pag. 132.

Cap. 11. verſ. 9. *Non faciam furorem iræ meæ, non convertam, vt diſperdam Ephrain: quoniam Dominus ego, & non homo... Et avolaverunt quaſi avis ex Ægypto, & quaſi columba de terra Syriorum, & collocabo eos in domibus ſuis.* pag. 135.

Cap. 12. verſ. 9. *Et ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, adhuc ſedere te faciam in tabernaculis tuis in diebus feſtivitatis.* pag. 136.

Cap. 14. verſ. 5. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſpontanee quia averſus eſt furor meus ab eis.* pag. 136.

EX AMOS.

CAP. 8. verſ. 9. *Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis, & conuertam feſtivitates veſtras in luctum.* pag. 261.

EX HABACVC.

CAP. 1. verſ. 4. *Lacerata eſt lex, & non pervenit vſque ad finem Iudicij, quia impius prævalet adverſus iuſtum* pag. 125.

Verſ. 5. *Aſpicite in gentibus, & videte: admiramini, & obſtupeſcite, quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cum narrabitur.* pagin. 125.

Verſ. 6. *Quia ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram, & velocem ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua. Horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium; & onus eius egredietur.* pag. 124.

Verſ. 10. *Et ipſe de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt; ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* pag. 125.

EX ZACARIA.

CAP. 8. verſ. 13. *Et erit: ſicut eratis maledictio in gentibus domus Iuda, & domus Iſael; ſic ſalvabo vos, & eritis benedictio.* pag. 133.

Verſ. 19. *Ieiunium quarti, ieiunium quinti, ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit Domini Iuda in gaudium, & in lætitiam, & ſolemnisates præclaras.* pag. 281.

EX MALACHIA.

CAP. 1. verſ. 1. *Onus verbi Domini ad Iſrael in manu Malachiæ.* pag. 128.

Verſ. 2. *Dilexi vos dicit Dominus, & dixiſtis in quo dilexiſti nos.* pagin. 303.

Verſ. 3. *Iacob dilexi; Eſau autem odio habui, & poſui montes eius in ſolitudinem & hæreditatem eius in dracones deſerti.* pagin. 303.

Verſ. 5. *Et oculi veſtri videbunt; & vos dicetis magnificetur Dominus ſuper terminum Iſrael.* pag. 30. & 57.

Cap. 2. verſ. 11. *Et habuit filiam Dei alieni.* pag. 130.

Cap. 3. verſ. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum.* pag. 129.

Cap. 4. verſ. 4. *Mementote legis Moyſis ſervi mei quam mandavi ei in Horeb.* pag. 385.

EX MATHÆO.

CAP. 1. verſ. 11. *Ioſias genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis.* pagin. 197. & 199.

Cap. 2. verſ. 1. *Ecce Magi ab oriente venerunt Ieroſolymam dicentes.* pag. 203. & 215.

Verſ. 12. *Per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* pag. 210.

Cap. 4. verſ. 1. *tunc Ieſus ductus eſt in deſertum vt tentaretur à diabalo, & cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea eſurijt.* pag. 268. & 280.

Verſ. 5. *Tunc aſſumpſit eum diabolus, in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſupra pinaculum templi.* pag. 274.

Cap. 5. verſ. 17. *Non veni ſolvere legem ſed adimplere, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* pag. 262.

Verſ. 48. *Eſtote, & vos perfecti, ſicut, paſter veſter cœleſtis perfectus eſt.* pagin. 284.

Cap. 6. verſ. 16. *Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* pag. 285.

Cap. 8. verſ. 3. *Confeſtim mundata eſt lepra eius.* pag. 286.

Cap. 10. verſ. 37. *Qui amat Patrem ſuum, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* pag. 302.

Cap. 11. verſ. 25. *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hęc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* pag. 375.

Verſ. 29. *diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* pag. 377.

Cap. 16. verſ. 13. *Venit autem Ieſus in partes Cæſareæ Philippi.* pag. 259.

Verſ. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* pag. 242.

Verſ. 21. *Exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia opportebat ire Ieroſolymam, & multa pati.* pag. 360.

Verſ. 28. *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.* pag. 360. & 364.

Cap. 17. verſ. 1. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſim, & tranſfiguratus eſt ante eos.* pag. 267. & 356.

Verſ. 2. *Et reſplenduit facies eius ſicut Sol.* pag. 362.

Verſ. 3. *Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.* pag. 370.

Verſ. 5. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* pag. 370. & 482.

Verſ. 9. *Nemini dixeriſtis viſionem donec filius hominis à mortuis reſurgat.* pgin. 368.

Cap. 19. verſ. 1. *Et factum eſt; cum conſummaſſet Ieſus ſermones iſtos, migravit Galilæa, & venit in fines Iudęæ trans Iordanem, & ſequutæ ſunt eum turbæ multæ.* pag. 335.

Cap. 21. verſ. 37. *Noviſsimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium eius dixerunt intra ſe: hic eſt hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* pag. 344.

Cap. 26. verſ. 2. *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* Pag. 257. & 291.

Verſ. 18. *Dicite ei, Magiſter dicit, tempus meum propè eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis.* pag. 257.

Verſ. 34. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in nocte iſta.* pag. 261.

Verſ. 65. *Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua dicens.* pag. 344.

Cap. 27. verſ. 27. *Ecce Rex veſter: Regem veſtrum crucifigam? Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* pag. 68.

Verſ. 41. *Similiter, & Principes Sacertum cum Scribis, & Senioribus dicebant: alios ſalvos fecit, ſe ipſum non poteſt ſalvum facere: ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* pag. 343.

Verſ. 55. *Erant ibi mulieres multæ, quæ ſequutæ fuerant Ieſum à Gallilæa, inter quas erat Maria Magdalene,* pag. 340.

EX MARCO.

CAP. 1. verſ. 9. *Venit Ieſus à Nazareth Gallilææ, & baptizatus eſt à Ioanne in Iordane.* pag. 231.

Verſ. 13. *Et erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana; eratque cum beſtijs, & Angeli miniſtrabant illi.* pag. 269. & 274.

Cap. 7. verſ. 24. *Et inde ſurgens venit in fines Iudęæ vltra Iordanem: & conveniunt iterum turbæ ad eum: & ſicut conſueverat iterum docebet illos.* pag. 335.

Cap. 8. verſ. 31. *Poſt tres dies reſurgam.* pag. 229.

Cap. 9. verſ. 29. *Et inde profecti prętergrediebantur Gallilæam:* pag. 360.

Cap. 24. verſ. 12. *Quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Paſcha.* pag. 257.

Cap. 15. verſ. 42. *Erat Paraſceve, quod eſt ante Sabathum.* pag. 263.

Cap. 16. verſ. 1. *Et cum tranſiſſet Sabathum, Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Salome emerunt aromatà, vt venientes vngerent Ieſum.* pag. 264.

Verſ. 16. *Qui crediderit ſalvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* pag. 334.

EX LVCA.

CAP. 2. verſ. 21. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer.* pag. 229.

Verſ. 36. *Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth.* pag. 224.

Cap. 3. verſ. 23. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta.* pag. 225.

Cap. 4. verſ. 1. 2. *Ieſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt à Iordane: & agebatur à ſpiritu in deſertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo, & nihil manducavit in diebus illis; & conſummatis illis eſurijt.* pag. 266. & 269. & 274. & 279. & 280. & 281. & 282.

Verſ. 14. *Et regreſſus eſt in Galilæam in virtute ſpiritus.* pag. 279.

Verſ. 41. *Non ſinebat ea loqui, quia ſciebat ipſum eſſe Chriſtum.* pag. 377.

Cap. 6. verſ. 16. *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* pag. 366.

Cap. 9. verſ. 29. *Et facta eſt dum oraret, ſpecies vultus eius altera.* pagin. 366.

Verſ. 30. *Quia nondum venit hora eius.* pag. 339.

Verſ. 32. *In quo petrus, & qui cum illo erant, gravati erant ſomno.* pag. 367.

Verſ. 33. *Neſciens ipſe quid diceret.* pag. 370.

Verſ. 36. *Et dum fieret vox, inventus eſt Ieſus ſolus.* pap. 370.

Verſ. 27. *Factum eſt in ſequenti die deſcendentibus illis de monte.* pag. 367.

Verſ. 51. *Factum eſt autem, cum complerentur dies aſſumptionis eius, & ipſe faciem ſuam firmavit, vt iret in Hieruſalem, & miſit nuntios ante conſpectum ſuum.* pag. 335.

Cap. 14. verſ. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum.* pag. 302.

Cap. 23. verſ. 54. *Erat paraſceve, & Sabathum illuceſcebat.* pag. 263.

EX IO ANNE.

CAP. 1. verſ. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* pag. 341.

Verſ. 14. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* pag. 227.

Verſ. 28. *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes Baptizans.* pag. 231.

Cap. 3. verſ. 22. *Illic demorabatur, & baptizabat, erat autem, & Ioannes baptizans in Ennon.* Pag. 234.

Verſ. 23. *Erat autem, & Ioannes baptizans in Ennon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi.* pag. 231.

Cap. 4. verſ. 1. *Vbi ergo cognovit Ieſus, quia audierunt Phariſæi, quod Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quam Ioannes.* pag. 234.

Verſ. 41. *Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Salvator Mundi.* 234.

Verſ. 35. *Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menſes, & meſſis venit.* pag. 235.

Cap. 5. verſ. 1. *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieroſolimam.* pag. 235.

Verſ. 39. *Scrutamini Scripturas, ipſæ enim teſtimonium perhibent de me.* pag. 346. & 379.

Cap. 7. verſ. 6. *Tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* pag. 350.

Verſ. 7. *Non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit: quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala ſunt.* pag. 350. & 354.

Verſ. 8. 9. 10. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc: ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum: quia meum tempus nondum impletum eſt. ... Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc, & ipſe aſcendit ad diem feſtum non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.* pag. 333. & 347. & 350.

Verſ. 14. *Feſto autem mediante aſcendit Ieſus in templum, & docebat, & mirabantur Iudæi.* pag. 353.

Verſ. 18. *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam eius, qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt.* pag. 353.

Verſ. 28. *Clamabat ergo Ieſus in templo docens, & dicens: & me ſcitis, & vnde ſim ſcitis: & à me ipſo non veni, ſed eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis.* Pag. 346.

Verſ. 31. *Chriſtus cum venerit, nunquid plura ſigna faciet, quam quæ facit?* pag. 341.

Cap. 8. verſ. 19. *Reſpondit Ieſus neque me ſcitis, neque Patrem meum, ſi me ſciretis, forſitan, & Patrem me ſciretis.* pag. 346.

Cap. 10. verſ. 24. *Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus dic nobis palam: Reſpondit eis Ieſus, loquor vobis, & non creditis.* pag. 343.

Verſ. 33. *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* pag. 344.

Cap. 11. verſ. 7. *Deinde poſt hæc dixit diſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterum.* pag. 337.

Verſ. 27. *Ego credidi; quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.* pag. 342.

Verſ. 48. *Omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* pag. 345.

Cap. 12. verſ. 37. *Cum tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, vt ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui noſtro? Et brachium Domini cui revelatum eſt? Propterea non poterant credere, quia dixit Iſaias. Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* pag. 343.

Cap. 13. verſ. 1. *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* pag. 232.

Verſ. 2. *Et Cœna facta.* pag. 257. & 264.

Verſ. 23. *Rabbi ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter.* pag. 234.

Cap. 15. verſ. 22. *Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* pag. 346.

Cap. 18. verſ. 14. *Expedit vnum mori pro populo ne tota gens pereat.* pag. 264.

Verſ. 28. *Ipſi non introierunt Prætorium, ne contaminaretur, ſed vt manducarent Paſcha.* pag. 262.

Cap. 19. verſ. 31. *Erat enim magnus ille dies Sabbati.* pag. 265.

EX ACTIS APOSTOLORVM.

CAP. 1. verſ. 24. *Quem ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni.* pagin. 286.

Cap. 2. verſ. 3. *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* pag. 231.

Cap. 3. verſ. 17. *Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut, & Principes veſtri.* pag. 344.

Cap. 7. verſ. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut Patres Veſtri, ita, & Vos. Quem Prophetarum non ſunt perſequuti Patres Veſtri? Et Occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu iuſti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuiſtis; qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis. Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus eum.* pagina 345.

Cap. 13. verſ. 21. *Et poſt hæc dedit iudices vſque ad Samuel Prophetam, & exinde poſtulaverunt Regem, & dedit illis Deus David filium Cis vnum de Tribu Beniamin, annis quadraginta.* pag. 160. & 168.

Verſ. 48. *Crediderunt quotquot erant præor-*

prædestinati in vitam æternam. pag. 313.

Vers. 38. *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris, qui accepit verba vita dare nobis.* pag. 389.

Cap. 17. vers. 22. *Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video.* pag. 297.

Vers. 23. *Quod ignorantes colitis hoc ego annuntio vobis.. Inveni aram in qua scriptum erat, ignoto Deo.* pag. 295. & 296.

Vers. 24. *Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eis sunt, hic cœli, & terræ cum sit Dominus non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* pag. 297.

EX EPISTOLA PAVLI AD Romanos.

CAP. 8. vers. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti.* pag. 314.

Vers. 30. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, quos autem vocavit, hos & iustificavit, quos autem iustificavit, hos & glorificavit.* pag. 334.

Cap. 9. vers. 11. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* pag. 301. & 304.

Vers. 15. *Miserebor cuius miserebor; & misericordiam præstabo cuius miserebor: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: quia in hoc ipsum excitavi te, vt ostendam in te virtutem meam: & vt annuntietur nomen meum in vniversa terra: ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* pag. 308.

Vers. 22. *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* pag. 308.

Vers. 25. *Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consequutam misericordiam consequutam.* pag. 138.

Cap. 10. vers. 7. *Vbi quæritur, quis descendit in abissum, id est Christum à mortuis revocare.* pag. 298.

EX EPISTOLA 1. AD CORINthios.

CAP. 4. vers. 7. *Quis est qui te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, qui gloriaris, quasi non acceperis?* pag. 323.

Cap. 2. vers. 17. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum huius sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* pag. 344.

Cap. 3. vers. 19. *Sicut scriptum est, comprehendam sapientes in astutia eorum.* pag. 441.

Cap. 4. vers. 1. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inveniatur.* pag. 329.

Vers. 3. *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer; aut ab humano die: sed neque me ipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare.* pag. 326.

Vers. 6. *Hæc autem fratres transfiguravi in me, & Appollo propter vos; vt in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, vnus adversus alterum infletur pro alio.* pag. 334.

Vers. 8. *Iam saturati estis, iam divites facti estis: sine nobis regnatis, & vti-*

nam regnetis, vt & nos vobiſcum regnemus. Puto enim, quod Deus nos Apoſtolos noviſsimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. pag. 326.

Cap. 11. verſ. 25. *Similiter, & calicem poſtquam cœnavit dicens.* pag. 257.

EX EPISTOLA 2. AD CORINthios.

CAP. 6. verſ. 1. *Fratres exhortamus vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* pag. 334.

EX EPISTOLA PAVLI AD Galatas.

CAP. 4. verſ. 25. *Sina enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, qui nunc eſt Hieruſalem.* pag. 89.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

CAP. 1. verſ. 4. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem vt eſſemus ſancti.* pag. 313.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

CAP. 1. verſ. 15. *Habemus Pontificem tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* pag. 266.

Cap. 9. verſ. 4. *Vrna habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat.* pag. 400.

Cap. 12. verſ. 16. *Ne quis fornicator, aut Prophanus, vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiva ſua. Scitote enim, quoniam, & poſtea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrimis inquiſiſſet eam.* pag. 318.

EX EPISTOLA IACOBI.

CAP. 1. verſ. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* pag. 329.

Cap. 2. verſ. 5. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & hæredes regni.* pag. 315.

Verſ. 2. verſ. 11. *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt; ſufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſti.* pag. 408.

EX EPISTOLA 2. DIVI PETRI.

CAP. 1. verſ. 10. *Fratres ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.* pag. 315.

Verſ. 16. *Non doctas fabulas ſequti, notam facimus vobis Domini noſtri Ieſuchriſti virtutem, & præſentiam.* pag. 366.

Verſ. 17. *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audivimus de Cœlo allatam, cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto.* pag. 378. & 383.

Verſ. 19. *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes.* pag. 378.

Verſ. 21. *Spiritu Sancto inſpirati loquti ſunt Sancti Dei homines.* pag. 383.

Cap. 1. verſ. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit.* pag. 441.

EX EPISTOLA 1. BEATI IOANnis.

CAP. 1. verſ. 8. *ſi quis dixerit ſe peccatum non habere, in hoc ſeducit ſe ipſum, & veritas in eo non eſt.* pag. 427.

EX APOCALYPSI.

CAP. 11. verſ. 3. 4. 5. 6. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis; hi ſunt duę olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantis. Et ſi quis voluerit nocere eis, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi. Hi habent poteſtatem claudendi Cœlum, ne pluat diebus Prophetiæ ipſorum, & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint.* pag. 374.



INDEX

JHS.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
QVÆ IN HOC OPERE.
CONTINENTVR.

A

ABacuch deportatus in lacum leonum non fuit idem cum Propheta Minore. pag. 124. Ex huius prophetia, & rata Chronologia. pag. 121.

Æra quid sit. pag. 18.

Ætates mundi. pag. 4.

Amici Iob fuerunt viri probi, & sapientes. pag. 440.

Amicorum Iob pronuntiata an fuerint canonica. pag. 446.

Amri quandiu regnavit in Samaria? pag. 189.

Anagogia cum proportione monstra etiam percipit. pag. 468.

Anni varia computatio secundum nationes. pag. 12.

Annorum duorum adiectio fundatè facta non turbat Chronologiam præsertim propter concordiam textus. pag. 203.

Anni Regum Iudà, & Israel sigillatim distributi. pag. 47.

Annorum numerus ab Exodo ad fundamenta Templi varie computatus. pag. 46.

Animæ, & Angeli quomodo se habeant ad corpus assumptum? pag. 379.

Animalia Ezechielis quomodo ibant, & non revertebatur; itemque revertebantur ad modum fulguris coruscantis. pag. 469.

Apparatus ad Pascha Hierosolymis magnus. pag. 265.

Apparitiones animarum quomodo contingant. pag. 377.

Apparitio Moysis, & Eliæ in Tabor verè personalis fuit non phantastica. pag. 371.

Arabia, Persia, & Chaldæa aliquando promiscuè vsurpantur. pag. 217.

Aram Ignoto Deo erigentes Athenienses an essent superstitiosi? pag. 296.

Arca separata fuit à Tabernaculo. pag. 142.

Argumenta Pauli de ara Athenienſium quomodo vrgerent? pag. 300.

Articulus nominis aliquando cum eo non concordat in genere. pag. 399.

Asà sextus Rex Iudà. pag. 172. Anni ipsi adscripti numerandi sunt ab initio regni Iudà. pag. 174. & sequentibus.

Asà, & Baasa quoad tempora comparantur. pag. 176. & 178.

Ascensus Christi in templum an occultus? pag. 338.

Ascensus Christi ad diem festum quomodo cohæreat cum verbis dicentibus se non ascensurum? pag. 353. Etiam ascendit solemniter in medio festo. pag. 353. Gloriosus quomo-

modo competeret fratribus. pagin. 354.
Ascensus Christi ad diem festum non negativè, sed suspensivè per *nondum* debet intelligi. pag. 349. & sequentib. Talis ascensus humanitus glorioſus suadebatur à fratribus. pag. 350.
Astronomica computatio circa mortem Christi expenditur. pag. 239. Astronomicæ tabulæ expenduntur, & defenduntur. pag. 243. & sequentib.
Athenienſium aræ quomodo essent? pag. 295.
Augustinus, & Paulus quo tenore ambo pergant circa electionem Iacob præ Esau? pag. 312. Augustini mens quam profundè incedit cogitatione, & stylo. pagin. 312. Augustinus. Vide *Discretio*.
Aureus numerus quid sit. pag. 17. & 18.

B

BAbylon cessit discessitque ab Asyrijs. pag. 144.
Balaam non fuit idem cum Eliu. pag. 458. & sequentib. Mesopotamius fuit. pag. 460.
Baldad Suites vnus de amicis Iob. pag. 437.
Baptismus Christi. Vid. *Christus*. Ioannes an etiam baptizatus à Christo? pag. 231. An cœli aperti, & vera columba, & quænam vox de cœlo delapsa? peg. 231. & 232.
Benedictus XIII. in sua Bulla, & Brevi non evertit doctrinam de efficacia extrinseca gratiæ, & electione ad gloriam post absolutam visionem meritorum. pag. 318. & sequentibus.
Benitez. Reverendus admodum P. M. F. Caietanus Benitez immerito doctrinam Dominicanam de efficacia gratiæ vocat evidenter credibilem, pag. 320.
Bulla Clementis IX. & XI. quantum doctrinæ Societatis suffragentur. pag. 320.

C

CAnonici Scriptores an interdum versent probabilia argumenta? p. 292.
Censurari debent à nemine doctrinæ, & propositiones in stadio Catholico concertantes. pag. 320.
Certamen speculativum, & dogmaticum quomodo discrepent? pagin. 325.
Cæsaræa Philippi sita ad Libanum à Tabor satis distans. pag. 360.
Cherubini Ezechielis explicantur. pag. 467.
Christus quomodo mortuus in mense Martio? pag. 240. & sequentibus. Christicidium quomodo perpetratum à Iudæis? pagin. 346. Christus pridie ante mortem celebravit cœnam legalem. pag. 257. Christi mors quomodo fuit in dimidio hebdomadæ? pagin. 251. Christus Dominus Luna decimaquarta celebravit Pascha legitimum cum Iudæis, & mortuus fuit Luna decimaquinta prima die Azimorum. pag. 260. Christus Dominus baptizatus fuit anno trigesimo ætatis eius iam incæpto, & currente per tredecim dies. pag. 227. Quomodo salvetur quod baptizatus fuit anno decimoquinto Tiberij. pag. 228. Baptizatus fuit in Bethania. pag. 231. Christus mortuus est anno 33. inchoato vitę suæ per tres menses, & octo dies, die tertia Aprilis. pagin. 237. & sequentib. Christus Dominus eodem die baptizatus est quo Stella Magos duxit ad præsepium, & celebratæ sunt nuptiæ in Canà Galilææ. pagin. 233. Incœpit suam prædicationem statim à nuptijs. pag. 233. Christus prædi-

cavit publicè per tres annos inceptos vlrra annum elapsum à baptismo ad nuptias. pag. 234. Post baptismum quatuor Paschata celebravit. pag. 235. Christi mors fuit feria sexta, Luna 15. Martij. pag. 236.
Chronologiæ species. pagin. 5. & 6.
Chronologia quomodo vsurpanda? pagin. 29. Chronologia de Sacra Pagina diducta, & composita. pag. 79. Chronologica Synopsis Actuum Apostolorum. pag. 70. & sequentibus. Chronologia, & Chronologus quomodo à Chronographia Historia, & Annalibus differant? pagin. 1. Chronologiæ vsus legitimus, & moderatus. pag. 75. Chronologica disputatio duplex. pagin. 3. Chronologia Herodiana cum ætate Christi Domini componitur. pag. 248. & seqq. Chronologia duplex alia generalis, alia particularis, & quid in vtraque observandum? pag. 163. Chronologia qua moderatione vsurpanda, & à prophana historia secernenda? pag. 169. & sequentib. Chronologia discrepans in Vulgata, & Septuaginta. pag. 36. Chronologicæ discrepantiæ insigniores Novi, & Veteris Testamenti. à pag. 37. vsque ad 46. Chronologia vniversalis DD. Iaonis de Leyva expenditur, & accurate discutitur. pag. 31. & seqq.
Colloquia inter Deum, & Iob quomodo transacta. pag. 432.
Conciliorum pronuntiata quomodo expendi debeant. pag. 333.
Critices abusus. pag. 256.
Critici in plano etiam solent impingere. pag. 379.
Cultus Dei verus vbi præstandus? pag. 151.
Cyclus paschalis Christianorum explicatur. pag. 153.
Cyclus decemnovenalis. p. 12. & 18.

D

DAbir vniversitas Idumææ. pag. 438.
David ter vnctus fuit, pag. 165.
Descensus Christi ad inferos vnde firmetur? pag. 293.
Desperationis apparentia in Iob eluitur, & explicatur. pag. 434.
Diabolus an physico impulsu Christum portaverit per aera in montem excelsum? pag. 276. & sequentibus. Diabolus solum de licentia Domini, & eius mensura eum tentavit. pag. 277.
Dies festus Paschæ quomodo intelligendus? pag. 265. Dies transfigurationis apud Evangelistas verè non discrepat. pag. 365.
Dierum differentiæ. pag. 9.
Discretio prædestinati à reprobo quatenus contineatur in verbis Pauli, & in S. Pagina. pagin. 333. & 334. Discretio de qua Paulus in primo rigore litterę est quoad dona naturalia, & humana. pag. 326. & seqq. De hac discretione exponitur mens Augustini. pag. 328. & seqq. Discretio de qua loquitur Paulus cui argumento Epistolæ aptetur? pag. 323.
Disputationes amicorum Iob erant scientificæ. pag. 441.
Divinitas non fuit visa in Tabor. pag. 369.
Doctrina Societatis toto orbe per Academias, DD. & volumina florentissima. pag. 320.
Dolores inferni à quibus Christus solutus esse dicitur, quomodo intelligendi? pag. 288. & seqq.

E

ELectio ad gloriam ante absolutam visionem meritorum licet laudabiliter ex Augustino, & Thoma elicita, probabiles vt antè ac laudabiles relinquit partes oppositas ex eodem Augustino, & Thoma deductas. pag. 309.

Electio Iacob præ Esau de prædestinatione sumpta sit difficilis. pag. 310. Electio Iacob præ Esau in sensu litterali primario, & genuino non intelligitur de æterna prædestinatione, sed de prælatione temporali. pag. 303. & seqq. Electio ad gratiam est de qua commendatur Augustinus, & de qua differit contra Pelagium. pag. 313.

Eliphaz Temmanites vnus de amicis Iob. Duplex fuit Eliphaz. pag. 438. & pag. 425.

Eliu amicus Iob adolescens sapiens, & probus fuit, pag. 455. Eliu fuerunt plures. pag. 556. Eius cognatio. pag. 456. An fuerit amicus Iob stricte talis, dubium est. pag. 457. Non fuit idem cum Balaam. pag. 458. & seqq.

Epacta quid sit. pag. 17. & 18.

Ephron Hethæus fuit de Amorræis seu filijs Hemor. pag. 392.

Epiphanius hæresi 51. trahitur in favorem nostræ sententiæ. pag. 254.

Epiphania dicebatur festum luminum. pag. 222. Incidit in feriam sextam post tredecim dies à Domini natalitio. pag. 223.

Epocha quid sit? pag. 2. & 18. Epochæ singulares à re aliqua vel actione desumptæ. pagin. 177. Epochæ insigniores. à pag. 2. & deinceps mundi ætates variæ iuxta Authores. à pagin. 24. vsque ad 29.

Error amicorum Iob quomodo fuerit? pag. 445. Error aliquis quomodo cum sapientia cohæreat? pagin. 442.

Esau non constat fuisse damnatum. pag. 304.

Esdras non fuit Malachias, plures annos ante ipsum natus, & alibi degens. pag. 130. Quomodo memoratus in Ecclesiastico. pag. 130.

Excelsa in Israel quænam essent? pag. 149. & 150.

Excessus de quo erat sermo in transfiguratione, quid significet? pagin. 365.

Expositio multis quæstionibus obnoxia potius indiget interpretatione ex Hieronymo, & inde evadit lector incertior. pag. 294.

Ezechielis prophetia difficilis intellectu, & etiam Iudæis olim reservata nisi ætatem sacerdotalem attigissent. pag. 471. Ezequiel Propheta male cõfunditur cum Pythagora. pag. 463. Epocha ipsius prophetiæ dubia est. pag. 464. Ezechielis currus. pag. 464.

F

FAcies interdum sumitur pro indicio alicuius actionis. pag. 340.

Facinora, & gesta brevi fiunt, & fusè narrantur. pag. 167.

Ferire pactum aut percutere fœdus cur dicatur. pag. 475.

Festum Scænopegię erat mense septembri. pag. 339. Festum luminum. Vide. *Epiphania*. Festum Phase, & Azimorum in quibus distinguantur? pag. 236.

Fides vetus, & nova. pag. 379.

Filij interdum pro subditis accipiuntur. pag. 389.

Firmior sermo propheticus quam de Cœlo à Patre delapsus quomodo esse posset? pag. 380. & seqq.

Fomes ad bonum dabatur in Christo. pag. 270.

Formulæ loquendi vsitatæ sæpè excusant quod criminosum apparet. pag. 443

G

GAlilæa, Iudæa, & Samaria componebant ditionem Israeliticam. pag. 337.

Garizin mons Samariæ iuxta quem fuit Arca Domini. pag. 339.

Geographia quid sit? pag. 82.

Geographicus indiculus pro regionibus

bus, vrbibus, & locis ad Sacram Scriptutam pertinentibus. pag. 94. & ſequentib.
Gentiles Philoſophi quomodo Deum cognoſcerent? pag. 297. & 298.
Geſta Chriſti Domini à prædicationis tempore Chronologicè tradita ex Ricciolio. pa. 59. Geſta Regum publica potius amant per communem Regni, quàm per vitæ ſingularem epocham recenſeri. pag. 176.
Gratuitum Dei propoſitum quid ſit. pag. 314.

H

HEbræi contra Iob ſuſpecti eo quod de Iacob non deſcendat. pagin. 319.
Hæres in parabola de vinea quomodo indicat Chriſtum cognitum à Iudæis. pag. 354. & ſequentib.
Hæretici non recuſant fateri doctrinas morales ſpeculativas; eas tamen cum praxi, & exemplis averſantur. pag. 410.
Hellena ædificavit in monte Tabor Templum in honorem trium Apoſtolorum. pag. 358.
Hemór fuit quodammodo Cananæus Pherezæus Amorræus, Hetæus, Hevæus, & Iebuſæus. pag. 398.
Herodis Magni Chronologia ante, & poſt epocham vulgarem Chriſti. pag. 58.
Hieronymus circa Ezechielem caligine ſe fatetur immerſum. pag. 479.
Hiſtoria eſt, & non parabola liber Iob. pag. 407.
Horæ, & horologia inæqualia aut diverſa. pag. 8.
Horam Domini non adveniſſe, & quænam ſit hora eius, quomodo intelligendum. pag. 348.
Horeb. Vide. *Mons.*
Humanioribus litteris deditio nimia obnoxios facit errori ſacra tractantes. pag. 380.
Hus terra quem ſitum habuiſſet? pag. 424. Hus quænam terra fuerit, & vnde ſic appellata? pagin. 413.

I

IAcob, & Eſau pro eorum poſteritate ſumuntur. pag. 306.
Idumæa prius per duces, poſtea per reges, rurſuſque per duces adminiſtrata eſt. pag. 420.
Iechonias fuit idem cum Ioachin. pag. 199. Quomodo genitus à Ioſia mediante Ioakin? pag. 199.
Ieiunij Chriſti Domini aliquot cauſæ, & motiva. pag. 281. Ieiunia legis Chriſtus Dominus obſervavit, & quænam fuerint? pag. 281. Quadragenarium ieiunium fuit ſine omni cibo, & potu à Chriſto peractum, & non niſi virtute ſupernaturali. Ibid. Ieiunium naturale ad octiduum enecat hominem. pag. 281. In ſuo ieiunio Chriſtus Dominus non perpeſſus eſt famem, & ſitim cruciantem. pag. 282. & ſeqq. In ieiunijs viri extatici quomodo ſe habeant? pag. 283. Ieiunium Moyſis, & Eliæ in quonam differant. pag. 284. Ieiunium Chriſti quomomodo ad imitationem propoſitum. pag. 284.
Ieremias multa etiam imprecatus eſt ſine culpa. pag. 430.
Ieroſolymæ origo, viciſsitudiues, & deſcriptio. pag. 89.
Ignotus Deus Athenienſium quiſnam eſſet? pag. 299.
Imperium Auguſti quomodo computandum tàm in ſe, quàm relatè ad natalitia Domini. pag. 225.
Infernus in Scriptura quomodo accipiatur? pag. 287.
Inſtrumentum potius aptandum rei agendæ, quam agenti. pag. 351.
Interpretationes piæ Patrum pijſsimè ſunt excipiendæ. pag. 374.
Interpretes ad concordiam locorum non vnam aperire, & ſectari ſolent ſemitam evadendi. pag. 162.
Ioachaz fuit primogenitus Ioſiæ. pag. 201.
Ioachin, & Ioakin diſtinguntur. pag. 191. Ioachin anni à regno Nabuchi

computãndi. pag. 193. & ſequentib. Ioachin idem fuit ac Iechonias. pag. 199.
Ioakim fuit filius immediatus Ioſiæ, & pater Ioachin ſeu Iechoniæ. pag. 197.
Iob nec leviter peccavit in ijs quæ in libro Iob recenſentur. pag. 428. & ſeqq. Iobab idem ac Iob. pag. 418. Iob Typus fuit Chriſti. pag. 406. In exemplum tolerantiæ propoſitus. Ibidem. Iob alter Mahometanus ſepultus iuxta Conſtantinopolim cultus à Mauris. pag. 409. Iob fuit Abrahamides de poſteritate Eſau. pag. 413. Iob fuit ſacerdos. pag. 421. Iob fuit verè Rex. pag. 416. & ſequentib. Iob quo tempore vixerit? pag. 414. Iob Sacerdos, & propheta habitus atque philoſophus. pag. 428. Iob nihil arrogans criminosè, & inconſideratum protulit. pag. 434. Iob imprecationes variæ. pag. 426.
Ioram Iudaicus, & Ioram Iſraeliticus concordantur in annis. pag. 181. & ſequentib.
Ioram bis patre vivo regnavit. pag. 181. & ſeqq.
F. Ioſephi à S. Benedicto pronuntiatum de prædeſtinatione. pag. 321.
Ioſiæ filij quot fuerint? pag. 191.
Iudæi quatenus noluerunt introire Prætorium, ne contaminarentur? pag. 262. & ſeqq.
Iudæi non cognoverunt firmiter Chriſtum eſſe Meſsiam, & Deum verum. pag. 343. & ſeqq.

K

KAlendarij Romani expoſitio, & notitia. pag. 246. & ſeqq.
Kalendarij Gregoriani reformatio. pagin. 17.
Keſceth ſignificat arcum. Keſcitah ſignificat nummum. pag. 404.

L

LIbanus celſiſsimus mons eſt Paleſtinæ. pag. 361.
Limbus PP. nullum dolorem neque ſtrictam pœnam eis afferebat. pag. 294.

M

MAacha quænam fuerit, & cuius filia. pag. 174.
Maciem, pallorem, & debilitatem Chriſtus ex inedia non contraxit. pag. 285.
Magi quinam fuerint? pag. 240. & ſequentib. & 214. Magi Reges an Aſtronomi? pag. 214. An pro Gentilibus generatim? pag. 214. & 205.
Malachias perperam habitus, vt Angelus in natura ab Origene. pag. 129. Non fuit idem cum Eſdra, pag. 129.
Maldonatus benignè excipitur. pag. 362.
Matrimonia alienigenarum ab Eſdra, & Malachia carpuntur. pag. 130.
Memphis, & Heliopolis Academiæ Ægypti. pag. 438.
Menſium explicatio, & differentiæ ſecundum nationes. pag. 1. Menſes Hebræi lunares fuerunt. pag. 238.
Menſuræ ſacræ vaſorum. pag. 117. Longitudinum, & diſtantiarum. pag. 119.
Miracula quænam in ieiunio Chriſti Domini admittenda. pag. 285. Miracula Chriſti multifariam calumniata. pag. 341.
Mons Sion, & mons Acra, & mons Moria deſcribuntur. pag. 92. Mons Sinaì celebris in Scriptura idem eſt cum monte Oreb. 386. Mons

transfigurationis fuit mons Tabor. pag. 385.
Monetarum differentiæ. pag. 115.
De morte Christi difficultatum explicatio, & summula coordinata. pag. 253.
Moyses, & Elias intraverunt nubem in monte Tabor, vt sub ea discederent. pag. 370. Moyses in Tabor in vero suo corpore resurrexit. p. 372. & sequentib. Moyses an cum Elia iterum venturus? 373.
Mulieres quomodo Christum sunt comitatæ? pag. 340.

N

NOmina personarum potius stant pro historia quam pro parabola. pag. 407.
Nominum derivatio aliorum in alios vnde orta? pag. 412.
Nubes lucida montis Tabor non fuit eiusdem rationis cum reliquis. pag. 368.
Numerorum corruptio non facile admitenda in Scripturis. pag. 178.
Nuntij Iob similia pronuntiant, & similiter evadunt. pag. 447. Nuntij Iob non fuerunt Angeli, sed veri homines, & servi ipsius. pag. 449. & sequentib.
Nuptię in Canà quo sensu fuerunt tertia die? pag. 252.

O

OChozias quomodo sit gener Achab? pag. 190. Ochozias fuit duplex alter Israeliticus alter Iudaicus. pag. 186. Iudaicus ingentem difficultatem creat in libris Regum, & Paralypomenon. pag. 185. Idem quodammodo ad regnum Israel spectabat. pag. 186. Anni 42. Ochoziæ positi in Paralipomenon sunt de regno Israeliticò non de ætate; vicissim verò anni 22. libri Regum de ætate sunt non de regno. pag. 187. & sequentib.
Occursus turbarum Domino descendente de monte Thabor quo tenore fuerit? pag. 368.
Odium Dei erga creaturas aliquando intelligitur comparativè. pag. 301. Odium per Methonimiam sumi solet pro vexatione, & incommodis. pagin. 305.
Olympiadum chronologia ad Christi ætatem componendam expenditur. pag. 250. & sequentib. Vide Chronologia.
Opera quotupliciter sumi possunt, vt aliquid sit ex operibus. pag. 315.
Oratio in monte tempore diurno an nocturno contingeret? pag. 366.
Origenes non censuit, quod nuntius Iob fuisset Angelus. pag. 452.
Oriens, & Occidens diversimodè possunt considerari. pag. 215.
Ossa Patriarcharum potuerunt de Sichem portari in Hebron. pagin. 400.

P

PAlæstina dividitur in Iudæam, Samariam, & Galilæam. pagin 87.
Parabolæ frequentes in Scriptura. pagin. 407. Libri Parabolici in Sacra Pag. pagin. 409.
Pascha, & dies Azimorum erant duo distincta. pag. 258. Paschalis Agni sacrificium quomodo fuit ante legem? pag. 279. Quomodo inter vesperas. pag. 592. Paschata. Vid. Christus. Paschata quot fuerint in prædicatione Christi? pag. 59.
Patres quinam, & quomodo de prædestinatione sentirent? pag. 307.
Patriarchæ sepulti sunt in Hebron. pag. 391. & sequentib.

Pererius adverſarijs non favet circa æternam prædeſtinationem. pag. 317.
Periodus Iuliana, & Dionyſiana. pag. 12. & 15. 16. & 18.
Plagæ ipſius Iob an naturaliter, an ſupernaturaliter contigerint? pag. 448.
Ponderum genus in Sacra pagina citatum. pag. 114.
Pontifices Hebræorum Chronologicè coordinati. 56.
Prædeſtinatio dupliciter conſiderari poteſt. pag. 308. Prædeſtinatio ad gratiam, eſt liberaliſsima. pag. 301.
Prædium Iacob donatum prope Sichar non eſt idem iuxta Maldonatum cum eo quod emerat Iacob. pag. 400.
Probabilia argumenta eruebantur à Patribus contra hæreticos. pag. 324.
Profectio Chriſti à Galilæa in Iudæam vltima eadem eſt relata apud omnes quatuor Exangeliſtas. pagin. 336.
Prophetæ Domini erant multi in Samaria. pag. 147. Prophetarum Chronologia, & Syntaxis. pag. 50. Prophetia Tobiæ de quo reditu intelligenda. pag. 136.
Puer, & adoleſcens cuinam conveniant? pag. 166.
Purgatorij animæ quatenus loquantur in corpore aſſumpto. pagin. 373.

Q

QUareſmius cum Brocardo, & alijs deſignat montem Tabor pro transfiguratione Domini. pag. 358.
Quartadecimani hæretici quomodo erraverint? pag. 253. Quartadecimani errabant circa Paſcha. pag. 15.
Quaſi particula quam vim habeat? pag. 230.
Quatuor facies animalium Ezechielis quomodo ſingulis adſcribendæ? pag. 465. & ſequentib.
Quomodo exponendus eſt textus ille *non eſt volentis neque currentis*? pag. 308. & pag. 310. Quomodo in Ochozia, & Ioſaphat tempora cohæreant? pag. 183.

R

RAm cognitio quomodo accipienda? pag. 462.
Reditus Iſrael ſeu decem Tribum quomodo explicatus in Prophetis? pag. 137. & ſequentib.
Regis nomen Etymologia, & ditio. 415. Reges Magi de Meſopotamia, & Chaldæa venerunt. pag. 218. Fuerunt de Stirpe Balaam, Ibidem. Attulerunt munera Madian, & Ephà. pag. 219. Eorum vnus cur pingitur niger, & ater? pag. 220. Quo ſenſu de Arabia aut Æthyopia venire potuiſſent? pag. 220. An fuiſſent malefici? pagin. 221. Rex Cranganoris non fuit vnus de tribus Magis. pagin. 222. Quomodo reverſi ſunt in regionem ſuam? pag. 223. Tria munera an ſingula ſingulis ambiguum eſt. pag. 223. Adorarunt Chriſtum Dominum in Bethleem. pag. 223. Reges Magi quot fuerint? pag. 204. Reges fuerunt in vero ſenſu. Pag. 206. Regum Iſrael, & Iudà tenor, & vſus quoad diſtribuendos annos, & Thronum cedendum. pag. 279. Regia poteſtas Iob quomono reſtituta? pag. 420. Regna mundi quomodo dœmon oſtenderit Chriſto, vt ipſum adoraret. pag. 279.
Reprobatio ante abſoluta demerita non

non eſt Auguſtini, & Thomæ. pag. 317.
Reſurrectio Domini eſt qua ſolutus eſt à doloribus inferni. pag. 289.
Revellationes privatæ quomodo vtiles? pag. 384.
Roteradamus Eraſmus, & alij cur ſæpè offendant? pag. 379.

S

SAbbato non poterant remanere corpora in cruce. pag. 263.
Salem apud Interpretes pro Ieruſalem accipitur. pag. 394. Salem dicitur vrbs Sichimorum. pagin. 394.
S. Franciſci Saleſij Epiſtola de prædeſtinatione ad P. Leonardum Leſium affertur, & vindicatur contra nuperum quemdam authorem. pag. 321. & 322.
Samaria à quo condita fuerit. pag. 186. & 189. Samaritani quinam eſſent. pag. 141.
Samuel quando, & quandiu iudicavit Iſraelem? pag. 164.
Samaritanorum hæreſis. pag. 144.
Sanctus, & Innocens differunt. pag. 427. Sanctorum Patrum traditio quænam dat legem? Quomodo ipſi procedebant adverſus hæreſes, & quomodo accipiendi ab Authoribus Catholicis? pag. 126.
Scientia media cum ingenti diſcrepantia vſurpata à Maſſilienſibus, & à Ieſuitis: à primis tanquam ſufficiens ad remunerandum; à ſecundis tanquam inſufficiens ad remunerandum ſed neceſſaria eius prælucentia ad providendum, & ſapientiſsime decernendum. pag. 309.
Sathan an toto deſerti tempore Dominum tentaſſet? pag. 270.
Saul qua ætate veniſſet ad regnum? pag. 168. Saul an fuiſſet bubulcus? pag. 153. Quomodo filius vnius anni regnare cœpit? Pagin. 154. & ſequentib. Duobus annis regnavit ſuper Iſrael. pag. 160. & ſequentib.
Sciſio regni Hæbreorum quomodo facta à Domino? pag. 148.
Scripturæ textus quomodo germanitus ſunt exponendæ quando exinde probabiliter ducitur argumentum ad dogmata confirmanda? pagin. 287.
Senſus ſecundus litteralis fulcitur. pag. 293. Senſus allegorici, & ſecundi litteralis differentia. pag. 324.
Sermo propheticus. Vide firmiorem.
Sermo vivus Prophetæ, & ſermo mortuus exiſtens in Biblijs vter firmior? pag. 384.
Sichem Civitas an duplex. pag. 394. & ſequentib. An fuerit eadem cum Ieruſalem. pag. 397. Sichem, tùm Civitas, tùm perſona ſic appellata. pag. 393.
Sinenſis cuiuſdam gravis ſententia circa Chriſti Domini paſsionem, & mortem. pag. 278.
Sin duplex deſertum traditur à Cornelio. pag. 384. & ſequentib.
Somnus Apoſtolorum in monte Tabor non purè naturalis fuit. pag. 367.
Sophar Naamatites vnus de amicis Iob. pag. 477.
Specimina diſcurrendi non niſi plena humilitate, & docilitate ſunt de promenda. pag. 402.
Spiritus qui reduxit Chriſtum poſt tentationes in Galilæam, vel divinus, vel Angelicus fuit. pag. 279. Spiritus Sanctus duxit Chriſtum in deſertum. pag. 280.
Stephanus in Sermone contra Iudæos concisè, & glomeratim loquitur. pag. 403.
Suarez vindicatur. pag. 362.
Suſcitatio mortui quomodo miraculum difficilius quam alia? pag. 375.

Syria in genere multiplex. pag. 83.
Syria Palestinæ describitur, & dividitur. pag. 84. & seq. tib.

T

TAbernaculum in Silo, & alibi quomodo repulsum? pagin. 149.
Templum Zorobabelis cur non erectum ad altitudinem Salamonici? pag. 477. Templum quomodo intelligendum? pag. 470. Templum Ierosolymitanum eiusque vicissitudines. pag. 93. Templum Ezechielis in primo sensu literali obiectivè sumpto fuit templum ipsum Salomonicum reædificatum per Zorobabelem; in secundo verò sensu literali sivè allegorico fuit templum Christianorum. pag. 472. & sequentib.
Temporis partes Annus, Mensis, Hebdomas, dies, & hora, &c. pagin. 7.
Tentatio quotupliciter potest evenire? Pag. 265. Tentari quomodo Christus potuerit? Pag. 267. Tentationibus Christus quam alta sapiẽtia respondit? Pag. 268. Tentationes nullas aliàs passus est Christus præter memoratas in Evangelio. pag. 268. & sequentib.
Tentatio Domini ad solam instructionem nostram fuit. pag. 271. Tentationis discrimen circa Christum, & iustos. pag. 270. & sequentib. Quomodo tentatus Christus per omnia? pag. 272. Tentatio, & Agonia in Christo quomodo discrepant? Pag. 273. Tentationis mons quinam fuerit? Pag. 275.
Tetrarcharum divisio. Pag. 88.
Tharsis regio vbinam sit, & an sit nostra Carthago? Pag. 216.
Theologia Scholastica quantum veritates aperiat? Pag. 308. Theologia Scholastica fida Sacræ Paginæ comes pag. 380. & 383.
Themam vniversitas Idumææ. Pag. 438.
Toparchiæ quot fuerint in Palestina. Pag. 88.
Traditiones piæ asserendæ. Pag. 357.
Traditionum genera varia. pag. 402.
Traditiones quomodo discriminandæ? pag. 363.
Trans particula quomodo significet? Pag. 338.
Transfiguratio Domini quoad Discipulos per gustationem mortis prænuntiata. Pag. 360. Transfiguratio diurno tempore contigit. pag. 365.
Tribus decem fuerunt hæreticæ, & apostatæ, & quomodo? Pag. 145. & sequentib.

V

VAlentinus Schilderus montem Tabor prominentem explicat ad instar vmbilici. pag. 359.
Verba Sanctij, & Alcazaris observatu digna circa templum Ezequielis. pagin. 480. Verba P. Benedicti Iustiniani circa discretionem Pauli notatu digna. pag. 332.
Veritas Versionis potius ducenda est ex concordia cum facto quam ex concordia cum alia versione. pag. 351.
Versio Vulgata quo tenore servanda? pag. 290. & seqq. Versionum varietas stat sine eversione cuiusquam. pag. 351.
Vigiliæ noctis, & diei ternas horas habebant. pag. 8.
Visio Ezechielis de templo, & civitate explicatur. pag. 471.

X

XAntes Pagnini versio Iob etiam à levi lapsu excusat. pag. 431.
Xenophon de Chaldæis tradit fuisse latrocinantes. pag. 453.

no, & pompa. pagin. 344.
Zelotypia in reliquis Discipulis vitanda fuit ex silentij impositi testibus transfigurationis. pag. 377.
Zorobabel an fuerit Rex, vel Pontifex. pag. 136.
Zorobabelis templum. Vide. Templum.

Z

ZAre de filijs Esau fuit Patet Iob. pag. 408.
Zebedæi filij declarant quomodo Iudæi expectabant Messiam in Thro-

FINIS.

V

X

Signat. Topo.
Est. 9
Tab. 3
Num. 3

PALESTRA
BIBLICA

TOM III

3612
115